



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.


Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

DE SACRI
 APOSTOLICIQUE
 ORDINIS
 CANONICORVM REGVLARIVM
 ORIGINE, ET PROGRESSV
 Liber Secundus.

GABRIELE PENNOTTO
 NOVARIENSE EX CONGREGATIONE LATERANEN.
 Abbate, ac Theologo Autore.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



ROMAE Ex Typographia Camerae Apostolicae. M.D.CXXIII.

T v

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

CAPITA SECVNDI LIBRI.

- N**OMENCLATIO multiplex, qua Clerici Canonici tum in iure Canonico, tum in Sacris Concilijs, & apud autores probatos nuncupari consueverunt, explicatur.
- I. De origine Canoniorum Clericorum, qui & Regulares vocantur, questio generalis proponitur, & Ioachimi sententia multiplicis erroris conuincitur, & reprobatur.
 - III. Alie opiniones de origine Canoniorum Regularium referuntur, & rejiciuntur.
 - IV. Vera sententia de origine Canoniorum Regularium exponitur, quos à Sanctissimis Apostolis institutos demonstratiuè probatur.
 - V. Beatos Apostolos, ac etiam omnes Clericos ab Apostolis institutos in primitiua Ecclesia vitam comunem cum abdicatione bonorum temporalium, & substantialsa Religionis vouisse.
 - VI. Nonnulla corollaria ex antecedentibus deducta.
 - VII. An Clerici Canonici ante D. Augustinum aliquam certam determinatam Regulam haberent.
 - VIII. An ijdem Clerici Canonici ante D. Augustinum certum regularem habitum haberent.
 - IX. De forma tonsura Clericorum Apostolicorum.
 - X. Canoniorum Ordinem ab Apostolis fundatum vsque ad B. Patris Augustini tempora continuatum maximè floruisse, ac toti orbi notissimum extitisse.
 - XI. De Ecclesijs Cathedralibus, Metropolitanis, & alijs Canonici Ordinis collegiatis ante D. Patrem Augustinum.
 - XII. De insigni reformatione Canonici Ordinis facta in Ecclesia Hipponensi per D. Patrem Augustinum.
 - XIII. De Augustiniana reformatione post excidium urbis Hipponensis per totum orbem propagata.
 - XIV. De Reformatione Sacrosanctæ Patriarchalis Basilica Lateranensis facta per B. Gelasium Valerij filium, & S. Augustini discipulum, & Canonicum Regularem.
 - XV. De eodem Ordine Canonico in prefata Basilica reformato quorundam opiniones minus probabiles refelluntur.
 - XVI. De alijs Ecclesijs Canoniorum Regularium olim in Vrbe consistentibus.
 - XVII. De propagatione ipsius Ordinis Canonici per D. Augustinum reformati, per alias Ciuitates, & loca in Prouincia Romana constituta.
 - XVIII. De Ecclesia Perusina, & de S. Herculano Episcopo, & Martyre, & Canonico Regulari.
 - XIX. Constantini Caietani argumentationes contra Canonicam S. Herculani Perusini Episcopi, & Martyris professionem expenduntur, & soluntur.
 - XX. De alijs Canoniorum Regularium Ecclesijs, & Monasterijs in Hetruria existentibus.
 - XXI. De Ecclesijs, & Monasterijs Canoniorum Regularium Prouinciarum Marchie Anconitane, Ducatus Urbini, & Romandiola.
 - XXII. De Ecclesijs, & Monasterijs Canoniorum Regularium existentibus in Episcopatibus Ferrariensi, Mutinensi, Regiensi, Parmensi, & Placentino, & Mantuano.
 - XXIII. De Ecclesia Bononiensi, & Collegijs Canoniorum Regularium in Episcopatu Bononiensi constitutis.
 - XXIV. De Ecclesijs, & Monasterijs in Patriarchatu Gradensi, seu Venetiarum consistentibus.
 - XXV. De Ecclesijs, & Monasterijs existentibus in Patriarchatu Aquileiense, ac in toto Dominio Venetorum.
 - XXVI. De Ecclesia Mediolanensi, & alijs Ecclesijs, & Collegijs Canoniorum Regularium existentibus in toto Dominio, & Metropoli Ducatus Mediolani.
 - XXVII. De Ecclesijs, & Monasterijs existentibus in Archiepiscopatu Januensi, & in Marchionatu Montisferati.
 - XXVIII. De Ecclesijs, & Monasterijs Canoniorum Regularium existentibus in Archiepiscopatu Taurinensi, & Principatu Pedemontano.
 - XXIX. De Ecclesijs, & Monasterijs existentibus in Regno utriusque Sicilia.
 - XXX. De Propagatione Ordinis Canonici in Prouincijs Hispaniarum, & primò de Ecclesia Casarugustana S. Mariae de Pilari, siue de Columna nuncupata.
 - XXXI. De ceteris Ecclesijs, & Monasterijs Canoniorum in Regno, & Prouincijs Hispaniarum, excepta Lusitania.
 - XXXII. De Ecclesijs, & Monasterijs Canoniorum in Regno Lusitania.
 - XXXIII. De Propagatione Canonici Ordinis, ac illius Ecclesijs, & Monasterijs in Regno Galliarum.
 - XXXIV. De Propagatione Canonici Ordinis in Hybernia, & primò de S. Patricio eius Insula Apostolo, & illius instituto.
 - XXXV. Dubia nonnulla contra ea, qua de instituto S. Patricij cap. precedenti sunt tradita, proponuntur, & soluntur.
 - XXXVI. De Ecclesijs, & Monasterijs Canoniorum in Regno Scotorum consistentibus.
 - XXXVII. De Ecclesijs, & Monasterijs Canonici Ordinis Anglicanis.
 - XXXVIII. De antiquis, & recentibus Ecclesijs, & Monasterijs Canoniorum existentibus in Belgio.

Capita Secundi Libri:

- XXXIX. De Propagatione Canoniorum Regularium, & Ecclesijs, & Monasterijs dicti Ordinis in Prouincijs Almannia.
- XL. De Ecclesijs, & Monasterijs eiusdem Ordinis in Prouincijs Morauia, Silesia, & in Regnis Polonia, Suetia, & Noruegia.
- XL I. De Propagatione eiusdem Canonici Ordinis in Imperio Orientali.
- XLII. De multiplici eiusdem Canonici Ordinis reformatione.
- XLIII. De Generali dicti Ordinis reformatione per Benedictum XII. promulgata.
- XLIV. De nonnullis Capitulis Prouincialibus Canoniorum pro dicta generali reformationis executione, & specialiter de Capitulo Papiensi.
- XLV. De varijs Canoniorum Congregationibus, & primò de Congregatione S. Frigidiani.
- XLVI. De Congregatione Mortariensi sancta Crucis nuncupata.
- XLVII. De Congregatione Portuensi apud Rauennam in litore Adriatico.
- XLVIII. De Congregatione S. Mariae ad Rhenum prope Bonaniam in Aemilia:
- XLIX. De Congregatione S. Mariae de Crescentiaco apud Mediolanum.
- L. De Congregatione S. Marci Mantuana.
- LI. De Congregatione S. Saluatoris olim de Sylua lacus, nunc de Bonomia.
- LII. Catalogus Monasteriorum dicta Congregationis recensetur.
- LIII. Corollaria nonnulla ex precedentibus deducuntur, & nonnulla errata Iosephi Mozzagrugni corriguntur.
- LIV. De quibusdam alijs Congregationibus Italici Canoniorum Regularium.
- LV. De Congregationibus Gallicanis, & primò de reformatione Canonici Ordinis facta per B. Juonem Beluacensem Episcopum Carnotensem.
- LVI. De Congregatione Gallicana S. Rufi amplissima.
- LVII. De Congregatione S. Victoris Parisiensi.
- LVIII. De Congregatione S. Laurentij de Plebe martyrum, sine de Vltio in Delphinata.
- LIX. De Congregatione S. Crucis Colimbricensi.
- LX. De Reformatione dicta Congregationis, & illius Monasterijs.
- LXI. De Viris Illustribus predicta Congregationis Colimbricensis.
- LXII. De Congregatione Belgica S. Nicolai de Aroasia.
- LXIII. De Congregatione Belgica Capitulo Vuindesimensi nuncupata.
- LXIV. Catalogus Monasteriorum tam virorum, quam mulierum dicta Congregationis.
- LXV. De Viris Illustribus ex eadem Congregatione profectis.
- LXVI. De quatuor alijs Congregationibus Marbacensi, Vallis Viridis, Nufsiensi, & Olomutiensi.
- LXVII. De Congregatione Dominici Sepulchri Ierosolimitana.
- LXVIII. Quod Canonici dictarum Congregationum sunt essentialiter eiusdem Ordinis inter se, & cum antiquis Cathedralibus Augustinianis, & Apostolicis.
- LXIX. De multiplici habitu Canoniorum Regularium.
- LXX. De Canonicis Pramonstratensibus, & alijs quibusdam Ordinibus, qui dicuntur Canonici Regulares.
- LXXI. De Canonici Ordinis eminentia, & iure precedendi in Processionibus, Concilijs, & alijs actibus publicis, & priuatis.
- LXXII. De capacitate Canoniorum Regularium ad beneficia secularia obtinenda.
- LXXIII. Quod ex Ordine Canonico caeteri Regularium Ordines, aut precipui illorum Reformatores, & illustratores prodierunt.
- LXXIV. Catalogus omnium Congregationum, & Ordinum sub Magni Patris Augustini Regula militantium.



CVNCTIS REVER. PATRIBVS ET OMNI VENERATIONE COLENDIS

Dominis Abbatibus, Generalibus Prioribus, cæterisq; Sacri Canonici,
Apostoliciq; Ordinis Prælati, & Concanonicis
sincera charitate dilectissimis.

D. GABRIEL PENNOTVS
Concanonicus, & seruus humilis in Domino, S.



REGINALDVM Hestensem inter sacri Ierosolimitani belli Duces, & Principes inuictissimum, veneficæ cuiusdam incantationibus ab exercitu longissimè abductum, & inter amœnissimi pomarij delicias otio torpentem Poëta noster Italicus ad mentis vigorem, & castra fidelium citius reuocaturus, tale apud semetipsum inijt consilium, vt speculo adamantino illi ante oculos posito ad illius status ab auita maiorum suorum nobilitate longè degenerantis abiectionem, ac vilitatem meditandam excitaret, mox Virgilium lib. 6. Aeneidos aliquo pacto æmulatus ad solutas animi vires instaurandas, alterum clipeum omnia maiorum suorum egregia facinora, & res præclare gestas miro quodam artificio depicta referentem, illi contemplandum exhiberet. Nec illum sua cogitatio fefellit, quandoquidem adolescens verè nobilis, & generosus rubore perfusus, & pudefactus nimium, non solùm à fallacibus Armidæ blandimentis statim resiliuit, verùm ad castra pedem referens, strenuè contra hostes certando, errata, & damna præcedentia, lucris sequentibus longè maioribus exæquauit. Sanè, Religiosissimi, & mihi summa veneratione colendi Patres, & Canonici, ex innumeris penè metaphoris, quibus diuinæ scripturæ Cœlestis Ierosolimæ diuitias, foelicitatem, & viam ad regnum æternæ beatitudinis assequendum nobis proponere consueuerunt, vt nulla frequentior, sic etiam mea sententia, nulla consentanea, & apta magis, ea, qua Regnum æternæ gloriæ sub specie, ac symbolo ciuitatis, siuè arcis munitissimæ obsidione vallatæ, & per vim captæ nobis exhibetur: hoc enim illud ipsum est, quod Vates Diuinus Ezechiel sanctam Ciuitatem Ierusalem in latere describere iubetur, & ordinare aduersus eam obsidionem, & ædificare munitiones, & comportare aggerem, & dare contra eam castra, & ponere arietes in gyro. quippe quod (vt Magnus Gregorius hom. 12. in Ezechielem aduertit) vt ad cælestem Ierusalem, siuè ad æternæ pacis gaudia pertingere valeamus, hic proculdubio necessarium sit tribulationum certamina multa sustinere. Huc etiam tendit teste Origene homil. 7. in primum caput lib. Numerorum, quod populus electus, quem Deus tot portentis, & miraculis de seruitute Pharaonis erutum, & per profundissimos maris vortices sicco vestigio deductum, manna de cælo præstito, per
annos

annos quadraginta in deserto pauerat, nihilominus nonnisi contra Gigantes præliando, & per medios exercitus Cananeorum sibi districtis gladijs iter aperiendo, terram promissionis nuncupatam ingredi iubetur. *Quòd nimirum oporteat spirituales nequitias, quæ in cælestibus esse dicuntur, qui sunt viri Cananei, a nobis vinci, ut expediti ad cælestia Regna transire possimus, & pro illis inde pulsas cælestem patriam inhabitare,* quod euidentius exposuit ipse Mundi Saluator apud Matthæum vndecimo cum inquit. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* huc tandem tendit, quod præsens vita in sacris iteris militia, siue exercitus dicitur apud Iob cap. 7. quod credentes Apostolus milites in stadio pugnantes, & in agone contententes, & Regnum Gloriæ coronam, & brauium vocat, & semel, quod ipsamet Ecclesia in terris posita caterua militantium, & castrorum acies vsu apud Catholicos frequentissimo nuncupatur.

Porro autem in isto certamine, quò contra vitia, & peccata repugnantes, & aduersus mundi principes, & potestates, & rectores tenebrarum, & contra spiritualia nequitia in cælestibus dimicantes cælestem Ierosolimam obsidemus, quemadmodum non iidem, sed varij, ac multi pugnantium sunt Ordines ad varia munera obeunda, multipliciter per Diuinam Sapientiam dispositi; ita inter omnes primum, ac principem locum nostrum Sacrum Ordinem multis seculis tenuisse, testantur in primis innumera Sanctorum millia Canonorum Regularium, qui pro Christi nomine contra seculi tyrannos, & aduersus portas inferi dimicantes, proprio sanguine militantem Ecclesiam meritis, triumphantem coronis, & ipsum Ordinem pluribus trophæis ditauerunt: ex quibus mille, ac sexcentos in album Sanctorum esse redactos, fatetur ex Anastasio, & ex Bibliotheca Romana Ioannes de Nigraualle Apostolicus Bibliothecarius, lib. siue epilogo 13. suarum Chronicarum cap. 18. præter Confessores quatuor mille supra quingentos eidem Catalogo Sanctorum additos, quos ex eisdem autoribus collegit. Probant etiam innumeræ S. Doctorum cateruæ, qui verbo, & scripto fidem Catholicam acriter contra sapientiam huius seculi, & versutias hæreticorum defendentes, tot voluminibus editis, tanquam splendor firmamenti refulgent, & veluti astra lucidissima in cælo militantis, ac etiam triumphantis Ecclesiæ locati, fulgebant in perpetuas æternitates. Confirmant tot Summi Pontifices, quos sex supra viginti tum ex Lateranensi, tum ex alijs Collegijs Canonorum Regularium ad Summum Pontificatum euectos (præter illos, qui Urbani Primi tempora præcefferunt, qui omnes Clerici Canonici fuerunt) documentis certissimis probatur. vt multitudinem penè innumeram S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Metropolitanorum, Episcoporum, & aliorum Præsulum omittamus, qui totam Ecclesiam Catholicam per annos circiter octingentos sanctissimè rexerunt. Ostendunt denique ipsæ Cathedrales Canonorum Regularium Ecclesiæ, Metropolitana, ac etiam Patriarchales, in quibus Canonicam normam per multa secula viguisse, & summa cum laude floruisse, per singularum fundationes, & vetusta cuiusque monumenta discurrentibus euidenter patebit, præter alia Collegia, ex quibus in Europa quatuor millia quinquaginta quinque, in Italia verò septingenta olim extitisse autor est libro vigesimo primo suorum Commentariorum Urbanorum Volaterranus.

Verum

Verum enimvero ut contrariam in partem nunc sermonem vertamus, quis non videt, quam longè (proh dolor) hic talis, ac tantus Ordo, nescio quibusnam illecebris, aut fascinationibus, à primo illo splendore, & à primævis Apostolicis institutis modò sit abductus, & à multis, qui ad castra nouissimè venerunt, quam longo interuallo præcedatur, & post terga relinquatur, & qui primus in acie cõstitutus cæteros præcedebat, quique olim regularis vitæ splendore, & numero virorũ sanctitate, ac doctrina pollentium, & spiritu feruentiũ, solus ferè per vniuersam terrã eminebat, & tanquam Sol sine diminutione proprii luminis ceteris omnibus Ordinibus lumen, formam, & spiritum, & ortum diffundebat, qualè nunc, & quantam luminis defectionè patiatur, & totus ferè in tenebris delitescat, & veluti miles defessus, aut senio confectus, aut mater annicula, quæ vacuis, & laxatis vberibus in angulo sedeat, à cunctis postponatur, & forsitan etiam despectui habeatur? Vbi enim nunc primus ille Canonice disciplinæ vigor, splendor, ac spiritus, qui in nostris maioribus fulgebat? Vbi prisca illi proceres Hæreticorũ domitores, & prostratores validissimi Augustinus, Athanasius, Prosper, Gelasius? Vbi Theologorum Principes, & Magistri doctissimi Hugo, & Riccardus Victorini, & Petrus Lombardus? Vbi Ecclesiasticæ dignitatis, & immunitatis etiam cum periculo vitæ, & effusione sanguinis defensores fortissimi vterque Thomas Martyr, scilicet Cantuariensis, & Parisiensis, vterque Alexander Pontifex, Secundus, ac Tertius? Vbi nunc Sanctissimi Præsules mirabilium patratores, infernalibus spiritibus nimis formidabiles, Patritius, Frigidianus, Vbaldus, & Bernardus? Vbi Canonice disciplinæ reparatores zelo Dei feruidissimi Iuo Carnotensis, Vbaldus idem Eugubinus, Petrus Rauennatensis, Theotonijs Colimbricensis, Ioannes Rusbrochius Bruxellensis, Bartholomæus Columna Romanus, Leo, & Thadæus Papienses? Vbi tandè nunc tot Canoniorum cœtus, collegia, congregationes, & Ecclesiæ Cathedrales, quibus olim veluti astris lucifluis totus terrarum Orbis fulgebat? scio quidem, nec inficior R. P. hanc tantam cladè magna ex parte nostro Ordini contigisse, vel ex infidelium, & hæreticorum persecutionibus, vel ob dira schismata, quæ non semel Ecclesiam vexauerunt, & ferè ad triarios redegerunt: vel etiam ob secularium quorundam inexplebilem nimis auaritiam, bonis temporalibus religiosorum nunquam non inuidentium, nunquam non inhiantium. Eamq; tunc vel maxime confirmatam, & auctam, cum Ecclesiæ, & Monasteria non iam Pastoribus regularibus, sed Clericis secularibus in commendam, vt aiunt, conferri cœperunt. Quod malum, vt pote grauissimum, & non solum Ordinibus regularium, sed toti Ecclesiæ valde perniciosum Sanctissimus Pontifex Clemens V. in Extrauaganti Ex supernæ. de Præbendis. sic deplorabat. *Sanè pridem nos licet insufficientibus meritis ad Summum Apostolatus apicem, sicut Domino placuit euocati, ab ipso nostra promotionis exordio antiquæ notitiæ Regum, Prælatorum, Magnatorum, & aliarum nobilium personarum Ecclesiasticarum, & secularium memores existentes, ac ipsorum aliquibus, tum quia in terris morantes eorum, gradum huiusmodi promotionis habuimus, tum quia solita ad eos amicitia specialibus affectibus ducebamur, aliquibus verò ex assuetâ Romanorũ Pontificum liberalitate, quam in suis exercere sunt soliti nouitatibus, volentes honoris, & liberalitatis affluentiâ cõplacere, ad eorũ tamen importunas, & multiplicatas precũ instantias nonnullis clericis, & personis Ecclesiasticis religiosis, & secularibus diuersorũ Ordinum, dignitatis, conditionũ, & Statũ Patriarchales, & Archiepiscopales, & Episco-*

Episcopales Ecclesias, ac Monasteria destituta Pastoribus, sub commenda, vel custodia, vel cura, vel guardia, aut administrationis titulo, nomine vè notabili duximus perpetuò ad vitã, seu ad spaciũ certi temporis committenda, super his an tales videlicet, tantasq; gratias per nos fieri decuisset, variorum, arduorum negotiorum multiplicitate distracti, usque ad tẽpus, quo infirmitate satis periculosa nos his diebus visitauit Omnipotens, nequiuimus cogitare plenariè. Verũ in debilitate ipsius Ægritudinis constituti, à negotiorũ utcunq; discussione semoti, ad hoc sub diligenti examine direximus aciem nostrã mentis, demumq; prospeximus euidenter, quod Ecclesiarum, & Monasteriorum eorundem cura negligitur, bona, & iura dissipantur ipsorum, ac subiectis eis personis, & populis spiritualiter plurimum, & temporaliter derogatur, eisq; redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum, ac nedum ipsis, sed etiam Romana Matri Ecclesie, quæ disponente Domino ipsorum caput fore dignoscitur, & Magistra, grauiora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur his tot, & tantis dispendijs ulterius causam relinquere, sed volentes potius opportunũ, & debitum in hac parte remedium adhibere, omnes, & singulas promissiones huiusmodi per nos, ut præmittitur factas, quibuscunq; cuiuscunq; Ordinis, dignitatis, aut status, sed etiam S. R. E. Cardinalibus, quoquo modo, vel tempore facta noscantur, autoritate Apostolica ex nunc ex certa scientia, reuocamus, cassamus, & annullamus, & decernimus de cetero nõ habere aliquam roboris firmitatem. Sanctissimè profecto, nam vt scitè, & verissimè Ioan. Trullus lib. 1. cap. 38. hanc ipsam Extrauagantem perpendens aduertit. hi cõmendatarij illi sunt, qui Monasteria relaxauerunt, labefactauerunt, & corruerunt: quã ob causam, vt malo tam grandi remedium adhiberent, non solum dictus Pontifex Decretũ nunc recitatum edidit, verũ etiam Concilia Generalia, & Oecumenica Lateranense sub Leone X. & Tridentinum sub Pio IV. alias saluberrimas constitutiones conderunt, quæ in Lateranensi sess. 9. cap. 3. & in Trident. sess. 14. cap. 10. & sess. 25. de Regul. videri possunt. quanquam omnia ferè incassum, siue ob difficultates tẽporum, siue ob alias causas, quas mihi curiosius peruestigare non licet. Cæterum vt hæc omnia verissima esse concedamus, tamen quis nostrum neget, complura etiã Collegia Regularium Canonicorũ mundana conuersatione intro demissa, deficientè paulatim suauitate spiritualis deuotionis, feruore disciplinæ canonicæ, & zelo sanctæ religionis penitus extincto, propria voluntate suaue iugum vitæ regularis excussisse, & ad secularitatem omnimodam contempsisse? Quis etiam neget, alia nõ pauca Monasteria, etsi regularis instituti modicum quid nunc etiã retineant, adeo tamen à primo illo instituto Apostolico relaxata, sine capite, sine congregatione, sine Prælatorum regularium visitatione, & consequenter sine interno spiritu vix aliquid regularitatis habere præter nomen, & habitum, qui tamen in multis varius, & diuersus est, & multipliciter detruncatus?

Hanc profecto tantam, & tam grauem nostri Ordinis iacturam, & defectionem sanguineis lacrymis verè deplorandã, quam, vt ingenuè dicam, nunquam absque ingenti animi mœrore ad memoriã reuoco, multis ab hinc annis mecũ ipse reputans, & de remedijs opportunis ad illam instaurandã non semel recogitans, cum multã ad tantam molem mouendã conducibilia, ne dicam necessaria, sese mihi obtulissent, nihil tamen magis opportunũ, aut efficax, vel etiam necessarium existimaui, quã, vt frequentius nostræ conditionis dignitatẽ, & generis nobilitatem, à nostris secundum Deum Parentibus, nimirũ à Sanctissimis Apostolis, & viris Apostolicis primis nostri

noſtri Ordinis autoribus ſpiritali propagatione in nos deriuatam, & transfuſam impenſè meditemur: necnon etiam ipſorum Parentum noſtrorū egregia facinora, & res præclare geſtas ſolicita conſideratione ad memoriam reuocemus. Eſt equidem, fuitq; ſemper apud omnes homines tantarum viriū hæc ipſa meditatio, vt non ſolū innumeros ad laborioſa opera, & difficillima obeunda impulerit, ſed etiam ob auitā nobilitatem, & propriam dignitatem ſeruandam, infiniti propemodū bona omnia fortunæ, & animā ipſam libentiſſimè profuderint. Ita, vt de multis pauciſſimos referam, ſtrenuiſſimus Machabeorum Dux in vitæ discrimine cum ſuis cōſtitutus, glorioſam mortem, inquit ſacer textus, magis, quàm turpē fugam ſuaſit, ne propriæ gloriæ aliquam maculam inferre videretur. Ita Grandæuus, & omni laude celebrandus Eleazarus ad ritum Gentium à patrijs legibus transfugere ſuaſus, recogitans propriæ ſenectutis eminentiam, & ingeniæ nobilitatis canitiē, ne maculam, & execrationem propriæ ſenectuti cōquireret, glorioſiſſimā mortem potius, quàm odibilem vitā elegit. Ita demum legis Diuinæ zelantiſſimus Razeias Spiritu S. impellente, elegit potius nobiliter mori, quàm ſubditus fieri peccatoribus, & contra naturales ſuos indignis iniurijs agi. Præclariffimus etiam Vates Iſaias, vt populum Hebræorum ab execrandis Idololatriæ vitijs ad cultū, & ſtudium ſanctæ religionis reuocaret, ad auitæ nobilitatis recordationē prouocabat dicens: *Attendite ad Abrahamā patrem veſtrum, & Sarā, quæ peperit vos.* è contrario verò Saluator nōſter Ioan. 8. Iudæos tanquā à Paterna gloria degeneres redarguens, aiebat: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Porro cum apud omnes homines tantas habeat vires hæc ipſa recordatio, nulli tamen ſunt, apud quos maiores habere deberet, quàm apud nos, Religiōſiſſimi Patres, qui noſtrum genus, & originem ſecundum ſpiritualem noſtri Ordinis propagationem, non ad mundi Principes, & ſeculi Monarchas, ſed ad ipſosmet Chriſtianæ religionis Protoparentes, & Principes iurè, ac meritò referendum putamus, quibus illud Apoſtolicum veriſſimè conuenire poteſt: *Jam non eſtis hoſpites, & aduena, ſed eſtis cines Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto I E S V.*

Hanc igitur potiſſimum ob cauſam, vt in cōi negotio, & periculo, cui, quòd omnes tangat, cuique pro viribus occurrere tenemur, ipſe quoque licet conſilio, ac viribus omniū minimus, meum qualecunque auxiliū, ſeu famulitium conferrem, Poëtā antedictum quadantenus æmulatus, vt in primis meipſum, deinde cæteros omnes mei Ordinis Canonicos, ad tam piā, religioſam, & ſalubrem cogitationē, ſiue recordationē prouocarem, tum mihi, tum vobis omnibus duplicē clypeum ante mentis oculos exponendū iudicaui, vt in altero noſmetipſos, & noſtræ dignitatis eminentiā tanquā in ſpeculo cernere poſſimus: in altero verò tanquā in imagine, maiorū noſtrorum res probè geſtas, & præclara facinora contēplari valeamus. Speculū iam obtulī primū. ſ. librum, qui circa S.^m P. noſtri Auguſtini inſtitutum, & vitæ normā, & Regulam Canonicā, ad exemplar vitæ Apoſtolicæ conquadratam totus verſatur. Hæc in Patres Clericorū Canonicorū ſpeculum eſt, quam idcirco per antonomafiā ſpeculū vocamus, quam S.^m Præſul diū ante oculos tenere iubet, vt ſpiritalis pulchritudinis amatores in libello iſto tanquā in ſpeculo frequentius noſmetipſos cōſpicere, & errata corrigere, & mores noſtros in melius reformare poſſimus. Alterū nunc profero, maiorum noſtrorum ſeriē, & res geſtas referentē, hunc videlicet ſecundum librum,

librum, qui Ordinis originē, progressum, Ecclesias cathedrales, Metropolitanas, Patriarchales, Monasteria, varias per secula reformationes, & Canonicoꝝ congregat., Viros quoque sanctitate, doctrina, & dignitate cōspicuos, si non oēs, & omnia, quod vires meas longē excedebat, maxima saltem ex parte conspiciendas præbebit. Exiguū sanē ingentis animi mei, & summæ in vos, & in totum Ordinem obseruantia apophoretum, sed tamen magnō labore comparatum, cuius conquisitio eō mihi difficilior extitit, quod licet ante nos de quibusdā peculiaribus Canonicoꝝ congregationib. quidā non nihil scripserint: tamen de toto Ordine nullus, aut nō nisi valde pauca, & cum maxima diminutione, & obscuritate tractauit. Nec tamen iactauerim, ita diligenter, & exactē prouinciam istam difficillimam me absoluisse, vt non plura ad eiusdem Ordinis dignitatem spectantia, præcipuē ad Catalogos Ecclesiarum, Monasteriorum, & Virorum illustrium integrandos, meritō desiderari possint. Quemadmodum etiam non negauerim, in quibusdā decipi me potuisse, vel Codices manuscriptos amanuensium vitio corruptos, vel libros Typographorum incuria deprauatos offendentem, vel Historiarum errores vix emendabiles sequentem, maximē circa nomina particularium monasteriorum, vel locorum ex manuscriptis nonnullis taxarū Cam. Ap. libris collecta, circa quæ nullus ferē nō aliqñ hallucinabitur, nisi qui omniū Gentiū idioma didicerit, & omnia orbis terræ loca exactē lustrauerit, & eorū nomina probē assecutus fuerit: Mihi satis sit, viā difficilem aggressū primū, alijs indicasse: vt fortē nō immeritō cū nostro Poëta dixerim.

Nulla erat via, prærupta, atque aspera saxa,

Et densi latè obducebant omnia Vepres.

Ipsè manu validam quatiens vtraque bipennem,

Latum limitem ago, fruticum cedentibus umbris:

Iamq; aditus datur, atque via licet ire patenti.

Reliquum nunc erit, ne noster qualiscunque labor suo fructu vacuus maneat, nosmetipsos in hoc speculo cōspicientes, nostræ dignitatis sedulò eminentiā recogitare, & ad petram aspicere, & ad cauernā laci vnde præcisi sumus: necnon etiā S.^m Patris Augustini, cæterorumq; Virorū Apostolicorū parentū nostrorum virtutes, mores, gesta præclara, & facinora sæpius recolere. Ita nāq; fiet, vt spretis fallacibus blandimētis, quibus nostri nos inimici ab expugnāda cœlesti Ierosolima lōgius abducere nitūtur, non solū excusso torpore ad sanā mentem reuertamur: verum etiā tanquā generosæ soboles auitā gloriā æmulantes, ad prima castra, videlicet ad primæuū canonici Ordinis vigorē, & splendorē per verā reformationē cito reuertamur, & damna præterita lucris sequētibus exæquare satagamus. ne de nobis illud verē dici possit, quod de nonnullis Canonicis Iacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis, & nostri Ordinis illustrator, vir Dei zelo plenus in suo lib. Historiæ Occidentalis c. 21. nō sine graui animi mœrore aiebat. *Ipsi n. tanquam sepulchra foris dealbata, intus aut pleni immunditijs, & ossibus mortuorū, & putredine cadauerū, adeo fœtentes in naribus banorum virorum sæcū cohabitantiū effecti sunt, quod multi, cum iam sustinere non possent, ab eis discesserunt, ad aliā religionem mutato habitu fugientes: quidam autem in eodem habitu, & sub eadem regula permanentes, prædictis velut folijs defluentibus, fortiter perstiterunt ad obseruantiam regula sanctæ, & reformationem regularium institutionum tam in se, quam in alijs tota virtute laborantes, & totis desiderijs anhelantes.* Hæc Vitriacus ibidem.

Caput

Caput primum.

Nomenclatio multiplex, qua Clerici Canonici tum in Iure Canonico, tum in sacris Concilijs, & apud autores probatos nuncupari consueuerunt, explicatur.

I. **D**E origine, procurfu, Ecclesijs Metropolitanis, Cathedralibus, Monasterijs, varijs Reformationibus, Cōgregationibus, Sacri, Apostoliciq; ordinis Canonorum regularium, necnon de quibusdā eiusdem Ordinis Priuilegijs, & præminentijs ad omnipotentis Dei, & illius Genitricis Virginis, necnon Beatissimi Patris Nostri Augustini, & omniū Sanctorum honorem, & gloriam, in hoc secundo libro cum diuini auxilij confidentia verba facturi, ne in progressu operis ob nominum multiplicatam, & varietatem in errores labamur, à multiplici nominū varietate, quibus ipsi Canonici Regulares à Romanis Pontificibus, Concilijs, Patribus, Historicis, & Iuris vtriusque Doctoribus passim nuncupari consueuerunt, ipsam tractationem exordiendam arbitramur. Vocantur enim ipsi Canonici regulares nō vnico, sed multiplici nomine. Primò quidem absoluto nomine Clerici. Secundò Clerici Regulares. Tertiò Clerici Religiosi. Quartò Clerici Canonici. Quintò absoluto nomine Canonici. Sextò Canonici Regulares. Septimò Canonici Religiosi. Octauò absoluto nomine Monachi. Nonò Monachi Canonici. Decimò Fratres. Vndecimò Domini, seu Domini. Quarum omnium denominationum rationes assignare, & explicare, priusquam ad vltiora gradum faciamus, operæ pretium fore iudicauimus.

II. **E**T quidem absoluto, ac simplici nomine Clericorum sæpissime à probatis autoribus appellatos ipsos Canonicos Regulares, præter D. Augustinum in tribus sermonibus de communi vita Clericorum, in quibus de clericis, quos modò Regulares Canonicos vocamus, ex omnium consensu loquitur, testes sunt Clemens I. in epist. 5. ad Iacobum fratrem Domini, Urbanus I. in epist. ad omnes Christi fideles, quæ referuntur in cap. Dilectissimis, & cap. Scimus 12. q. 1. Concil. Aquisgran. sub Ludouico Pio celebratum cap. 118. & 120. necnon Innocentius III. in epist. ad Priorem & Clericos S. Petri apud Spoletum in primo libro epistolarum huius Pontificis pag. 283. iunctis, quæ legi possunt apud Gratianum in suo Decreto causa 12. q. 1. per totum, & in cap. Legi epistolam. cap. Decimas. 16. q. 1. cap. Quidam Monachorum. 18. q. 2. ac etiam in Decretalibus sub titulo. de vita, & honestate Clericorum, sub quo tam Regulares, quam seculares clerici ex omnium Doctorum consensione comprehenduntur.

Huius autem denominationis ratio duplex, eaq; verissima reddi potest, altera ex ipsa nominis etymologia: altera verò ex fine, ac instituto eiusdem Canonici ordinis accepta. Nam quod ad primam attinet, si vocis etymon attēdamus, quid aliud hoc nomen Clericus sonat, nisi eum, qui omnibus seculi facultatibus renunciatis, solum Deum sortē suam eligit, ab ipso Deo vicissim in suam sortē receptus? quemadmodum D. Hieron. ad Nepotianum de Institutione Clericorum à Gratiano in cap. Clericus 12. q. 1. his verbis apertissimè testatur: *Clericus, qui Christi seruit Ecclesie, interpretetur primò nomē suū, & nominis definitione prolata nitatur esse, quod dicitur. si enim cliros græcè, fors latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus fors, idest pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se debet exhibere, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominū habere potest: quod si quidpiam aliud habuerit, præter Dominum, pars eius non erit Dominus. v. g. Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus Dominus fieri pars eius non dignatur, &c.* Hinc dū clericatui quis initiatur, tondetur ab Episcopo dicens, Dominus pars hæreditatis meæ: quia capillorum depositio, rerum temporalium depositionem significat, ad perfectam omnium temporalium bonorum renunciationem designandam, vt idemmet Hieronymus in epistola ad quendam Leuitam in cap. Duo. eadem causa, & quæstione relatus scribit. Hinc iure merito deducit Panormitanus in cap. Licet. de officio Ordinarij, nomen clerici rectius, & veriùs, & magis propriè conuenire clericis siue canonicis regularibus, quam secularibus. *Nota, inquit, Glossam, quare clerici, qui non sunt alicuius Religionis, dicuntur clerici seculares: participant enim Religiosis, & in hoc appellantur clerici. Item participant laicis: & hoc respectu appellantur seculares.* Quod etiam notatur in additionibus marginalibus ad dictam Glossam in verbo Seculares, & Speculator in suo Rationali diuinorū officiorum lib. 6. cap. Siue rubrica de septem diebus post Pascha, referens consuetudinem quarundam Ecclesiarum, in quibus à Paschate vsque ad Pentecosten in Matutino non dicebantur nisi tres Psalmi, eam multipliciter corrigit: sed ob hoc præcipue, quia, inquit, inter canonicos regulares, & alios clericos, qui vsurpato nomine seculares dicuntur, nulla debet esse quoad hoc differentia: nam & ipsi magna ex parte antiquitus Regulares fuerunt. cap. Quia. cap. Scimus, & cap. seq. & cap. certe extra de vita & honest. Clericorum. cap. Quoniã. & certum est, quod canonici Regulares in octaua Resurrectionis dicunt in Nocturnis nouem Lectiones cum octo Responsorijs, vt D. Augustinum omitamus in sermone primo, & secundo de communi vita Clericorum, vocantem clericos proprietarios cæcos, & claudos, & hipocrytas.

V

Altera

Altera ratio eiusdem denominationis ex ipsa natura instituti, siue ex fine ipsorum Canonico-regularium deprompta hæc est, quia nimirum ipsis Canonicis Regularibus ex propria natura, & ex vi illorum professionis competit clericatus, quod non ita accipias, ut Canonicus Regularis nascatur clericus, vel quod per solam professionem sine collatione ordinis clericus efficiatur, ut ad nos carpandos Zoili quidam accipiunt: sed quia Canonici Regulares ex vi illorum institutionis clericatui depurantur, & ad munera clericorum exercenda, quæ sunt verbi Dei prædicatio, Sacramentorum dispensatio, & animarum regimen, ut scitè D. Thomas 2. secundæ quæst. 189. art. 8. ad secundum hæc præcisè verbis notauit dicens: *Ad secundum dicendum, quod utraque Religio, scilicet Monachorum, & Canonico-regularium ordinatur ad opera vite contemplatiua, inter quæ præcipua sunt ea, quæ aguntur in diuinis mysterijs, ad quæ ordinatur directè ordo Canonico-regularium, quibus per se competit, quod sint clerici Religiosi: sed ad Religionem Monachorum non per se competit, ut sint clerici, ut habetur in Decretis 16. quæst. 2.* Hinc Pius IV. constituit. 95. qua Canonicos Lateranenses Monachis præferendos declarat, ac decernit, inter alia suæ determinationis fundamenta hoc præcipuum recenset, dicens: *Eisdem Canonicos tam suæ antiquæ institutionis huiusmodi, quam etiam dignitatis clericalis, qua eos statim, quod professionem regularem emittunt, insignitos esse oportet, &c.* Hinc etiam in constitutionibus Canonice Portuensis præclarissimæ olim Congregationis Principis, & nunc nostræ Lateranensis familiæ Collegij cum primis nobilibus, per Paschalem Secundum firmatis parte prima capite nono, qui ad Congregationem Canonico-regularium admittebantur, priusquam solemnem professionem emitterent, in chorum deducebantur, & clerici secundum usum, & consuetudinem fiebant, ac deinde in medio fratrum prostrati professionis cartulam legebant, quod etiam in Constitutionibus nostræ Congregationis parte 2. cap. 15. cauetur.

III. **S**ecundò vocantur iidem Regulares Canonici clerici Regulares, quæ nuncupatio frequentissima est tum in iure Canonico, & in Sacris Concilijs, tum apud Iuris Canonici Interpretes, & Glossatores, ut videri potest apud Glossam 12. q. 1. in principio, aduertentem, Canones ibi loci à Gratiano compilatos, quibus clericis temporalium bonorum possessio interdicitur, de Regularibus non de secularibus loqui. & in cap. Plerique de Pactis, & capite primo de filijs Presbyterorum, & in constitutione Eugenij Quarti, quæ eosdem Canonicos Lateranensi Basilicæ vti veros originarios illius clericos reddens, Regulares clericos nuncupauit. Est porro vetustissimus in Ecclesia Catholica hic loquendi modus, quo clericorum genus in duas species diuidentes, alios Regulares, alios verò seculares appellare con-

sueuerunt, non quòd ab initio nascentis Ecclesiæ fuerint clerici seculares à Regularibus distincti, ut falsò Præpositus in capite primo 44. distinct. scribit: sed quia frigescente in animis fidelium primæui illius Apostolici instituti clericorum nascentis Ecclesiæ disciplina, cum paulatim tolerari cœpisset, ut clerici proprium possiderent, ad grauiora peccata, maximè verò ad multorum hypocrysim vitandam, ut Augustinus sermone primo, & secundo de communi vite clericorum scribit, & refertur in capite Nolo. duodecima quæst. prima, paulatim quoque distinctio clericorum in Regulares, & seculares in Ecclesia Catholica obtinere cœpit, ut qui primæuum regularis vite institutum cum abdicatione bonorum temporalium, & professione vite communis in Actis Apostolorum laudatæ retinissent, Regulares clerici vocarentur: qui verò ab illo sancto instituto recedentes more secularium proprium habere voluissent, seculares clerici nuncuparentur. quemadmodum Glossa in capite Licet. in verbo seculares. de officio Iudicis Ordinarij, & Abbas ibidem obseruant.

Tertio Clericos Religiosos nuncupauerunt I V. Isidorus Hispalensis libro secundo de Officijs capite tertio. Concilium Aquisgrani sub Ludouico Pio capite centesimoprimo, & clarissimè Alexander Secundus in capite Præter. trigesima secunda distinctio. dum inquit: *Præcipientes etiam statuimus, ut hi prædictorum Ordinum, qui eisdem prædecessoribus nostris obediens, castitatem seruauerint, iuxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet Religiosos Clericos, simul manducant, & dormiant, & quid quid eis ab Ecclesijs competit, communiter habeant.* Qua verò ratione tales dicantur, in promptu est responsio: quia modo quodam peculiari sunt diuino cultui mancipati: nam ut Beatus Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. primo fatetur. *Cum de cultu Deitatis veritur questio, fideliter dicere valeamus, Religionem non esse nisi Dei cultum.* Hinc namque fit, ut quemadmodum non vnicò, sed multiplici modo potest aliquis diuino cultui dicari: ita non vno, sed multis modis consueuerint homines religiosi nuncupari: nam primo generali quadam nuncupatione Religiosi nuncupari solent quicumque per fidem, & baptismi susceptionem Christo nomen dederunt: quod nimirum per ipsam fidem, & baptismi susceptionem homines cultui diuino primitus dicuntur. quin & ipsam fidem Religionem vocare, frequens Sacrorum Canonum est vsus cap. Id constitui-mus. cum seq. cap. Si quis. primo & secundo. 17. quæst. 4. cap. Sic enim, 28. quæst. 1. iuxta quam acceptionem scripsit B. Augustinus librum de vera, & falsa Religione. & Ecclesia in Collecta Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli inquit: *Da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos Religiosis sumpsit exordium.*

Secun-

Secundò dedicatur aliquis post baptismum cultui diuino per speciale opus fidei superadditum, ad Dei honorem exhibitum, quo pacto B. Iacobus in sua Canonica cap. 1. Misericordiæ opus pauperibus ob Dei amorem exhibitum, Religionem appellauit. *Religio, inquit, munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hac est, uisitare pupillos; & uiduas in tribulatione eorum.* In hoc sensu intelligendus D. Augustinus lib. 22. de Ciuitate cap. 8. ubi Innocentium ciuem Carthaginensem eiusdem Augustini hospitem virum religiosissimum cum tota domo sua nuncupauit. Iuxta quem sensum loquuntur Sacri Canones cap. Si quis nuptias. 30. dist. cap. Si quis vituperat. 31. dist. cap. Non liceat. 44. dist. cap. de Iudæis. 45. dist. cap. Bene quidem. 96. dist. cap. Nos ad fidem. eadem. 96. dist. cap. Laicis. 16. quæst. 7. cap. Si vos fratres. 23. quæst. 8. cap. Viduas. cap. Mulieres. cap. Si quis rapuerit. cap. Vidua. 27. q. 1. cap. Plerique de conf. d. 41. cap. Ecclesia. de Constitution. cum alijs sexcentis, quæ passim occurrere possunt. Tertio potest quis diuino cultui magis specialiter per susceptionem sacri Ordinis mancipari: nam dum clericus aliquis efficitur, omnibus rebus huius seculi speciali quodam modo se renunciare faterur, & solum Deum se habere uelle Patrem profiterur: ut illa uerba ostendunt, quæ clericus in sua consecratione dicit. *Dominus pars hereditatis meæ, &c.* quo pacto clerici omnes speciali quadam ratione præ cæteris fidelibus personæ Religiosæ dicuntur. cap. Præter. 32. d. cap. Finali. 60. d. cap. Sacrosanctum. 65. d. & cap. Quicumque. 23. q. 8. & alijs; quæ breuitatis gratia omittuntur. Demum quarto modo specialissimo potest aliquis diuino cultui dicari per solemnem uotorum professionem, & hoc quarto modo illi omnes, ac soli Religiosi dicuntur, qui per solemnem emissionem uotorum Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis se ipsos diuinis obsequijs mancipauerunt, ut notat Abbas in cap. Dilecta. de maioriâ, & obedientia. & iuxta hanc acceptionem inquit D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 1. Religionem importare statum cum deliberatione, & nouo habitu assumpto, omnibus istis modis Canonici Regulares dicuntur Religiosi: quia se ipsos cultui diuino primò per fidem, & baptismum, secundò per exercitium bonorum operum, tertio per susceptionem Sacrorum Ordinum, quartò per solemnem professionem Religionis cum trium uotorum emissionem dedicauerunt.

V. **Q**uartò, uocantur Clerici Canonici in Concilio Romano sub Eugenio II. siue sub Leone III. in libro, qui dicitur Canonici quinque Capitulorum, in eodem Concilio edito, cuius fragmentum refertur in cap. In omnibus de Consecrat. d. 5. necnon ab Alexandro III. in cap. Dilecti de iudicijs, & ab Innocentio III. in epistola ad Præpositum, & fratres S. Vincentij Papiæ, in 1. lib. epistolarum eiusdem Pontificis pag. mihi 56. quippe quòd ad differentiam seculariū clericorum illi sub regulari disciplina uitam moderentur: nam Cano-

nicus à Canone, qui est Latine regula uocatur. Quintò, appellantur absolute Canonici usu antiquissimo, & frequentissimo apud omnes ueteres ante sexcentos annos recepto adeo, ut supponat B. Petrus Damiani pro re notissima, usque ad sua tempora nomine Canonorum solos Regulares clericos venire consueuisse; quemadmodum uideri potest apud illum in suis epistolis quinto libro epist. 9. ad clericos Fanenses data; ubi contra clericos proprietarios, qui cum sine regula uiuerent, Canonici nihilominus nuncupari affectabant. *Plane, inquit, quo pacto quis ualeat dici Canonicus, nisi sit regularis, quomodo monachus, nisi iuxta uim sui nominis, sit etiam singularis? uolunt siquidem Canonicum, hoc est regulare nomen habere, sed non regulariter uiuere. Ambiant communia Ecclesiæ bona diuidere; aspernantur autem apud Ecclesiā communiter habere, Enim uero non est hac primitiua Ecclesiæ forma: satis exorbitat ab institutionis Apostolicæ disciplina &c.* Quod præter ipsum Petrum Damiani monstrat etiam uerba Concilij apud Illebonum in Anglia sub Gulielmo Rege anno 1080. paulò post mortem eiusdem B. Petri Damiani celebrato, quòd uideri potest apud Oldericum Vitalem monachum Vicensem in sua historia Ecclesiastica lib. 5. sub anno 1080. cap. 15. ad finem, & cap. 3. in princ. dicti Concilij. Necnon etiam Concil. Claromont. sub Urbano II. anno 1095. celebratum. can. 11. 12. & 25. apud Baronium tom. 11. sub anno 1095. nu. 20. & seq. Videatur præ hac sententia Azorius tom. 1. lib. 12. cap. 22. q. 2. ubi etiam tractat de origine, & antiquitate huius nominis Canonicus. Esse uerò antiquissimum, & receptissimum hunc usum uocandi Canonicos Regulares simplici nomine Canonorum absque alio addito, constat primò ex D. Basilio tum in animaduersionibus ad Canonicos delinquentes, tum ex libro Monasticarum constitutionum cap. 19. cuius est titulus: ad Canonicos, hoc est Regularem uitam in Cœnobijs degentes, ac exinde ex Concilio Turonensi sub Leone III. & Carolo magno, Aquisgranensi sub Stephano IV. & Ludouico Pio, & ex Moguntino sub eodem Ludouico celebratis per multa capita. Sic etiam ex Gratiani decreto in cap. Obferuandum 15. qu. 2. cap. Perniciosam 18. qu. 2. cap. in omnibus de Consecrat. d. 5. cap. Cum causam. cap. Cumana. de electione. cap. post translationem. de Renunciatione. cap. Intelleximus. de ætate, & qualitate. cap. Cum in Ecclesijs. de maioriâ & obedientia. cap. Dilecti. de iudicijs. cap. Cum super. de Confessis. cap. Cum uenissent. de restitut. spoliatorum. cap. ex literis. de dolo, & contumacia. cap. cum V. & A. de sententia, & de re iudicata. cap. cum causam. de Appellationibus. cap. ad nostram. de Confirmat. uili, vel inutili. cap. Sicut nobis. cap. Licet. de Regularibus. cap. Nullus. de iure patronatus. cap. Nullus 2. de Ecclesijs edificandis. cap. Cum olim il 21. de Priuilegijs. cap. Non dubium. de sententia excommunicationis. cap. Si Canonici de officio Ordinarij

dinarij in 6. Clementina Dispendiosam. de Iudicijs. & Innocentius III. in epistola ad Priorem; & Canonicos de Nauburgo, cum alijs innumeris. Est verò circa huiusmodi nomenclationem aduertendum, non ab annuo censu, siue canone, quem seculares clerici annuatim percipiunt, sed à Regula, quam profitentur, ipsos clericos Canonicos vocari, quemadmodum loco proxime citato B. Rerius Damiani, necnon D. Bernardus in vita S. Malachie lib. 1. cap. 24. & duobus sequentibus, & Iuo Carnotensis epist. 202. ad Gualterium Præpositum Hirpensem, Cardinalis de Cusa lib. 10. exercitationum, & nouissime Ioannes Molan. lib. 1. de Canonicis cap. 4. & sequenti obseruauerunt. Si namq; ab annuo censu, vel Canone, non à Regula Canonici dicerentur, non Ecclesiarum, sed horrei, crumenæ, & cellæ viuarie Canonici essent, ac tales iure merito deberent appellari.

VII. **S**extò vocantur Canonici Regulares, quæ nomenclatio nunc frequentissima est, & fere sola in vsu ab annis circiter quingentis posita, quemadmodum ex titulo de statu Monachorum, & Canonicorum Regularium, & alijs locis innumeris auctori licet: quæ laboriosum esset potius, quam ingeniosum, hoc loco recensere. Porro cum Canonici à Canone, qui Latine est regula, dicatur, ad perinde idem sit: Canonici, quod Regularis, non deerunt, qui geminatam istam nomenclaturam Canonicorum Regularium reprehendant, quasi non semel contenti Canonici siue Regulares appellari, geminato vocabulo Canonici Regulares, hoc est Regulares Regulares nuncupari velint. *Idem* (inquit, Vives in 3. de Ciuit. cap. 15.) *est regularis, quod Canonicus, à Canone græcè, hinc quidam monachi D. Augustini, ne non semel putentur Regulares, his hoc vocari gaudent.* Audacter magis Coriolanus in Defensorio par. 1. cap. 5. ad tertium argumentum eandem vocabulorum geminationem non solum nugationis, sed etiam superstitionis notauit. *Quantum ad tertium, inquit, dico quod iste terminus Canonicus Regularis potest supponere pro quibuscumque Canonicis secularibus, maxime qui in Ecclesijs Cathedralibus iuxta formam Constitutionum suarum Ecclesie, & sui Episcopi viuunt. Pater quia Canon græcè, latine regula, & Canonicus a. m. id est hic & hoc regularis, & hoc regulare. Clerici igitur qui regulati sunt ad obseruanda statuta Ecclesiarum Collegatarum, & maxime Cathedralium, Canonici sunt, & nominantur: & pater, quod est nugatio, ponere Ly. regularis: quia idem significat iste terminus Canonicus, quod iste terminus Regularis: & nulla est positus differentia inter eos, nisi quia Canonicus est vocabulum græcum, & Ly Regularis latinum. Secundo Canonici regulares significant istos religiosos, qui secundum Abbatem Iacobum habuerunt initium, a S. Ruffo, qui volentes plus ceteris sapere, non contenti vocari Canonici absolute, sed committentes nugationem, tanquam superstitioni addiderunt, Regulares. & hæc de primo articulo. Verum ab istis autoribus querendum est in primis, vnde habeant,*

Canonicos regulares propria autoritate sibi istud nomen quaesuisse, ne non semel Regulares putarentur. Ego quippe Canonicos regulares à Summis Pontificibus, & Doctoribus Catholicis in corpore Iuris Canonici, in literis Apostolicis, in posterioribus Concilijs, in Commentarijs, & Glossis librorum iuris tum Canonici, tum etiam Civilis, sic passim nominatos inuenio. Quod autem ipsi sibi hoc nomen ambiciosè, vel supersticiosè, vt Coriolanus ait, vsurpauerint, hætenus nec inueni, nec qui nos carpunt, hoc ostendere potuerunt. Videant igitur ineptuli Pedagogi, se non Canonicos regulares, sed omnes Doctores Canonicos, & sacrorum Canonum conditores, Concilia, & Summos Pontifices reprehendere, & superstitionis acensare: sed videat Abbatem Panormitanum in cap. Deus qui. de Vita, & honestate Clericorum, ubi non solum huius nominis, siue nomenclationis auctores, verum etiam variationem, & causas plane his verbis sic aperit. *Cum in multis Clericorum status sit relaxatus, & sub illa distinctione, sub qua erant Apostolici, & Apostolici viri, nolent viuere, facta est distinctio secularium à regularibus Clericis, quorum obseruantia successit viget in regularibus Canonicis, qui & clerici regulares: ceterum alij seculares dicti sunt, quia voluerunt habere proprium, & se exhibere ad ritum secularium hominum.* Præter quod si de cõgeminata nomenclatione reprehendendi sumus, quod bis regulares vocari velimus, cur non magis, & rationabilius seculares Canonicos reprehendunt, quod vel sine regula Canonici, id est regulares vocari appetant, aut quod magis porterosum est, Canonici seculares. i. regulares contra regulam nuncupari velint? & si propter eandem geminatam nominationem reprehensione digni sumus, cur non etiã Apostolum reprehendunt, qui dicit ad Rom. 8. Nos accepisse spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater? An Christum seruatore nostrum reprehendere etiam audebunt, quod Marci cap. 14. dixerit: Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me? Verum de hac geminata Canonicorum regularium nomenclatione, qui plura volent, videre poterunt Ioan. de Nigraualle in epilogo suarum Chronicarum 13. c. 18. Ioan. Molanum lib. 1. de Canonicis c. 24. Ioan. Trullum lib. 1. de Canonicis c. 7. Augustinum Ticinensem in Propugnaculo par. 3. cap. 4. Didacum Couarruias in Clem. Si furiosus de homic. par. 1. in princ. ad quos remitto.

VIII. **S**eptimò vocantur Canonici religiosi. cap. Quoniam velim. 12. q. 1. & cap. Præfens 20. q. 3. & ab Innocentio III. in epistola ad Pictauiensem Episcopum lib. 1. pag. 282. cuius denominationis causa superius est explicata: quia videlicet ipsi Canonici non solum per fidem, baptismum, exercitium bonorum operum, sacrorum Ordinum susceptionem, verumetiam per solemnem votorum emissionem modo specialissimo sunt cultui diuino dedicati, vt supra dictum est.

IX. **O**ctauò appellatur et nomine Monachorum absolute, & sine alia additione quæ nomenclatio est vetustissima & frequentissima apud multos auctores, vt lib.

lib. I. cap. 38. ostendimus. vbi etiam rationem istius denominationis explicauimus: qui locus ad inutilem repetitionem vitandam omnino videndus erit. Immo verò nostro seculo ita apud nonnullos iste vsus Canonicos Regulares monachorum nomine absolutè nuncupandi obtinuit, vt illos passim, ac semper nomine monachorum nuncupare velint. Videatur Rhenanus Chopinus in suo Monastico per totum, vbi illos semper vocat monachos cucullatos, vt Ludouicum Viues loco proximè citato, Auentinum Vndium, & alios omitamus.

Nonò vocantur etiam monachi Canonici, siue monachi Ordinis Canoniorum. Ita nuncupatos reperio ab Anastasio Bibliothecario in Gregorio Quarto dum ait, illum in Ecclesia Beatæ Mariæ Transiberim Romæ monachos Canonicos aggregasse, qui ibi officium facerent, & omnipotenti Deo grates, & laudes redderent. & à Ioanne de Nigraualle in præcitato Epilogo 13. cap. 18. à Ioanne Trithemio de Scriptoribus Ecclesiasticis, & à Cardinali Bellarmino in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cum Hugonem, & Riccardum Victorinum, & alios nonnullos vocant monachos Ordinis Canoniorum Regularium. quinimmo Diuus Hieronymus de Viris Illustribus in Philone, Cassianus lib. 1. de Institutis renunciantium, & clariùs D. Basilius in lib. Constitutionum Monasticarum hoc modo loquendi vtuntur, cum vel clericos primitiue Ecclesiæ sub nomine monachorum comprehendunt, vel Canonicos inter monachos recensent, quod signanter apud D. Basilium lib. citato c. 19. intueri licebit.

Aduertendum tamen, licet nomen monachorum lata quadam significatione vsurpatum ad Canonicos Regulares extendatur, quando sola professio vite communis, & votorum attenditur, multi nihilominus sunt casus, in quibus sub nomine monachorum nullatenus veniunt Canonici Regulares, sed ab illius significato prorsus excluduntur, & primus est, quando peculiaria cuiusque Ordinis officia, vel instituta considerantur, & fines particulares, ad quos singuli ordines sunt instituti. textus sunt expressi in cap. Alia, & cap. Monachus, c. Legi 16. q. 1. vbi dicitur, aliam esse causam, & aliud officium monachi, aliud cleri. item in cap. Placuit, cap. Peruenit, cap. Interdicimus, cap. Iuxta, eadem. vbi interdicitur monachis prædicatio, ministerium Sacramentorum personis secularibus, & regimen parochiarum, quæ nullatenus interdiciuntur, quin expressè conceduntur Canonicis Regularibus. cap. Quod Dei timorem. de statu monachorum. Item in Concil. Aquilgrani cap. 125. & cap. Statuimus, cap. Mandamus 19. q. 3. & cap. Licet de Regularibus, vbi interdicitur Canonico Regulari vsus cucullæ monasticæ, & transitus ad statum monachorum, saltem non petita licentia. item toto titulo de statu monachorum in Decretali, Sexto, & Clementinis, & passim in Concilijs, in quibus de ordine Canoniorum, vt à monastico distincto agitur. Secundus casus est,

quando nomen monachi sumitur, vt contra distinctum à clerico, cap. Monachus, cap. Legi, cap. Alia 16. q. 1. & alijs multis, quæ passim occurrunt: nam cum Canonici Regulares sint per essentiam clerici, non possunt sub nomine monachorum sic accepto comprehendi. Tertius casus est, cum Canones continent præceptum, vel prohibitionem poenalem. textus sunt expressi in cap. Quod Dei timorem. de statu monachorum. vbi dicitur, quòd licet prohibeatur, ne monachi singuli per parochias vagentur, non tamen prohibetur Canonicis Regularibus, qui inseruiunt regulæ laxiori. Item in Clementina. ne in agro. §. quia verò. de statu monachorum, vbi prohibentur monachi tenere arma sine licentia Superioris, idq; sub poena excommunicationis late sententiæ, quæ poena non extenditur ad Canonicos Regulares, vt notat ibid. Glossa, & Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 139. & regulariter in omnibus odiosis, & poenalibus, in quibus debet fieri strictissima interpretatio, nec licet trāsire de casu in casum, aut de persona in personam, multò minus de ordine ad ordinem, nomine monachorum non veniunt Canonici Regulares, vt notat Abbas communiter receptus in cap. Quod Dei timorem. de statu monachorum: licet in contrariam sententiam citetur à Decio in cap. Causam quæ. in principio. de Iudicijs. vbi tamen dicit, quòd in materia odiosa nomine monachorum non veniunt fratres, nec clerici, & è contra, & hanc assertionem, & regulam generalem, quòd in odiosis nomine monachorum non comprehendantur Canonici Regulares, data opera probat, & firmat Nauarrus in comment. 3. de Regularibus quæst. 12. num. 40. & sequentibus, vbi etiam contrarias rationes soluit. Quartus casus est, quando agitur de iure, & ordine præcedendi, vel incedendi in processibus publicis, vel in sessionibus, vel Concilijs, vel alijs quibuscunque actibus publicis, & priuatis: nam in tali casu iura, quæ dant locum monachis, non dant locum Canonicis Regularibus, ita quòd si dicatur v. g. in literis Apostolicis, monachi omnes, ingedant in tali, & tali loco, ante vel post clericos, vel mendicantes, per eiusmodi literas, ac in illis non intelligitur dari locum Canonis Regularibus, qui in tali casu tanquam veri Clerici omnes Monachos præcedunt, per Constitutionem editam à Pio Quarto, & est 95. in ordine, in causa præcedentiæ inter Monachos, & Canonicos Regulares. item si ad processiones vocentur Monachi, non tenentur accedere Canonici Regulares, nam illi distinctè semper vocari consueuerunt distinctis nominibus, v. g. accedant Monachi sancti Pauli, accedant Canonici Regulares sanctæ Mariæ de Pace: & si vocarentur Canonici Regulares sub hac forma, accedant Monachi sanctæ Mariæ de Pace, illi processò non accederent, nec tenerentur accedere: quia vsus, & modus consuetus loquendi attendendus est, & à seculo non est auditum, quòd in Vrbe Canonici Regulares vocati sint ad processio-

cessionones sub nomine monachorum, qui vsus attendi etiam debet in alijs Ecclesijs, quæ ab Ecclesia Romana normam accipiunt: immo verò in constitutionibus Pontificijs, quæ disponunt de iure, & ordine procedendi in publicis processionibus Canonici Regulares conceptis verbis secernuntur, & excluduntur à monachis, & comprehenduntur inter Canonicos, extantq; de hoc literæ Alexandri Quarti ad Archipresbyterum, & Capitulum Basilicæ Principis Apostolorum per Eugenium IV. & Nicolaum V. confirmatæ, quas Canonici Regulares Lateranenses producerunt in causa præcedentiæ aduersus monachos Cassinenses, in quibus ita formaliter cauetur. *Prouida igitur deliberatione decernimus, & irrefragabili constitutione sancimus, ut Canonici tam seculares, quam Regulares, & Monachi omnium Patriarchalium Ecclesiarum cum Crucibus, & alijs insignijs consuetis, Ecclesiarum verò Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium, & monasteriorum cum Crucibus proprijs, & vexillis: Archipresbyteralium autem Ecclesiarum, Prioratum, & Capellarum, &c. alij autem Monachi, fratres Prædicatores, Minores, Eremitæ, ac Religiosi alij cuiuscunque Ordinis cum Crucibus in eodem festo processionatiter veniant ad Basilicam memoratam.* Vbi vides primo loco poni Canonicos Regulares, & seculares: secundo, Monachos Patriarchalium: tertio, Clericos Ecclesiarum Cardinalium presbyterorum, vel diaconorum Cardinalium: quarto, Clericos aliarum Ecclesiarum, quinto, Monachos cæteros, & exinde Prædicatores, Minores, &c. & nota quod Monachi Ecclesiarum Patriarchalium ratione dignitatis Ecclesiæ præcedebant Clericos aliarum Ecclesiarum non Patriarchalium, licet vt monachi deberent incedere in loco inferiori. Literæ Pontificiæ reperiuntur in Archiuo Basilicæ S. Petri.

X. **D**écimo appellari consueuerunt olim prænomine fratrum, qui mos extra fines Italiæ nunc apud multos retinetur, de qua re quoniam copiosè, & sufficienter, ni fallimur, dictum est lib. 1. cap. 10. & 39. hic aliud nihil addendum esse arbitramur.

Tandem apud Italos, Hispanos, ac etiam apud Germanos ab aliquot sæculis citra consuetudo obtinuit, vt iidem Canonici vocentur hoc prænomine Dominorum v. g. Dominus Petrus, Dominus Paulus, non quidem superbiæ tumore, vel quod à suauissimo fratrum nomine, & charitatis pleno, quo se ipsos antea compellere consueuerant, abhorrent, vt Coriolanus illis de more imponit: sed propter eminentiam Ordinis, & dignitatis clericalis, quæ per se illis competit, & ex vi illorum regularis professionis, nam clericos, & præsertim sacerdotes Dominorum, seu Dominorum prænomine nuncupare non recens est Regularium Canonicorum inuentum, sed mos antiquissimus Ecclesiæ, vt colligitur ex historia inuentionis Reliquiarum S. Stephani, ex D. Gregorio lib. 1. Registri epistola 6. & lib. 7. epistola 127. Petro Damiani in suis epistolis. Notat

Gulielmus Durandus in Rationali diuinorum officiorum lib. 5. cap. 2. nu. 44. Ioannes Molanus lib. 3. de Canonicis cap. 15. vt Augustinum Ticinensem, Ioannem Baptistam Signium, Ioannem Philippum nostrum Nouariensem, & alios recentiores omittam: nam & Protomartyr Stephanus in præcitata historia suæ inuentionis vocatur Dominus Stephanus, & B. Petrus Damiani scribens Petto Archipresbytero, & Reçtori sacri Conuentus Lateranensis, vocat illum Dominum Petrum; vt patet lib. 2. epistola 10. Eodem modo vocat omnes Archiepiscopos, Episcopos, Desiderium quoque Abbatem Cassinensem, Damianum fratrem suum, & Archipresbyterum Rauennatensem, Almericum Archidiaconum V. & P. Fauentinæ Ecclesiæ clericos, & alios plures, qui apud illum in dictis epistolis videri possunt. ipsi quin etiam inferiores Clerici Maiores suos Dominos vocant in officijs diuinis, cum dicunt: Iube Domne benedicere, ad principatum Ecclesiæ designandum, ac etiam quod nullus non iussus in Ecclesia legere debet, vt Durandus loco proximè citato notauit. An autem verum sit, quod Ioannes Philippus noster lib. 1. cap. 6. scribit ex institutione primitiue Ecclesiæ introductum ad Sacramentum Ordinis honorandum, vt Clerici Domini siue Domni vocarentur, à voce Hebraica Don, quæ Latine Iudicem significat, quod nimirum Apostolis, & illorum vice fungentibus dictum fuerit à Domino: *Sedebitis & vos super sedes iudicantes duodecim tribus Israel*: non facile affirmare ausim. licet enim verbum Hebraicum Don idem valeat, quod apud Latinos iudicarem tamen vocem hanc Dominus non ab hoc verbo Hebræo Don, sed à Latino Dominor, reor esse deriuatam. Verum quidquid sit de vocis deriuatione, hoc certum, & constans, ipsos clericos, maxime sacerdotes, vtpote animarum Iudices à Christo Redemptore nostro in terris constitutos honoris, & reuerentiæ ergò, Dominos, vel etiam Dominos semper à fidelibus nuncupatos, vt iure merito ipsi etiam Canonici Regulares, qui per essentiam sunt Clerici, & in quibus clericorum Apostolicorum institutum seruetur, hoc prænomine Dominorum vocari possint.

XI. **N**ec enim obstat, quod in literis Pontificijs ad ipsos Canonicos datis non prænomine Dominorum, vel Dominorum, sed fratrum præmittatur: alijs enim titulis vtuntur Superiores erga subditos, alijs subditi erga Superiores, alijs patres erga sibi æquales: & aliquis est titulus honoris, qui tibi per me rectissime tribuitur, qui tamen in ore tuo forsclceret, vt si ego Dominum te salutauero, & tu vicissim teipsum Dominum dicere velis: & ita in re nostra etiam Canonici Regulares à Summis Pontificibus nequaquam Domini, vel Domni, sed fratres in literis Apostolicis vocari consueuerint, nihil obstat, quin legitime possint, vt cæteri Clerici hoc titulo honoris, & reuerentiæ à secularibus, aut etiam à suis conclericis decorari. Si enim quo tempore Abates

bates monachorum non necessariò clerici adhuc exiſtebant, nihilominus in ſignum honoris, & reuerentiæ à ſubiectis, Domni ſeu Domini vocari iubebantur, vt in regula B. Patris Benedicti intueri licet, quantò magis qui per eſſentiam ſunt Clerici, eodem titulo reuerentiæ, ac honoris legitime decorari poſſunt? Verùm hæc longiùs proſecuti ſumus. nunc varia Canoniorum nomenclatione declarata, ad eiufdem Canonici Ordinis originem perquirendam accedamus.

Caput ſecundum.

De origine Canoniorum Clericorum, qui & Regulares vocantur, quæſtio generalis proponitur, & Ioachimi ſententia multiplicis erroris conuincitur, & reprobat.

I. **T**ractaturus igitur de primaria origine, & institutione Canoniorum Regularium, illorum opinione omiſſa, qui eam non ſolum à ſanctiſſimis Apoſtoliſ in Lege Euangelica, verùm etiam à Nazareis ſiue Leuitis in Lege Moſaica, figuratiuè tamen deducere nituntur, cui tũ D. Pauli autoritas fauet, legem veterem, & vetus tabernaculum nouæ Eccleſiæ typum, figuram, & vmbra nuncupantis, tum etiam ſacrorum Canonum, & Doctorum Catholicorum teſtimonia adſtipulantur, quemadmodum apud Gratianum c. 1. d. 21. Durandum in Rationali diuinarum officiorum lib. 2. in princip. Ioannem de Deo in tractatu de Diſpenſatione, Albertum Trotum in tractatu de Perfecto Clerico cap. 16. & 17. Petrum Rauennatem in Conſtitutionibus Portuenſibus per Paſchalem II. confirmatis in principio, Ioannem de Nigraualle epilogo 13. cap. 18. Auguſtinum Ticinensem in Propugnaculo in princ. & apud alios quamplures intueri licet: ne antiquiorè noſtri Ordinis originem, quàm par ſit, expiſcari, & lapides pro vnionibus legere videamur, vt aliqui commentantur, antequàm ad veram ſententiam aperiendam, explicandam, & confirmandam me cõferam, naturam æmulatus, quæ agrum ante ſeminis iactum à ſpinis, & ſentibus purgare iubet, nonnullas opiniones falſas, quas vel inaduertentia, vel ignorantia, vel zelo non bono ducti in libris ſerere autores quidam ſtuduerunt, prius ex animis legentium, ſi forſan radicem miſerunt, conuellere neceſſarium exiſtimaui. Eſt igitur de Origine Canonici Ord. prima ſententia cuiusdã Abbatis nomine Ioachimi in expoſitione libri Apocalypſis D. Ioannis Apoſtoli, aſſerentis Ordinem Canoniorum Regularium circa annum Domini 1100. initium habuiſſe in partibus Galliarum à quodam Epifcopo nomine Rufo, qui ipſis Canoniciſ D. Aug. regulã primus tradidit, & ab illo Congregatio Canoniorum Regularium originem tra-

xit: quæ idcirco ſancti Ruſi Congregatio eſt appellata. Hæc ſententia plauſibilis admodum viſa eſt Coriolano in ſuo Defenſorio, ſiue Apologia contra Canonicos Regulares par. 1. cap. 5. ad 3. & alibi, quam cæteri eiufdem inſtituti profeſſores libentiſſimè complexi ſunt, ad imponendum Canonicis Regularibus, inter quos Paulus Bergomensis in Apologia contra Dominicum Taruſinum fol. 18 licet concedat, B. Auguſtinum aliquibus Canonicis regulam dediſſe, non tamen illis, qui tunc erant, quo tempore idem autor illa ſcribebat. Iacobus Philippus Bergomensis in ſupplemento Chroniarum lib. 9. ſub anno 405. vbi dicit, Canonicos Regulares in Gallijs, & in Italia degentes à B. Rufo inſtitutos, & lib. 12. ſub anno 1106. vbi de eodem B. Rufo hæc ſcribit: *Rufus ſeu Arnulphus Prepoſitus, & Lugdunenſis Epifcopus hoc tempore Abbat, Ioachimo teſte in Gallijs, & concionandi gratia, & doctrina, ac mira ſanctitate plurimum effulſit, qui poſt B. Auguſtinum Doctorem Canoniorum Ordinem Regularium & ipſe in Gallijs inſtituit: vbi multis fundatis monaſterijs, cum eſſet egregius Chriſtiane doctrine declamator, etiam in Italiam deſcendit, vbi & ſuis prædicationibus Chriſti paupertatem, integerrimamq; vitam ipſus ad imitationem ſectandam omnibus miro ardore proponere non deſtitit. quomobrem multos ex nobilioribus Romanis ad ſe traxit, quod tanquam verum Chriſti diſcipulum, ſanctumq; Propbetam, arbitrabantur, atq; ad cælum uſque eum tollebant, vnde in Hetruria, maximèq; in Luca vrbe, & eius agro multa Regularium monaſteria adhuc extantia erexit, ea quippe in vrbe Luca, & extra ſunt in primis S. Frigidiani, S. Michaelis de Platea, & extra à Boſcho, & alia duo, vno ſub capite gubernata, & aliæ ferme Parochiales Eccleſiæ omnes illius vrbis ſuppoſitæ fuerunt huius ſancti viri Ruſi Regularibus. Extat & Friſonaria extra urbem ipſam Matbildis Comitiffæ opus, huius optimi viri iuſſu fundatum, nunc ſub regulari obſeruantia excultum. Sunt & alia pleraque monaſteria, in Hetruria ab hoc ſanctiſſimo homine ſub Regularibus Canonicis fundata & extructa. Verùm hic Ruſus cum Romæ acerbè nimium in Clericorum laſciuias inneberet, & eorum pompas improbares, ab eiſdem ſecretè tandem è medio ſublatus eſt: nec vnquam tanti ſceleris autores inueniri potuerunt.* Hæc ille. Ioannes quoque Marquez in ſuo libro de Origine Fratrum Eremitarum pagina mihi 181. huius Ioachimi ſententiæ meminit, eamq; ſequitur pagina 232. ſcribens, Canonicos Regulares, qui nunc extra Cathedrales in monaſterijs degunt inſtitutos eſſe poſtquam Regulares in Cathedralibus defecerunt, & facti ſunt ex Regularibus ſeculares. Omitto Antonium Maſſam, Galleſium Iuriſconſultum in ſuis Informationibus in cauſa præcedentiæ pro RR. Monachis Caſſinenſibus contra Canonicos Lateranenſes, typis editis Venetijs anno milleſimo quingentefimo ſexageſimo ſecundo apud Iordanum Lillertum vbi pagina ſeptima ſub numero quadrageſimo octauo, & pagina deci-

ma octava, sub numero sexto ipsum Abbatem Ioachim, & Fratrem Paulum Bergomensem secutus multas ineptias effudit, quibus animi sui venalitem, & ingenij leuitatem, & ignorantiam, apertissime monstrauit, sed quod valde miror, eandem sententiam videntur secuti saltem aliqua ex parte viri alioqui doctissimi Emanuel Robericus in suis quaestionibus Regularibus tomo primo, qu. 3. art. 1. dum post Abbatem Ioachim, & fratrem Hieronymum Romanum Eremitam Augustinensem, inquit, Canonicos Regulares, quorum Sacri Canonones mentionem faciunt, non esse de illis Canonicis à B. Augustino institutis, siue reformatis, sed de illis, quos B. Arnulphus Lugdunensis Episcopus in Gallijs, & in Italia instituit, quibus B. Augustini Regulam dedit, de quibus dicit etiam loqui Benedictum XII. in Bulla generalis reformationis Canonorum Regularium, fatetur tamen in eodem articulo, Canonicos regulares Lateranenses ab Apostolis primùm institutos, postea à B. Augustino reformatos, ac nouissime in agro Lucensi in monasterio Frisonariae anno 1407. iterum reformatos. Azorius quoque tom. 1. Institutionum Moralium lib. 12. cap. 22. qu. 2. & 3. eidem sententiae adhæret, vbi multa de B. Arnulpho scribit, Nauclerum secutus, quem Arnulphum cum B. Rufo Auenionensi Episcopo confundit.

II. **H**aec Ioachimi sententia eo modo præsertim explicata, & aucta, quo illam eius sectatores explicauerunt, & auxerunt, non vnum, sed multos, illosque manifestos, & palpabiles continet errores. Primus est Congregationem, quæ in Gallijs B. Rufi nuncupatur ab ipso B. Rufo fundatam, & institutam: nam B. Rufus à quo monasterium apud Valentiam, quod illius Congregationis est caput, denominatur, Apostolorum coætaneus, & inter Christi discipulos recensetur: qui cum Magdalena, Martha, Lazaro, ac cæteris discipulis à Iudæis pulsus ad partes Galliarum delatus, primus Auenionensium Episcopus extitit, vt ex vetustissimis illius Ecclesiae tabularijs, & ex Martyrologio Romano die 12. Nouembris habetur, cuius nonnullas reliquias cum regulares Canonici ex Auenione ad urbem Valentiam transtulissent, ibi monasterium sub nomine B. Rufi, qui illos prius in Ecclesia Auenionensi instituerat, crexerunt.

Secundus error est, monasterium Valentiae Beati Rufi nuncupatum siue à B. Rufo, siue ab alio circa annum 1100. vt infra cap. 55. probabitur.

III. **T**ertius error est, dum ait, Ordinem Canonorum Regularium incepisse circa annum 1100 qui potius meretur nomen crassissimæ ignorantiae, quam erroris, cum in Concilijs Turonensibus, Cabilonensi, Arelatensi quarto, Aquisgrani, Moguntino, Romano sub Eugenio II. & Nicolao II. sapissime fiat mentio de Canonicis regularibus: cum etiam in Gallijs ante annum 1100. Iuo S. Quintini Beluacensis Præpositus ordinem Canonicum reformauerit, vt omnes historici concorditer faten-

tur, quod monasterium annis circiter quingentis ante ipsum Iuonem fundatum fuerat, vt infra hoc eodem libro ostendemus, & non solum in Gallijs, sed in Italia, Hispanijs, Hybernia, Anglia, Scotia, Germania, & alijs prouincijs ante annum 1100. fuerint præclarissima Canonorum Cœnobija, quorum nonnulla nunc etiam per Dei gratiam supersunt, vt suis locis monstrabitur.

Quartus error est autoris supplementi, & aliorum, qui S. Rufum cum Arnulpho confundunt, & ex duobus vnum conflant, cum secundum rei veritatem S. Rufus Apostolorum coætaneus, & Lazari, ac Magdalene, & Marthæ socius fuerit, Arnulphus autem quem Congregationis Gallicanæ autorem faciunt, vixit circa annum 1120. mortuus est enim Romæ sub Honorio II. ex omnium scriptorum illius, & posteriorum temporum consensione, de qua re præter autores citatos, scribunt Platina in Honorio II. Trithemius in historia monasterij Hirsaugensis sub anno 1128. Nauclerus, & alij communiter, qui error ex eo processit, quoniam putauerunt, Congregationem S. Rufi nuncupatam, ab autore illius Congregationis sic dictam: cum è contrario res se habeat, quod illa Congregatio non ab autore, sed à titulo præcipui monasterij, quod ipsius Congregationis est caput, ita denominatur, sicut Congregatio S. Victoris Parisiensis, & aliæ similes.

Quintus error est illorum, qui dixerunt, B. Arnulphum, quem prædictæ Congregationis autorem faciunt, fuisse Archiepiscopum Lugdunensem, quod est vanissimum commentum, cum in Catalogo Archiepiscoporum Lugdunensium ab anno saltem 1080. vsque ad annum 1140. nullus reperiatur hoc nomine appellatus: puto autem deceptos hoc scribentes, quod circa annum Domini 1080. vnum quendam Lugdunensem religiosum, & sanctissimum, & regularis disciplinae reparatorē, Abbatem quoque, & Arnulphum vocatum repererint. Verum ille neque Canonicus, neque Canonici ordinis reformator, vel institutor, nec Lugdunensis Archiepiscopus fuit, sed Monachus, & Abbas S. Medardi ab Hugone Archiepiscopo Lugdunensi iussu Gregorij VII. Episcopus, non Lugdunensis, sed Sueffionensis ordinatus: qui ab eodem Gregorio VII. legatus in Flandriam ad Robertum Comitem missus, apud Ecclesiam S. Petri in Aldembur Cœnobium ædificauit, in quo tandem sancto sine quieuit, de quo videndus Sigibertus in Chronico sub anno 1080. & Baronius sub eodem anno, & sub anno 1084. in fine, & in sequentibus.

Sextus error est Iacobi Philippi Bergomensis in VI. Supplemento scribentis, monasterium S. Frigidiani de Luca opus esse istius B. Arnulphi, impensis Comitissæ Mathildis ædificatum: nam ante tempora huius B. Arnulphi extant Alexandri II. literæ ad Canonicos S. Frigidiani, & illorum successores, datæ anno Domini 1068. quin etiã inferius ostendimus, Ecclesiam S. Frigidiani ab ipso met Frigidiano sub inuocatione S. Vincentij extitit, & ibi cleri-

clericos canonicos institutos, qui nunquam interrupta successione usque in hodiernum diem ibi deperuerunt: ex quibus idemmet Alexander II. ad apicem Papalis dignitatis euectus. Canonicam disciplinam penes habentem Laterani instauravit. Idem puto dicendum de Ecclesia sancti Michaelis in platea, quamquam ad nos nihil atinet, illius antiquitatem curiosius velle perferuari.

VII. **S**epimus error est Io. Marquez scribentis, Canonicos Regulares, qui nunc sunt, institutos esse, postquam Canonici Regulares in Ecclesijs Cathedralibus deficere coeperunt, quod miror valde, cum videre potuerit Concilium apud Vernas sub Pipino anno 755. cap. 18. & Taronense tertium sub Leone Tertio, & Carolo Magno sub anno 813. cap. 23. & 24. & Moguntinum eodem anno celebratum cap. 20. ut alia posteriora omitamus, apertissime de Canonicis non solum in Cathedralibus sub Episcopis, sed etiam in monasterijs extra Cathedralibus sub Abbatibus institutis, quæ res in progressu huius libri cum Catalogum monasteriorum cuiusque Prouinciæ cum illorum fundationibus recensebimus, clarius reddetur.

VIII. **O**ctauus error est Emanuels Roderiquez, dicit: Canonicos Regulares, de quibus in libris sacrorum Canonum mentio habetur, non esse de illis à B. Augustino, aut sanctis Apostolis institutis, sed de illis, quos B. Arnulphus Archiepiscopus Lugdunensis per Gallias, & per Italiã instituit, quibus B. Augustinus regulam dedit, nam ut concedamus, in corpore iuris Canonici de Canonicis B. Rufi nuncupatis mentionem haberi, ut in cap. Statuimus 19. quæst. 3. errat tamen hic grauissimus autor dupliciter, primo in eo, quod putat, Canonicos sancti Rufi non esse, verè de illis à B. Augustino, vel à sanctis Apostolis institutis, nam Canonici sancti Rufi de illismet fuerunt, & sunt, qui à viris Apostolicis in Ecclesia Auenionensi fuerunt instituti, qui in eadem Ecclesia usque ad annum 1500. & ad Pontificatum Iulij Secundi, aut saltem illius Cardinalatum steterunt, qui Canonicæ disciplinæ iam labentis reparandæ studio inflammati, in Ecclesia B. Rufi Auenionensis Episcopi prope Urbem Auenionensem consistentes eidem reformationi initium dederunt, quæ in amplissimam, & religiosissimam Congregationem postea coaluit. Nullus autem extitit Arnulphus Canonicorum institutor, nisi ille, qui in Italiam descendens Romæ interijt. Secundo errat in eo, quod ait, in corpore iuris Canonici de solis Canonicis Congregationis B. Rufi mentionem haberi, nam in Decreto tota duodecima quæstione prima verba sunt de Canonicis Regularibus & tamen ferè omnes illi canones conditi fuerant ante Congregationem B. Rufi. Similiter in cap. in omnibus de cons. d. 5. similiter in Decretali plerique sunt canones, qui loquuntur de Canonicis Regularibus existentibus in Cathedralibus, & extra, qui non erant de Congregatione B. Rufi, ut cap. post translationem de Renunciatione. cap. Cum causam. cap. Innotuit de

Electio. c. Præterea de Præbendis, cap. Quod Dei timorem, de statu monachorum cum alijs sexcētis.

IX. **N**onus error est eiusdem asserentis, Benedictum XII. in Bulla generalis reformationis Canonicorum Regularium non de canonicis à D. Augustino, siue à sanctis Apostolis, sed de solis à B. Rufo institutis loqui. In quem errorem puto virum alioqui doctissimum, & de Regularibus optime meritum incidisse, quod ipsas Benedicti XII. literas præ manibus non habuit. Vidisset enim Pontificem statim in principio dictarum literarum hæc scribentem: *Idcirco inter religiones in agro eiusdem plantatus Ecclesie, ad Religionem Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini, ab Christi gloriosis discipulis in primitiua Ecclesia suis institutionibus stabilitam, gerentes præcipue Charitatis affectum, ac nobentes, quæ in eadem Religione reformanda cognouimus, absque reformatione præterire, omnia, quæ in Religione predicta tam à prima ipsius institutione, quam à sacris Canonibus sunt salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censes, nonnulla, quæ experientia deesse probauit, & supplenda dicte Religionis utilitas, quæ immo necessitas persuadet, statuenda prouidimus, in ea perpetuis futuris temporibus obseruanda.* Per quæ verba ostendit, se non solum generaliter, & vniuersaliter de omnibus Canonicis, & de toto Ordine à sanctissimis Apostolis instituto loqui, sed etiam sacros Canones generaliter de Ordine ab Apostolis instituto, non de solis canonicis à B. Rufo, ut autor putat institutis verba facere, quod magis adhuc patebit legentibus verba dispositiua eiusdem reformationis, in qua generaliter, & vniuersaliter loquitur de omnibus Canonicis Regularibus tam in Cathedralibus, quam extra Cathedralibus, in quibusuis mundi partibus institutis. Vide ipsam reformationem infra capite quadragesimo tertio.

X. **V**ltimus error est, omnes Canonicos Regulares, qui sunt in Italia, aut in Gallijs, esse de illis à S. Rufo institutis, nam quod ad Italos spectat, certum est, Lateranenses, Lucenses sancti Frigidiani, Bononienses sancti Victoris, & sancti Ioannis in Monte, Portuenses, & Mortarienses, in Alpibus item Canonicos sancti Bernardi de Monte Ionis, sancti Mauritij Agaunensis in Diocesi Sedunensi, Cathedralibus Augustæ Prætoris, in Gallijs Victorinos, Bisuntinenses sancti Pauli, Bellouacenses sancti Quintini, Aroasienses, in Hispanijs item Cæsaraugustanos sanctæ Mariæ de Pilati, & alios infinitos in alijs Prouincijs existentes, huius Congregationis non esse, quod ex illorum fundationibus infra recensendis magis aperte constabit.



Caput tertium.

Alia opinio de origine Regularium minus probabiles referuntur, & rejiciuntur.

I. **L**icet secunda sententia aliorum, quæ licet Canonici Ordinis originem alius deducant, negant tamen illum à D. Augustino, vel à sanctis Apostolis fundatum: sed aiunt, temporibus Caroli Magni, aut Concilij Aquisgrani sub Ludouico Pio illum incoepisse, in quo Concilio facta est compilatio quarundam Constitutionum ex sententijs diuinae scripturæ, & sanctorum Patrum decretis, pro reformatione Clericorum. Hanc autem sententiam ex alio fundamento falso deducunt, quia negant, B. Augustinum, & clericos cum illo communiter viuentes vota Religiosorum emisisse, putant enim, illos communem vitam sine votorum obligatione ita duxisse, vt cuique licitum esset, ab illius vitæ instituto recedere, si placuisset: & dato quod recedere non possent, hoc non proueniebat ex alicuius voti solemnemissione, sed ex statuto Episcopis, cui seruando seipfos sponte obligabant. Hanc sententiam probauerunt nonnulli Iurisconsulti, qui pro RR. Monachis Cassinensibus contra Canonicos Lateranenses in causa præcedentiæ scripserunt, inter quos Antonius Massa Galleus in Allegationibus Venetijs 1562. editis pag. 18. num. 1. vbi sic scribit: *Hanc quoque particulam falsam esse, si referatur ad Canonicos Regulares, tum ex supradictis patet, tum etiam ex ipsorum Canonicorum Regularium origine, quæ habuit initium, vt qui antiquitus volunt, à tempore Ludouici primi Imperatoris sub anno Domini 520. (puto esse errorem Typographi, & velle dicere 820.) cum dicat Sigibertus, Aquisgrani generali Concilio habito, per dispositionem Imperatoris Ludouici, Episcoporumq; & Abbatum, aliqua capitula ad vsus Regularium Monachorum addita, & multa sanctarum scripturarum, compilatione facta, clericorū, & clericalium sanctimonialiū regule constituta sunt.* Et supra pag. 16. n. 12. dicit, nulla auctoritate probari, quod ante D. Augustinum neque ducentis annis post ipsius D. Augustini obitum fuerint in rerum natura Canonici Regulares, & eadem pag. num. 6. dicit, quod clerici, quibus Aug. regulam dedit, nõ obligabantur ad tria vota, ad quæ obligantur Canonici Regulares Lateranenses. quamuis sciam hunc autorem, alibi aliter docere. Eandem sententiam secutus est Felinus Sandæus in cap. Quod super his, de maiestate, & obedientia, dicens clericos B. Augustini non ex voto, sed ex statuto proprijs renunciaisse. Quæ sententia valde

placuit Erasmo in Censura regulæ D. Augustini vt lib. 1. visum fuit.

II. **V**erum hæc sententia tam in assertione, quam in fundamento assertionis falsitatis conuincitur. Nam Canonicos Regulares ante Concilium Aquisgrani institutos conuincitur ex Concilio tertio Turonensi sub eodem Ludouico Pio celebrato anno Domini 813. nam in eo Concilio cap. 14. sic habetur: *Simili modo, & Abbates Monasteriorum, in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, solliciti suis prouideant Canonice, vt habeant claustra, & dormitoria, in quibus simul dormiant, &c.* Ecce tibi ante Concilium Aquisgrani ab antiquo tempore erant Canonici in monasterijs sub regimine Abbatum viuentes, & Ordo canonicus Abbates habebat: quod memoriæ diligenter tenendum est propter nonnullos, qui statim atque aliquod monasterium sub cura Abbatis institutum inueniunt, suis monachis siue iure, siue etiam iniuria adscribendum volunt. Rursus in Concilio apud Vernas sub Carolo Magno anno 755 habito cap. 18. sic habetur: *Vt nullus clericus ad iudicia Laicorum publica conueniat, sine iussione Episcopi sui, vel Abbatis.* Rursus Beda, qui fuit circa annum 700. lib. 4. Historiæ Gentis Anglorum cap. 4. de Monasterio in Iugeto verba faciens *Ad exemplum, inquit, Venerabilium fratrum sub Regula, & Abbate Canonico in magna continentia, & paupertate proprio labore manuum viuunt.* Adhuc in Concilio Calcedonensi, quod celebratum fuit anno Domini 4500. fit mentio clericorum in monasterijs degentium, & illius verba referuntur in cap. quidam monachorum 18. quæst. 2. nec potest dici, quod illi clerici in monasterijs degentes essent monachi ad Ordines assumpti, quia Concilium illos data opera à Monachis distinguit. Sed quid moramur, cum ipse Augustinus in sermone primo, & secundo de Communi vita Clericorum meminerit monasterij clericorum, professionis, etiam & votorum, quæ ijdem clerici cum illo in monasterio viuentes emittebant, vt alia interim omittamus, quibus capite sequenti demonstratiue ostendemus, Ordinem Canonicorum Regularium ante Diuum Augustinum à sanctis Apostolis institutum.

III. **Q**uod autem fundamentum, cui eadem sententia nititur scilicet, quod clerici cum D. Augustino viuentes vota non emitterent, sit falsum, & erroneum, demonstratum est lib. 1. cap. 2. contra Erasmum. Nec difficultatem ingerit, quod obijcitur ex eodem Augustino relato in cap. Certè 12. quæst. 1. dicentes: *Certè ego sum, qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere, aut si vellet recedere à proposito, recte illi tollerem clericatum: quia desereret sanctæ societatis promissam, captumq; consortium. Ecce in conspectu Dei, & vestro muto consilio. Qui volunt habere aliquod proprium, quibus non sufficit Deus, & Ecclesia sua, maneant ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero clericatum.*

Nam

Nam hæc Augustini verba intelligenda sunt non de clericis, qui vota iam emiserant: sed de illis, qui nondum vouerant: sciendum enim est Beatum Augustinum, cum primum ad Episcopatum euectus esset, ex magno desiderio reparandi in suis clericis vitam Apostolicam ferè collapsam, firmiter statuisse, nullum in sua Dioecesi clericum ordinare, qui communem vitam non susciperet, cum abdicatione omnium temporalium bonorum, & emissionè trium votorum. Verùm quia deprehensi sunt clerici in hypochrysi viuentes, qui ne clericatum amitterent, aut ad clericatum promoueri possent, vitam communem simulantes occultè pecunias tenebant, inter quos deprehensus fuit presbyter Ianuarius, qui post votorum emissionem proprium habuisse, & testamentum fecisse: & cum proprio ex hac vita excessisse inuentus fuerat, Augustinus in futurum præcauens, primum illud decretum sic moderatus est, vt qui secum in monasterio manere voluissent, vota emitterent, & communem vitam profiterentur: qui autem in clericatu extra monasterium manere voluissent, ante emissam professionem, vel sine votorum emissionè clericatum suscipere, licitè manerent, quia, inquit, malui habere cæcos, & claudos, quàm lugere mortuos. Clericus enim propriarius ante votorum emissionem imperfectus quidem est, non tamen mortuus: quia non est in statu damnationis. At clericus propriarius post emissam professionem mortuus est, & hypochryta, & hic est sensus verus, & legitimus verborum illorum D. August. sicut patet ex sermonibus de comm. vita cleric. quorum etiam fragmenta recitauerat supra Gratianus in cap. Nolo ead. 12. q. 1.

IV. Tertia sententia est aliorum, qui originem Canoniarum Regularium referunt in D. August. non autem in sanctos Apostolos, quia dicunt clericos primitiue Ecclesiæ, aut communem vitam non duxisse, aut si duxerunt, vota religiosorum non emisisse, & Aug. primum fuisse, qui suis clericis regulam tradidit, & vota adiunxit. Adeo quòd secundùm istam opinionem Clerici Regulares ex secularibus ortum habuerunt per restrictionem: non autem clerici seculares ex regularibus per relaxationem. Hanc sententiam tenuit in primis secundum aliquos Boëtius in suo tractatu de Vita Eremitica, columna vltima, num. 20. 21. docens, clericos primitiue Ecclesiæ potuisse testari, & habere proprium, addès, esse erroneum, immo & hæreticum contrarium tenere, vel docere propter extrauagantem Ioannis Papæ xxij. quæ incipit: Cum inter nonnullos. de verborum significatione, quanquam istam opinionem apud Boëtium in loco allegato non reperi: licet dicat aliqua, ex quibus deducitur, illum sensisse, institutionem Canoniarum Regularium non esse admodum antiquam. Sed in historijs parum se versatum ostendit: nam & Hugonè de sancto Victore putat obijisse in monasterio sancti Victoris Marsiliæ, quod est Ordinis D. Benedicti. Hanc opinionem sequitur quoad hoc Felinus in cap. Quod super his. de Maioritate, & Obedientia. & Antonius

Massa Galesius in dictis allegationibus pagina 5. num. 12. & sequentibus dicens, quod in iure illi, qui sunt, & remanent institutionis primitiue Ecclesiæ, appellantur Clerici Seculares: & qui sunt institutionis Diui Augustini appellantur Canonici Regulares, propter qualitates iniunctas per B. Augustinum videlicet, quia profitentur tria vota, & propter multa alia, quæ inducit regulam Beati Augustini, propter quæ facta est noua species clericorum distincta à clericis primitiue Ecclesiæ eadem sententiam tenuit Azorius in suis Institutionibus Moralibus tom. 1. lib. 12. cap. 22. quest. 2. vbi dicit clericos primitiue Ecclesiæ communem quidem vitam duxisse: non tamen vota emittere solitos, dictos tamen fuisse Canonicos, hoc est Regulares; quia regulam Apostolicam tenebant. Postea verò canonici quidam non solum vitam communem tenere, sed tria vota Religiosorum Monachorum ritu, & more profiteri cœperunt, & cœperunt vocari Canonici Regulares: canonici quidem à canone Apostolorum, & Regulares, quia vota instar Monachorum emittebant: & tunc facta est distinctio inter Canonicos Seculares, & Regulares, & multa alia ibi dicit de Ordine Canoniarum Regularium falsa, & impossibilia, quæ non minus cum seipsis, quàm cum veritate pugnant, quia hic autor non tantum in veritate dicendorum inuenienda laborauit, quàm in aliorum dictis coaceruandis: qui quouiam inter sese pugnant, ideo multa illorum dicta inuicem pugnantia in vnum conflauit, quæ partim libro 1. sunt notata, partim in sequentibus notabuntur, concedit tamen, Beati Augustini clericos vota emisisse contra Erasmus: sed dicit, post Diuum Augustinum alios successisse, qui in communi viuentes vota non emittebant. Eidem sententiæ videtur fauere doctor quidam nomine Bellamerus in cap. Dilectissimis duodecima quæstione prima, relatus à Præposito in capite primo, distinctione quadragesima quarta, num. 4. immo idem Præpositus ibid. licet concedat cum D. Thoma, & alijs, Apostolos, & viros Apostolicos primitiue Ecclesiæ vouisse, quæ spectabant ad substantiam perfectionis: non tamen fuisse Canonicos Regulares, quia ista nomina non erant in vsu.

V. Idem sententiæ plurimum accedit Cardinalis Baronijs to. 3. suorum Annal. sub anno. 328. nu. 21. & duobus sequentibus, cum docet, institutum vitæ regularis in Ecclesia Alexandrina per Diuum Athanasium, ex monachis acceptum in clericos Ecclesiarum ciuitatis introductum, illisque adiunctum: ac exinde Romam delatum, & a Romana Ecclesia veluti ex promptuario quodam disciplinæ Ecclesiasticæ alias omnes Occidentis Ecclesias eiusmodi institutum fuisse mutatas, primumquè, qui ex Oriente istiusmodi institutum in Occidentem inuexit, fuisse Beatum Eusebium Episcopum Vercellensem, qui vt D. Ambrosius Mediolanensis epistola 82. testatur, primus in Occidentis partibus diuersa inter se insti-

instituta coniunxit, videlicet clericorum, & monachorum, quod ipsum præstantissimum vitæ genus Sanctus Martinus Episcopus Turonensis tranfluxit in Gallias, & Sanctus Augustinus in Africam. Videtur ergo hic autor sentire, clericos primitivæ Ecclesiæ ab Apostolis institutos vota non emisisse, nec regularis vitæ institutum tenuisse ante annū trecentimum vigesimum, vel circa, quò tempore Divus Athanasius illud institutum ex monachis mutatum clericis adiunxit, & ex consequenti vitæ regularis institutum non ex clericis ad monachos, sed ex monachis ad clericos derivatum, & profectum.

Verum decipiuntur illorum pace prædicti auctores, & quicumque illorum sententiæ in hoc adhærent, nam clericos primitivæ Ecclesiæ ante Augustinum, & Eusebium, & Athanasium non solum communem vitam tenuisse, verum etiam vota Religiosorum monachorum profiteri solitos, & instituta clericorum ad monachos, non monachorum ad clericos derivata, ut interim ea omittamus, quæ longa oratione sequenti capite adducemus, testes sunt imprimis Urbanus Papa huius nominis primus, & martyr in epistola ad omnes catholicos, quæ refertur in cap. Scimus. 12. quæst. 1. ubi non solum dicit, communem vitam ab Apostolis institutam in omnibus clericis usque ad sua tempora scilicet ad annum 224. viguisse: sed conceptis verbis meminit votorum, ut in textu non semel legitur, ut mirum sit, quomodo viri docti, & præclari in re manifestissima fuerint hallucinati. Secundò Clemens etiã Romanus, & Petri successor in epistola ad Iacobum fratrem Domini, quæ refertur in eadem causa & quæstione cap. Dilectissimis, clericos Ierosolimitanos ad tenendam vitam communem iam susceptã longa oratione adhortatus, ita demum concludit: *Vnde consilium dantes, vestram prudentiam hortamur, ut ab Apostolicis regulis non recedatis: sed communem vitam ducentes, & scripturas sacras rectè intelligentes, quæ Domino vouistis, adimplere satagatis.* Tertio D. Hieronymus in lib. de Viris illustribus in Philone, ubi dicit, talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, qualem nunc monachi esse nituntur. *Quis autem nesciat, primitivæ Ecclesiæ præcipuam, & nobilissimam portionem fuisse clericos, à quibus regimen, & disciplina cæterorum christianorum pendebat? non ergo vita regularis ex monachis ad clericos profecta est, sed ex clericis ad monachos.* Quarto Eusebius Cæsariensis lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. & 17. ubi loquens de institutione Ecclesiæ Alexandrinæ, & de libro Philonis Hebræi scripto in laudem virorum Apostolicorum primitivæ Ecclesiæ, quem de vita contemplativa supplicum intitulavit, quosque D. Hieronymus, Cassianus, & alij monachos vocant, inquit, illum omnia Ecclesiæ instituta complexum fuisse, quæ à Diuo Marco tradita sunt, & usque in illud tempus servabantur in Ecclesia, & vitas abstinentium descripsisse, qui in Ecclesijs, & in monasterijs etiam temporibus ipsius Eusebij debebant,

qui tamen vivebat temporibus B. Athanasij: nam scripsit vitam, & obitum magni Constantini, qui obiit circa ann. Dom. 337. ex Baronio to. 3. Annal. Onuph. in Chronico & Card. Bellarm. in Chronico. Et noranda sunt verba illa Eusebij in fine c. 17. *In quibus (scilicet libris Philo) supradictus vir Ecclesiastica institutionis initia, atque originem Apostolica, atque etiam Evangelicæ traditionis intexuit:* Ex quibus habes, quæ nonnulli ad monachorum institutum detorquent, ac restringunt, Philonem, ex sententia Eusebij de institutione primitivæ Ecclesiæ, seu de institutione Ecclesiasticæ initijs scripsisse.

Caput quartum.

Vera sententia de origine Canonorum Regularium exponitur, quos à Sanctissimis Apostolis institutos, demonstrativè probatur.



Recedat, & recedat falsis opinionibus vera sententia de Clericorum Canonorum origine sequentibus propositionibus explicatur. Prima propositio: *Ordo Clericorum Canonorum, qui nunc Regulares Canonici dicuntur, à Sanctissimis Apostolis, siue ab illorum immediatis discipulis fuit verè, & propriè, & immediatè institutus.* Hæc propositio tot, ac tantis Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, Theologorum, Doctorum, & Historicorum testimonijs, & rationibus fulcitur, ut in illis recensendis difficiliter sit exitum, quàm principium inuenire, quàm ob causam, ut in eis recensendis confusionem vitemus, ad quædam summa capita siue prædicamenta, illa reducere nitentur. In quorum primo referemus testimonia Pontificum, & auctorum, qui formalibus verbis Canonorum Clericorum ordinem ab Apostolis derivatum, & immediatè institutum aiunt, In secundo illorum, qui fatentur D. Augustinum sui instituti primum autorem minimè fuisse, sed reformatorem, siue reparatorem: eum verò à Sanctissimis Apostolis derivatum. In tertio illorum, qui dicunt, Sanctissimos Apostolos, & Clericos primitivæ Ecclesiæ vota substantialia Religionis, & Evangelicæ perfectionis emisisse.

Quod spectat ad testimonia primæ classis ex Romanis Pontificibus, qui per formalia verba nostram assertionem probant. Primus est Paschalis II. in literis Priori Sancti Frigidiani directis, quæ in illius monasterij Cartophilacijs servantur, ut etiam testatur Cæsar Franciottus ex Congregatione Clericorum Regularium Lucensi Beatæ Dei Genitricis nuncupata sacerdos in sua historia de miraculosis imaginibus, & reliquijs in Vrbe Luca servatis, ubi tractat de

erat de Ecclesia & conuentu S. Frigidiani, qui quæ illius monasterij Archiuum iustrauit, in quibus literis sic ait: *Vita regularis propositum in primitiua Ecclesia cognoscitur ab Apostolis institutum, quam B. Augustinus tam grate amplexus est, ut eam suis regulis informaret.*

Secundus est Benedictus XII. in bulla Generalis reformationis suo motu proprio emanata, quæ sic incipit: *Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad decorem Ecclesie sponse Dei, & sanctarum Religionum fundatarum in ea, &c. & infra. Ideoque inter Religiones alias in agra eiusdem plantatas Ecclesie, ad Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini ab Christi gloriosis discipulis in primitiua Ecclesia saceris institutionibus stabilitam, gerentes præcipue charitatis affectum, ac nolentes, quæ in eadem Religione reformanda cognouimus, absque reformationis remedio præterire, &c.* Edita est bulla Auenionibus Maij Pontificatus sui anno 5.

Tertius est Eugenius huius nominis Quartus in Bulla, qua Canonicos Regulares post Iminio ad Lateran. Basilicam reduxit, quæ incipit: *Cum ad sanctissimam, & venerandam Lateranensem Basilicam dirigimus oculos mentis nostræ, & inter innumeras curas, &c. & infra. Hac igitur pia, & sancta inspiratione ducti, & domus Dei zelo solliciti sacratissimi Pontifices prædecessores nostri, illius sequenti vestigia, cuius perfecta, & ordinata sunt opera, postquam venerabilem locum pro populi Dei salute, & summi Regis gloria ditauerunt, & ex abscisso Christi sacratissimo inenarrabilibus, & incomprehensibilibus indulgentijs, & diuina gratie largitate, & remissionis exuberantia, ornauerunt, horum priuilegijs sublimarunt, & decorarunt titulis dignitatum, diuinam in terris famuliam Clericorum, qui vitam religiosam ducerent, & ad exemplum nascentis Ecclesie sanctam institutionem seruarent, quos Canonicos Regulares appellamus, ut sacrum inter Clericos, & ministros Christi viuendi modum in sacra Basilica instituerunt, firmauerunt, erexerunt, & perpetuo deputauerunt: ut hi primæ in terris Ecclesie, & matris sanctorum Apostolica prouidentia curæ gererent, qui primorum Christiane religionis clericorum normam traditionis, & instituta sectantur. Huius profectio sacri ordinis, & sancti propositi post sanctos Apostolos primùm in Alexandria Ecclesia Marcus Petri discipulus fuit institutor, & conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus diuinis regulis illud decorauit, & S. memoria Verbanus martyr & Sum. Pontifex Generalis Decreti ordine reformauit: & B. Gregorius Augustino Anglorum Episcopo velut plantationem sacram in commissio sibi populo præcepit insitui, & in occidentis finibus ampliauit.*

Quartus est Sixtus IV. in magno priuilegio, quo eisdem Canonicis Regularibus Lateran. etiam Ecclesia ipsa Lateranensi exactis, titulum, & omnia priuilegia Canonicorum, & Ecclesie Lateranensis confirmauit, ac si actu in eadem Ecclesia manerent,

quod incipit: *Dudum ad uniuersos Regulares ordines. in quo inter alia ita inquit: Ad illum præcipue Canonicorum Regularium congregationis Lateranensis Ordinis sancti Augustini eò libentius nostra mentis oculos conuertimus, quò Ordo ipse in nascentis Ecclesie sancta institutione, ac primorum Christiana Religionis Clericorum norma traditionibusq; fundatus, & sacris insitutus, ac diuinis regulis, eloquijsq; præmanitus existit, ab eiusque primæua fundatione varijs virtutum meritis semper resplenduit.*

Quintus est Pius Quartus in motu proprio, II. quo sententiam a se latam in causa præcedentiæ inter Canonicos Lateranenses, & monachos Cassinenses super illorum antiquitate, ac iure præcedendi in omnibus actibus publicis, & priuatis diu exagitata confirmauit, qui est inter Cõstitutiones huius Pontificis 95. in ordine, in quo inter alia sic ait: *Qui quidem Cardinales dictis partibus, earumue procuratoribus, & aduocatis pluries auditis, dubijsq; emergentibus ad plenũ discussis, & resolutis, comperto satis per eos ex cõpluribus literis Apostolicis, diuersisq; alijs documentis, rationibus, & probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt, & sunt de illis Clericis à S. Augustino quin immo à sanctis Apostolis insitutus, eosdem Canonicos tam suæ institutionis huiusmodi, quàm etiam dignitatis Clericalis, quæ eos statim, quod professionem regularem emittant, insignitos esse oportet, aliarumq; qualitarum in eis existentium ratione, dictamq; illorum Congregationem Lateran. præfatos monachos, & eorum Congregationem Cassinensem præcedere debere sensuerunt, & concluderunt. Vnde nos illorum relatione intellecta, eaq; diligenter per nos examinata, quoniam iam in omnibus suis partibus veritati, & iuri consonam comperimus, per nostram diffinitiuam sententiam pronunciamus, &c.* Quæ verba dici non potest, quod sint narratiua, & non dispositiua: quoniam vt patet, sunt dispositiua, post longam controuersiã multo tempore hinc inde discussam, & ventilatã, & etiã si essent narratiua, tñ Sumus Pontifex ipsa narratione intellecta, & diligenter examinata eã in omnibus suis partibus veritati, & iuri consonã inuenisse fatetur, & in ea fundat suam dispositionem, vnde non possunt amplius in dubium reuocari, nec potest aliquis circa illa tragiuersari.

III. Sextus est Pius Quintus in motu proprio, per quem eisdem Canonicos Regulares Congregationis Lateran. decernit, omnes alios Regulares mendicantes, & non mendicantes iure præcedere posse, & debere iure antiquitatis, & prioris institutionis, in quo inter alia sic habet: *Cum itaque sicut accepimus dilecti filij uniuersi Canonici Regulares Congregationis Lateran. qui ab Apostolis originem traxerunt, quiq; ab eodem Aug. eorum reformatore iterum per reformationis viam mundo geniti merito præterdere possunt, se omnes alias personas Ecclesiasticas tam seculares, quàm regulares, in processioni- bus, & alijs actibus publicis præcedere debere, &c.* Quæ verba licet sint narratiua, tamen cum sint,

inducta per modum causæ, & in illis fundetur dispositio Pontificis euidenter intentū concludūt, & licet tot tantorumq; Pontificum autoritas ad prædictam assertionem probandam fatis sit, ac super nihilominus vt de illius veritate magis, ac magis constet.

IV. **S**ecundò loco proferuntur in illius confirmatio- nem testimonia Doctorum, & Historiarum, qui illam cōceptis, & formalibus verbis tradiderunt, & probauerunt. Hi sunt, Primus Sigibertus Gemblacensis in Chronico sub anno Domini 1078. vbi scribit: *Ab hoc tempore cepit reflorescere in Ecclesia Beati Quintini Beluacensis Canonici Ordo, primū ab Apostolis, postea à Beato Augustino Episcopo regulariter institutus, sub Magistro Iuone venerabili eiusdem Ecclesie Præposito, postea Carnotensium Episcopo.*

Secundus est Vincentius Beluacensis in Speculo historiali lib. 26. cap. 51. & post illum.

Tertius B. Antoninus Archiepiscopus Florētinus in Summa historiali titulo 15. cap. 16. in fine vbi referens verba Vincentij scribit: *Circa annos Domini 1080. ut refert Vincentius histor. in Speculo lib. 26. cap. 51. post Sigibertum, tempore Gregorij VII. Papa, & Henrici Imperatoris cepit reflorescere in Ecclesia Beati Quintini Beluacensis Ordo Canonicoꝝ Regularium primū ab Apostolis, postea à S. Augustino Episcopo, & Doctore eximio regulariter institutus, sub Magistro Iuone venerabili eiusdem Ecclesie Præposito, postea Carnotensium Episcopo, qui post Isidorum fecit compilationem antiquam Decretorum.*

Quartus Vernerus Carthusianus autor Fasciculi temporum fol. 54. vbi ait: *Ordo Canonicus cepit florere in Ecclesia Beluacensi, qui primò ab Apostolis, postea ab Augustino regulariter est institutus sub magno Iuone Præposito, post Carnotensium Episcopo.*

Quintus Lucidus Historicus libro 10. de Rebus gestis post Christi aduentum cap. 7. vbi dicit: *Rubrica de Ordine Religiosorum testatur, communem Clericorum ordinem à B. Petro, & alijs Apostolis institutum fuisse, qui deinde ab Augustino insignem, & singularem regulam accepit.*

Sextus Raphaël Volaterranus lib. 27. Antropologiae scribens: *Ordo autem Canonicus ab Augustino non tam institutus, quàm renouatus: ab Apostolis in monte Sion exordium accepit, qui post Ascensionem, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 88. de Vita genere deliberrantes communia inter se omnia, ac tria vota coram Deo statuere. Qui ritus à successoribus, clericisq; omnibus diu diligentissime seruatus, fideq; postea defuerescente defecit, nunc quoque in Ecclesijs amplius quadraginta perseverat.*

Septimus Iacobus Philippus Bergomē. in suo Supplemento postremæ editionis lib. 14. vbi corrigens, quæ supra lib. 9. minus consideratè scripserat, hæc de Canonici Ord. antiquitate, & origine scripta reliquit *Verum quia de Canonicoꝝ ordine sup. lib. 9. aliqua diximus, post quorum impressionem ad notiti-*

nostram noua quedam peruenerunt, authenticis approbata scriptis, non ab re pauca hæc, quæ sequuntur, pro clariori veritate subnectimus. Canonicoꝝ autē ordo Regularium D. Augustini, à quibus præfata Congregatio Lateranensis continuauit, ab ipso Patre August. regularem sumpsit institutionem, &c. & infra. Sunt ergo omnes isti Canonici, de quibus paulò superius diximus, vnius eiusdem ordinis cum illis, qui habitu lineo regulam Augustini professentes, primū ab Apostolis in primitiua Ecclesia sunt instituti, & per B. Augustinū regularibus institutionibus ad communem regularem vitam restituti, vt etiam ex præfatis sermonibus colligitur de Communi vita clericorum, & Constitutionibus, & Decretis Romanorum Pontificum.

Octauus Onuphrius in libello de Septem vrbis Ecclesijs in Ecclesia Later. vbi hæc inter alia scribit: *Aucta fidelis populi multitudo cum presbyteri per singulos Vrbis Romæ titulos distributi essent, ijq; in suis Parochijs occupati non ita assistere Romana Pontifici possent; clericorumq; disciplina laberetur, Gelassus Papa circa annum Domini C D. Clericos, qui ab arctiori vita instituto Canonici, id est Regulares vocati sunt. Hi Apostolorum & primitiua Ecclesia more secundum B. Augustini regulam in communi viuebant, Laterani collocauit, qui Presbyterorum veterum tam Cardinalium, quàm non Cardinalium loco, Basilica Lateranensi præcipue additi, quotidie deservirent.*

Nonus Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis Alphabeto 22. littera N, vbi ait: *Regularis vita originem ab ipsis Apostolis traxit. & Alphabeto 42. in sermone de Coena Domini dicit, quod Apostoli fuerunt Canonici Regulares sub Abbate Christo.*

Decimo Robertus Arboricensis to. 2. in Opusculo de tuendò cœlibatu, vbi inquit: *Canonicos dicimus, qui ex communi placito ac voto orationi, ac mutua bonorum distributioni obnoxij erant. Erant autem hoc veluti clementum quoddam, atque exemplar futura Communionis in Ordine Canonicoꝝ, qui triplici voto astricti, se Regulares appellat, quem Augustinus longo post tempore instituit, se ab Apostolico fonte hausisse profiteretur. Hic ergo ordo statim ab orbe redempto &c.*

Vndecimus Hieron. Platius de Bono statu Relig. capite 23. quem Duodecimus sequitur Emanuel Rodriquez to. 1. Quæstionum Regularium quæst. 3. art. 1. vbi proposita quæstione à quo habuit originem Ordo Canon. Regul. inquit: *Respondeo dicendo, quod Canonici Regulares Ordinis S. Augustini dicti Lateranenses ab Apostolis primū, vt narrant historiae, traxerunt originem, prout tradit Hieronymus Platius: sed postea à B. Augustino fuit talis Congregatio regulariter ordinata.*

V. **T**ertio principaliter confirmari potest eadem assertio alijs testimonijs autorum, qui dicunt, B. Aug. non nouum ordinem instituisse, verum ab Apostolis institutum ad primam vitæ rationem reparauisse. Quod præter autores proximè allegatos, quorū pleriq; id cōceptis verbis affirmat, fatetur primus

mus ipsemet Aug. in tribus sermonibus de Comm. vita clericorum. Nam in serm. 1. ita scriptum reliquit: *Nostis omnes, aut penè omnes, sic nos viuere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, ut quantum possumus, imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Act. Apost. Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia &c.* Similiter in 2. serm. in princ. *Quomodo autem, inquit, viuere velimus, quomodo Deo propitio iam viuamus, quamuis de Scriptura sancta multa noueritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de lib. Actuum Apost. verbis lectio recitabitur, ut videatis, ubi descripta sit forma, quam desideramus implere, &c.* In 3. verò, ubi ipsa regula Canonicorum exactè scribitur, ita legimus: *Hæc sunt, quæ ut obseruetis precipimus, in monasterio constituti. Primum propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo, & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, &c.* Sic enim legitis in Actibus Apostol. quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat. Et ut semel dicamus, tota series illorum sermonum ad hoc tendit, ut Clerici Augustiniani ad normam vitæ Apost. & Clericorū à SS. Apostolis institutorū reformarètur, ut legenti patet.

Secundus est Possidius in vita D. Augustini c. 5. ubi ait, quod: *Factus presbyter monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere, cepit secundum modum, et regulam sub sanctis Apostolis constitutam.*

Tertius est D. Thom. in officio D. August. per illum ordinato, & ante annos circiter quadringentos in Ecclesia vsitato, quod etiam probauit Pius V. in Bulla approbationis diuinorum officiorum Canonicorum Regularium Congregationis Later. in quo officio in laudibus, & ad vespèras canitur Antiphona: *Factus ergo presbyter monasterium clericorum mox instituit, & cepit viuere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam.* Quo officio utebantur Ecclesia Cæsaraugustana, & Valentiana in regno Aragonensium: licèt fortè illius vius, quod prædictæ Ecclesiæ cum innumeris alijs ex Regularibus ad secularitatem transferint, in desuetudinem iuerit. Videatur de hoc Trullus lib. 1. de Canonicis cap. 3.

Quartus est Vincentius Beluacen. ex quo Quintus D. Antoninus in Summa Historiali titulo 10. cap. 8. §. 2. ubi eadem verba rescribit: *Factus ergo presbyter monasterium &c.*

Sextus Carolus à Basiliça Petri Nouarien. Episcopus in sua Nouaria lib. 2. in vita B. Gaudentij primi eiusdem ciuitatis Episcopi, ac Diui Eusebij Vercellen. Episcop. & martyris, discipuli, necnon Orientalis peregrinationis Comitæ, ubi inter alia hæc de illo memoriæ tenenda scribit: *Boni sacerdotes veteres, sequentes verbum Domini renunciabant ijs, quæ possidebāt, abnegabant semetipsos, quod quidè præcipuum est, non omnes tamè Canonicis quibusdam sese deuinciebāt institutis, ijs inquam institutis, quæ perfectò, & ab Apostolis instituto perfectà vitæ*

canone continebantur. Hoc sanctus Ambrosius appellat officia Clericorum cum Monachorum institutis coniungere, cuius rei autorem in Occidente facit sanctum Eusebium Vercellensem Episcopum Gaudentij nostri magistrum, præclarum sanè testimonium, & valdè obseruandum, ex quo fatendum est, perfectam clericorum disciplinam, & monasteria clericalia in Occidentalibus Ecclesijs ab eo profecta esse, & ipsum sanctum Augustinum eius disciplinæ sanctissimum, præcipuumq; cultorem unà cum Euangelio in hac regione illam didicisse. Ecce tibi vndenam profecta fuerit institutio Canonica, quam Augustinum in Africam inuexisse omnes fatètur, ex Apostolis nimirum, & à B. Eusebio ex partibus Orientis in Ecclesiam Occidentalem aduecta, quod non de primaria institutione Occidentalis Ecclesiæ, sed de restitutione intelligas, ut infra patebit. Adstipulatur S. Carolus Mediolanen. Episc. in epistola de Translatione reliquiarum sancti Simpliciani, quæ habetur in Actis Ecclesiæ Mediolanen. parte 7. affirmans, institutum vitæ communis Hipponensium Clericorum à Simpliciano presbytero profectum: ab eoque August. apprimè edoctum, ad quem etiam libros de Trinitate postmodum Augustinus scripsit.

Caput quintum.

Beatos Apostolos, ac etiam omnes Clericos ab Apostolis institutos in primitiua Ecclesia vitam communem cum abdicatione bonorum temporalium, & substantialia Religionis vouisse.



AD maiorem supradictæ assertio-
nis corroborationem subiungitur secunda propositio: *Beatissimi Apostoli, & omnes Clerici in primitiua Ecclesia instituti, communem vitam, ac cætera substantialia Religionis vouebant.* Hæc propositio probanda est primò de Apostolis, mox de Clericis Apostolicis in primitiua Ecclesia institutis. Nam quod ad ipsos Apostolos spectat, illos communem vitam eum omnium bonorum temporalium abdicatione, ac cætera substantialia Religionis vouisse, testantur in primis Diuus Augustinus libro 17. de Ciuitate Dei, cap. 4. post medium ubi sic ait: *Dixerant enim potentes illi: ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. hoc votum potentissimi vouerant. sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuò dictum est, dans votum vouentibus aliquin ex illis essent vouentibus, quorum infirmatus est arcus &c.* Sequitur D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 4. ad 3. scribens, Apostolos vouisse substantialia siue pertinentia ad statum perfectionis, quando relictis omnibus secuti sunt Christum. Quæ verba expendens Dominicus Soto

lib. 7. de Iustitia, & iure q. 2. art. 5. deducit, Religionem ab ipsis Apostolis originem habuisse. Idem sentit Alphonsus à Castro contra Hæreses in verbo Votum, vbi non solum probat Apostolos vota emis- sisse, verum etiam vitam regularem cum emissionem trium votorum ab ipsis Apostolis institutam, & ante illum Petrus Paludanus in 4. d. 38. D. Thomã se- curus expressè dicit, Apostolos tria vota emisisse: vnde concludit, Apostolos, & omnes primitiua Ec- clesie Clericos Regulares fuisse, & hoc est, quod inquit Io. Gerson capite præcedenti relatus, quod Apostoli fuerunt Canonici Regul. sub Abbate Chri- sto, vbi etiã addit, quod Iudas triplici honore fuit à Christo decoratus: quia fuit illius procurator, & cõ- menfalis, & Canonicus Regularis sub ipso Abbate Christo, & vt ne gratis hoc docere videantur. Pro- batur illorũ assertio primùm quidẽ autoritate diui- nã scripturã, deinde etiam ratione demõstratiua, & irrefragabili, nã quod spectat ad autoritatem diui- nã scripturã, B. Apostolos paupertatem cum om- nium temporalium bonorum abdicatione vouisse, testantur illa Petri verba apud Matthæum cap. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus*, &c. iuncta interpretatione D. Aug. D. Thom. & aliorũ Doctõrum proximè allegatorum. Ex quibus etiam verbis colligitur, Apostolos perfectam obedientiã vouisse, quod in sequela Christi exprimitur. Qui. n. patrem, matrẽ, fratres, parentes, & amicos relinquit, vt Christũ sequatur, perfectam obedientiam Chri- sto vouet. Similiter eosdem Apostolos castitatẽ vo- uisse, indicat coelibatus omniũ Apostolorum, & Epi- scoporum, ac sacerdotum ab Apost. institutorũ, nam si Apostoli ipsi post electionem ad munus Aposto- latus vxores tenuissent, nullatenus Episcopis à se or- dinatis castitatẽ præcepissent: sufficeret. n. Episco- pos, & sacerdotes esse, sicut fuerunt ipsi Apostoli, in quod verba D. Pauli rectissimè quadrat, de hac ip- sa re scribentis: *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum*. At Episcoporum, & Sacerdotum coelibat- us, & continentia ex traditione Apost. in tota Ec- clesia saltẽ Occidentali ab initio vsque in hodiernũ diem inuiolabilis tenetur, de qua re videri potest Card. Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 19.

Ratio verò irrefragabilis, quæ hæc veritatẽ euin- cit est, quia status vitæ regularis cum trium voto- rum emissionem omnium, perfectissimus est, vt omnes Catholici aduersus Vuiclessum, Lutherum, Calui- num, & coeteros vitæ monasticæ antagonistas affir- mant, & probat Alphonsus à Castro aduersus Hære- ses, in verbo Votum, & Card. Bellar. lib. 2. de Mo- nachis, ad quos remitto: nam status vitæ regularis præter mandatorum, exactam etiam consiliorum. Et angelicorum obseruantiam perstringit, in qua totius perfectionis Euangelicæ summa consistit, vt iidem autores, & alij passim Theologi deducunt. Cæterũ sanctissimos Apostolos summum gradum perfectionis Euangelicæ proximè post Christum, super cunctos Christianos tenuisse, res est, quã nul- lus Catholicorum negabit. Rectissimè igitur, ac ve- rissimè affirmant D. Tho. & alij proximè allegati,

sanctissimos Apostolos substantialia Religionis vo- uisse.

H Is de sanctissimis Apostolis constitutis, pro- II. banda nunc est secunda pars eiusdem pro- positionis, quod non solum ipsi Apostoli, ve- rum etiam sacerdotes, & cæteri omnes clerici primitiua Ecclesie vota Religionis emitterent, ac consequenter Clerici Regulares, quos clericos canonicos Regulares dicimus, verè, & propriè existerent. Id verò probatur primùm in genere de omnibus antiquis clericis, mox inductione facta per clericos particularium Ecclesiarum. Qui omnes clericos primitiua Ecclesie commu- nem vitam, & substantialia Religionis vouisse af- firmant, hi sunt

Primus Vrbanus I. Papa, & martyr in epistol. ad omnes Christi fideles, cuius fragmentum refertur in cap. Scimus 12. quæst. 1. vbi conceptis verbis di- cit, communem vitam ab Apostolis institutam vsque ad sua tempora in Ecclesia retentam apud omnes clericos, & meminit votorum, ne quis dicat, illos clericos eiusdem vitæ genus absque votorum emissionem tenuisse. Floruit autem hic Põrifex cir- ca annum Christi 224. libet autem illius verba, hoc loco ponere, tum quòd eius testimonium sit ir- refragabile, tum etiam quia ad multa in sequenti- bus dicenda scitu necessaria sunt, & ad eorũ intelli- gentiam facem præferunt: *Scimus, inquit, vos non ignorare, quia hætenus vita communis inter omnes Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, maximè inter eos, qui sortem Domini sunt electi, id est Clericos, sicut in Actibus legitur Apostolo- rum: Multitudinis autem credentium erat cor vnũ, & anima vna, nec quisquã eorũ, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erat illis omnia com- munita, & infra. Quicumq; vestrum communẽ vitam susceptã habet, & vouit, se nihil proprium habere, vi- deat ne pollicitationem suã irritã faciat: sed hoc quòd Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne dãnatio- nem, sed præmium sibi acquirat, quoniam satius est non vouere, quàm votum prout melius potest, non perficere. Grauius. n. puniuntur, qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt, & votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt: quàm illi, qui vitam sine voto finierunt, aut sine fide mortui sunt, & ta- men bona egerunt opera.*

Secundus est Eusebius Cæsariensis lib. 2. Hist. Ec- III. clesiasticæ c. 16. vbi Philonis Hebræi verba, referens, quæ ille in suo libro de Vita contempla- tiua supplicum in laude Christianorum primitiua Eccl. per Marcum Petri discipulũ Alexandria constituta scribit, inquit, Philonẽ omnia instituta com- plexum fuisse, quæ & tunc scilicet tempore Marci Euangelistæ & in hodiernũ diem seruantur à nobis: *Sed & abstinentium, inquit, vitas eorum duntaxat, qui nunc in Ecclesijs, vel in monasterijs degunt, de- scribis ad liquidum.* & cap. 17. idem autor ponit verba Philonis inter alia, sic dicentis: *In mal- tis est orbis terræ partibus hoc hominum genus, oportebat enim perfecti huius boni participem fieri*

fieri omnem Græciam, omnemq; Barbariem. In Aegypto tamen maior est copia per singula quoque terris, præcipue autem circa Alexandriam. Nã optimus quisque ex omnibus locis veluti ad vberis patriæ glebam festinus accurrit colonus. Regio quædam est Philosophia magis, quàm frugibus opportuna, supra lacum cui Mariæ nomen est, sita, colliculis quibusdam molliter, & clementer erecta, ad munimurum simul, atque aëris temperiem commoda. & infra. Est autem in singulis locis consecrata orationi domus quæ appellatur Semneion, vel monasterium. Semneion autem in nostra lingua significare potest honestorum conuenticulum (inquit Eusebius) in quo secedentes, honesta, ac casta vita mysteria celebrant. Multa alia ibidem subiungit, ex quibus tandem in fine capituli sic concludit: In quibus supradictus vir Ecclesiasticæ institutionis initia, & originem Apostolicam, atque Evangelicæ traditionis intexuit. Ecce ex testimonio Eusebij Cæsariensis. quale vitæ genus clerici primitiæ Ecclesiæ tenerent, illud nimirum, quod colebatur etiam in monasterijs, quod institutum ex sententia eiusdem Euseb. qui vixit vsque ad annum circiter 340. nam magni Constantini obitum scripsit, qui anno 337. ex hac vita migravit, vsque ad illud tempus in omnibus Ecclesijs, & monasterijs obseruabatur.

IV. Tertius est D. Hieron. in lib. de Viris illustribus. In Philone, de quo ista scribit: *Philo Iudeus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum, idcirco à nobis inter Scripturas Ecclesiasticas ponitur, quia librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesiæ, in nostrorum laude versatus est, non solum eos ibi, sed in multis quoque prouincijs esse memorans, & habitacula eorum dicens monasteria, ex quo apparet, talem primo Christo credentium fuisse Ecclesiæ, quales nunc monachi esse nituntur, & cupiunt &c.* Nulli autem dubium est, inter Christianos primitiæ Ecclesiæ, potiores partes habuisse Sacerdotes, ac cæteros clericos. Ergo illi omnes Regulares erant, & Regularium instituta tenebant, & vt de Hieronymi sententia circa vitam communem clericorum primitiæ Ecclesiæ, cum abdicatione bonorum omnium tæporalium, magis constet. lege illum in epist. 2. ad Nepotianum, de Institutione clericorum, cuius fragmentum refertur in cap. Clericus 12. q. 1. vbi ex etymologia huius nominis clericus deducit, clericos nihil proprium habere posse, & illorum, qui extra Deum aliquid proprium habere voluerint, Dominum partem non esse: Si enim, inquit, *cleras græcè, fors latinè appellatur, propterea vocatur clericus, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus fors, id est, pars clericorum est, qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt, & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Quis Dominum possidet, & cum Propheta dicit, Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest: Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus, v. g. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis par-*

tibus Dominus fieri pars eius non dignabitur. Iam vide, quales vsque ad D. Hieron. tempora veri clerici essent, à sanctis Apostolis instituti, à quibus, & nomen ipsum clericorum acceperunt.

Quartus est B. Aug. in sermonibus de com. vita clericorum, in quibus cum expressè dicat, propositum illius extitisse clericos Hipponenses ad normam vitæ Apostolicæ clericorum primitiæ Ecclesiæ reformatæ, vocetq; clericos proprietarios cæcos, & claudos, vtpote à perfectione clericorum Apostolicorum claudicantes, & deficientes: satis apertè indicat, clericos primitiæ Ecclesiæ à sanctissimis Apostolis tales fuisse institutos, quales per B. August. Hipponenses clerici fuerunt instituti.

Quintus est B. Prosper Rhegiensis Episc. Augustinianæ doctrine, ac instituti acerrimus propugnator, & æmulator. Is enim in 2. de Vita contemplatiua exemplo Christianorum primitiæ Ecclesiæ ostendit Sacerdotes nihil proprium posse possidere, & grauius inuehitur in clericos proprietarios, & summo perè commendat, & extollit vitam communem clericorum, vt videri potest cap. 9. 15. & 16.

Sextus D. Gregorius Romanus Pontifex huius nominis primus in Responsonibus ad quæstiones Augustini Anglorum Episcopi, cuius etiam verba ad clericorum nascentis Ecclesiæ vitam regularem probandam recitat Gratianus in cap. Quia tua fraternitas 12. quæst. 1. nam tota illa quæstio in hac nostra assertionem probanda principaliter versatur: Quia, inquit, *tua fraternitas monasterij regulis erudita seorsum non debet fieri à clericis suis, in Ecclesia Anglorum, quæ autore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituerè conuersationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex ijs, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* Ostendemus verò inferius, Augustinum in Ecclesia Anglicana, Clericos Regulares communem vitam in monasterijs tenentes instituisse, qui in eadem Ecclesia vsque ad annum 960. perseverauerunt, quo tempore cum à regulari disciplina multum essent relaxati, suadentibus Episcopis Cantuariensi, Vigornensi, & Wintoniensi in quibusdam Ecclesijs submoxi sunt, & loco illorum positi Monachi Benedictinenses.

V. Septimus est B. Petrus Damiani in epistola ad Canonicos Fanenses, vbi vt illos ad communem vitam clericorum primitiæ Ecclesiæ reduceret, inter alia multa hæc literis mandauit: *Planè quo pacto quis valeat dici Canonicus, nisi sit Regularis, quomodo Monachus, nisi iuxta vim nominis sui sit etiam singularis? Volunt siquidem Canonicum, hoc est regulare nomen habere: sed non regulariter viuere ambunt cõmunia Ecclesiæ bona diuidere. aspernantur autè apud Ecclesiã communiter habere. Enim verò non est hæc primitiæ Ecclesiæ forma: satis exorbitat ab institutionis Apostolicæ disciplina, quibus nimirum erat cor vnũ, & anima vna, & vendebant agros, &c.* Videatur tota illa epistola, quæ est

in quinto lib. epistolarum auctoris nona in ordine, quæque tota hic transcribenda esset: quoniam in hoc argumento tota versatur, vbi cum multa ex Euangelio, & ex Actis Apostolicis recitet; sic tandem concludit. *Cur itaque hæc in Ecclesia legimus, nisi hæc ipsa, quæ leguntur, operibus impleamus? præsertim ij qui per succedentiũ vicissitudines temporum, eorum (scilicet Apostolorum & sacerdotum primitiua Ecclesia) funguntur officio, eorum procul dubio necesse est conuersentur exemplo.* Vide hic, ex sententia Petri Damiani vsque ad illius tempora nomen Canonici ad solos Regulares clericos extentum.

VI. **O**ctauus est D. Thomas, qui non solum in 2. 2. q. 88. art. 4. ad tertium expressè docet, Apostolos substantialia Religionis vouisse, sed in 4. d. 38. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ad tertium dicit, quod antequam essent istæ regulæ, quæ modò sunt, erat aliquis modus ab Ecclesia approbatus, quo aliqui ad ea, quæ supererogationis sunt, se obligabât: & tunc certi temporis obligatio ad alium modum viuendi idem faciebat, quod nunc obligatio ad certam regulam: & in officio D. Augustini per Piũ V. probato inquit, quod B. Augustinus instituit suos clericos viuere secundum regulã sub sanctis Apostolis constitutam.

Nonus, Petrus Paludanus ibidem scilicet in 4. d. 38. vbi verba D. Thomæ transcribens, illius sententiam confirmat ex duobus capitulis à Gratiano relatis, scilicet ex cap. Dilectissimis, & cap. Scimus 12. q. 1. illi autem Canones loquuntur de clericis primitiua Ecclesiæ.

Decimus, Dominicus Soto lib. 7. de Iustitia, & iure q. 2. art. 5. vbi deducit, Religionem à temporibus Apostolorum cœpisse, quod confirmat auctoritate D. Thomæ; & clariùs lib. 10. q. 4. art. 3. in 2. notando, vbi ita ad litteram. *Secundò & id quoque meminisse opus est, quod nascentis clericorum Ecclesiæ cœpit in communi viuere, in quo vitæ instituto nonnihil temporis adoleuit; ille enim erat decentissimus illorum status; si pendararo posses; ut patet ex Canone Clementis, Dilectissimis. & Canone Urbani citato, Videntes. & Canone Scimus. & multis alijs 12. q. 1. nam cum paucitas sume existores clericorum, & Ecclesiarum, poterant sic commode viuere. Immo & in multis Ecclesiis Cathedralibus etiam nunc specimen aliquod eiusdem vitæ communis retinetur.* Et licet hic auctor non meminerit votorum: tamen cum producat canones, Dilectissimis, & Scimus, & alios 12. q. 1. & illi expressè loquantur de clericis vouentibus, consequens est, vt in eodem sensu loquatur.

VII. **V**ndecimus est, Riccardus Cenomanus Theologus Parisiensis in Antidoto ad censuram. Erasmi in Regulam Augustini, vbi testimonijs Doctorum probat, Beatos Apostolos vota emisisse; & B. Augustinam suos clericos ad normam regulæ ab Apostolis traditæ, & vitæ clericorum Apostolicorum primæ Ecclesiæ instituerè voluisse, quæ Antidotus reperitur in primo tomo operum D. Augu-

stini editionis Parisiensis anni 1541. ad finem.

Duodecimus est, Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 5. S. 6. probatur, vbi hæc ad litteram. *Sextò probatur ex Apostolorum exemplo, qui verè primi fuerunt monachi Christiani: nam quod vitam Canonicam instituerint, vbi essent omnia communia, patet ex Actis Apostolorum, vbi Ananias cū fraudasset de presio agri, & decipere voluisset Apostolos, audiuit à Sancto Petro: nonne manens tibi manebas, & venandum sub tua erat potestate? quod etiam voto ad eam perfectionem se obligauerint Apostoli, docet Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 4. Hos vosum, inquit, potentissimi vouerant. Quod denique ab Apostolorum exemplo cœperint Religiones, testantur plurimi Patres, ut Eusebius lib. 2. Historia cap. 16. Hieronymus de Viris illustribus in Philone, Augustinus serm. 2. de communi vita Clericorum, Possidius in vita Augustini, Isidorus lib. 2. Officiorũ cap. 15. Denique Cassianus collat. 18. cap. 5. itaque, inquit, Canonicarum disciplina à tempore predicationis Apostolica sumpsit exordium.* Vbi vides, illum sub nomine Monachorum comprehendere clericos regulariter viuentes, & sentire, illos fuisse in primitiua Ecclesia regulariter institutos, cum dicat, ipsos Apostolos, qui veri clerici, & clericorum parentes, & institutores fuerunt, Monachos fuisse, qui modus loquendi familiaris est huic Doctori, vt patet eodem capite paulò inferius, vbi vocat Augustinum Monachum, & numerat inter Monachos: quæ tamen in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in censura Sermonum ad Eremitas dicit eatenus dici Monachum, quia cum suis clericis in ciuitate, & domo Episcopali Monasticam vitam duxit, & in eodem libro vocat Hugonem, & Riccardum de Sancto Victore Monachos Ordinis Canonorum Regularium, & semel apud hunc autorem omnes clerici regulariter viuentes dicuntur Monachi. Ex quo Doctore habes, vnde non solum multos priscos auctores rectè interpreteris: verum etiam illorum testimonio hanc propositionem confirmes, dum aiunt vitam Monasticam ab exordio nascentis Ecclesiæ institutam ab ipsismet Apostolis; & illorum discipulis, ex quibus sunt Dionysius cap. 6. de Ecclesiastica Hierarchia, vbi etiam ritus, & modos ipsos Monachos initiandi describit, Cassianus in libris de Institutis Renuntiantium. D. Gregorius lib. 1. Registri epist. 33. ad Venantium, & D. Bernardus in epistola siue Apologia ad Gulielmum Abbatem Cluniacensem: accipiunt enim vitam siue institutionem Monasticam pro institutione Regulari genericè sumpta, quatenus comprehendit non solum eos, quos modò dicimus monachos, verum etiam clericos Regulariter, & communiter viuentes, qui Christianorum nascentis Ecclesiæ portio præcipua fuerunt.

VIII. **D**ecimus tertius est Gulielmus Durandus in lib. qui vocatur Rationale diuinorum officiorum lib. 6. in rubrica de Septem diebus post Pascha, vbi illos reprehendit, qui post octauas Paschæ vsque ad Pentecosten tres tantum Psalmos cum tribus lectio-

lectionibus in Matutino fecitare volunt : idq; multiplici ex causa, quarum tertia est, quia inter Canonicos Regulares, & eos, qui usurpato nomine dicuntur seculares, nulla quoad hoc debet esse differentia: nam ipsi clerici ab initio ferè omnes Regulares erant, vt patet ex cap. Quia, & cap. Scimus, & alijs 12. q. 1. & certum est, quod Canonici Regulares dicunt plures, quàm tres psalmos, & lectiones, & multa alia in eodem Rationali ad idem scribit.

Decimus quartus est autor glossæ in cap. Licet, de officio Ordinarij. vbi dicit, quòd Clerici in quantum participant cum Religiosis regularibus, sunt clerici, & in quantum habent proprium, & conueniunt cum laicis, dicuntur seculares.

Decimus quintus est Præpositus in cap. primo, 44. d. nu. 4. vbi ad longum probat hanc assertionem, quòd clerici primitiue Ecclesiæ primò tenebant communem vitam, & postea paulatim cœperunt relaxari, & proprium habere.

Decimus sextus Abbas in cap. Licet. de officio Ordinarij. vbi similiter post Glossam dicit, clericos eatenus dici clericos, quatenus participant vitam Religiosam; & quatenus habent proprium dici seculares: sed clariùs in cap. Episcopus de Præbendis. vbi proposita quæstione, An clericus habens patrimonium, & beneficium possit licitè viuere de redditibus beneficij, & conseruare patrimonium parentibus, allegatis iuribus pro parte affirmatiua, & negatiua, quæstionem resoluit, dicens: iura pro parte negatiua procedere de clericis antiquis, quãdo nondum introductæ erant præbendæ: nam clerici primitiue Ecclesiæ omnes communem vitam ducebant. Verùm deferuescente charitate, cum occultè inciperent proprium tenere, ad vitandam hypocrisim concessum est illis, vt possent vti redditibus beneficiorum. & sic modò clericus licitè tenet fructus beneficiorum, etiamsi habeat patrimonium. & in cap. Deus qui. de vita, & honestate Clericorum dicit, quod clerici seculares sunt clerici relati à primæuo instituto nascentis Ecclesiæ.

IX. **P**er hæc sufficienter probauimus, non solum sanctissimos Apostolos, verùm etiam omnes sacerdotes, & clericos primitiue Ecclesiæ ab illis institutos, regulares extitisse, cum vera trium votorum emissionem, & professione, & id quidem ratione illa generali confirmari potest, quia clerici primitiue Ecclesiæ, præsertim quos Sanctissimi Apostoli instituerunt, in eminentiori, ac nobiliori gradu Christianam perfectionem participabant, quam clerici posteriores, præsertim horum temporum, cum essent propinquiore ipsi primo principio, ex quo deriuat omnis pulchritudo Christianæ perfectionis, scilicet Christo, & illius Apostolis: Verùm vt iam diximus, vita regularis, quæ consistit in emissionem, & obseruantiam trium votorum, longè perfectior est, quàm vita secularis, nam vitæ secularis perfectio in obseruatione mandatorum posita est, iuxta illud Euangelicum: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Cæterum perfectio vitæ regularis ultra

mandata perstringit obseruantiam trium consiliorum Euangelicorum, ad quam ipsi regulares solemniter voto sese obstringunt, quis igitur neget, clericos primitiue Ecclesiæ regulares extitisse? Verùm præter rationes generales, & vniuersales, probanda est nunc eadem assertio ratione particulari, & inductione facta per singulos clericos singularum Ecclesiarum. Et primò incipiendo ab ipsa Ecclesia Ierosolimitana, quæ ordine temporis ante omnes alias Ecclesias est fundata, sanè illius Ecclesiæ clericos per Sanctissimos Apostolos institutos, & cum D. Iacobo Domini fratre, ac Ierosolimorum Episcopo degentes, vitam regularem cum votorum emissionem vouisse testatur D. Clemens Romanus Petri Apostoli successor, & discipulus in epist. 5. ad Iacobum fratrem Domini, & clericos cum illo Ierosolimis degentes, cuius partem Gratianus suo decreto inseruit in cap. Dilectissimis. 12. q. 1. ibi enim ait: *Communis vita, fratres, omnibus necessaria est, & maxime ijs, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumq; discipulorum imitari volunt.* Et ne quis dicat, illos non ex voto, sed ex libertate communem vitam coluisse, inferiùs subdit: *Vnde consilium dantes, vestram prudentiam hortamur, vt ab Apostolicis regulis non recedatis: sed communem vitam ducentes, & Scripturas sacras rectè intelligentes, quæ Domino vouistis, adimplere satagatis.*


Similiter loquendo de Ecclesia Alexandrina, res est extra omnem dubitationem posita, illius Ecclesiæ clericos per B. Marcum Petri discipulum ibidem institutos regularem vitam duxisse; id enim testantur non solum Philo Iudæus, verùm etiam Eusebius Cæsariensis loco citato ex lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. & 17. & D. Hieronymus de Viris illustribus in Philone, & post illos Cassianus in libris de Institutis Renunciantium. Nec dici potest, prædictos autores de Monachis per Marcum institutos, non de clericis loquutos: frigidum enim esse hoc commentum, ostendunt illorum verba: nam Eusebius expressè dicit, Philonem descripsisse illud vitæ institutum, quod seruabatur non solum in Monasterijs, sed etiam in Ecclesijs, quod idem prorsus est, ac si dixisset, illum descripsisse institutum vitæ tum Monasticæ, tum etiam clericalis. Hieronymus verò dicit, Philonem descripsisse institutum primitiue Ecclesiæ: Porro primitiue Ecclesiæ pars nobilior erant clerici. Cassianus quoque lib. 1. cap. 5. & 7. describit habitum clericorum regularium nempe vestem lineam cum maforte, quod modò vocamus almutiam: sed quod omnem ambiguitatem eliminat, Eugenius IV. in Bulla, superiori capite allegata expressè dicit, Religiosos per B. Marcum in Ecclesia Alexandrina institutos fuisse clericos, qui nunc vocantur Canonici Regulares. *Huius, inquit, profecto sacri Ordinis, & sancti propofiti post Sanctos Apostolos primùm in Alexandria Ecclesia Marcus Petri discipulus fuit institutor & conditor.* Libet verò ad pleniorum huius veritatis elucidationem Nicephori Calisti auto-

ritatem ex libro 2. Ecclesiasticae historiae cap. 38. acceptam hic adiungere, vbi post longam narrationem de Monachis per varias Aegypti plagas degentibus, maximè apud Nitriam, & ciuitatem Rinocuraram (hæc ex Ptolemæo in ea Aegypti plaga sita est, quæ Cassiotidis nuncupatur) tandem concludit, illud maximè memoria commendandum, in ea Ecclesia Rinocuræ fuisse, quod clerici ibi domicilium, mensam, vnum institutum, & dietam vnâ, & alia adeo omnia habebant communia.

De Ecclesia verò Romana hoc minimè in dubiis reuocari potest, cum idem Clemens Petri discipulus, & successor in epistola proximè allegata scribat, communem vitam omnibus Christianis necessariam fuisse, ijs præsertim, qui Sanctorum Apostolorum imitatores esse voluissent, & Urbanus dicat, illud institutum vitæ communis inter clericos Romanæ Ecclesiæ vsque ad sua tempora retentum, & vterque meminerit votorum. Accedit, quod credendum non est, B. Marcum alijs institutis Ecclesiam Alexandrinam plantauisse, quam quæ Romæ in B. Petro, & alijs Apostolis viderat, ac didicerat, vt Leo Primus in epist. 79. ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum scribit, & habetur in cap. cum Beatissimus 24. q. 1. quare cum ille Alexandria clericos regulariter viuentes instituere, quis sanæ mentis crediderit Romanos clericos alienis institutis, quàm regularibus vixisse?

Caput sextum.

Nonnulla Corollaria ex antecedentibus deducta.

I.  haecenus dictis quatuor veritates inferuntur, quarum prima est, minus rectè scripsisse illos auctores, qui dixerunt, clericos primitiuae Ecclesiæ aut vitam communem non duxisse, aut saltem ad illud vitæ genus aliquo voto seipsum non obstrinxisse, de quorum numero fuit Azorius tom. 1. Institutionum moralium lib. 12. c. 22. q. 2. nam Apostoli, & clerici ab illis instituti non solum illud vitæ communis institutum tenebant, sed ad illud cum trium votorum emissionem seipsum obstrangebant, & sanè quod vouerent vitam communem, expressè dicunt Clemens Primus, & Urbanus Primus in dictis cap. Dilectissimis, & cap. Scimus 12. q. 1. Augustinus serm. 2. de communi vitæ Clericorum, & lib. 17. de Ciuit. cap. 4. & alij Doctores in præcedentibus allegati, quibus addendi sunt Archidiaconus in cap. Qui verè 16. q. 1. & Ioan. de Turrecremata 17. q. 1. in Summa Augustinus de Ancona de Potestate Ecclesiæ q. 84. art. 3. & q. 91. art. 3. Quod etiam emitterent votum obedientiæ, deducit idem Augustinus de Ancona: quoniã qui simul in eadem domo plures viuunt, nihil proprium, sed omnia communia habentes, vnum caput habe-

re debent, cui obediant, à quo regantur, & à quo victui, & vestitui necessaria iuxta cuiusque indigentias distribuuntur, aliàs vix imaginari, aut etiam fingi poterit aliquis status vitæ communis absque obedientia, qui non innumeris perturbationibus abundet, & cum nunc etiam ipsi clerici in illorum ordinatione suis Ordinarijs obedientiam promittant, multò magis probabile est, primos illos clericos seipsum per votum obedientiæ adstringere voluisse. De voto autem continentiae minor esse potest dubitatio: nam coelibatus Episcoporum, & sacerdotum ex institutione Apostolorum vsque in hanc diem inuolutus in Ecclesia Catholica seruatur. Diuus etiam Augustinus, qui suos clericos ad exemplar clericorum Apostolicorum reformauit, expressè dicit, illos non solum vitam communem, sed etiam continentiam vouisse serm. 2. de communi vitæ Clericorum. *Clericus, inquit, duas res professus est, sanctitatem, & clericatum.* Per sanctitatem verò omnes continentiam siue castitatem intelligunt, quæ nomine sanctitatis exprimitur in diuina Scriptura, ita enim ait Apostolus 1. ad Corinth. 7. dum ad continentiam nos hortatur. *Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu.* Et David 1. Reg. cap. 21. *Et quidem si de mulieribus agitur, continentiamus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur: & fuerunt vasa puerorum sancta.* &c. D. Thomas communiter receptus in 2. 2. q. 88. art. 7. expressè dicit, quod solemnitas votorum attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertinet, id est secundum aliquam spirituales benedictionem, vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ, secundo gradu post sacri Ordinis susceptionem, vt dicit Dionysius 2. cap. Ecclesiasticae Hierarchiæ. Ipse quoque Dionysius cap. 6. eiusdem libri tradit ritus, & modum solemnem professionis, & tandem omnes Catholici contra Hæreticos horum temporum affirmant, emissionem trium votorum ex Apostolorum institutione profectam, & retentam in Ecclesia: & tempore Apostolorum fuisse, quæ tria vota Religiosorum profiterentur. Quod si verum est, neque à viro Catholico negari potest, non etiam negari posse videtur, inter illos, qui eiusmodi vota profitebantur, primos fuisse ipsos clericos: puto enim omnes intelligere, ipsos sacerdotes, & clericos maius debitum habuisse ponendi seipsum in statu perfectionis, quàm laicos: qui enim hoc non intelligunt, indigni sunt, cum quibus de hac re pluribus agamus: indicant enim, se ignorare, quæ ad statum perfectionis requirantur, & quæ personæ ad illum præ cæteris teneantur.

Secundò inferitur, falsum esse, quod nonnulli II. scribunt, inter quos Pamelius in Annotationibus ad epistolam 66. Diui Cypriani, in primitiua Ecclesia fuisse duos ordines, siue duas classes clericorum, alteram eorum, qui vitam communem tenebant: alteram illorum, qui priuatam vitam aucentes propria possidebant: nam si per clericos

primitiæ Ecclesiæ intelligant illos, qui fuerunt saltem ante annum 220. & circa illud tempus, falsum omnino affirmant, cum prædicti canones Clementis Primi, & Urbani Primi conceptis verbis dicant, omnes clericos illorum temporum communem vitam sine proprio duxisse; & meminerint votorum, & hortentur ipsos clericos ad implendum ipsum votum vitæ communis, vt legenti patebit. Addo Eusebium Cæsariensem, qui fuit circa annū Domini 330. loco superius allegato dicere, institutum vitæ communis durauisse in omnibus Monasterijs, & Ecclesijs vsque ad sua tempora. Addo Hieronymum, qui obiit circa annum 420. in epist. ad Nepotianum scribere, Dominum non esse partem illius clerici, qui extra Dominum aliquid bonorum temporalium habere voluerit, verbi gratia aurum, argentum, possessiones agrorum, variam supellestem: quæ vide in cap. clericus 12. q. 1. Addo D. Augustinum, qui obiit anno 431. magnopere dubitasse, an liceret ordinare clericos, qui nollent vitam communem profiteri: & decreuisse non ordinare, quamuis postea ad Hypocrisim vitandam decretum abrogauerit, quod vide in cap. Certè. eadem causa, & quæstione: at non dubitasset, an liceret clericos proprietarios ordinare, si ab initio nascentis Ecclesiæ Sanctissimi Apostoli, & illorum discipuli duas classes clericorum instituisent, quorum aliqui propria possiderent.

III. **T**ertio infertur, minus verè dixisse eundem Azorium, clericos regulares ex secularibus ortos per restrictionem, scilicet, quia cum antiqui Canonici solis constitutionibus Apostolicis sine votorum emissionem vitam instituerent, post Concilium Moguntinum, & Aquisgrani Canonici quidam non solum vitam communem debebant: sed tria vota religiosorum monachorum ritu, & more emittere cœperunt: & tunc eiusmodi Canonici vocati sunt Canonici regulares: Canonici quidem, quia Apostolorum canonem, & regulam tenebant, in commune sua bona conferendo: Regulares verò, quia instar Monachorum tria vota emittebant, & se Deo arctius obligabant, quam cæteri Canonici, & proinde Canonici duplices esse cœperunt: nã alij dicebantur Canonici regulares: alij seculares. Seculares, quia licet Apostolorum regulam tenebant, nihil proprium habentes, nullo tamen Religiosorum instituto adstricti tribus Monachorum votis soluti, ac liberi erant, ac proinde seculares dicebantur. Quo modo dicendi, illius pace, multipliciter errat. Primò dum inquit, antiquos Canonicos ab Apostolis institutos siue Apostolorum Canonem, & Regulam tenentes, vitam communem tenuisse sine votorum emissionem, indicatq; se canones Clementis, & Urbani Primi, & alios supra citatos minimè vidisse: sed de suo hæc scripsisse. Secundò cum ait Canonicos nonnullos post Concilium Aquisgrani, & Moguntinum vitæ communi tria vota Monachorum adiungere cœpisse: & tunc factam distinctionem Canonicorum regularium, & secularium: nam certum est, Canonicos siue clericos non solum an-


te prædicta Concilia, verum ab initio nascentis Ecclesiæ tria vota emittere consueuisse: certum est etiam, clericos Hipponenses à D. Augustino reformatos eiusmodi vota emisisse, & vt ingenuè fatear, miror, hunc autorem priusquam hæc scriberet, materiam diligenter non vidisse vel apud D. Augustinum, vel apud Theologos, vel apud Canonistas, vel saltem non legisse Antidorum Riccardi Cenomani contra censuram Erasmi, quam ipse si non verbis, saltem re apertissimè contra traditionem Ecclesiæ probat. Tertio cum ait, Canonicos seculares dictos fuisse clericos illos antiquos Apostolicos, qui Canonem Apostolorum seruantes sine votorum monasticorum emissionem vitam communem tenebant, cum è contrario illi vel absolutè clerici, vel clerici regulares, vel absolutè Canonici dicerentur: Canonici verò seculares tunc vocari cœperint, quando vitæ communis institutum abiecerunt, & propria habere voluerunt, vt notat Glossa in cap. Licet. de officio Ordinarij, & ibi Abbas, & idem Abbas in cap. Deus qui. de vita, & honestate Clericorum, & in cap. Episcopus. de Præbendis, & Speculator in Rationali diuinorum officiorum. unde consequens est, Canonicos seculares ex regularibus exortos per relaxationem: non autem regulares ex secularibus per additionem votorum Monasticorum, sicut etiam Præpositus, & Soro cap. præcedenti allegati, & alij passim notauerunt. Quare consultius fecisset hic autor, si ab istis quæstionibus abstinuisset: quantum enim conijcio, multa de Regularibus scribit, in quibus non erat versatus, vt de omnibus diceret, & nihil intactum præteriret.

Quartò deducitur, falsum esse quod tomo 3. IV. sub anno 328. nu. 21. & duobus seqq. insinuat Baronius, primos, qui vota Monachorum in Ecclesias inuexerunt, & clericis adiunxerunt, fuisse in Oriente magnum Athanasium, & in Occidente D. Eusebium Episcopum Vercellensem: nam si de prima trium votorum emissionem per clericos facta loquatur, falsum omnino dicit: cum apertè scribant præfati Pontifices Clemens, & Urbanus Primi, clericos Apostolicos vota emisisse, & D. Hieronymus de Viris Illustribus in Philone scribat, primitiuam Ecclesiam illud vitæ institutum coluisse, quod tunc Monachi tenebant, & Eusebius Cæsariensis scribat, illud institutum primitiæ Ecclesiæ retentum vsque ad sua tempora in omnibus Ecclesijs, & Monasterijs, vbi vides, idem fuisse institutum Clericorum, & Monachorum primitiæ Ecclesiæ. Quare vt aliquo modo concedamus, verum esse, quod Baronius scribit, dicendum est, B. Athanasium, & B. Eusebium primos fuisse, quæ clericis instituta monachorum adiunxerunt, non per nouam institutionem, sed per reformationem: vel quia præter tria vota aliquas rigiditates, & obseruantias ex ordine monachorum acceptas ipsis clericis addiderunt, & tandem hoc certum, non clericos regulares ex monachis ortos, sed è contrario monachos ex ipsis clericis regularibus: nam primò

primò omnes clerici regulariter viuentes instituti sunt, & communem vitam ducentes: secundò, multi etiam ex laicis primitiua Ecclesie communem vitam ducebant; vt patet ex Actis Apostolorum: tertio, cum calor diuini Spiritus in fidelibus laicis deferuisset, aliqui tamen illud vitæ institutum retinere voluerunt, & ad illud solemni voto se obstrinxerunt: & isti vocati sunt Monachi, qui medium gradum tenebant inter clericos, & laicos, ex Dionysio cap. 6. de Ecclesiastica Hierarchia, & isti sub regimine clericorum manebant, quippe qui non nisi à tempore Siricij Papæ coeperunt ad ordines admitti ex dispensatione. Immo non desunt, qui in dubium reuocent, an in primitiua Ecclesia ipsi Monachi tria vota profiterentur, & Glossa in cap. de Viduis. in verbo Proprijs. 27. q. 1. & Ioannes Andree in cap. finali de conditionibus appositis dicunt, quod olim Monachi non præstabant obedientiam alicui, & alia Glossa in l. Si quis presbyter. in verbo Monachus. C. de Episcopis, & Clericis, dicit, quod Monachi propria possidebant, & hoc est certum, quòd illi more laicorum decimas soluebant, vt notat Glossa in cap. Ex parte tit. il. in verbo Laborum. de Decimis.

Caput septimum.

An Clerici Canonici ante Diuum Augustinum aliquam certam, & determinatam regulam haberent.

I.  Vm duo sint ad Regularem ordinem instituendum necessaria, nimirum professio Regulæ, ac certus, & determinatus habitus. cap. Porrectu. de Regularibus, notatq; D. Thomas communiter à Doctoribus receptus in 2. 2. q. 184. art. 6. hinc duplex dubium circa ea, quæ de Canonici Ordinis institutione tradidimus, statim exoritur, alterum an clerici Canonici, qui B. Augustinum præcesserunt, aliquam certam Regulam haberent: alterum an haberent aliquem habitum certum, & determinatum. primum dubium in hoc capite, secundum in sequenti expendemus, & resoluemus. Rursus aduertendum, primum dubium non vnum, sed plures etiam articulos continere, primus enim esse potest, an haberent aliquam certam Regulam: secundus quænam illa esset: tertius an illam Regulam expressè, & sub aliqua determinata verborum forma profiterentur. Circa primum articulum à parte negatiua est apprensus argumentu: quia si affirmemus, illos certam regulam habuisse, vix ac ne vix quidem assignari posse videtur, quænam illa fuerit: non enim sufficit respondere, illam fuisse regulam Apostolicam in Actis Apostolicis descriptam: nam regula illa generalis est, quam non solum clerici Canonici, verum etiam Monachi,

& in vniuersum omnes Regularium ordines profiterentur: hoc enim est, quod inquit Glossa in quartu caput Actuum Apostolicorum, in illo primæuo instituto. Christianorum omnes Regularium ordines veluti in sinu materno contentos fuisse. Quare vt ordo Canonicus à Monastico, & ab alijs ordinibus esset specie distinctus, opus erat altera Regula, cum ordinum distinctio non solum sumatur ex professione trium votorum, in qua omnes ordines conueniunt, sed ex distinctis regulis, secundum quas distincti ordines diuersimodè professionem emittunt. Et augetur difficultas, quia sicut clerici ante Augustinum profitebantur Regulam Apostolicam, ita etiam & Monachi: vnde sicut Canonici Regulares prætendunt huiusmodi Regulam illis traditam, ita & Monachi: & sicut Canonici prætendunt, illorū ordinem fuisse primum ordinem institutum in Ecclesia, ita etiam & Monachi: & non desunt graues autores, qui affirmant primum ordinem institutum in Ecclesia, fuisse ordinem Monasticum, inter quos est D. Bernardus in Apologia ad Gulielmum Abbatem Cluniacensem.

Nec videretur sufficere, si dicamus, quod D. Thomas in 4. d. 38. respondet, quòd antequam essent istæ regulæ, quæ modò sunt, erat aliquis modus viuendi ab Ecclesia approbatus, quo aliqui ad ea, quæ supererogationis sunt, se obligabant: & tunc certi temporis obligatio ad illum modum viuendi idem faciebat, quòd nunc obligatio ad certam regulam: quia D. Thomas loquitur ibi non de regula, sed de modo profitendi: immo solemnis illa forma seu modus profitendi certam aliquam determinatam regulam postulabat.

Nihilominus absolutè dicendum est, illos clericos aliquam certam Regulam habuisse, secundum quam profitebantur: nam Regularis à Regula dicitur vnde vel non erant illi clerici Regulares, vel aliquam Regulam habebant: & quoniam solutio huius dubij ex resolutione secundi articuli pendet.

AD secundum articulum deueniendo, resolutè II. **A**dico, Regulam secundū quam clerici primitiua Ecclesie profitebantur, erat ipsa regula in Actis Apostolicis descripta: ita enim habemus ex Diuo Augustino in sermonibus de communi vita Clericorum, in quibus fatetur, suos clericos instituisse secundum modum, & regulam sub Sanctis Apostolis constitutam. Immo verò ipsa Regula D. Augustini nihil aliud est, nisi explicatio Regulæ Apostolicæ, vt vel prima verba eiusdem Regulæ satis euidenter indicant. Possidius quoque in vita D. Augustini inquit, illum monasterium intra Ecclesiam instituisse, & coepisse viuere secundum modum, & regulam sub Sanctis Apostolis constitutam, quòd etiam habetur in dicto officio per Ecclesiam probato, vt superius dictum fuit.

Ad illud verò quod in contrarium obijcitur, Respondeo, distinctionem ordinum non ex sola Regula, sub qua professio emittitur, sed ex alijs etiam circumstantijs desumi, & præsertim ex diuersis finibus, ad quos ipsi ordines Regulares sunt instituti,

& ex

& ex diuersis constitutionibus ipsi Regulæ superadditis: nam in Ecclesia multi sunt ordines sub B. Augustini Regula militantes, qui nihilominus vel ob distinctos fines, ad quos fuerunt ordinati, vel ob distinctas constitutiones superadditas, pro distinctis sunt habitus, & nunc habentur, vt Ordo Clericorum, Prædicatorum, Seruorum, & Eremitarum, ac etiam militum Rhodiorum, Sæcti Iacobi de Sparta, & aliorum, & ita in proposito nostro ante regulas, quæ modò sunt in Ecclesia, tam clerici, quam monachi regulam Apostolicam profitebantur: nec tamen erant vnus Ordo, sed pro distinctis habebantur. Distinguebantur enim primò ratione finium, ad quos quilibet Ordo fuerat ordinatus. nam finis Ordinis Monastici est vita contemplatiua: cæterum finis Ordinis Clericalis est tum cõtemplatiua, tum actiua, vt dicit D. Thomas 2.2. quæst. 189. art. 8. ad 2. Rursus monachi pascuntur, & propria, & aliena peccata plangunt. cap. Alia 16. quæst. 1. clerici verò pascunt oues Christi prædicando, docendo, sacramenta ministrando, & curam animarum exercendo, ibidem. distinguebantur quin etiam monachi à clericis per varias constitutiones ipsi Regulæ Apostolicæ superadditas, vel ab Episcopis, sub quorum custodia, & cura debebant, vel à Concilijs, vel à Summis Pontificibus, vel ab ipsis monachis, ac illorum Abbatibus, vt videri potest apud Cassianum, & in vitis Sanctorum Patrum, ac etiam in antiquis Concilijs, in quibus multa fuerunt ordinata ad vitam clericorum, & monachorum informandam, quæ statuta non solum ante D. Augustinum, verum etiam post illum Regulæ sunt nuncupata, vt patet in vita Innocentij I. de quo in Pontificali Romano, & apud Anastasium, & alios legitur, quod fecit statutum de Regulis monasteriorum, vel vt alij dicunt, fecit Regulas pro monachis.

III. **P**orro quod spectat ad tertium articulum, a dicti clerici secundum aliquam determinatam formam profiterentur expresse, recens quidam autor nomine Iosephus Mozzagrugnus, qui nuper ad manus meas peruenit, in primo libro de rebus gestis Canonorum Regularium pag. 26. scribit: *Nusquam legimus Apostolos, vel clericos primitiue Ecclesie ad Augustinum usque expresse professos fuisse. sed nec vllibi Augustinum, & clericos eius.* Cuius assertionis fundamentum est, quia, inquit, Augustinus nusquam præfert aliquam formam professionis subiungit: *Ausim affirmare huiusmodi propositum fuisse sub tacita professione, quæ in clericis tunc anne-
debatur promotioni clericatus, absque alia professione verborum, sicut modò paupertas, & castitas con-
nectantur sub obedientia, quamuis non exprimantur: & sicut continentia in assumptione Ordinis, vt notat Ioannes Andrea in cap. Legebatur. de Majoritate, & obedientia.*

Verum licet sola professio tacita sufficere potuisset ad hoc, vt Regulares verè, & propriè dici possent: Censeo nihilominus, illos non solum tacitam, verum etiam expressam votorum, & regulæ Apostolicæ professionem tum ante D. Augustinum,


tum etiam tempore illius, ac post illum emisisse, primò quia ita expresse dicit D. Thom. in 4. d. 38. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ad tertium, dum inquit, quod antequam essent istæ Regulæ, quæ nunc sunt, erat aliquis modus viuendi approbatus ab Ecclesia, quo aliqui ad ea, quæ supererogationis sunt, se obligabant, & tunc certi temporis obligatio ad illum modum idem faciebat, quod nunc obligatio ad certam regulam. agebat enim ibi D. Thomas de solemnitate voti, quod emittitur per professionem certæ regulæ, vt patet ex argumento, cui responderet, & ex tota quæstione. votum autem solenne non tacitam, sed expressam professionem requirit, & clarius in 2.2. quæst. 88. art. 7. in corpore, vbi dicit, solemnitate voti attendi secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertinet, id est secundum aliquam spiritualem benedictionem, vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ, vt dicit Dionysius 2. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & quod votum solenne in primitiua Ecclesia requireret expressam professionem, habemus ex D. Dionysio in 6. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vbi ille, qui votum solenne emittit, etiam expressam professionem facit, expresse renuntiando omnibus diuisibilibus, id est diuitijs istius seculi. Vide illud caput in 3. part. Adde, cum dicat Augustinus, suos clericos fuisse professos sanctitatem, & professos fuisse clericatum & toties repetat nomen professionis, illudque inculcet, ac exaggeret, probabile admodum esse, illos non per solam Ordinis susceptionem profiteri solitos, sed etiam expresse promittendo vitam communem, & continentiam, & obedientiam. Quod confirmatur, nam professio tacita continentiæ non emittitur per susceptionem cuiuscunq; Ordinis, sed solum per susceptionem Ordinis sacri: verum in monasterio Diui Augustini, tam in horto Valerij, quam in domo Episcopi erant clerici professi, qui non erant in sacris constituti, & de primo monasterio id patet. secundò verò idem probatur ex sermone 2. de Communi vita Clericorum, vbi meminit Patritij nepotis sui, qui necdumerat in sacris constitutus & ex epist. 261. in qua meminit cuiusdam Antonij secum à pueritia in monasterio nutriti, sed nullis, nisi Lectoratus clericalibus insignijs ornati. Illi ergo non per solam Ordinis susceptionem profitebantur, sed expressam professionem emittebant.

Nec refert, quod B. Augustinus, aut alij ante illum aliquam determinatam formam profiterendi non tradiderint. credendum enim est, talem formam traditam, quamuis illam non teneamus. secundò dici potest, talem formam traditam à D. Dionysio loco proximè allegato. nam licet de solis monachis loqui videatur, tamen reuera loquitur de omnibus, qui per votum solenne speciali modo seipos diuino seruitio mancipabant, aut tandem dicendum, formam profiterendi fuisse determinatam in genere, quod scilicet aliquibus verbis exprimerent vota, quæ emittebant, quibus autem verbis

verbis id exprimerent in illorum arbitrio relinqui consueuisse, sicut etiam in contrahendo matrimonio determinata est à Christo forma in genere, vt consensus exprimat per aliqua verba sensibilia, vel per signa externa, quæ à contrahentibus intelligi possint: quibus autem verbis in particulari eiusmodi consensus exprimendus sit, in arbitrio contrahentium relictum fuit.

Caput octauum.

An ijdem Clerici Canonici ante Augustinum certum regularem habitum haberent.

I.  Ecundum dubium maiorem difficultatem ingerit, an ijdem Clerici Canonici ab Apostolis instituti ante D. Augustinum haberent aliquè certum, ac determinatum habitum. nam quod eiusmodi habitum habuerint, necessariò dicendum videtur, quia determinatus habitus necessariò requiritur ad determinatum regularem ordinem constituendum tanquàm signum externum professionis internæ, vt notat D. Thom. 2. 2. quæst. 18. artic. 8. è contrario verò vix possibile est imaginari, quis, & qualis fuerit huiusmodi habitus, cum ex vetustissima Ecclesiæ traditione, ac etiam ex modo pingendi Sanctos Apostolos, & clericos primitiuæ Ecclesiæ approbato constet, illos nullum certum, ac determinatum habitum tulisse, sed quisq; illum habitum induebat, quem decentem, & temporis, & loco congruentem existimabat, vel quem pietas, & charitas fidelium offerebat. Nec videtur sufficere, si quis respondeat, illorum habitum fuisse tunicam lineam, quam nunc etiam Canonici Regulares deferunt, hic enim ad summum esse poterat habitus, quem in Ecclesia, & in sacris peragendis deferrebant, sicut & nunc faciunt. Verùm de isto habitu quæstio non est, sed de habitu quotidiano, ac vsuali, quem extra Ecclesiam Regulares quique deferunt.

II. **P**ro huius itaque dubij resolutione primò aduertendum est, duplicem esse habitum Clericorum, qui Canonici Regulares nunc vocantur. alterum internum: alterum externum. Habitus internus is est, qui propriè regularis dicitur, quem in sua professione Canonicus Regularis assumit, ac gerit in signum eiusdem professionis: hic habitus est sola, & simplex linea tunica, siue superpelliceum, siue rochetum nuncupata, quam etiam camisiam romanam vocamus, vt notat Ioannes Andrea in clem. 1. de Electione, in verbo Habitus, vt colligitur euidenter ex Constitutionibus Benedicti Papæ huius nominis XII. pro reformatione Canonice Regularium editis, in cap. de forma habitus: cætera namque accidentalia sunt, hic autem solus est habitus illorum proprius, & essentialis. habitus verò externus est externum tegumentum,

quod causa maioris decentiæ, aut necessitatis, aut etiam utilitatis, habitui interno superinducimus: eiusmodi sunt pallium, cappa, seu tabardum, & alia id genus, quibus canonici vtuntur super tunica lineam, cum domo exeunt, vel itinera conficiunt. Inter hæc duo genera discrimen est, quod habitus internus nunquam dimitti, aut variari, aut occultari potest. ita vt cuius quisq; sit professionis, vel instituti non agnoscat, & contra facientes incidunt in Canonem excommunicationis latæ sententiæ per textum in cap. 2. Ne clerici, vel monachi, in 6. habitus verò externus in causa rationabili mutari, & variari potest, siue in materia, siue in forma, siue etiam in colore: cuius variationis exempla videri possunt in varijs Prouincijs, in quibus sunt Canonici Regulares, & notatur in dictis Constitutionibus Benedicti XII. in cap. de forma habitus, & vestimentorum, & etiam à Ioanne Andrea in Clement. supra citata. Habemus etiam aliud istius variationis exemplum in cap. Deus qui, de vita, & honestate clericorum, vbi Pontifex Liouienis Episcopo scribens, qui multos Regulares ex diuersis Ordinibus ad Euangelium illis gentibus prædicandum acciuerat, ac inter illos quamplures Canonicos Regulares, iubet, vt ijdem regulares interno habitu retento, quem nullatenus dimittere, vel immutare debebant, in vnum decentem habitum externum se inuicem conformare studeant. & ibidem Glossa in verbo, Professi, & Abbas versiculo, in eadem glossa, notant, quod solus habitus interior, non autem exterior est de substantia Religionis.

II. **S**ecundò sciendum est, antiquos clericos apostolicos, et si certum, ac determinatum habitum externum non haberent, siue quoad materiam, siue etiam quoad formam, & colorem, sed quisq; illo habitu vteretur, quem loco, ac temporis congruentem existimabat, vel quem fidelium pietas, & charitas offerebat, habuisse nihilominus certum, & determinatum habitum internum, qui in omnibus vnus, & idem erat. is erat linea tunica candida, superpelliceum, siue rochetum, siue cotta vulgari nuncupata. Et quod hic fuerit proprius vsualis, & essentialis habitus illorum clericorum, ex non paucis, nec dubiæ fidei autoribus, ac etiam euidentissimis coniecturis monstratur. Nam vt omitramus vestem lineam fuisse proprium habitum veterum Sacerdotum, & Leuitarum antiquæ Legis Mosaicæ in quibus nouæ Legis Euangelicæ Leuitæ, ac Sacerdotes figurabantur, vt inquit text. in cap. 2. 2. dist. notat Durandus in Rationali diuinorum officiorum lib. 2. in princip. & Albertus Trotus in tract. de perfecto clerico cap. 16. & 17. Primò eadem veritati ad stipulatur Nicolaus de Lyra in 6. c. Apocalypsis circa illa verba: *Et ecce equus albus*, vbi per equum album exponit cœtum Apostolorum, qui vestimentis albis, & lineis vtēbantur, & ideo Mahumetes vocabat illos per irrisionem homines dealbatos: *Videntur*, inquit, *alijs melius dicere, quod per equum album intelligitur cœtus Apostolorum dealbatus sanctitate vite: & quia Iacobus Ierosoli-*

nosolimitana Ecclesia Episcopus, ut dicit Hieronymus in lib. Illustrium virorum, dicitur vsus fuisse, tunc non vestibus laneis, sed lineis, & per consequens albis. & idem estimari potest probabiliter de alijs Apostolis: unde & Mahumetus vocat eos viros dealbatos.

Secundus est liber Historiæ Sancti Syluestri, in qua legitur, quod B. Euphrosinus Episcopus Pamphiliæ Romam venit veste candida, & linea indutus, quæ dicitur fuisse B. Iacobi Apostoli.

Tertius Cassianus lib. I. de Institutis Renūciantium cap. 5. vbi describens habitum Religiosorum, quos D. Marcus instituit in Alexandria, inquit: Colobijs quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus &c. & cap. 7. Post hæc angusto pallio, tam amictus humilitatem, quam humilitatem pretij; compendiumque; sectantes, colla pariter, atque humeros tegunt quod Masories tam nostro, quam ipsorum nuncupatur eloquio, atque ita planeticarum, atque birrorum pretia simul, ambitionemque; declinant. Vbi vides, illum clericorum habitum describere, quem nunc etiam in multis Ecclesijs, & monasterijs gerunt: & quanquam videatur de monachis hæc scripsisse, tamen certum est, inter Religiosos à D. Marco institutos, potiores partes obtinuisse ipsos clericos, Adde, Cassianum suum librum non de Institutis Monachorum, sed de Institutis Renūciantium adtitulasse, qui titulus omnes Regulares tam Clericos, quam Monachos complectitur: præter quod sub nomine Monachorum sæpius ijdem clerici Regulares comprehenduntur. Et quidquid sit de hoc, certum est, habitum lineum non monachorum, sed clericorum esse proprium, ex antiquissima, & vsu receptissima Ecclesiæ traditione.

Quartus est autor vitæ, & martyrij B. Cypriani Episcopi Carthaginensis Pontius nomine, qui scribit, cum illi caput amputandum esset, primò exuisse birrum, & postea Dalmaticam, & sic remansisse in veste linea: illa enim erat habitus Episcoporum, & Sacerdotum antiquorum, ut notat Baronius tom. 2. sub ann. 261. num. 4.

Quintus est Chrysostomus hom. 83. in Matth. vbi de clericis loquens ait: Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona, nõ quia tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambulatis, &c. Dices hos autores de veste sacra, vel de habitu Episcoporum loqui, non de habitu vsuali clericorum extra ministerium sacrorum. Sed contra hanc responsionem adhibeo alios testes, qui expressè aiunt vestem lineam fuisse habitum non solum Prælatorum, sed communem omnium clericorum, quem ferebant non solum in Ecclesia, dum sacra fierent, verum etiam extra Ecclesiam, vti habitum quotidianum, & vsualem, ex quibus.

I V. Sextus in ordine sit D. Hieronymus lib. I. contra Pelagianos inter mediũ & finem, vbi hæc habet: *Quæ sunt rogo inimicitie contra Deum, si tunicam habuero mundiore, si Episcopus, presbyter, diaconus, & reliquus Ordo Ecclesiasticus in*

administratione sacrificiorum cum candida veste processerint. Et ne quis statim dicat, illum de veste sacra loqui, non de vsuali, audiat illum in lib. de Institutione Clericorum, siue in epist. 2. ad Neporianum hæc scribentem, *Vestes pulas æque deuota, ut candidas, ornatus ut sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Similia de habitu Augustini scribit Possidius in eius vita cap. 22. subiungit postea Hieronymus: *Non absque amictu lineo incedere, sed pretium vestium linearum non habere, laudabile est.* Ecce tibi, tempore Beati Hieronymi vestis linea vsualis clericorum erat habitus, sine quo clericus non incedere ab ipso Diuo Hieronymo laudatur, dum nimis candidis, & pretiosis non vtantur, qui abusus per illa tempora forsã inter clericos obrepserat. Idem Hieronymus in epist. ad Fabiolam de vestibus Sacerdotum, & Clericorum: *Vestimenta sua non scindet, quia candida sunt, quia impolluta, quia Agnum sequentia, & de attonsaouis vellerebus.*

Septimus est Beatus Augustinus, qui de habitu suorum clericorum, quos ad normam Regulæ Apostolicæ reformauit, ita loquitur in sermone secundo de communi vita clericorum. *Nemo det birrum, vel lineam tunicam, vel aliquid aliud, nisi in commune:* Et ille habitus erat communis tam ipsis clericis, quam eidem Augustino, & erat habitus quotidianus, & vsualis, quem non de Sacristia accipiebant, sed de communi vestiario, ut in prima parte probatum fuit. Diuus autem Augustinus non legitur, nouum habitum clericis præscripsisse, sed illo eodem vsu, quo & cæteri clerici illorum temporum vti consueuerant.

S Ed quod hanc veritatem maximè confirmat, nulli dubium est, quin vsus, & forma veri habitus Apostolici, & Clericorum Apostolicorum seruetur in Ecclesia Romana, quæ dicitur Apostolica, & præsertim in ipso Domino Apostolico, qui Beati Petri Apostolorum Principis locum obtinet, & successiuè in Episcopis, qui gerunt vices aliorum Apostolorum, necnon in Prælati, & Clericis Apostolicis. At Sanctissimi Domini nostri Apostolici habitus est vestis linea, cum tunica alba, & birro, qui habitus adeo illius est proprius, ut licet monachi ad ordinem Episcopalem assumpti proprium habitum retineant, nec vestem lineam assumant, tamen cum ad apicem summi gradus Apostolici promouentur, illico vestem lineam accipiant. Similiter qui Episcopi ordinantur, in sua creatione vestem lineam accipiunt, nisi sint monachi, quos priorem habitum tenere oportet in signum monasticæ professionis, quam emiserunt. Idem in Clericis Cameræ Apostolicæ, Protonotarijs, & cæteris Prælati Romanæ Curie seruetur, qui omnes in sua creatione vestem lineam accipiunt, & illa non solum cum diuinis interfunt, sed in omnibus actibus publicis vtuntur.

Atque hinc argumentum euidentissimum deducitur

Y

citur

citur, hanc vestem clericorum Apostolicorum habitum extitisse, ab ipsismet Apostolis designatum. quod enim tenet Ecclesia Romana, quæ vniuersalis est, & Apostolica, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolica traditum, rectissime creditur. Cæterum vsus vestis lineæ in Ecclesia Romana apud clericos Apostolicos, quin apud Episcopos, & ipsum Domnū Apostolicum antiquissimus est, cuius initij memoria non extat. Ergo signum est Apostolicæ traditionis, iuxta Regulam à B. Augustino traditam lib. 4. contra Donatistas cap. 24.

VI. **N**ec obstat, quod si vestis linea ex institutione Apostolica clericorum proprius esset habitus, omnes clerici illam semper, & vbique ferre deberent, quod cum non faciant, indicium est, illam ex institutione Apostolica proprium eorum habitum non esse. Nam respondeo, quemadmodum in prima parte dictum fuit, omnes clericos ab initio Regulares fuisse, & sic etiam vestis linea omnium clericorum communis, & vsualis erat habitus. Porro quemadmodum successu temporis multi ex clericis à primæuo illo communis vitæ instituto desciuerunt, alij verò idem institutum retinuerunt: ita etiam multi ex Apostolica concessione vsum quotidianum vestis lineæ omiserunt, & in solis Ecclesijs vel functionibus Ecclesiasticis huiusmodi habitum retinuerunt, quem cæteri clerici, qui institutum vitæ Regularis tenuerunt, quotidie deferunt. cum enim habitus regularis signum sit externum professionis internæ, hæc sese inuicem consequuntur, tenere professionem, & tenere habitum, abijcere professionem, & abijcere habitum.

Dices. At clerici seculares in functionibus Ecclesiasticis eiusmodi habitum gerunt, non ergo est habitus professionis.

Respondeo vestis linea est habitus tum professionis, tum clericalis. ideo Canonici Regulares, quia sunt clerici, & quia sunt professi, semper habitum deferunt, tam quādo munera clericalia exercent, quā quando non exercent, & è contra: clerici verò seculares, quia nō sunt professi, habitum lineæ deferunt solum in functionibus clericalibus, nō autē in alijs actibus priuatis. Similiter monachi licet sint professi, nō tamen deferunt eiusmodi habitum, nisi in functionibus clericalibus: quia non sunt clerici ex vi suæ professionis, sed quasi per accidens.

Dices. Clericos Cameræ Apostolicæ, & alios Romanæ Curie vestem lineam deferre, etiam extra functiones Ecclesiasticas.

Respondeo hoc nostram sententiā minimè informare, sed potius confirmare: hinc enim desumitur argumentum, omnes clericos Romanæ Ecclesiæ ab initio eiusmodi habitum gestare consueuisse, cuius gestaminis vestigium etiam nunc à primo illo instituto relaxati detinent.

VII. **N**on me latet, præter tunicam lineam fuisse antiquis clericis alia indumenta tum ex vsu antiquo, tum etiam per Summos Pontifices, & Sacra Concilia designata qualia erant, quæ Masfortes,

siue Almutiæ, Lacernæ, Dalmaciæ, Planeticæ, Birri, Cappæ de choro clausæ, cappæ apertæ, & pallia vocabantur: de quibus Cassianus dicto lib. 1. de institutis Renuntiantium, Augustinus ser. 2. de Comuni vitæ clericorum, Gratianus in suo Decreto 30. d. & 21. q. 4. & alibi, Benedictus XII. in Reformatione generali totius Ordinis cap. de Forma habitus, & Molanus lib. 3. de Canonicis c. 5. & sequentibus. Verum quòd illa ad substantiam clericalis habitus minimè spectent, ac etiam pro locorum, & temporum varietate sint immutata, quin etiam nonnulla tum clericis, tum monachis sint communia, prolixius de illis agere, superfluum existimaui.

Caput nonum.

De forma tonsuræ Clericorum Apostolicorum.



Quod non desint, qui sub nomine habitus etiam ipsam tonsuram clericalem siue monasticam latissima quadam acceptione, ac extensione complecti voluerint, vt videri potest apud venerabilem Bedam lib. 5. Historiæ gentis Anglorum cap. 22. & in Concilio IV. Toletano cap. 40. vbi de tonsura clericali inter alia hæc habet: *Vnde oportet pro amputando ab Ecclesijs scandalo, vt hoc signum dedecoris auferatur, & sit vna tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus*: Hinc meritò ex nobis desiderari animaduertimus, vt de forma habitus clericorum Apostolicorum agentes, de illorum tonsura aliquid impresentiarum dicamus, tū vel ob hoc præsertim, quod in forma ipsius tonsuræ clerici regulares distinguantur à secularibus nō solum laicis, verum èt clericis. Istud quæsitū vt quò breuius fieri possit, elucidemus, & resoluamus, ijs omissis, quæ de Paganorum sacrificulorū tōsuris autores pleriq; à Baronio to. 1. sub ann. 58. n. 122. relati scribunt. Suppono imprimis, tonsuræ vsum apud omnes clericos, & monachos antiquissimum in Ecclesia Catholica semper fuisse, & consequenter in traditione apostolica fundatum: de quo scripserunt autores tū antiquissimi, tum etiam probatissimi, nimirum venerabilis Beda lib. 3. Historiæ gētis Anglorū c. 26. & lib. 5. c. 22. Alcuinus, Rabanus, Amalarius, Isidorus, & alij à Baronio loco proximè citato, & à Cardin. Bellarmin. lib. 2. de Monachis cap. 40. allegati.

Nec vacat de causis huius institutionis præsertim in eo loco disputare, an tonsura clericalis in memoriam spinee coronæ Saluatoris nostri Iesu Christi fuerit instituta, vt sentit Beda in locis prox. alleg. an in signum specialis consecrationis, qua monachi, & clerici seipso Deo dedicauerunt, quæadmodū in veteri lege Nazarej tōdebantur in illorū consecratione, Numerorū c. 6. an in signū cōuersionis & singularis pœnitentiæ, quòd pœnitentes ex antiqua

qua Ecclesiæ consuetudine tonderentur, sicut legitur in Concilio Tertio Toletano cap. 12. An quia tonsura capillorum vitam lugubrem denotat, quippe quod monachorum partes sint tum propria, tum aliena peccata lugere: An ob reuentiam B. Petri Apostoli, cuius verticem Pagani ob contumeliã abraferunt: An in signum regalis dignitatis clericorum, & maximè Sacerdotum, vt Hieronymus ait in cap. Duo 12. quæst. 1. An ob alias causas, quæ passim apud scribentes legi possunt, quas superfluum existimo longiori oratione hoc loco recensere, nam quæcunque huius institutionis ratio extiterit, hoc certum, & constans est, illam in Ecclesia vetustissimã esse, vtpotè à Sanctissimis Apostolis institutam.

III. **S**ecundò sciendum est, triplicem formam apud veteres inueniri, quæ non solum apud Hæreticos, sed etiam inter Catholicos in vsu aliquando exitit. Prima, qua Simon Magus, & hæreticus utebatur. nam ille vt autor est Beda lib. 5. Historiæ Gêtis Anglorum cap. 22. tonsuram capitis ita componebat, vt supra frontem, & à parti anteriore speciè coronæ repræsenteret, cæterum eadem corona à parte posteriori, & in occipitio intercisa videbatur, & decurtata, & iure quidem, nam cum esset Hypocrita in præsentis quidem vita censebatur ab hominibus illius artibus deceptis coronæ æternæ gloriæ dignus: verum in altera vita non solum ipsa corona gloriæ fuit priuatus, sed ad Inferni supplicia iustissimè damnatus. Hanc formam tonsuræ gestabant olim Scoti, ac etiam nonnulli Episcopi, & Monachi, qui causa prædicandi Euangelium ex Scotia in Angliam traieciabant, ac inter eos Colmanus quidam, & Monachi in Insula Lindisfarnensi apud Angliam degentes, cum quibus grauis concertatio est habita, cuius idem venerabilis Beda lib. tertio cap. vigesimoquinto, vigesimo sexto, & sequentibus meminit: qui demum ab Episcopis & clericis Catholicis in Ecclesia Romana Catholicè institutis de suo errore certiores effecti, perfectam coronam clericorum, & monachorum Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, & Apostolicæ, abiecta illa Simoniana, libentissimè susceperunt. Altera eiusdem clericalis tonsuræ forma ea exitit, cuius meminit Concilium Quartum Toletanum capite quadragesimo ita scribens: *Omnes Clerici, & Lectores, sicut Leuite, & Sacerdotes detonso superius capite toto, inferius solum circuli coronam relinquunt; non sicut huc vsq; in Gallitiæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, vt Laici, comis in solo capitis vertice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania huc vsque Hæreticorum fuit: unde oportet, vt pro amputando ab Ecclesijs scandalo hoc signum dedecoris auferatur, & sit vna tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus. Qui autem hoc non custodierit, fidei Catholica reus erit.* Ex hoc Concilio habes, hanc secundam formam tonsuræ, qua clericorum supremus vertex in modum parui circuli tondetur, relictis alijs capillis prolixis more laicorum, quod esset in vsu apud Hæreticos in Re-

gnis Galitiæ degentes, sanctissimè ab eodem Concilio Catholicis interdictam, ad materiam scandali tollendam: quod tamen scandalo cessante, apud plurimos Catholicorum in Hispania, Italia, & alijs Prouincijs in vsu fuit, & nunc etiam tenetur. Tertia eiusdem clericalis tonsuræ forma cuius prisci Patres frequentius meminerunt, fuit in modum coronæ, ita nimirum, vt detonso superius capite in modum circuli, siue spheræ, necnon etiam in parte inferiori, remaneant capilli ad modum coronæ totum caput ambientes, vt præfatum Concilium apertè indicat, & D. Hieronymus, cuiusmodi ea est, quam nunc Canonici, & cæteri Regulares ferè omnes tenent.

EX tribus formis prædictis certum est, tonsurã I V. clericorum regularium primitiue Ecclesiæ non fuisse iuxta primam formam: quia illa forma nullus Catholicorum, paucissimis exceptis, in angulo Scotorum per ignorantiam lapsis, utebatur, nec reperi alium autorem, qui tonsuræ semicircularis meminerit, præter vnum Bedam in locis proximè allegatis. Et restat dubium, an esset iuxta secundam formam, qua nunc passim seculares clerici vtuntur: an verò iuxta tertiam, quam deferunt Canonici, & cæteri omnes Regulares paucissimis exceptis. Ad quod dubium resolutè, & sine vlla hæsitacione respondeo, tonsuram antiquorum clericorum ab exordio nascentis Ecclesiæ vsque ad tempora D. Hieronymi, & Augustini formam coronæ iuxta tertium modum explicatum habuisse, cuiusmodi est, quam nunc etiam nos clerici canonici gestamus: vt ex hoc etiam capite intelligas, non solum antiquum illud clericorum Apostolorum institutum, sed etiam integrum illorum habitum nunc quoque apud nostros canonicos seruari. Huius veritatis habeo testes tum antiquos, tum etiam probatos, quos referam.

Primus est D. Hieronymus in d. c. Duo 12. q. 1. qui tum formam, tum vsum, & originem tonsuræ clericalis in hunc modum describit. *Hi sunt reges (de clericis loquitur) id est se, & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo expectatur. Rasio verò capitis est temporalium omnium depositio.*

Secundus testis est Canon ex Concilio IV. Toletano c. 40. proximè alleg. ex quo Card. Bellarm. lib. de Monachis c. 40. *Iubet Concilium, vt omnes clerici toto capite detonso solum circulum capillorum super aures relinquunt, ex quo apparet olim eandem fuisse coronam clericorũ, & monachorũ: sed monachi quidem seruauerunt antiquam consuetudinem, clerici verò magna ex parte illam mutauerunt.* Hæc Bellarminus.

Tertius est Beda d. lib. 5. c. 22. dicens: *Neq; ob id tantũ in coronã attondemur, quia attonsus ita est Petrus: sed quia Petrus in memoriã Dominicæ passionis ita attonsus est, & in ista oportet et eos, qui vel monachi votũ, vel gradum clericatus habent, & ætioribus*

bus necesse habent pro Domino se continentia funibus adstringere, formam quoque coronam, quam ipse in passione sua spineam portavit in capite, ut spinas, & tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est exportaret, & auferret à nobis, suo quoque in capite per tonsuram præferre, ut se irrisiones, & opprobria pro illo libenter, ac prompto animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant, ut coronam vite, quam reprobis Deus diligentibus se semper expectare, proque huius perceptione aduersa mundi, & prospera contentemere diligerent.

Quartus est Gregorius Tironensis in vita Sancti Patritij cap. 17. ubi de Sancto Nicetio verba faciens, inquit: Sanctus Nicetius Episcopus ab ipso ortus sui tempore clericus est designatus, nam cum partu fuisset effusus, omne caput eius, ut est consuetudo nascentium infantium, à capillis quidem nudum cernebatur: in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares, ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam.

Quintus est B. Augustinus in epistola 147. ad Proclianum, ubi meminit tonsuræ clericalis sub nomine coronæ: Per coronam, inquit, nostram adiurant vestri: per coronam vestram vos adiurant nostri. Eadem verba habentur apud Hieronymum epist. 26. inter epistolas Augustini: Fratres tuos Dominum meum Alipium, & Dominum meum Eudium, ut nomine meo salutes, precor per coronam tuam.

Sextus est Canon Concilij Niceni primi 76. qui sic habet: Ut Religiosi tum monachi, tum moniales habeant alia indumenta, & alios mores, quam habent Laici, & tondeant caput in modum coronæ.

V. **S**eptimus D. Isidorus lib. 2. de officijs cap. 4. ubi dicit tonsuram, & coronam clericalem fuisse institutam ab Apostolis. Ex quibus videas, parum probabilitatis habere, quod Baronius tom. 1. sub anno 58. nu. 229. scribit, non fuisse olim vnam & eandem consuetudinem omnium Ecclesiarum, in tonsura clericali ferenda ad modum coronæ, nam si de præscito illo tempore vsque ad Beatos Hieronymum, & Augustinum, & paulò etiam post illud loquitur, apparet, consuetudinem totius Ecclesiæ fuisse, ut clerici, ac monachi tonsuram in modum coronæ deferrent, non in modum parui circuli in summo vertice, sicut modò fertur à clericis dictis secularibus: nam ista neque refert coronam regiam, nec etiam spineam coronam Saluatoris nostri Iesu Christi, quod de corona præscitorum clericorum præfati Doctores affirmant, sed ut exemplo illustremus, qualisnam fuerit tonsura præscitorum clericorum Apostolicorum, intueri licet in Domino Apostolico, in quo Apostolici habitus integritas feruatur, nam ille tonsuram clericalem non instar parui circuli in summo vertice, sed in modum coronæ totum caput ambientis ex vetustissima, & nunquam temerata consuetudine defert.

VI. **V**trum autem ipsa corona clericalis fieret cum tonsura, itaut cutis operta relinqueretur, D. Hieronymus in Ezechiel cap. 44. circa illa verba:

Cumque ingredientur portas atrij, &c. dicit, Sacerdotes capita sua nec radere debere, neque comam nutrire, sed tondere debere capita sua, itaut operta sit cutis, & idem dicit in cap. 3. & 6. Isaiæ eodem modo loquitur Concilium Agatense, cuius Canonem refert Gratianus in cap. Clerici 23. d. & Martinus Papa relatus in c. non liceat il. 2. eadem d. & Alexander III. in cap. Clericis de vita & honestate clericorum. E contrario Anacletus Papa in c. Prohibere, ead. dist. 23. dicit, Clericos radendos esse, idque ex præcepto Apostolico. Meminerunt etià rasuræ Gregorius Nazianzenus in Maximum, & Socrates lib. 3. Historiæ tripartitæ cap. 1.

VII. **C**eterum siue illi antiqui clerici tonderentur, siue raderentur, parum retulerit, & potuit quoad hoc esse varia consuetudo Ecclesiarum, vel saltem diuersis temporibus, vel in diuersis prouincijs, ut aliquando tonsura fieret cum rasura, aliquando verò sine rasura. Quemadmodum etiam parum referebat, an barbam raderent, an etiam laxarent: nam in diuersis prouincijs diuersus erat mos barbam radendi, siue laxandi, Occidentales enim tondebant, vel etiam radebant: Orientales verò laxabant. Immo Clemens Primus Petri discipulus, & successor lib. 1. Institutionum Apostolicarum c. 3. Barbæ rasuram expressè interdicit. Oportet præterea, inquit, non barbam radere, neque formam hominis contra naturam mutare: ait enim lex, non radetis barbas vestras: mulieres enim ut deceret, non esse barbatas, fecit earum auctor Deus, viros contra, ut non deceret, idem iuste statuit. De qua Constitutione, & illius causis videnda sunt, quæ Franciscus Turrianus in illum locum scitè de more obseruat, & habentur in tomo 1. Conciliorum. Et nunc etiam inter ordines Regulares aliqui barbam vel radunt, vel ad cutim tondere solent: alij verò laxant. Neque tamè qui laxant ut inter clericos Theatini, & S. Pauli Decollati, & inter mendicantes Fratres D. Francisci strictioris obseruantix Cappucini nuncupati, ac inter Eremitas Camaldulenses, & montis coronæ, minùs perfecti censentur, quam qui tondent, vel radunt, ut inter clericos Iesuitæ, & inter mendicantes Prædicatores, & Fratres D. Francisci reformati, & monachi omnes. Verùm consuetudines vnus cuiusque instituti ab Ecclesiâ probati tenendas esse arbitror, & omnem luxum siue in coma, siue in barba nutrienda ab ipsis clericis siue regularibus, siue etiam secularibus ita arcendum, ut tamen in barbæ rasura tantum momenti constitutum non putemus, quod ex ea potissimum regularis disciplinæ summam pendere arbitremur, sicut nonnulli interdum sentire videntur, zelum forsitan habentes, at non secundum scientiam excutientes culices, & camelos vorantes, decimantes mêtam, & anctum, & quæ interiora sunt paropsidis, immunditiarum plena relinquentes.

Caput decimum .

Canonicorum Ordinem ab Apostolis fundatum vsque ad Beati Patris Augustini tempora continuatum maxime floruisse, ac toti orbi notissimum extitisse.



I. Via Ioannes Marquez in suo libro nuper edito de origine fratrum Eremitarum Augustinensium inter multa, quæ de Canonicis Regularibus falso videtur asserere, hoc præ cæteris insigne, & luculentum cap. 8. S. 5. pag. mihi 51. col. 2. scribit, Canonicorum Ordinem, licet ab Apostolis plantatum, circa B. Augustini tempora vix in mundo agnitum, quod parum tunc temporis fuisset dilatatum, quæ res in causa fuit, ut eundem Augustinum ipsius Ordinis primum institutorem plerique existimauerint, posteaquam de ipsius Ordinis fundatione in præcedentibus dictum fuit, compellor nunc illius continuationem vsque ad B. Augustini tempora monstrare, illumque per id temporis ante reformationem ab Augustino inchoatam maxime per omnes Ecclesias floruisse, ac toti mundo notissimum extitisse, quod non vnico, verum triplici argumentationis genere tum facillime, tum etiam euidentissime prætabo, nimirum testimonijs Doctorum, qui vel conceptis verbis, vel saltem æquipollentibus hoc testantur, necnon ex Sæctis Patribus, qui ante Augustinum ipsi Ordini reformando, ac instaurando strenuam operam impenderunt, ac tandem ex ipsis Ecclesijs tum Cathedralibus, tum etiam Metropolitanis, in quibus ante D. Augustinum Ordo canonicus summopere florebat. Et quidem quod attinet ad testimonia primi generis, inter autores, ex quibus ipsa Canonici Ordinis continuatio vsque ad Beatum Augustinum deducitur, primus testis irrefragabilis est Urbanus Primus in allegata epistola ad omnes Christi fideles, relatus in dict. cap. Scimus 12. quæst. 1. vbi fatetur vitam communem inter omnes clericos sub obligatione votorum vsque ad sua tempora per omnem Ecclesiam durauisse, cuius verba superius c. 5. num. 2. sunt allegata. Hic Pontifex circa annum Domini 232. martyrio coronatus fuit.

Secundus est Concilium Nicenum primum sub Syluestro Papa, & Constantino Magno circa annum 320. celebratum, in quo non semel de clericis sub Canone, siue sub regula degentibus mentio habetur, ut in Canone 17. cuius verba referuntur in c. Quoniam multi 47. dist. vbi interdicitur clericis veteribus sub regula, vel ut Gentiani lectio habet, sub Canone, non solum exercitium vsuratum, sed etiam omnis negotiatio sub poena depositionis, & in c. præcedenti, cuius etiam verba referuntur in cap. Si qui vero 9. q. 1. vbi interdicitur omnibus clericis, si-

ue presbyteris, siue diaconis, siue alijs sub regula constitutis, ne à suis Ecclesijs discedant, & si discesserint, ne in alijs Ecclesijs recipiantur, item in Canone 15. secundum versionem ex Arabico: *Si quis eorum, qui sunt in Clero, aut in Regula acquirendis opibus studeat, aut vsuris, vel iniquis lucris, deiciatur ab Ordine, & sit alienus à Regula.*

Tertius est Eusebius Cæsariensis, qui vixit post Magnum Constantinum vsque ad annum circiter 340. in secundo libro Historiæ Ecclesiasticæ c. 16. vbi dicit institutum D. Marci in Ecclesia Alexandria plantatum, de quo superius ex Philone diximus, vsque ad sua tempora in omnibus Ecclesijs, & monasterijs retentum, quod saltem de Ecclesijs Orientalibus intelligi debet: Tanta, inquit, refertur multitudo credentium virorum, ac mulierum primo ingressu exemplo sobrietatis (scilicet D. Marci.) & continentia congregata, ut etiam conuersatio eorum, qui per ipsum crediderant, & vitæ totius abstinentiæ, ac frugis eorum sobriaque conuiuia librorum memoriæ mandarentur à viro. disertissimo Philone, quom sermo tenet, temporibus Claudii Imperatoris Romam venisse, & Petrum Apostolum vidisse, atque eius adhæsisse colloquijs, verbum Dei prædicantis, quod valde est verisimile, quia scripturam istam, quam diximus, posterioribus ab eo temporibus constat esse compositam, in qua euidentissime omnia Ecclesia instituta complectitur, quæ & tunc tradita sunt, & in hodiernum seruantur à nobis, sed & abstinentium vitas, eorum duntaxat, qui nunc in Ecclesijs, vel monasterijs degunt, describit ad liquidum. Ecce tibi institutum vitæ abstinentium (illi idem erant quod alio nomine Regulares) vsque ad tempora Eusebij retentum non solum in monasterijs, id est inter monachos, sed etiam in Ecclesijs, siue inter Clericos.

Quartus est B. Ambrosius in serm. 69. de Natali Beati Eusebij Vercellensis Episcopi, & martyris vbi inter præclara illius Sancti viri facinora recensens, quod ab exilio reuersus suos clericos ad instar Orientalis Ecclesiæ reformauerit cum officijs clericalibus monachorum instituta iungens inquit: *Nam ut cætera taceam, illud quam mirabile est, quod in hac Sancta Ecclesia eosdem monachos instituit, quos clericos, atque iisdem penetratibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conseruatur, ut esset in ipsis viris contemptus rerum, & accuratio Leuitarum: ut si videris monasterii lectulos, instar orientalis propostii iudices: si deuotiones Cleri perspexeris, Angelici Ordinis obseruatione gaudeas.* Ex quibus habes, Beatum Eusebium more Orientalis Ecclesiæ suam Ecclesiam reformasse, & consequenter vsque ad tempora Beati Eusebij in Ecclesia Orientali regularia instituta inter clericos passim viguisse. nam quos Beatus Ambrosius Vercellensis Ecclesiæ monachos ob regularia instituta nuncupat, eosdem ipsius Ecclesiæ clericos fuisse, statim declarauit.

Quintus est S. Hieronymus in epist. 7. ad Nepotianum supra citatus, qui cum expressè dicat, clericos suorum temporum nihil proprium tuta conscientia possidere potuisse, & illos non sine veste lineae incesisse, ex illorum professione, & habitu satis indicat, regularia instituta inter clericos usque ad sua tempora retenta fuisse: quanquam clerici Romani illius tempore ob temporalium bonorum affluentiam paulatim inciperent relaxari à primo illo instituto, quod tandem progressu temporis reiecerunt, contra quos grauius inuehi coepit, idem Hieronymus: unde apud illos grauius offendit, ut videri potest apud Baronium tom. 4. sub an. 285. n. 8.

III. Sextus est ipsemet Augustinus, qui Petiliano sibi obijcens, quod institutum vitæ monasticæ primus ille in Africam inuexisset, quod quædam genus vitæ esset, ignorare se finxit, respondet lib. 3. contra literas Petiliani, genus vitæ monasticæ à se in Africam introductum, toti Orbi notissimum fuisse. Constat verò, B. Augustinum Ordinem Canonico-regularium, siue clericorum regulariter viuendum in Africam introduxisse; id enim omnes nemo contradicente fatentur, Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in August. in celsura sermonum ad Eremitas, S. Carolus Borromeus S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Mediolanensis in actis illius Ecclesiæ par. 7. in epist. de translatione S. Simpliciani, Ioannes Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 7. quin, & Cardinalis Baronius tom. 3. Annal. sub anno 328. nu. 22. vbi hæc inter alia scribit: *Qui verò in orbe occidentali monachismum coniunxerit clericatui, prædicatur à S. Ambrosio S. Eusebii Episcopi Vercellensis, & infra: Quod ipsum præstantissimum vitæ genus S. Martinus Episcopus Turonensis transiecit in Gallias, & S. Augustinus in Africam.* Et licet idem Baronius alibi dicat, Beatum Augustinum duos ordines in Africa instituisse, alterum monachorum viuentium in solitudine ab hominum conuersatione remotissimorum; alterum clericorum in urbibus commorantium, quæ res nonnullis causâ extitit, ut in spem Eremiticæ ab Augustino institutæ probandæ, & suadendæ erigerentur, de qua re in prima parte dictum fuit: hoc tamen sufficit, nec Baronium, nec aliquem probatum Doctorem negare, quin B. Augustinus Ordinem clericorum canonicorum in Africam inuexerit, ac latè propagauerit. vnde

Septimo loco produci possunt Autores, qui dicunt, institutum clericorum communiter viuentium, quem D. Augustinus in Ecclesia Hipponensi, & exinde per totam Africam plantauit, non illum primitus inuenisse, sed in Italia, & præsertim Mediolani sub D. Ambrosio didicisse. Hi sunt Baronius, Ioannes Molanus, & S. Carolus Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis in locis proximè allegatis, & Carolus Episcopus Nouariensis in sua Nouaria lib. 2. vbi de sancto Gaudentio nostræ Nouariensis ciuitatis primo Episcopo, & Patrono ita scribit: *Discipulus fuit S. Gaudentius, S. Eusebii Vercellensis, Lectoris officio in ea Ecclesia functus, et*

magistro vel suscepto, vel susceptam perfectius coluit Canonica vitæ disciplinam, hoc ei tribuitur sacris literis, quibus Ecclesia Nouariensis eius laudes canit, ac celebrat. Hæc in antiquis membranis habentur, hæc in præ Nouariensium archiepiscopi: Pater in iuuentute B. Gaudentius studiosè rectam secutus est Canonice vitæ normam. Boni sacerdotes veteres sequentes verbum Domini renunciabant ijs, quæ possidebant, abnegabant semetipsos, quod quidem præcipuum est: non omnes tamen Canonicis quibusdam sese deuinciebant institutis, ijs inquam institutis, quæ perfectio, & ab Apostolis instituto perfecta vitæ canone contemnerent. Hoc Sanctus Ambrosius appellat officia clericorum cum institutis monachorum coniungere, cuius rei autorem in occidente facit S. Eusebium Vercellensem Episcopum Gaudentii nostri magistrum. Præclarum sanè testimonium, & valde obseruandum ex quo fatendum est, perfectiorem clericorum disciplinam, & monasteria clericalia in Occidentalibus Ecclesiis ab eo profecta esse, & ipsum S. Augustinum eius disciplina sanctissimam, præcipuumq; cultorem, unâ cum Euangelio in hac regione eam didicisse; disciplinam intelligo clericorum Canonicam in uniuersum, non certi alicuius Ordinis, aut Congregationis. Hæc ille.

Quarto loco addi etiam possunt autores, qui dicunt, clericos primitiue Ecclesiæ vitam communem usque ad magnum Constantinum tenuisse, quo tempore Ecclesia redditibus aucta, etiam affectus inordinatus cupiditatis bonorum temporalium adeo augei coepit, ut multi vel apertè, vel saltem occultè bona temporalia in particulari habere voluerint. Hi sunt Præpositus cap. i. d. 44. nu. 4. Boëtius in quodam suo tractatu de vita Eremitica circa medium, quidquid illi in contrarium à nonnullis tribuatur, Dominicus Soto lib. 10. de Iustitia, & Iure q. 4. art. 3. Abbas in cap. Licet de officio Ordinarij, & cap. Deus qui, de vita & honestate Clericorum. & cap. Episcopus de Præbendis, pro quanto dicit, quod ab initio non erant præbendæ, & quod clerici viuebant in communi, sed postea successu temporis coeperunt habere propria, & facti sunt ex Regularibus seculares, quod etiam fatetur Durandus in Rationali lib. 6. cap. de Septem diebus post Pascha.

Secundum argumentum principale ad eandem continuationem probandâ sumi potest ex Sanctis Patribus, qui ipsum Ordinem sub tempora Beati Augustini à districtione Canonice disciplinæ paulatim relaxari animaduertentes, eidem reparando strenuam operam impenderunt: nam quod ea sit terrenarum diuitiarum proprietates, ut quod minus possidentur, minus appetantur, & quanto magis augentur, tanto auidius desiderantur: est enim cupiditas ignis quidam, ut appositè D. Basilius homil. 7. ex varijs contra diuites auaros. *Auarus, inquit, naturam ignis emulatur, decem talentis alia decem addere studens, & cum viginti facta fuerint, alia viginti querit: & semper id, quod addatur, auget concupiscentiam.* Hunc factum est,

ut

vt Ecclesia per Magnum Constantinum affluentia bonorum temporalium aucta, dira cupiditas inter clericos paulatim serpendo, ac æstuando sanctissimum illud communis vitæ Apostolicæ institutum non solum in discrimen adduxerit, sed quod dolendum est, magna ex parte labefactauerit. Huic periculo tam graui occurrentes Sanctissimi Præsules, nullum non mouerunt lapidem, vt suos clericos in regulari disciplina, vbi illæsa adhuc seruabatur, continerent: vbi verò iam collapsam deprehendebant, pro viribus instaurarent. ex quibus vt Urbanum Primum omittamus, in sæpe allegato cap. Scimus. 12. quæst. 1. vtpote aliquantò vetustiore, præcipui fuerunt inter Græcos Magnus ille Athanasius Alexandria Episcopus. is enim huic operi tam impensè incubuit, vt de illo scribat Baronius tom. 3. sub anno 328. num. 23. illum monachorum instituta in Clerum Ecclesiarum Ciuitatis transfuisse. & supra num. 22. Eusebium Vercellensem Apostolica Legatione apud Ecclesiam Alexandriam functum, ibidem institutum didicisse; quod in Occidentem ad suos clericos reuexit, & in sua Ecclesia plantauit. quod non ita intelligendum est, vt vitæ regularis instituta primus Athanasius Alexandrinis clericis addiderit, quam D. Marcus regularem instituerat, vt supra ostendimus: sed quod regularem disciplinam in ea labentem ad primæum institutum reparauit.

Secundus, qui in eadem Ecclesia Orientali tam pio, & præclaro facinori totus incubuit, numeratur Magnus Basilius. Extant inter eius opera libelli animaduersionum ad Canonicos, ac etiam contra Canonicas delinquentes. extat inter Monasticas Constitutiones cap. 19. in Ordine sub hoc titulo: *Ad Canonicos in Monasteriis regulariter degentes*. Et quanquam non desint, qui illum inter monachos numerare velint, tamen si illius vitæ rationem, ac institutum diligentius quis animaduertit, inueniet omni dubio procul eatenus illum monachum à nonnullis vetustioribus dici, quod clericus cum esset, regularis vitæ normam studebat exactissimè seruare. quod etiam Ioannes de Nigraualle in suo epilogo Chronicarum 13. c. 18. non temerè adnotauit.

VI. **P**orro ex Patribus Latinis, qui sub Augustini tempora ipsi ordini canonico reparando viriliter institerunt, primum locum D. Syluestro Papæ Primo istius nominis meritò tribuendum iudicabunt, qui ea ponderauerint, quæ in illius vita, & in officio per Ecclesiam Romanam vsitato leguntur, illum scilicet prouidisse, vt clericis copiosis egentes coniungeret, & sacris virginibus, quæ ad vitam necessaria essent suppeditarentur, & quod de Clericis Regularibus in Basilica Lateranensi per Constantinum fundata statim locatis Romani Pontifices testantur, de quibus capite statim sequente verba faciemus.

Secundus recensetur Beatus Eusebius Episcopus Vercellensis, de hoc sanctissimo præfule Sanctus Ambrosius præter ea, quæ in serm. 69. de Na-

tali eiusdem Sancti Eusebij superius relata scribit, in epistola 82. quæ est ad Vercellensem Ecclesiam, post medium, in eodem argumento versans hæc subdit. *Quod si in alyc Ecclesijs tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expeditur in Vercellensi Ecclesia, vbi duo pariter exiguntur ab Episcopo, monasterii continentia, & disciplina Ecclesie.* Hæc enim primus in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in Ciuitate positus instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. multum enim adiumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, & normam integritatis iuuentutem astringat, & versantes intra urbem abdicet vsu Urbis, & conuersatione. Quod etiam ita accipiendum est, vt non primus ille regularis vitæ instituta in clericos Ecclesie Occidentalis introduxerit, cum ab initio per professionem votorum clerici omnes regulariter viuerent, quemadmodum supra ostendimus: sed quod prius ille disciplinam collapsam inter suos clericos restituit, vel quod præter vitam communem, ac coelibem rigiditates quasdam ex monachis acceptas eidem clericis adiunxit.

Tertius fuit D. Hilarius Pictauensis, quem similiter ab exilio reuocatum Gallicanam Ecclesiam Orientalis instar, apud quam exulauerat, statim reformasse, & clericos suos regulariter viuentes instituisse, autor est frater Hieronymus Romano lib. 6. de Repub. Christiana cap. 4. & 16. & ex illo Emanuel Rodericus tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 3. art. 1.

Quartus recensetur à Baronio loco allegato ex tomo 3. sub anno 328. num. 22. Sanctus Martinus Episcopus Turonensis, & Sancti Hilarij Pictauensis discipulus, nam de instituto regulari per Beatum Eusebium Vercellensem ex Oriente in Ecclesiam Occidentalem euecto verba faciens inquit: *Quod ipsum præstantissimum vitæ genus sanctus Martinus Turonensis Episcopus transiecit in Gallias, & Sanctus Augustinus in Africam: qui admirabili quadam connexionione duo hæc (vt dictum est) omnium perfectissima vitæ genera Clericorum, & Monachorum in unum pariter coniungentes, tanquam lucidissimis astris, ut olim Martyres tempore persecutionis, in pace Christi Ecclesiam exornauerunt.*

Quintus subnectitur Beatus Gaudentius Nouariensis noster Beati quidem Eusebij Vercellensis peregrinationis, ac exilij comes, Sancti verò Martini Turonensis, notarius Ecclesie autem Nouariensis primus Episcopus, & Sacri Ordinis apud nostros Sator. de quo qui Nouariensis Ecclesie Historiam texuit Carolus eiusdè Ciuitatis Episcopus lib. 2. in princ. fatetur, illum & in iuuentute positum studiosè canonicæ vitæ normam secutum, & suum Magistrum Eusebium imitatum suis clericis cum clericalibus officijs regularia etiam instituta iunxisse. Hinc Ioannes Philippus Nouariensis in Chronica l. b. 3. cap. 23. *Episcopatus*, inquit, *Nouariensis*

uariensis fuit Canonorum Regularium, ut apparet in aedificijs antiquis adhuc extantibus, & in scripturis ipsius Ecclesie, & Ecclesia B. Gaudentij, dicitur enim in legenda eius, quod ipse aedificauit per Parochias monasteria, & cellas, & pater effectus est innumerabilium Clericorum.

VII. **S**extus fuit B. Proiectitius Bergomensis Ecclesie Archidiaconus & Martyr, qui obiit circa annum Christi 308. ut ex Epitaphio illius tumulo inscripto notauit, qui illius vitam Italico idiomate scriptam recens inuulgauit Marius Mutius eiusdem Ecclesie Canonicus, & non vulgaris eruditionis, & literaturæ Theologus. De hoc B. Martyre in historia Ecclesie Bergomensis cuius titulus est. *De sacra, & fertili Bergomensis vinea ex diuersis authenticis, Catholicisq; libris, & scripturis diligenti cura collecta*. in prima parte cap. 7. ita legitur. *Proiectitius primus Bergomi Archidiaconus per annos septem, menses sex, hanc sacratissimam vineam custodiuit, & sibi coadiutores, successoresq; elegit quadraginta clericos, qui secundum Regulam, moresq; Apostolorum uiuerent. Hac ex Epitaphio eius, & ex 3. libro Chronicarum Domini Ioannis Mariae Mediolanensis Canon. R. & ex historia ipsius scripta in lib. 3. cap. 1. & 2. de Antiquitatibus, & gestis Diuorum Bergomensium*. Quæ si vera sunt habes euidentissimè, vnde conuincas, non primum D. Eusebium Vercellensem Episcopum in occidentali Ecclesia suos clericos regulariter viuentes instituisse, sed longè ante illum idem institutum inter Bergomenses clericos viguisse, durasse verò in eadem Ecclesia disciplinam Regularem ad nostra ferè tempora inferius suo loco authenticis documentis ostendemus.

Quibus omnibus mea sententia absque vilo dubio Bearus ipse Ambrosius Mediolanensis Episcopus, aut eius Archidiaconus Simplicianus addendus: tum quòd Mediolanensem Ecclesiam ab initio Regularem fuisse infra ostensuri sumus, tum quòd scribat S. Carolus in Actis Ecclesie Mediolanensis parte 7. in epistola de translatione S. Simpliciani institutionem vitæ communis Hipponensium clericorum à Simpliciano presbytero profectâ, ab eoq; Augustinum apprime edoctum: ad quem etiam libros de Trinitate postmodum Augustinus scripsit, veluti aurum probans ex affricu. Omitto D. Prosperum Aquitanum, qui clericis Aquitanicis ad communem vitam Apostolicam reformandis maxime laborauit tum exemplo, tum etiam scripto, ut in 2. libro illius de Vita contemplatiua legimus, ac etiam D. Patricium Hyberniæ Apostolum, qui idem institutum in Ecclesia Hybernensium plantauit, quòd D. Augustino coætanei, aut etiam paulò recentiores fuerint, & Regularem disciplinam ab ipso Augustino existimentur accepisse.

Caput vndecimum.

De Ecclesijs Cathedralibus, Metropolitanis, & alijs Canonici Ordinis Collegiatis ante D. Patrem Augustinum.

Tertium Argumentum ad eandem I. veritatem demonstrandam sumitur ex plerisque Collegiatis, Cathedralibus, ac etiam Metropolitanis clericorum Canonorum Ecclesijs, in quibus Ordo Canonicus etiam ante Augustini tempora summa cum laude florebat, nam in primis quod ad Orientales attinet, omnes Orientalium Ecclesias vsque ad annum 340. eiusmodi institutum retinuisse, indicio sunt, quæ Eusebius Cæsariensis lib. 2. cap. 16. in verbis superius recitatis, ac etiam cap. 17. scribit, cui adstipulantur verba D. Ambrosij Mediolanensis ferm. 69. cum de reformatione clericorum Ecclesie Vercellensis per B. Eusebium eiusdem Ecclesie Antistitem facta scribens inquit, illum suos clericos instar Orientalis Ecclesie instituisse. Verum ut ad particulares Ecclesias descendamus. Primum certum est, Ecclesiam Alexandrinam regularem disciplinam per D. Marcum in ea plantatam diutius retinuisse: Immo verò successu temporis labentem per Magnum Athanasium impensè reparatam, ut in præcedentibus ex Cardinali Baronio adnotauimus. floruit autem D. Athanasius circa annum Domini 350. & circa annum 370. ex hac vita fragili migravit ad æternam, si eidem Baronio fides adhibetur.

Altera inter Orientales Ecclesias, in qua per ea tempora Regularis disciplina summa cum laude florebat, fuit Ecclesia ciuitatis Rinochuræ, in ea Aegypti prouincia, quæ Cassiotis nuncupatur, ex Nicephoro cuius verba ex lib. 2. Historiæ cap. 38. superius sunt recitata.

Tertia fuit Ecclesia Cappadociæ, in qua multa Canonorum in monasterijs degentium collegia extitisse circa tempora Magni Basilij, argumento sunt, quæ ille cap. 19. de institutis Monasterijs, siue in Cenobijs degentes, & in Animaduersionibus ad Canonicos & Canonicas delinquentes scribit.

Quarta fuit Ecclesia Babiloniensis, non ea, quæ fuit in Mesopotamia, vel Assyria, sed in Aegypto constituta. de qua Augustinus Ticinensis noster vir omnimodæ Historiæ peritissimus, ut ex libris ea de re ab illo editis conijci potest, lib. 2. Dilucidarij Christianarum Religionum pag. mihi 32. ita scribit: *Episcopatus in Babilonia constitutus est per sanctum Anianum discipulum S. Marci, & ibi vsque in presens viget Ordo Canonicus: & ego ex illis Indianis vidi, & noui, & dilatati sunt per omnem ferè Indiam in regno presbyteri Ioannis: & ibi plurimi*

rimi sunt Episcopatus, Abbatie, Præpositura, & Prioratus in lingua Chaldaea habent officium, & in Aethyopia similiter florent Canonici Regulares. Et Zacharias Ferrerius Iuræconsultus, & Theologus clarissimus in quodam libello de Habitu Canoniorum Regularium ad Leonem X. qui libellus habetur in lib. Indulorum Congregationis nostræ Lateran. in 2. probatione inter alia scribit: *Et qui veniunt ex India, dicunt, quod maior pars Ecclesiarum Cathedralium India, immo quasi omnes gubernantur per Canonicos Regulares: quoniam ibi adhuc viget in Ecclesiis ille cultus Regularium Clericorum, qui fuit in primitiua Ecclesia: & dicunt, quod omnes illi clerici profitentur instituta clericorum secundum regulam B. Augustini.* Aduertendum tamen hunc autorem nomine Indiarum intelligere Aethyopiam.

II. **Q**uod autē spectat ad Ecclesias Occidentales, in primis sacrosancta Lateranen. Basilica, quæ omnium Ecclesiarum est princeps, ac mater, & Sedes summi Pontificis, statim vt per B. Syluestrum fuit dedicata, regularibus clericis more Apostolico viuentibus est deputata. Testatur hanc veritatem Eugenius Papa huius nominis Quartus in Bulla superius allegata, per quam ipsos clericos regulares eidem Ecclesiæ, tanquam originarios illius restituit: *Vt propria, inquit, religio, & dictæ Ecclesiæ originalis ordo, & institutio habeatur.* Confirmat Nicolaus V. in alijs literis datis anno 1450. Kal. Ianua. dicens, Eugenium Papam IV. illius prædecessorem hanc sacrosanct. venerabilem Lateran. Basilicam ad primam eius institutionem, primæuūq; eius statum, videlicet Canonic. Regularium ex certis tunc expressis causis, post deliberationem prouidam, quam cum fratribus suis S. R. E. Cardinalibus habuit diligentem, pro Ecclesiæ Dei Catholicæ, fidei Christianæ, & Religionis honore, & Saluatoris nostri gloriæ, publica vtilitate, ac dictæ Lateranen. Basilicæ statu, veneratione, commodis, honore re-duxisse, & reposuisse.

Paris antiquitatis fuit altera Ecclesia in Ciuitate Parthenope, siue Neapoli extructa, & s. Ioannis Maioris titulo nuncupata, de qua, qui Chronicam Neapolitanam exarauit Io. Villani ex vetustissimis illius Ciuitatis manuscriptis, & historijs, & ex illo Ioannes Antonius Summontius in Historia Ciuitatis, & Regni Neapolis lib. 1. pag. mihi 333. hæc ad literam scribit: *In Chronica prædicta lib. 1. capite 48. legitur, quod Constantinus Imperator in freto Sicilia maxima tempestate exagitatus, ita vt in apertum vitæ periculum esset adductus, votum vouit, si incolumis ad lirtus peruenisset, nummorum triginta millia ad Ecclesiam in honorem Beati Ioannis Baptista erigendam, cui peculiari deuotionis affecta addictus erat erogaturum. Constantia quoque ipsius Constantini filia aliud votum nummorum viginti millium in Ecclesiam Diuæ Lucie Virginis, cuius erat deuotissima, excitandam nuncupauit, cumque incolumes Neapolim appulissent, vota soluerunt. nam quemadmodum cap. 2. dictum*

*est, vetustum Adriani templum in honorem Sanctiorū Ioannis Baptista, & Lucie Virginis dicauerunt, quod S. Ioannis Maioris modò vocatur, ubi cum maxima solemnitate, ac ingenti populorum concursu illorum festiuitates celebrauerunt: in cuius templi fornice opere musuo Saluatoris effigies ad iudicium vniuersale venientis est depicta, templo verò absoluto Canonici Regulares ad diuina officia persoluenda magnis redditibus tributis sunt ibidem instituti, vt in fine eiusdem capituli dictæ Chronicæ habes. Idem ferè legimus in alio libro vetustissimo membranaceo, qui in eodem templo conseruatur, ex Registro Caroli Primi extractus anno salutis 1409. iubente Rege Ladislao, in quo hæc scripta leguntur: *Constantinus primus Christianus Imperator Neapolim maritimo itinere adueniens, applicuit in Regionem sedilis portus, ubi dicitur ad Ripam. ibi fundauit Ecclesiam magnam in restudino opere, & artificia museo, & multo auro, & lapide porphiretico, aliq; multifario marmoreo lapide compositam, quæ postquam perfectè consummata est per Sanctissimum Syluestrum Papam consecrata est, per quem etiam oratorium S. Mariæ de principio dedicatum est. Eandem Ecclesiam S. Ioannis præfatus Constantinus Imperator maximis prouentibus donauit. Hæc Summontius loco allegato.**

Huic tertio loco subnecti potest Ecclesia Bergomensis, in qua Regulares Clericos more Ierosolimitanæ Ecclesiæ communiter viuentes primùm sub Harnio, & Viatore Episcopis, exinde sub Proiectio Archidiacono circa annum 300. ac postea tempore B. Ambrosij Mediolanensis Archiepiscopi sub sancto Iacobo item Archidiacono, & martyre degisse, vetustissimæ illius Ecclesiæ tabulæ testantur, de qua inferius sermo prolixior redibit.

Quarta fuit Ecclesia Vercellensis, quam à Beato Eusebio Vercellensi ad normam instituti Orientalis Ecclesiæ ita reformatam, vt suis clericis cum officijs clericalibus instituta monachorum adiungeret, D. Ambrosius, Ioannes Molanus, Cardinalis Baronius, Carolus à Basilica Petri Episcopus Nouariensis cap. præcedenti allegati concorditer affirmant.

Quinta Mediolanensis, in qua S. August. vitæ regularis institutum didicit, quod in Africa suis clericis tum in monasterio Ecclesiæ Parochialis, tum in Episcopatu adiunxit, vt superius non semel obseruatum fuit.

Sexta Nouariensis, quam B. Gaudentius S. Eusebij Vercellensis discipulus, & exilij Orientalis comes iuxta regulas canonicas instituit, qui etiam per omnes Parochias suæ Diocesis monasteria clericalia plantauit, vt ex antiquis eiusdem Ecclesiæ tabulis habemus.

Septima Aquileiësis, cuius clericos D. Hieronymus in Chronico sub anno 378. Olympiadè 289. tanquam Angelorum choros, & agmina laudauit, quæ per B. Hermagoram Marci Euangelistæ discipulum plantata, institutum communis vitæ Apostolicæ vsque ad obsidionem, & deuastationem.

sub

sub impijssimo Atila secutam retinuit.

Octava Pictaviensis per B. Hilarium, ac Nona Turonensis per Beatum Martinum Episcopos instituta, quemadmodum capite præcedenti dictum fuit.

III. **Q**uibus omnibus postremâ adicio Augustissimâ præcellæ Genitricis Dei Mariæ Basilicam Cæsaraugustanam de Columna vulgo de Pilari nuncupatam primam in honorem Dei, & ipsius B. Virginis ex omnibus orbis Ecclesijs à Diuo Iacobo Zebedæi filio, & Christi Saluatoris Apostolo ædificatam, de qua Ecclesia multa inferius ex instituto dicenda sunt. Sed quod ad præsens institutum attinet, cum ab ipsomet Christi Apostolo fuerit fundata, nulli dubium esse potest, eam illis legibus, & forma viuendi institutam, quam Petrus, & cæteri Apostoli suis discipulis, & clericis à se institutis tradebat, & quam D. Clemens apud om-

nes clericos vsque ad sua tempora retentam fateatur dicto cap. Scimus 12. q. 1. Libet autem in huius sententiæ confirmationem illud recensere, quod referunt Illustrissimus, & Excellentissimus Legum Doctor, & Regij Aragonensium Magistratus Præses Michaël Martinez de Villari in proprio libro de hac ipsa re anno 1609. edito nec non Reuerendus admodum Pater, & sacræ Theologiæ Lector Frater Didacus Murillo Seraphici Ordinis Regularis obseruantia apud Aragonios Prædicator in suo libro de Miraculosa fundatione sacelli Beatæ Mariæ de Pilari cap. 14. Reperta nimirum sub anno 1608. in eadem æde Beatæ Mariæ tria vetustissima sepulchra cum suis inscriptionibus, siue Epitaphijs, in quorum primo cadauer vnus nomine Poncas repertum cum istiusmodi inscriptione.

**Ante tuos vultus sum primus ritè sepultus
Presbyterum Poncas, scripsi moralia, Roncas
XIII. Cal. Iulij. mundo me Christus ade.**

Quod quidem Epitaphium idem Doctor Michaël Martinez ita est interpretatus, Ego Poncas cognomento, vel genere Roncas, qui scripsi Moralia, id est Leges, seu Statuta, siue Regulas componendi mores, & vitam presbyterorum, huic Ecclesiæ famulantium, sum primus à Beata Virgo, qui ante tuos vultus, siue in conspectu sacelli tui, ritè, & more Christiano sepultus sum: non more

Gentilium: contigit hoc XIII. Cal. Iulij, quo tempore Christus me huic mundo ademit, quod quo anno acciderit, cum ex inscriptione minimè eliciatur, deducit ille ex fundatione eiusdem Ecclesiæ quinque mensibus post dictam fundationem accidisse.

In secundo verò inuentum est cadauer Leuitæ nomine Laurentij cum hoc epitaphio.

**Hic Leuita puer Laurentius est tumultatus.
In Iulias Idus migravit spiritus huius.
M bis C X quater abq; sub anno.**

Qui versus planum habent sensum excepto ultimo, cuius primus character ænigmaticus M varias habet explicationes, potest enim explicari, vt significet idem, quod Modò, vel Millesimo, vel Mundo. Sed vt versus debita mensura seruetur, videtur legendum, Mundo, & sic erit sensus: Laurentius puer Leuita hic est tumultatus, cuius

spiritus migravit ex hoc mundo Idibus Iulij, qui sub annis bis centum, & decem sublatis quatuor sepulturam accepit, quanquam idem Doctor Michaël Martinez illum sub anno Christi 196. sepulturam accepisse interpretetur.

Demum in tertio sepulchro duodecim illius Ecclesiæ Canonicorum ossa cum hoc epitaphio sunt adinuenta.

**Hic duodenorum sunt condita Canonicorum
Ossa sub hac petra, quos Christus sumat ad æthra 800**

Quod similiter Epitaphium planum est, excepta illa vltima nota 800 quam nonnulli putant denotare annum octingentesimum, quam interpretationem rejciunt præfati Doctores. Sentit verò idem Martinez, illorum Canonicorum ossa circa annum Domini 250. ibi recondita, quod si verum est, habemus in insigni, & totius Hispaniæ olim præclarissima Ecclesia insigne testimonium ad Canonici ordinis dilatationem, etiam ante D. Augustinum

stinum in partibus Hispaniarum ostendendam. Non me fugit Excellentissimum Doctorem Bartholomæum Laurentium eiusdem Ecclesiæ dignissimum olim Priorem, ac totius Regni Aragonensium Generalem Chronistam, quem sequi videtur idem Didacus Murillo, aliter prædictas inscriptiones interpretatum. Verum ad Canonici ordinis antiquitatem, & dilatationem ante D. Augustinum probandam, ista sufficiant.

Caput

Caput duodecimum.

De insigni reformatione Canonici Ordinis in Ecclesia Hipponensi facta per Diuum Patrem Augustinum.

I.



Vod de foemina illa præclarissima inquit Sapiens Prouerbiorum cap. 31. *Multæ filia congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Quam Ecclesiæ Catholicæ typum gestare, testatur in eum locum Glossa ordinaria, illud ipsum ex foeminis ad viros, & ad eiusdem Ecclesiæ pastores transferendo, de Beatissimo Patre, & Patriarcha nostro Augustino meritò dicendum videtur, quam plures Sanctissimos Pontifices in varijs mundi partibus Canonici Ordinis reformationi, ac instaurationi operam dantes, Sanctitatis, meritorum, ac doctrinæ diuitijs Ecclesiam Catholicam locupletasse: verum illos omnes longè supergressum ipsum Beatissimum Patrem Augustinum. Si quidem ex hoc sanctissimo Præsule reformationem adeo insignem Ordo noster Canonicus accepit, & in Ecclesia Catholica tam altè suas radices defixit, tam latè, ac longè suos palmites distendit, tam eximios, & copiosos omnimodæ virtutis, probitatis, ac doctrinæ fructus retulit, vt breui rotam Ecclesiam informauerit: ac exinde Canonicorum instaurator, & autor iure sit ab omnibus per Antonomasiam ferè solus nuncupatus. Monstrauimus in prima parte, B. Augustinum factum presbyterum intra, siue iuxta Ecclesiam parochialem vrbs Hipponensis monasterium clericorum instituisse, ac cum illis secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam viuere coepisse, quod vitæ genus vt factus Episcopus etiam in Episcopali dignitate positus teneret, alterum in domo Episcopi monasterium clericorum habere voluit, cum quibus vsque in extremum præsentis vitæ institutionis Apostolicæ modum tenere voluit. Nunc mentis nostræ propositum est, ostendere, quemadmodum reformatio Ordinis per hunc Beatissimum virum inter clericos Hipponenses instituta, Deo adiuuante, primum per Africæ regiones, ac deinde per omnes mundi prouincias fuerit propagata.

II.

I Taque Beatus Patriarcha noster Augustinus cū Mediolani per sanctum virum Ambrosium Mediolanensem Episcopum, & illius Archidiaconum Simplicianum alterius quidem publicis concionibus, alterius verò priuatis locutionibus in fide Catholica eruditus, ac ætatis suæ anno trigesimotertio sacro baptismo initiatus cum matre Monica filio Adeodato, ac socijs Mediolano vale dicēs, ad Ostia Tiberina contendisset, ibiq; matre Monica eodem anno die 4. Maij defuncta post aliquot menses, quibus Romæ commoratus est, ex Ostijs Tiberinis sol-

uens eodè anno ad Africam repedauisset, ad agros proprios reuersus, ac ibidem in agro Tagastenti constitutus, alienatis à se curis secularibus, cum amicis orationi, lectioni, & meditationi triennium ferè integrum consumpsit, scribens libros, docens indoctos. Verum quia disponebat esse in monasterio cum fratribus, cum quibus apud agros proprios, & in domibus paternis constitutus communem vitam, licet non secundum regularia alicuius Ordinis instituta, iam inchoauerat, intelligens fidei relatione, reperiri apud Hipponem Regium, virum quendam ex ijs, quos dicebant agentes in rebus, hominem Christianum, & Deum timentè, qui diceret, ac promitteret, se mundi huius omnes posse contemnere cupiditates, si aliquando ex ore illius Dei verbum audire meruisset, propter illum lucrandum, vt secum esset in monasterio, confestim ad ciuitatem Hipponensem contendit: & hominè visum frequentius allocutus fuit, ac etiam exhortatus, vt quod Deo vouisset, diutiùs reddere non differret. Verum quòd eo tempore S. Valerius Hipponensis Episcopus in Ecclesia de eligendo presbytero Ciuitatis plebem Dei alloqueretur, à populo, cum quo aderat, apprehensus, & Episcopo oblatus, inuitus, & reluctans cum multis lacrymis est presbyter ordinatus. Factus ergo presbyter monasterium mox instituit, non in solitudine, sed in Ciuitate, non in nemore, sed in horto Valerij Episcopi prope ipsam Ecclesiam parochialem constituto, non sanè Eremitarum, quid enim illorum temporum Eremitis cum Ciuitatibus? quid cum Ecclesijs parochialibus? quid cum exercitio regendæ plebis, vel curæ animarum? sed clericorum, siue Religiosorum, ex quibus veluti plantario quodam, & seminario tum Hipponensis, tum aliarum Ecclesiarum, iuxta illarum indigentias, clerici sumerentur: cum quibus quidem clericis secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam triennio vixit, orando, lectioni incumbendo, verbum Dei etiam publicè in Ecclesia prædicando, Hæreticos verbo, & scriptis priuatè, ac publicè insectando, & acerrimè profligando, sic factum est vt lucerna ardens, & lucens supra candelabrum eleuata omnes, qui erant in domo, suo lumine illustraret: quod animaduertens S. Valerius Episcopus, timens, illum ad regimen aliarum Ecclesiarum postulari, suæ ciuitati benè consulens, cum Episcopo Carthaginensi, & cum primate Numidiæ per literas occultè egit, illum Episcopalis muneris coadiutorem sibi dari, atque in hunc modum B. Augustinus Hipponensis Ecclesiæ coadiutor in Episcopali munere Valerio adhuc superstite fuit ordinatus: qui ne prioris propositi institutum in priori monasterio susceptum desereret, in domo Episcopi alterum monasterium clericorum, concedente Valerio, statim fundauit, atque in hunc modum Ecclesiam Hipponensem ad normam vitæ regularis veterum clericorum nascentis Ecclesiæ primus reformauit.

C Aterum qualia, & quanta fuerint, quæ in III. Sede Episcopali constitutus pro Dei gloria, & Eccle-

Ecclesiæ utilitate gessit, tulit, dixit, scripsit, deprauatos mores corrigendo, vitia extirpando, hæreticos, & hæreses insectando, fidem Catholicam propagando, instituti nostri non est hic longius narrare; qui non illius panegyricum scribendum, sed Canonici Ordinis per illum reparati historiam, ac ferriem narrandam sumpsimus. Verum quia verus Christiani gregis Pastor ipse cœpit facere, & deinde alios docere, & regularis disciplinæ formam, ad cuius normam alios reformare studuit, primus ipse experiri voluit, & vsque ad postremam huius vitæ periodum exactissime obseruauit: non abire fuerit ex amœnissimo vitæ illius per Possidium quadragenarium illius discipulum exarata viridario paucos flores decerptos, & fasciculo breuissimæ narrationis summatim collectos venerandis Patribus, & Dominis meis omnibus clericis Canonicis odorandos præbere: vt exemplo Sanctissimi Patris nostros mores, ac studia, nos, qui eius filij nuncupamur, & sumus, componere discamus. Vestes illius, nimirum birrum & tunica linea, quas ex cõmuni vestiario cæterorum clericorum accipiebat, communes erant, ac tales, quales presbyteris, vel Diaconis, aut Subdiaconis, si opus haberent, dari possent, quibusque decenter vti valerent. Si quis meliorem dedisset, statim vendebat, vt quando vestis communis esse non poterat, illius pretium esset commune. Pari modo calcæamenta, & lectualia, & id genus cætera omnia ex moderato, & competenti habitu erant: nec nitida nimium, nec abiecta plurimum: Nam ex utroque homines plerunque sua quærentes, & non quæ Iesu Christi sese velle iactare, vel abijcere solent, ipse verò medium tenens, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinabat.

Mensa utebatur frugali & parca, & inter olera, & legumina quandoque propter hospites, & infirmos carnibus vesceretur. Vinum autem semper habebat, memor Apostoli ad Timotheum scribentis: Noli adhuc aquam bibere, sed vtere modico vino propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas.

Cochlearibus argenteis utebatur, cætera vasa, quibus cibi mensæ inferebantur, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant: non necessitatis inopia, sed proposito voluntatis, in qua mensa disputationem, vel lectionem magis quam epulationem, aut potationem diligebat, quam etiam ob causam contra pestilentiam humanæ consuetudinis in eadem mensa scriptum legebatur.

Quisquis amat dilectis absentum rodere famam,

Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Vnde omnes cõuiuas à superfluis, & noxijs fabulis, & detractionibus abstinere admonebat: nam & quosdam suos familiarissimos Episcopos illius scripturæ oblitos aliquando tam asperè obiurgauit, vt diceret, aut delendos esse illos versus de mensa: aut se de mensa ad suum cubiculum surrecturum.

Hospitalitatem semper exhibebat: pauperum

verò semper recordabatur, quibus erogabat, quod sibi, ac suis omnibus secum habitantibus erogabatur, vel de redditibus possessionum, vel de oblationibus fidelium, deficiente verò pecunia, & Ecclesiæ Gazophilatio à fidelibus neglecto, cum non esset, quod ad subueniendum pauperibus posset erogari, iuxta morem S. Ambrosij populum monebat, vt prouideret: & si opus esset, etiam sacra vasa frangi, & conflata pauperibus distribui iubebat: quod & sanctum Ambrosium egisse illo præsentate, cum Mediolani esset, multoties referebat.

Cum ipso semper clerici vna etiam domo, ac mensa, sumptibusque communibus alebantur, & vestiebantur. Inter cætera maxima cura illi erat, ne sui clerici iurarent: & si prolapsus quis fuisset, vnam de statutis portionibus amittebat: nã præfixus erat numerus portionum, commonebat eos sæpius, ne quis aduersus fratrem aliquid habens, irreconciliatus accedere præsumeret ad altare, ac memores essent iuxta Euangelicam sententiam, etiam septuagies septies offensos, veniam postulantibus indulgere.

Fœminarum intra domum illius nulla vnquam conuersata est, nec mansit, nec germana quidem soror, quæ vidua Deo seruiciens multo tempore vsque in diem obitus sui Præposita ancillarum Dei vixit: sed nec fratris filia, quæ pariter Deo seruiebant, quas personas Concilia sanctorum Episcoporum à conuersatione clericorum non excipiunt. Dicebat enim, & si de sorore, ac nepotibus cum clericis commorantibus nulla iuste nasci posset mala suspicio: tamen quia illæ personæ sine alijs necessarijs, aut secum manentibus fœminis esse non possunt, & ad illas etiam aliæ à foris intrabant, ex his posse offendiculum, vel scandalum infirmioribus nasci. Si verò ab aliquibus fœminis vt videretur, aut salutaretur, rogabatur, nūquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis vnquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset.

Fabricarum nouarum studium nūquam habuit, vndeuitans occupationes animi sui, quem semper ab omni rerum molestia temporalium liberum habere volebat, volentes tamen ædificare non prohibebat, nisi quæ immoderata fuissent.

Domus Ecclesiæ curam, omnemque substantiam ad vices valentioribus clericis delegabat, nunquam clauem, nunquam anulum in manu habuit, sed ab eisdem domus præpositis cuncta accepta, & erogata notabantur. Domum verò, vel agrum, seu villam nunquam emere voluit: verum si ab alijs Ecclesiæ sponte offerebantur, non respuebat, sed suscipi iubebat. Nam & aliquas hæreditates recusauit, quod iustum, & æquū existimabat, vt à mortuorum filijs, vel propinquis magis possiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerunt, sed & illud memorandum, quod ciui Hipponensi, qui possessionem Ecclesiæ donauerat, & confectas tabulas vltro eidem Augustino miserat, post aliquod annos petenti, vt donationis tabulæ filio suo restituerentur, confestim reddidit, dicens etiam frequenter,

secu-

securius Ecclesiam legata à defunctis dimissa suscipere, quàm hæreditates forte sollicitas, & damnosas: & dum forte, vt solet, de possessionibus inuidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collectionibus plebis viuere, quàm illarum possessionum curam, vel gubernationem pati: & paratum se esse illis cedere, vt eodem modo omnes serui Dei, & ministri uiuerent, quo in veteri testamento leguntur altari deseruientes de eodem participare.

VI. **V**erbum Dei vsque ad extremam ægritudinem imprætermisè, alacriter, fortiterq; membris omnibus sui corporis incolumis, integroq; aspectu, & sano consilio in Ecclesia prædicauit, Bibliothecam, & Codices diligentissimè custodiendos posteris commendauit, ornamenta uero, quæ in Ecclesia erant, fidei presbyteri, qui sub illo curam gerebat domus Ecclesiæ commendauit.

Consanguineos suos vel extra, vel in proposito continentia secum constitutos sicut in vita, ita & in morte sua, more reliquorum vulgi tractauit: quibus cum adhuc superesset, si quid eis opus fuit, quod cæteris, erogauit, non vt diuitias haberent, sed vt aut non, aut minus egerent.

In ætate iam prouecta, & ad senectam vergente constitutus, normam uitæ suorum clericorum vsu hæcenus retentam in scripturam redigere uoluit: quam & Speculum clericorum appellauit, vt in ea tanquam in speculo ipsi clerici seipos inspicere, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & suorum errorum maculas tergere, & errata corrigere ualèrent. Hæc est Regula illa toti mundo celeberrima, quæ sub alio titulo uocatur tertius sermo de Communi uita clericorum.

VII. **T**estamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Christi seruus non habuit. iam uero sub extremum diem istius uitæ constitutus, dum in lecto decumberet, & magnis febribus agitaretur, quo tempore quidam ægrotus ueniens ad illum, sanitatem recepit, ipse psalmos de Pœnitentia scribi, & iuxta se ad parietem iussit apponi, quos in lecto iacens legebat, & meditans intuebatur, & ybertim flebat, & vt ne aliquis illius meditationibus impedimento esset, ante decem dies, quam sanctissima illa anima de corpore exiret, mandauit, ne quis ad eum intraret, præter medicos, & cum ad eum refectio inferebatur, tandemq; membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu, atque auditu, præsentibus, & uidentibus suis clericis, & cum illo pariter orantibus, obdormiuit in pace.

VIII. **H**æc Beatissimi Patris uitæ norma extitit, hæc uiuendi regula, quam suis clericis præscriptâ primus ipse expertus, & professus cæteris seruandam proposuit, in qua cum summa totius Euangelicæ perfectionis, & Christiana religioſitate, urbana ciuilitatis imago quædam exactissima relucet, unde non mirum, si hæc ipsa uitæ norma omnibus clericis ita placuerit, vt non solum post illius obitum per totum Orbem, uerumetiam illo

adhuc superſtite in varijs Regionibus fuerit propagata, nam vt de illius propagatione ante ipsius Beati Augustini obitum aliquid breuiter dicamus, præter primum monasterium in horto Valerij, & secundum in domo Episcopali institutum, tertium quoque fundauit Leporius eiusdem Beatissimi Patris discipulus, & Regularis clericus, generis quidem nobilitate clarus, sed regularis disciplina obseruantia longè clarissimus, de quo idemmet Augustinus serm. 2. de Communi uita clericorum ita scribit. *Vestrum plurimi sciunt, presbyterum Leporium, quamuis seculi natalibus clarum, & apud suos honestissimo loco natum, tamen iam Deo seruientem, cunctis, quæ habebat relictis, inopem suscepti: non quia nihil habuit, sed quia iam fecerat, quod lectio ista persuadet. Hic non fecit, sed nos scimus, ubi fecit, unitas Christi, & Ecclesia una est, ubicunque fecit bonum opus, pertinet ad nos, ut sibi gaudeamus. Hortus est unus, ubi nostis, ibi monasterium suis constituit: quia & ipsi Deo seruiunt. ille hortus ad Ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum, & ad quem dixeris aliquis? ad illud, quod ibi est monasterium.*

Sed & quartum addidit presbyter Barnabas eiusdem instituti, & Societatis Canonicus. de quo similiter idem Augustinus in eodem sermone hæc subiungit. *Dixi, aliquid suum non habere presbyteros cohabitatores meos, inter quos est & presbyter Barnabas: sed de illo audiui, quædam fuisse iactata, ante omnia quod emit uillam à dilecto, & honorabili filio meo Eleusino. Hoc falsum est, Monasterio donauit ille, non uendit. Ego sum testis, quid amplius queratis ignoro. Ego sum testis, donauit ille, non uendit: sed dum non creditur donare potuisse, creditur uendisse. & infra. Remansit aliquid, quod non debebatur etiam monasterio illi, quod per ipsum Deus instituit. & ut semel cum Possidio dicamus, clerum sufficientissimum, & monasteria uirorum, & mulierum, continentium plena cum suis præpositis in Ecclesia, cum Bibliothecis suis libros, & tractatus, & suos, & aliorum continentibus reliquit.*

AT non solum in Ecclesia Hipponensi, & adiacentibus Africanis, uerum etiam in transmarinis regionibus hæc tam sancta institutio eodem Augustino in uicis agente mirum in modum fuit propagata, de qua propagatione, qui eam oculatus uidit Possidius cap. 11. in hunc modum scribit. *Proficiente uero doctrina diuina sub sancto, & cum sancto Augustino, in monasterio Deo seruientes Ecclesia Hipponensi clerici ordinari ceperunt: ac deinde innotescente, ac clarescente de die in diem Ecclesie Catholice prædicationis ueritate, Sanctorumq; seruorum Dei proposito, continentia, & paupertate profunda, ex Monasterio, quod per illum Venerabilem uirum, & esse, & crescere ceperat, magno desiderio poscere, & accipere Episcopos, & Clericos pax Ecclesia, atque unitas & cepit primo, & postea consecuta est. Nam ferme decem, quos ipse noui sanctos, ac uenerabiles*

viros continentes, & doctissimos Beatus Augustinus diuersis Ecclesijs, nonnullisq; eminentioribus rogatus dedit. Similiterq; & ipsi ex illorum Sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesijs propagatis, & monasteria instituerunt, & studio edificationis verbi Dei ceteris Ecclesijs promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt. unde per multos, & in multis, salubris fidei, spei, & charitatis Ecclesie innotescere doctrina, non solum per omnes Africanas partes, verumetiam in transmari- nis, & per libros editos, atque in Græcum sermo- nem translatos, ab illo uno homine, & per illum multis, fauente Deo, multa innotescere meruerunt.

& cap. 15. de Mercatore illo Manichæo ad ipsius Augustini prædicationem conuerso verba faciens: *Ex eo, inquit, ille homo proposito seruorum Dei ad- hærens, negotiatoris dimisit actionem: & proficiens in Ecclesia membris in alia regione ad presbyterij quoque Dei voluntate petitus, & coactus officium accessit: tenens, atque custodiens propostis sancti- tatem. & forse adhuc usque nunc in rebus humanis viuit trans mare constitutus.*

X. **Q**uæret forsitan aliquis, in quibusnam transma- rinis regionibus viuente Beato Augustino, hæc illius reformatio fuerit propagata. Huic ego quæstioni quid certi respondeam, me non habere ingenuè profiteor: nam quæ de Leporio Epi- scopo Vticensi in Bethica, & de Profuturo item Episcopo Bracharense similiter in Bethica, Ioannes Marquez in suo libro de Origine fratrum Eremitarum scribit, apocrypha, & falsa sunt, vt in prima parte monstrauius. Nihilominus si coniecturis in re prorsus incerta vt, ac diuinare liceat, affir- mare, in illis potissimum prouincijs Augustinia- num institutum propagatum, quibus tunc tem- poris cum Africanis, & præsertim Hipponensibus commertia, eaq; frequentissima intercedere sole- bant. Eiusmodi erant Gallicæ, ac Hispanicæ, Tir- reni, Gallici, & Iberici littoribus adiacentes, vt Narbonensis, Barchinonensis, Valentiana, Car- thaginensis, & finitimæ, necnon etiam interiacen- tes insulæ Corsicæ, Sardinia, Caprariæ, nam in- ter istarum Regionum, & Africani littoris Hippo- nensis accolæ, commertia, familiaritatem, & ne- cessitudinem intercessisse, conuincunt epistolæ bea- torum Hilarij, & Prosperi ad Augustinum, & quæ pro eiusdem Augustini doctrina de Prædestinatio- ne tuenda contra Massilienses iisdem Prosper, & Hilarius egerunt, & epistola Diui Augustini ad Hilarium 89. necnon etiam acta per Cassianum, & ceteros presbyteros Galliarum pro Leporio Epi- scopo Vticensi in Africa ab errore Pelagiano re- uocando, atque tandem colligitur ex literis, & nuncijs Episcoporum Hispanorum ad Augustinum missis, ex quibus vnus extitit Paulus Orosius eius- dem Augustini discipulus, eiq; familiaritate iunctissimus; vt alia omittam, quæ sacras Histo- rias legentibus passim occurrunt. Quod non sine causa animaduerrere oportuit, estq; memoriter tenendum propter ea, quæ de D. Augustini insti-

tuto per Sanctum Patritium in Hyberniam delato inferius dicemus.

Caput decimumtertium.

De Augustiniana reformatione post ex- cidium ciuitatis Hipponensis per totum Orbem propagata.



Inter eximia seruorum Dei priui- legia, illud mea sententia præci- puum, & præclarissimum videretur, quod Beatus Iob cap. 8. recensuit, cum illos arbori cuidam in horto plantatæ, ac succi ple- næ comparauit, quæ radicibus inter acervos lapi- dum defixis, nec vim ventorum, nec Solis æstum timeat: quam si quis conuellere nitatur, illius conatum rideat, ac tandem si securi succidere voluerit, nouis stolonibus emissis, mille alijs vijs repullulet, & exurgat. *Humectus, inquit, videtur antequam Sol veniat, & in ortu suo germen eius egredietur.* Hebraicus, Tigurina, Vatablus, & Pagninus legunt. & in horto germen eius egredietur. *Super acervos petrarum radices eius den- sabuntur, & inter lapides commorabitur, si ab- sorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & di- cet, non noui te: hæc enim est latitatio cordis eius, vt rursus de terra alijs germinetur.* Istud exi- mium priuilegium etsi omnium Dei seruorum sit proprium, tamen in Beatum Augustinum, & in ordinem Clericorum Canonicorum ab illo refor- matum, qui secundum Deum germen est illius de- lectabile, tam propriè, & tam exactè quadrat, vt in nullos vnquam magis. Nam sicut negari ne- quit, Beatissimum Patrem arborem pulcher- rimam fuisse, iuxta decursus aquarum planta- tam, quæ tanta diuinæ gratiæ, supernæ scien- tiæ, virtutum, & donorum plenitudine exube- rauerit, vt non modò inestimabiles fructus dede- rit, verum etiam inter mundi pressuras hæreti- corum persecutiones, & malorum inuidias, nec Solis æstum timuerit, nec folium illius defluxe- rit: sed & omnia, quæ facere cogitauit, Deus prosperè illum agere voluit: ita sanè huius Bea- tissimi Patris germen, quod factus presbyter in horto à Valerio sibi donato plantauit, quando vt Possidius inquit, monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit, secundum modum, & regulam sub Sanctis Apo- stolis constitutam, Deo protegente, & adiuuan- te, tam altè suas radices defixit, tam longè, ac latè suos ramos distendit, tam copiosos, ac vber- res virtutum, & meritorum fructus retulit, vt non solum ex illo horto egressum plurimas Ec- clesias, & monasteria circunquaque compleue- rit, in quibus Augustiniani clerici, eodem Augu- stino adhuc viuente, fuerunt instituti, propagati, multi-

multiplicati: sed quod est dictu mirabile, & vix credendum, quantiscunq; persecutionum conatibus Diabolus per Vvandalos, Alanos, Gothos, Hæreticos, Arianos, Pelagianos, Donatistas, cæterosq; Inferni ministros illud eradicare, & de Ecclesia conuellerè conatus fuerit, non modò illud succidere non potuit, quin potius per totum orbem mirificè propagatum est, & per omnes Ecclesias dilatatum. id verò quemadmodum acciderit, consequens nunc est, vt ex Victore Vticensi, necnon etiam ex gestis S. Quodultdei Carthaginensis Episcopi, & alijs probatis Historicis breuiter apertiamus.

II. **I**gitur Beatissimo Patre nostro Augustino de corpore mortis huius egresso circa annum salutis 431. irruptionis Vvandalorum in Africã ann. 3. obsidionis verò Ciuitatis Hipponensis mense 4. vel 5. ætatis illius anno 76. furor Barbarorum, qui in electos quosq; Catholicos, præcipuè tamen in Sacerdotes, Episcopos, ac cæteros clericos desæniebat, in ipsam Beatissimi Patris familiam præ cæteris recrudescere, & exquisitis tormētis coepit debacchari. Hinc plurimi gladij trucidati, nūnulli rogo succenso iniecti, alij admotis candentibus laminis toto corpore exustulati: quidam squalore carceris, & inedia necati, certaminis sui cursum foeliciter peregerunt. Ex his fuerunt Lætus, Episcopus, Papinianus, Mansuetus, Archiminius, Saryrus, & Armogastus. Alij verò exilio fuerunt dånati, vt S. Quodultdeus Episcopus Carthaginensis, Gaudiosus Episcopus Bitinensis, Gelasius Valerij filius, qui postea fuit Romanus Pontifex, Valerianus, Vrbanus, Hortulanus, Fusculus cæteris circiter ducentis Episcopis, & clericis per Italiam, & alias Prouincias dispersis. Hinc verò Deo protegè, & Beatissimo Patre nostro suis precibus adiuuante effectum est, vt contra quam hostes Ecclesiæ sperauerant, ipsa D. Augustini plantatio inter aceros lapidum altiùs radices defixerit, & inter procellas persecutionum suos palmites longiùs, & latius distenderit, & ex naturali, vt sic dixerim, solo Ecclesiæ Africanæ excisa, in Ecclesijs Italicis, Gallicis, Hispanicis, & alijs per varias mundi prouincias maiori cum incremento fuerit replantata.

III. **D**E hac propagatione consequenter nunc dicturi, vt Ordinè ab Aristotele nobis traditū seruemus, qui docet ab vniuersalibus ad particularia progressum nos facere, monstrabimus primò generali, & vniuersali ratione, ipsum ordinem canonicum à Diuo Augustino reformatū per omnes Christiani orbis Prouincias tum in Oriente, tum in Occidente fuisse dilatatum. postea de illius propagatione per singulas prouincias verba faciemus. Et sanè canonicam institutionem à B. Augustino reformatam non solum in partibus Africæ, verum etiam per cunctas Christiani orbis prouincias fuisse ampliatam, & ab antiquissimo tempore viguisse, vt alia documenta innumera, & authentica omittamus, quæ inferius in progressu recensenda erunt, probari potest ex Bulla reformationis generalis ip-

fius Canonici ordinis factè per Benedictū Papā XII. quæ incipit: *Ad decorem Ecclesiæ sponse Dei*. nam in ea Bulla in cap. de Capitulis Prouincialibus singulis triennijs, vel quadriennijs in singulis prouincijs celebrandis, omnes Prouinciæ, in quibus Canonici Regulares viuentes sub regula B. Augustini per ea tempora inueniebantur, in huncmodum referuntur.

Constitutionem insuper Concilii Generalis de communi Capitulo Abbatum, atque Priorum Abbatum proprios non habentium in singulis regnis, sive Prouincijs faciendo valentes exacta diligentia obseruari, statuimus, quod in religione prædicta in singulis prouincijs per nos designatis inferius, & distinctis fiat in loco, qui ad hoc fuerit deputatus, de quadriennio in quadriennium, saluo iure Diocesani, commune, seu prouinciale capitulum Abbatum, Praepositorum, Priorum, cæterorumq; Pralatorum Abbatum, seu alios pralatos, superiores eiusdem ordinis non habentium &c. & infra. Vt autem in Prouincijs, in quibus dicta capitula fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum hæsetur, quamlibet prouinciam quoad huiusmodi prouincialia tenenda, & celebranda Capitula, prout sequitur limitamus. In primis Vrbs Romana cum Episcopatibus nobis immediatè subiectis in nostra speciali prouincia cum toto Regno Siciliae pro vna prouincia computatur. Prouinciæ Thebana, Cretensis, Atheniensis, Patracentis, Corinthiensis, & Neopathensis, cum toto Patriarchatu Constantinopolitano pro vna. Regnum Cypri pro vna, Regnum Corsica, & Sardinia pro vna. Prouincia Pisana, Ianuensis, Mediolanensis, & Rauennas cum Episcopatibus Placentino, Ferrariensi, & Ariminensi pro vna. Patriarchatus Aquilegiensis, & Gradensis cum Prouincijs Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Antibarensi pro vna Prouinciæ Strigoniensis, Collocensis, & Gneznensis, cum Episcopatu Caminensi pro vna. Righensis pro vna, Salsburgensis, Magdeburgensis, & Bremenensis pro vna. Colonienensis, Maguntinensis, Treuirenensis cum Episcopatu Båbergeni pro vna. Ebredunensis, Viennensis, Aquensis, Arelatensis pro vna. Lugdunensis, Tarantasiensis, & Bisuntina pro vna. Rhemensis, Senonensis pro vna. Rotomagensis, & Turonensis pro vna. Burdegalensis, & Bituricensis, cum Episcopatu Aniciensi pro vna. Narbonensis, Tbolosana, & Austana pro vna. Taraconensis, & Cesaraugustana cum Episcopatu Maioricensi pro vna. Toletana, Hispalensis, Compostellana, & Bracarenensis pro vna. Cantuariensis, & Eboracensis pro vna. tota Hybernia pro vna. Regnum Scotiæ pro vna. Regnum Dacia, Noruegia, & Suetia pro vna prouincia deputantur. Si qua verò Episcopatus, vel monasteria, aut loca alia dictæ Religionis existant, quæ in aliqua dictarum prouinciarum minimè includantur, quoad dicta Capitula prouincialia insellegantur esse de illa Prouincia, cui viciniora existere dignoscuntur. Hæc in dicta Bulla. Ex quibus facillè coniectari

potest, si tempore istius Pontificis, quo ipse Ordo Canonicus senescens, ac incuruatus fere cadebat, tot nihilominus Regulariū Canonicoꝝ Prouincię in omnibus mundi partibus numerabantur, quid de prisca temporibus censendum, quibus in flore adolescentię, & iuuentutis erat constitutus? quibus inquam tot Regna Christi fidem colebant, quę non solum à fide Catholica, verum etiam à Christiana Religione prorsus defecerunt. Nec hyperbolem esse, quod dixit Volaterranus lib. 21. Commentariorum Vrbanorum: *Denique nulla magis Religio propagauit, cuius cœnobita olim in Europa ad quatuor millia quinquaginta quinquaginta quinque, in Italia septingenta.*

Caput decimumquartum.

De reformatione Sacrosanctę Patriarchalis Basilicę Lateranensis facta per Beatum Gelasium Valerij filium, Sancti Augustini discipulum, & Canonicum Regularem.

I.



Ad mare, inquit Sapiens, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant, ostendimus libro antecedenti non semel, institutionem, & vitę normam, secundum quam B. Augustinus Hipponenses clericos instituit, & ad Regulam Apostolicam informauit, ex Italia in Africam ab illo euectam, ab Ecclesia Romana, & Mediolanensi potissimum exemplatam. Quid igitur mirum si post illius obitum eadem regularis institutio in Italiam postliminio statim repedauerit, & ad suum caput recurreret, vt ex illo per omnia huius mystici corporis membra iterum diffunderetur. Nam defuncto Beatissimo Patre nostro Augustino, quemadmodum superiori capite dictum est, omnes illius discipuli vel per martyrium foeliciter consummati fuerunt, vel exilio ad varias terrarum Prouincias deportati. Porro inter alios illius alumnos, qui ob Christi fidem, & Sanctę Religionis clientelam, exilio fuerunt damnati, vnus extitit Beatus Gelasius, quem natione Afrum, & Valerij filium, eius inquam Valerij, qui Hipponensis fuit Episcopus, liber Pontificalis Damaso adscriptus, & à Gratiano in cap. Osius 56. d. relatus, Anastasius Bibliothecarius, Platina, Onuphrius, & alij communiter attestantur. Hic cum ab Hunnerico Vandalorum Rege impijssimo cum Sanctis Quoduultdeo Carthaginensi, Gaudio Bitinensi ac cæteris Episcopis, & clericis ex Africa pulsus circa annum salutis 440. Neapolim Campanię Ciuitatem appulisset, Romam veniens à Sancto Leone Primo huius nominis Pontifice perbenignę susceptus, & in Sacrosancta Lateranensi Basilica collocatus, eandem Basilicam ipso Romano Pontifice in primis iubente,

& adiuuante, secundum D. Augustini Regulam ad originarium eiusdem Ecclesię institutum à B. Syluestro primitus in ea plantatum, sed progressu temporum aliquantulum relaxatum, reformandam totis viribus procurauit: in qua cum sanctissimę per multos annos cum cæteris illius Ecclesię Sacerdotibus, & clericis iuxta prædictam regulam vixisset, tandem ad Summum Pontificalis dignitatis apicem à Clero, & Populo Romano fuit vnanimiter subleuatus, & sic sub isto Sanctissimo Pontifice, & per ipsum Ordo Canonicus secundum reformationem, & regulam traditam à B. Augustino primum in ipsa Ecclesia Lateranensi, deinde in alijs Ecclesijs tum in Vrbe Roma, tum in alijs Ciuitatibus, & Prouincijs breuissimo temporum interuallo est propagatus, & confirmatus, quod euidenter ostendunt innumere Cathedrales, & alię Collegiatę, intus, & extra Italiam constitutę. de quibus, vt nunc in particulari distinctę aliquid dicamus, à Sacrosancta Lateranensi Basilica narratione ordiemur. In hac igitur Sacrosancta Basilica, quę ex omnibus Ecclesijs ritu solemniori per Romanos Pontifices dicatis prima extitit, Ordinem Canonicum secundum Regulam à D. Augustino traditam per B. Gelasium Valerij filium, & eiusdem Augustini discipulum fuisse institutum, & continuata successione per annos circiter octingentos, nimirum ab ipso Gelasio Primo, vsque ad Bonifacij Papę Octauij tempora stetisse, Solis luce clarius ostendunt innumera Pontificum diplomata, & priuilegia tum ipsi SS. Lateranensi Basilicę, tum clericis canonicis inibi degentibus concessa, quę nunc etiam in eiusdem Ecclesię Cartophilacijs adseruantur, quorum multa exempla in Bullario Romano recens edito, ac etiam in libro Indultorum nostrę Congregationis Lateranensis cernere licebit, quę quod huic nostro volumini inscribere ad nostrę narrationis veritatem probandam durus esset labor, illorum tenoribus omissis solum duos testes oculatos adhibendos censuimus, quorum alter Summus Pontifex dum existeret, ea exhiberi sibi fecit, & vidit: alter verò quod esset Ecclesię Romanę Bibliothecarius, eiusdem Basilicę omnia archiua fatetur se fuisse, quam diligentissimę iustratum. Horum testium primus fuit Eugenius Papa huius nominis Quartus in Bulla, per quam Canonicos Regulares eidem SS. Lateranensi Basilicę tanquam veros, primæuos, & originarios illius Ecclesię Clericos restituit, in qua inter alia multa, quę in laudem Canonici Ordinis exarauit, hæc literis mandauit: *Decet igitur, vbi totius sanctitatis est caput, vbi herent terrena caelestibus, vbi est gratie magnitudo, sacratissima holocausta, & immaculata obsequia diuinę maiestati cum omni sanctitate persolui, & munda sacrificia offerri diuino conspectui. Hac igitur pia, & sancta inspiratione ducti, & zelo domus Dei solliciti sacratissimi Pontifices prædecessores nostri, illius secuti vestigia, cuius perfecta, & ordinata sunt opera, postquam venerabilem locum pro Populi Dei salute, & Summi Regiæ gloria*

gloria decorauerunt, & ex thesauro Christi sacratissimo inenarrabilibus, & incomprehensibilibus indubgentijs, & diuinæ gratiæ largitate, & remissionem exuberantia ornauerunt, honorum priuilegijs sublimauerunt, & decorauerunt titulis dignitatum, diuinam in terris familiam clericorum, qui religiosam vitam ducerent, & ad exemplum nascentis Ecclesiæ sanctam institutionem seruarent, quos Canonicos Regulares appellamus, & sacrum inter clericos, & ministros Christi viuendi modum in Sacrata Basilica instituerunt, firmauerunt, erexerunt, & perpetuo deputauerunt: ut hi primæ in terris Ecclesiæ, & matris Sanctorum Apostolica prouidentia curam gererent, qui primorum Christianæ Religionis clericorum normam, traditiones, & instituta sectantur. Huius profecto sacri ordinis, & sancti instituti post Sanctos Apostolos primum in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri discipulus institutor, & conditor: ac gloriosus Doctor Augustinus diuinis regulis, & doctrina decorauit, & sanctæ memoria Urbanus insignis martyr, & sanctissimus Pontifex Generalis decreti Ordine reformauit, & Beatissimus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo ueluti plantationem sacram in commisso sibi populo præcepit institui, & in Occidentis finibus ampliauit. Hi sunt profecto, qui Sanctorum Patrum vitam probabilem imitantur, & Apostolorum instituta instinctu Spiritus sancti renouant: qui ad exemplum illorum credentium in unum conuererunt, quibus erat cor unum, & anima una, qui pastoribus suis iuxta Ecclesiasticas, & Apostolicas traditiones obediunt. Sicq; hæc sancta, & placens Deo institutio antiquitas, & ab ipsis serè primordijs obseruata extitit, & Sacram Basilicam per dicti Ordinis Clericos per longa tempora sanctè, & salubriter gubernatam fuisse, certissima scientia, & veritate comperimus: & hoc euidentissimè testantur innumera documenta. Cum autem hoc pium, & salutare institutum mundo in maligno posito, ex antiqua hostis inuidia fuerit perturbatū, & per fel. rec. Bonifacium Octauū prædecessorem nostrum quadam illius temporis malitia consideratione immutatum, & per ipsum Patrum termini translati noscantur, & amotis Regularibus Canonicis, secularium clericorum, & canonicorum fuerit dicta Ecclesia curæ, & gubernationi commissa &c. Nihil amplius nostræ menti, nostris affectibus, nostræ salutis, & humeris imminere conspiciamus, quàm ut pristinum, sanctum, & diuinum opus, primam scilicet institutionem repetamus, Patrum terminos reponamus, & quasi iacenti manum porrigenes Sanctam Ecclesiam Lateranensem ad primæuum statum, & ordinem reducamus: Hæc Sanctissimus Pontifex, in quibus præter ea, quæ pro suo ingenti in ordinem canonicum affectu de eius laudibus dicit, quod ad rem præsentem attinet, hæc habet. Primò Romanos Pontifices, postquam ipsam Lateranensem Basilicam ditauerunt, & ingentissimis priuilegijs munierunt, familiam clericorum religiosorum, qui dicuntur canonici

Regulares in ea instituisse, & eidem Basilicæ perpetuo deputasse. Secundò prædictam Basilicam per longa tempora per dicti Ordinis canonicos sanctè, & salubriter fuisse gubernatam, mirum usque ad tempora Bonifacij VIII. Tertio ipsum Papam Bonifacium dictos canonicos regulares eiiciendo, & seculares introducendo, Patrum terminos transluisse. Quarto ipsum Eugenium IV. Canonicos Regulares eidem Ecclesiæ restituere uoluisse, ut sanctam illam Ecclesiam ad primæuum statum, & ordinem reduceret. & hinc sequitur. Quintò loco, ordinem primæuum, seu primariam illius Ecclesiæ institutionem fuisse clericorum regularium, non secularium, quod magis explicat inferius vocando ipsum ordinem canonicorum regularium ordinem originarium illius sanctissimæ Basilicæ. Sextò supradicta omnia Summum Pontificem asserere non ex aliorum narrationibus, sed ex certissima scientia, & veritate comperta, siue ut aiunt, causa cognita, quam, inquit, attestantur innumerabilia documenta.

A Tque hinc habes, quo illos corrigas, qui I. dicunt, illam Bullam per canonicos regulares importunis precibus, & falsis narrationibus ab hoc Pontifice extortam, de quorum numero fuit Antonius Massa Galleus Iurisconsultus in quodam suo consilio scripto pro Reuerendis Monachis Cassinensibus in causa præcedentiæ inter illos, & Canonicos Regulares Lateranenses, edito Venetijs apud Iordanum Zilletum anno 1562. fol. decimo quinto, & decimo sexto: nam præter quòd illa Bulla non est emanata ad supplicationem ipsorum canonicorum, sed motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione, & tractatione diligenter habita cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. si hanc tam constantem Pontificis assertionem factam, ut ille ait, ex certissima scientia, & veritate comperta, quam innumerabilia documenta testantur, liceat in dubium reuocare, cui alij credemus? cur non alia tum illius, tum aliorum omnium Romanorum Pontificum diplomata in dubium reuocare, ac deludere poterimus?

S ECUNDUS testis pro eadem veritate confirmanda, isq; tum ob illius eruditionem, tum quòd eiusdem Lateranensis Basilicæ, sicut etiam aliarum Urbis Ecclesiarum Archiua, & monumenta omnia est exactissimè lustratus, tum demum quòd Eremitici Ordinis fuerit professor, omni exceptione maior, est Onuphrius Panuinus in volumine proprio de Ecclesia Lateranensi quatuor libris distincto, quos ex dictæ Basilicæ Cartophilacijs, nec non ex libro Ioannis Diaconi de eadem Basilica ad Alexandrum Tertium scripto collegit. in eo siquidem volumine libro secundo, capitulo tertio, ac etiam in libello de septem Urbis Ecclesijs sub titulo de Ecclesia Lateranensi pagina mihi 132. ita scribit.

Principio statim post Basilicam conditam diuina

Z iij in

in ea speciatim ministeria celebrabant Romanus Pontifex, & presbyteri Urbis Romæ, tam Cardinales, quàm non Cardinales, septem Diaconi, totidem Subdiaconi, & reliquus Romanus Clerus, & populus fidelis. Nam psalmodiam, hymnos, & preces populus cum minoribus, maioribusue clericis canebant. Episcopus concionabatur, presbyteri omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sacramenta per vices tractabant. Aucta fidelis populi multitudine, cum presbyteri per singulos Urbis Romæ viculos distributi essent; hiq; in suis Parochijs occupati, non ita assistere Romano Pontifici possent, clericorum quoque disciplina laberetur, Gelasius Papa circa annum Domini C D. clericos, qui ab arctiore vitæ instituto canonici, id est Regulares vocati sunt (hi Apostolorum, & primitiua Ecclesiæ more secundum Beati Augustini regulam in communi vivebant) Laterani collocavit, qui presbyterorum veterum tam Cardinalium, quàm non Cardinalium loco, Basilicæ Lateranensis speciatim addicti quotidie deseruirent in administrandis præcipue Sacramentis, & publicis precibus fiendis. In quibusdam verò solemnitatibus Romanus Pontifex antiquum cum Presbyteris Cardinalibus, & alijs Basilicarum Urbis Prælati morem retinebat: nam veteri instituto in Basilica Lateranensi rem diuinam facere solebat. Canonico- rum porro prisca illis temporibus præcipuum (ut dixi) munus erat Sacramenta plebi Dei administrare: nam in psallendo minus erant occupati, quum eo tempore psalmodiam adhuc fideles populi frequentarent. Cæterum cum Religionis zelus paulatim decreuisset, Lateranensisq; Basilica non ita in psalmodia frequentaretur à populis, & canonici maioribus occupati rebus cantiones frequentare nequirent, optima occasione accidit, ut haud longè post Gelasij tempora à monachis id munus Laterani susciperetur. Qui paulo ante à Beato Benedicto Abbate in Occidente instituti optimè viuendi normam acceperant. Is enim in Monte Cassino, monachorum cœnobio adificato, eis primus omnium Occidentalium iura viuendi dedit, qui quum nullis sacris initiantur, orationibus tantum, precibus, hymnis, psalmis, & cantu in Ecclesia vacare solebant. Huic sanctissimo Patri Benedicto, quum anno Domini D XL I. obiisset in monasterij Cassinensis regimine; vir sanctus Abbas Constantinus successus est eiusdem Patris discipulus: huic Tertius Simplicius, cui quartus Vitalis, & eidem Bonitius Abbates successere. Sub Abbate Bonitio Longobardi, qui Iustino minore Augusto anno Domini DLXV III. Italiam inuasert, Cassinense monasterium nocturno tempore fratribus quiescentibus ceperunt, & omnibus direptis effecerunt, ut ne vnus quidem illic homo permaneret. fugientes itaq; ex eodem cœnobio fratres, Romam sub Ioanne Papa Tertio profecti sunt, ex cuius Pontificis concessione iuxta Lateranensem Basilicam monasterium construxerunt sub titulo Sanctorum Ioannis Baptista, Euangelista, & Pancratij, ubi per centum & triginta annos, quoad Cassinense monasterium diu-

tum permansit, persisterunt, & laicorum loco in Lateranensi Basilica sacras horas, & psalmos canere ceperunt, canonicis tantum sacra in ea facientibus, & sacramenta omnia administrantibus. Huius monasterij meminit Sanctus Gregorius libro Dialogorum secundo cap. primo. Cæterum quum processu temporis monachorum Lateranensium laberetur institutum, Gregorius Papa Tertius monasterium Sanctorum Ioannis Baptista, Euangelista, & Pancratij prope Lateranensem Basilicam antiquitus constructum renouauit, quod tum monachis superiorum Pontificum incuria destitutum pene erat. cui prædia multa, & dona contulit, & quæ inuenerat ipsius monasterij alienata, reddito pretio eidem loco restituit: ubi & Congregationem monachorum reformauit, & Abbatem constituit ad persoluenda quotidie sacra officia laudis diuinæ in Basilica sancti Saluatoris, quæ dicitur Constantiniana iuxta Lateranum, diurnis, nocturnisq; temporibus, quemadmodum tunc in Basilica sancti Petri Apostoli fieri mos erat. Quo verò tempore monachi eo loco ceperint, & canonici multiplicati monachorum munia in psallendo, & horas canonicas cantando supplere ceperint, incompertum. Certum est, aliquot seculis post canonicorum tantum Lateranensium, qui monachorum more in communi vivebant, Prioremque, qui Abbatis loco omnibus præfesset, habebant, mentionem fieri, & monachis omnino præteritis, canonicorum Ordinem dilabentem Laterani iuxta Beati Augustini regulam post multa tempora primus omnium Romanorum Pontificum reformauit Alexander Papa Secundus, qui ante Pontificatum clericus regularis fuerat, & in amplissimam dignitatem, vitæq; splendorem restituit, itaut monachis Cassinensibus magno tunc sanctitatis, & pietatis nomine florentibus, & celeberrimis nulla in re cederent. Quare ea deinceps Congregatio ingentem maximorum virorum prouentum tulit. Ex eo enim Monasterio prodierunt Honorius Secundus, Innocentius Secundus, Lucius Secundus, Alexander Tertius, & Honorius Tertius Romani Pontifices, multi præterea, & magni nominis Cardinales. Post Alexandrum Secundum, Paschalis Secundus Papa canonicum ordinem diuturni schismatis tempore paulatim laxatum, Pontifex factus salubri studio, & prouidentia in Lateranensi cœnobio correxit. floruit verò maxime hæc Congregatio Laterani sub Alexandro Tertio, & aliquot eius successoribus, cum magna hominum præstantissimorum copia, tum eximie sanctitatis opinione. Hi monasterium Lateranense incolebant, quod inter porticum sancti Venantij, & Basilicæ Lateranensis absidam inchoatum, ubi adhuc in area eadem veteris claustrum nouem columna supersunt, ab ea area ad eandem Basilicæ partem protenditur, quæ Occidentem spectat. Vbi adhuc in ipsa area vetus claustrum, totum vermiculatum cum hoc elogio in Zophoro & musiuo iam exolescente conspicitur.

Canonice formam sumentes discite normam,
Quam

Quam promissisti, hoc claustrum quando petisti.
 Discite sic esse; tria vobis adesse necesse,
 Nil proprium, morem castum portando pudorem.
 Claustrum structura sit vobis docta figura,
 Ut sic clarescant animæ, moresq; nitescant.
 Et stabiliantur animo, qui canonicantur
 Ut coniunguntur, lapidesq; sic polliuntur
 Gaudeat . . . nouellis . . . Christoq; fidelis
 Qui sua dimisit operi vel mundi . . .

Extant in eodem loco omnia monasterij vestigia,
 ut superne claustrum aliud nouum cum cellis hinc
 inde exstructum, dormitoria duo, cellula, refectorium,
 claustrum aliud interius dirutum, ubi sunt
 aliquot canonicorum domicilia. In medio verò claustrum
 vermiculati est hortus cum cisterna, & aliquot
 pulcherrimis pilis, & omnia postremo extant, qua in
 rectè institutis cenobijs edificari solent.

Permanserunt autem clerici hi, qui canonici vocati
 sunt, in communi monachorum more viuentes in
 monasterio Lateranensi Basilica adiecto annos
 plus minus DCCC. vsque ad Bonifacij Octaui
 Pontificatum, qui circa annum Domini MCCC.
 eos canonicos claustrales Monasterio Lateranensi
 exire ordinauit, & seculares clericos, qui canonici
 seculares vocantur, collocauit: singulisq; ex red-
 ditibus monasterij singulas præbendas speciatim con-
 stituit.

Caput decimumquintum.

De eodem Ordine Canonico in præfata
 Lateranensi Basilica per B. Gela-
 sium reformato quorundam
 opiniones minus pro-
 bables referuntur,
 & reiiciuntur.

I.



X testimonijs proximè allegatis primo habes, vnde illorum errorem
 crassissimum refellas, qui aiunt,
 canonicos seculares in Ecclesia La-
 teranensi vsque ad Bonifacij Octa-
 ui tempora steterisse, illum verò
 amotis clericis secularibus canonicos regulares in
 eadem Ecclesia instituisse, quanquam qui hoc
 dixerit, nullum reperi, præter vnum Antonium
 Massam Gallestum in consilio proximè allegato,
 qui quoniam adeo crassus est, vt nisi illius verba
 formaliter, & fideliter referantur, de impostura
 suspitioni locus esse meritò possit, Ecce tibi, quæ
 ille in præfato consilio fol. nono in principio scri-
 bit ad tertium argumentum allatum ad fauorem
 canonicorum regularium. In hoc quidem argu-
 mento, inquit, multa sunt falsa, quorum falsitate
 detecta non erit opus alia responsione. Nam
 quantum attinet ad Ecclesiam Lateranensem, in
 qua dicunt fuisse ab initio institutos canonicos regu-

lares, qui ibi octingentis annis perseverando, etiam
 Canonicis Sancti Petri fuerunt prælati, quod di-
 cunt constare ex Historicis, continet duplex men-
 dacium, quia in dicta Ecclesia Lateranensi prius
 fuerunt alij Religiosi, quàm Canonici Ordinis
 Sancti Augustini, vt patet ex testimonio Alber-
 rici de Rosate in Rubrica, ff. de statu hominum,
 ubi ponit hæc verba: in Vrbe Roma sunt quin-
 que Ecclesie, quæ Patriarchales vocantur, vide-
 licet Ecclesia Beati Ioannis Lateranensis, quæ
 consuevit habere Priorem, sed ex Constitutione
 Bonifacij Papæ Octaui habet Decanum. Erant
 Religiosi, & facti sunt canonici Ordinis Sancti
 Augustini: vnde patet quod canonici Sancti Au-
 gustini non fuerunt ibi, nisi à tempore Bonifacij
 Octaui, cum antea ibi essent alij Religiosi. nec
 dubitari potest de fide testimonij Alberici, cum
 sit autor grauissimus, vixeritq; in Vrbe Aduoca-
 tus Consistorialis non multo post Pontificatum Bo-
 nifacij Octaui. hæc ille.

Secundò inferitur errasse Azorium. tomo pri-
 mo libro duodecimo cap. vigesimosecundo
 quæstione quarta, cum inquit: Onuphrius Pan-
 uinus in libello de septem Ecclesijs Urbis scribit
 in hunc modum. Gelasius Primus circa annum
 Domini quadringentesimum constituit in Ecclesia
 Lateranensi clericos canonicos, qui seruabant Re-
 gulam Apostolicam, nihil proprium habentes, sed
 in commune iuxta Regulam Sancti Augustini vi-
 uentes. Postea Gregorius Tertius posuit mona-
 chos in Ecclesia Lateranensi, vt in ea preces quo-
 tidie canerent: deinde deficientibus monachis,
 iterum sunt in eadem Ecclesia clerici canonici
 constituti, qui more monachorum religiosorum
 vite institutum seruabant, & Priori, loco Ab-
 batis parebant, & in communi domo habita-
 bant. Contrarium apertè dicit Onuphrius in
 verbis capite præcedenti allegatis, & vt est rei
 veritas, fuisse quidem monachos in eadem Ec-
 clesia adiunctos clericis ad canendas diuinas
 laudes more laicorum, clericis interim circa
 alia occupatis, tum à Gregorio Tertio, tum an-
 te illum à Ioanne Tertio: non tamen vnquam
 amotos clericos, sed immo ibi semper annis cir-
 citer octingentis mansisse: quin deficientibus
 monachis, multiplicatos numero illorum mune-
 ra in psallendo, & horas canonicas decantando
 persolvere cœpisse: & aliquot seculis post cano-
 nicorum tantum, qui monachorum more in
 communi viuebant, Prioremq; qui loco Abba-
 tis omnibus præfesset, habebant, mentionem
 fieri, monachis omnino prætermisiss.

Nec aliquem moueat nomen Prioris recens III.
 in illud collegium introductum: etsi enim
 nomen Prioris ante Paschalem Secūdum non reperiatur
 inter Canonicos Lateranenses, fuisse tamen in eadem
 Ecclesia canonicos sub Stephano Nono, & ante Leonem
 Octauum, sub Archipresbytero, & sub illius cura con-
 uentualiter vixisse, sicut postea sub Priore viuebant,
 constat ex vita Leonis

Papæ Octavi, quem ex canonico Lateranensi ad apicem dignitatis Pontificalis euectum fatentur Volaterranus, Autor supplementi Chronicorum, Platina, & alij. Constat etiam ex epistola Beati Petri Damiani Domino Petro Lateranensis Ecclesiæ Archipresbytero directâ sub hoc titulo: Domino Petro canonice Lateranensis Archipresbytero; Petrus peccator monachus, quæ habetur in secundo libro Epistolarum huius auctoris num. decima, qua illum ad mores suorum canonicorum reformandos hortatur. meminit enim in ea epistola sacri Conuentus, cuius erat Rector institutus per hæc formalia verba: *Porro autem quia sancti Conuentus Rector constitutus es, noli dissimulare culpam, sed mox ut emerferis, adhibe disciplinam.* Ita enim habet textus, quò Baronius tom. secundo, sub anno 1065. numero sexto videtur, licet Constantinus Galetanus in editione operum Petri Damiani Romana, verba illa expunxerit, in quibus de Conuentu Lateranensi mentio habetur. hanc autem epistolam longe ante Paschalem Secundam, Petrum Damiani scripsisse, conuincitur quia ille anno 1073. ex hac vita migravit. Cur verò sublato Archipresbytero eius loco in dicto Collegio fuerit Prior institutus, id ea ratione factum crediderim, quòd collegium illud propter dirum schisma, quòd priori seculo Ecclesiam diu vexauerat, ad dissolutionem, & deformationem pene deuenerat. nec mirum, cum in eadem Ecclesia Lateranensi, quæ erat omnium aliarum Ecclesiarum caput, & Sedes Pontificalis, aliquot annis ob eandem causam exercitium sacrorum penitus fuerit intermissum. quare cum Romani Pontifices eidem Ecclesiæ reficiendæ, & canonicis inibi degentibus reformandis impensius operam darent, & ob eam causam canonicos sancti Frigidiani Lucensis, penes quos disciplina canonica tunc temporis reflueraat, ad Ecclesiam Lateranensem acciuisent, Onuphrio auctore in lib. de septem vrbis Ecclesijs in cap. de Ecclesia S. Crucis in Ierusalem pag. mihi 214. quòd illi non sub Archipresbytero, sed sub Priore ex antiqua consuetudine degerent, vel quòd alij clerici regulariter viuentes Priorem, non Archipresbyterum, vt plurimum haberent, etiam Lateranenses, omisso Archipresbytero, Priorem eius loco habuerunt.

IV. Tertio infertur ex prædictis, falsum esse, quòd alij dixerunt, Valentinianum illum Abbatem monasterij Lateranensis ex familia, & instituto Diui Benedicti assumptum, cuius Diuus Gregorius meminit lib. secundo suorum Dialogorum, in monasterio canonicorum, non autem monachorum Abbatem extitisse, quòd olim præsertim ante Constitutionem Clementis V. quæ habetur in clementina prima de electione in monasterijs monachorum eligerentur canonici, & in monasterijs canonicorum monachi. Nam clerici canonici in Lateranensi monasterio degentes nunquam habuerunt Abbatem, sed solum Archipresbyterum, vel Priorem, quare Valentinianus non monasterij

Lateranensis canonicorum, sed monasterij Sanctorum Ioannis Baptista, & Euangelista Ordinis Monachorum Diui Benedicti Abbas fuit. Scendum autem est, licet Ioannes Tertius, & quidam alij Pontifices Diui Benedicti monachos ad horas canonicas, & cætera diuina officia in Ecclesia Lateranensi, die noctuq; canenda introduxerit, non tamen sublatis canonicos, neque monachos in monasterio canonicorum, sed in alio monasterio distincto constitutos, neque ad officia canonicorum, sed ad alia munera obeunda illuc admissos. Nam monachi officia diuina in Ecclesia more laicorum canebant: canonici verò prædicationi, sacramentorum ministerio, & curæ animarum operam dabant: munus enim istud canendi psalmos, & cætera diuina in choro alternatim, in primitiua Ecclesia non erat munus clericorum, sed laicorum, qui vsus durauit in Ecclesia Orientali saltem vsque ad tempora S. Ioannis Chrysostomi, vt colligitur ex homilia illius prima in 8. caput Isaia, in qua contra nonnullos laicos inordinatè in Ecclesia canentes inuehitur. Eundem durauisse in Ecclesia Occidentali vsque ad tempora Beati Ambrosij, notauit Baronius in notis ad Martyrologium die quinta Ianuarij. Immo Diuus Augustinus innuere videtur lib. nono Confess. cap. septimo, modum illum canendi psalmos, & hymnos alternatim in Ecclesijs, qui postea in tota Ecclesia vsu fuit receptus, suo tempore inuectum in Ecclesiam Occidentalem ex Orientali; & vt semel dicam ex Baronio tomo primo Annalium sub anno quinquagesimo primo, num. septuagesimo primo, hic mos, vt laici, & omnis populus simul cum clericis diuinas laudes Deo in Ecclesia canerent, diutius perseuerauit, quas verò ob causas indisuetudinem postea abierit, si diuinare liceat, duas potissimas fuisse arbitror. Primam defectum charitatis, & feruoris fidelium primitiua Ecclesiæ: Alteram inordinatum modum, & incompositum psallendi ipsorum laicorum, de quo in Concilio Laodicensi, quòd habetur in tomo primo Conciliorum Canone 15. legimus: *Quod non oporteat amplius præter eos, qui regulariter Cantores existunt, qui & de Codice canunt, alios in pulpitem conscendere, & in Ecclesia psallere.* Porro quemadmodum, vt diximus loco Laicorum primitiua Ecclesiæ communiter viuentium successerunt Monachi: ita deficientibus Laicis à munere psallendi in Ecclesia nocturnis horis, ac diurnis, eorum loco successerunt monachi, tunc temporis præsertim, quando numerus clericorum in Ecclesia exiguus erat, & valde erat difficilè, ipsos clericos quantuncunq; regulariter viuentes, in exercitio curæ animarum, prædicationis, & ministerijs sacrorum detentos, nocturnis, ac diurnis horis canendis operam dare, quòd & Beatus Gregorius indicare videtur in cap. Nemo potest 16. quæstione prima, & ob hanc causam effectum est, vt numero clericorum nondum aucto, cum illis monachi iungerentur in Ecclesijs ad diuina officia celebranda, nõ quidem

dem in eisdem domibus, sed diuersis: quod non solum in Ecclesia Lateranensi factum legimus, sed etiam in Metropolitana olim D. Ambrosij Mediolanensi, & in capella Regia D. Petri in coelo aureo Papiæ, ac etiam in Ecclesia Cantuariensi. Immo verò etiam in Ecclesia Principis Apostolorum de Vrbe sub Leone Primo, vt Anastasius in eius vita scribit.

V. **Q**uartò infertur falsum esse, quod Baronius tom. 12. sub anno 1130. in principio ex Archiuis Sanctæ Praxedis scribit, monasteriū Sanctorum Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ, & Pancratij steterisse vsque ad tempora Innocentij Secundi, & dictum Innocentiū illius monasterij fuisse monachum, non quidem ex monasterio Canoniorum, sed ex monasterio monachorum. primò quia quo tempore Canonici reformati sub cura Prioris, aut etiam Archipresbyteri inibi multiplicari cœperunt, non amplius monachorum mentio facta reperitur, vt Onuphrius obseruat, sed longè ante Innocentium Secundum Canonici iam multiplicati erant, & reformati in Ecclesia Lateranensi tum sub Priore, tum sub Archipresbytero, vt dictum est, sed quod omnem tollit difficultatem, sub Alexandro Secundo Canonici regebant tam Ecclesiam Saluatoris Lateranensis, quàm etiam Ecclesiam Sanctorum Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ, & Pancratij, & illorum monasterium dicebatur monasterium Sanctorum Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ. Constat hoc ex Priuilegio concesso ab eodem Alexandro II. Priori, & Canonicis Lateranensibus, quod licet temporum vel hominum iniuria non habeamus, habemus tamen alterum priuilegium Anastasij Quarti eisdem Priori, & Canonicis Lateranensibus concessum ad exemplar illius Alexandri II. Datum anno secundo sui Pontificatus, quod sic incipit: *Anastasius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Ioanni Priori Sacrosanctæ Patriarchalis Basilicæ, quæ Constantiniana vocatur, pariterq; Ioannis Baptistæ, ac Euangelistæ, eiusq; fratribus Canonicijs tam presentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuū, &c. & infra. Eapropter vobis in Domino filijs Ecclesiam ipsam, in qua diuino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri beate memoriae Alexandri Papa Secundi Apostolicæ Sedis priuilegio communimus. imprimis siquidem statuente, vt Ordo Canonicus qui secundum Deum, & B. Augustini regulam &c. Innocentius verò fuit post Alexandrum annis circiter sexaginta. Secundò habemus aliud priuilegium Paschalis II. eisdem Priori, & Canonicis Lateranensibus concessum an. 1106. quod etiam habetur in Bullario Romano per Laërtium Cherubinum recens edito, in quo præscribuntur fines Parochiæ ipsius Ecclesiæ Lateranensis, quam totam dictus Pontifex concessit ipsis Canonicis Lateranensibus in perpetuum, quam nunc etiam Canonici seculares possident, cum omnibus, quæ sunt intra ipsam Parochiam. In eo verò priuilegio cum fiat mentio Ecclesiarum, monasteriorū,*

& hospitalium eidem Parochiæ, seu illius finibus adiacentium, de monasterio monachorum nulla prorsus mentio habetur, sed nec post ipsum Paschalem Secundum, nec multo tempore ante illum, nisi in illo scripto Archiui Sanctæ Praxedis, ad suadendum forsan quod Innocentius II. non fuerit Canonicus Lateranensis, sed monachus Diui Benedicti, quod tamen est contra communem assertio- nem omnium historicorum. Quod priuilegium, vt de veritate dictorum constet, hic describendum curauimus, est autem huiusmodi.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Rocio Priori venerabilis Basilicæ Saluatoris, eiusque Fratribus tam presentibus, quàm futura Regularem vitam professis in perpetuum. Quanto Lateranensis Ecclesia amplioris dignitatis ex antiqua institutione esse cognoscitur, tanto magis eundem venerabilem locum in maiori reuerentia decet haberi, & ad eius incrementum tam spiritaliter, quàm temporaliter à nobis, & alijs fidelibus operam dari. Nec dubium, quod si Religiosorum virorum petitionibus paterna benignitate annuemus, nostris opportunitatibus clementem Dominum reperiemus. Eapropter dilecti in Domino filij ob reuerentiam Saluatoris, beatiq; Ioannis Baptistæ concedimus, & confirmamus vobis, vestrisque successoribus in perpetuum totam, & integram Parochiam, vt in vita nostra, & post obitum specialis oratio iugiter fiat pro nobis ad Dominum, videlicet ab Ecclesia Sancti Nicolai de forma, per viam, quæ venit à Sancto Stephano in Calio monte, & vsque ad supradictam nostram Basilicam Saluatoris, & à porta monasterij Sanctorum quatuor Coronatorum descendente per cliuum in via maiori, & exinde per stratam ex utraque parte vsque ad campum Lateranensem, & reuolvente supra Ecclesiam Sanctorum Marcellini, & Petri vsque ad Ecclesiam Sancti Bartholomæi de capite Merulani, & deinde ad Sanctum Danielem, & exinde descendente ad portam Urbis, & vertente ad Ecclesiam Sancti Nicolai de Hospitali ad supradictam Basilicam Saluatoris. Statuimusq; atque etiam autoritate Sedis Apostolicæ stabilimus, vt Parochia ipsa nulli alij Ecclesie, vel Monasterijs, aut pijs locis de spiritalibus, atque diuinis rebus teneatur penitus respondere: sed quietè, ac liberè sub præfata Basilicæ Saluatoris iure nomine Parochiali in perpetuum maneat. Saluo tamen iure hereditario, quod infra supradictas fines ad præfatas Ecclesias, vel monasteria, aut pia loca pertinere dignoscitur. Præcipimus itaq; vt nulli persone fas sit in præfata Parochia Ecclesias adificare, aut altare erigere, vel aliquam Religionem ibi instituerè, præter supradictam Saluatoris Basilicam. statuente Apostolica censura, sub diuini Iudicij obsecratione, & anathematis interdictio, vt nullus unquam nostrorum successorum, vel alia qualibet magna, vel par-

na persona huius nostri priuilegij donum infringere, aut inquietare presumat. Si quis præterea quod non credimus, contra hoc nostrum Apostolicum præceptum venire, aut agere tentauerit, anathematis vinculo sit innodatus, & à Regno Dei, & Domini nostri Iesu Christi sit alienus. Qui vero pio intuitu custos, & obseruator huius nostri Priuilegij extiterit, benedictionis gratiam à misericordiosissimo Domino Deo nostro consequatur in secula seculorum amen.

Ego Paschalis Catholica Ecclesia Episcopus.

Sequuntur subscriptiones decem, & nouem Cardinalium, quorum primus fuit Lambertus de Fagnano, qui postea fuit Honorius Secundus, & ipse canonicus eiusdem Ecclesie Lateranensis.

VI. **P**ostremo notandum quod præter Romanos Pontifices ex eodem monasterio Lateranensi assumptos, quos Onuphrius eodem loco recenset, multi alij fuerunt eiusdem Ecclesie clerici, & canonici in eadem Ecclesia Lateranensi degentes, & etiam à teneris annis ibidem educati, quos referunt Anastasius Bibliothecarius Volaterranus libro vigesimoprimo Antropologiae, Iacobus Philippus Bergomensis, & Ciaconius in vitis Romanorum Pontificum, videlicet Gregorius secundus, Stephanus secundus, Paulus primus, Stephanus tertius, Leo tertius, Stephanus quartus, Paschalis primus, Valentinus, Leo quartus, Benedictus tertius, Adrianus secundus, Stephanus sextus. Hos omnes referunt Anastasius, & Ciaconius, licet nonnulli eorum antequam assumerentur ad Pontificatum transuerint postea ad monachos, & præter illos Benedictus quartus, & Landus ex Ciaconio. Leo item octauus ex Volaterrano, Iacobo Philippo Bergomeni libro secundo sub anno 960. Platina, & Ciaconio. de quibus & alijs Romanis Pontificibus ex canonicorum Ordine profectis, si Deus concesserit, in lib. Virorum Illustrium canonici Ordinis dicemus.

Caput decimum sextum.

De alijs Ecclesijs Canonicorum Regularium olim in Vrbe existentibus.

I. **P**ræter sacrosanctam Basilicam Lateranensem, alie plures fuerunt olim in Vrbe Romana Ecclesie canonicorum Regularium sub D. Augustini regula militantium, ut videri potest apud Zachariam Ferrerium in suo libro de habitu canonicorum Regularium ad Leonem decimum, probatione secunda ad finem, ubi inter alia hæc habet: *De Ecclesijs vero Principalibus Cardinalium titulorum certissimum est, quod nulla fuit instituta à sui exordio sub monachis, seu alijs religiosis, sed bene sub*

Canonicis Regularibus, sicut Ecclesia Sancte Crucis in Ierusalem, quæ à sui primordio fuit Canonicorum Regularium, ut patet per literas Apostolicas Alexandri III. directas Vbaldo presbytero Cardinali Sancte Crucis in Ierusalem, & eius Canonici ibidem regularem vitam professis, & incipiunt: *Quoties illud à nobis petitur &c. quibus decernit, ne quisquam eligatur in eo titulo Sancte Crucis Cardinalis nisi de gremio dictorum Canonicorum Sancte Crucis. Deficientibus autem ibi Canonicis Regularibus, illa Ecclesia redacta est à paucis temporibus sub fratribus Carthusiensibus. Item Ecclesia S. Mariæ Nouæ, quæ est titulus Cardinalis, quam modò eadem ratione incolunt monachi albi Ordinis Montis Oliueti, fuit à sui institutione Canonicorum Regularium, ut patet per literas Apostolicas eiusdem Alexandri directas Priori, & Canonicis Sancti Frigidiani, & incipiunt: Ad hoc vniuersalis Ecclesia cura &c. Item Ecclesia sanctorum Apostolorum, quæ est titulus Cardinalis, quam nunc tenent fratres Minores. Item Ecclesia sancte Cæcilie, quam nunc Humiliatorum fratres retinent. Item Ecclesia sancte Sabine, quam habent Fratres Predicatores. Item Ecclesia sancte Praxedis, quam tenent nunc Fratres Ordinis Vallis Umbrosæ. Item Ecclesia sancti Stephani in Celio monte, quam tenent fratres s. Pauli primi Eremitæ. Item Ecclesia sanctorum Ioannis, & Pauli, quam tenent nunc fratres Iesuati. Item Ecclesia sancti Petri ad Vincula, & sancte Potentiane, & multe alie Ecclesie Romæ continententes titulos Cardinales, fuerunt à prima institutione Canonicorum Regularium, sicut patet in antiquis priuilegijs dictarum Ecclesiarum.*

II. **S**ed & illud non omittendum, ut potè admirandum, & vix credendum, quod de Ecclesijs, & monasterijs Religiosorum Romæ sub Syluestro Secundo, & Ottone Tertio pro ruinis veterum Fanorum surgentibus scribit Arnaldus Comes illorum temporum autor, & oculatus testis, ac ex illo Baronijs tomo vndecimo, sub ann. 1001. numero vigesimoquarto: *In tantum, inquit, creuit in diuino cultu, ut pro ruinis murorum, & veterum fanorum surgant quotidie innumera ædificia Ecclesiarum, siue Monasteriorum, in quorum incredibili numero, ut audiui à quodam Sena, qui se dixit nutritum in eadem Ciuitate, viginti possidentur à Sanctimonialibus, quadraginta à Monachis, sexaginta à Canonicis, exceptis ijs, quæ extra Ciuitatem sunt, & alijs Ecclesijs, siue Capellis, quæ in eadem Vrbe abundant. Et aduertendum nomen Canonicorum, vsque ad illa tempora vix fuisse alicui Collegio clericorum, qui non saltem in specie aliquod regularis discipline vestigium tenerent, attributum, ut videri potest apud Beatum Petrum Damiani in suis epistolis præsertim in epistola ad Canonicos Fanenses. Porro ex supradictis, & alijs Romæ Urbis Ecclesijs, quas authentico scripto probari potest Canonici Ordinis extitisse.*

III. **P**rima recenseri potest Ecclesia Patriarchalis sanctæ Crucis in Ierusalem à Constantino Magno extructa. De ista Ecclesia Onuphrius loco, & libro proximè allegato plura ex instituto scribit: Verùm quod ad rem attinet, ista ad verbum pagina ducentesima, decima tertia, & ducentesima decima quarta subdit: *Benedictus Septimus, ut ex eius elogio marmoreo parastate affixo intelligitur, in ea sepultus est, is Basilicam hanc, & monasterium renouauit, Monachos ad paucos redactos in ea restituit, ampliavit, priscis enim temporibus clerici eam incoluerant, postea antiqua Monachorum sollicitate concessa est. Leo Nonus Papa diuino officio destitutam Monachorum Cassinatam Abbati Richerio donauit. Alexander Secundus eam ijs abstulit, & monasterium Sanctorum Sebastiani, & Iosimi martyrum, quod Pallaria dicebatur, retro hortos sanctæ Mariæ Nouæ versus Amphitheatrum eius loco iisdem concessit. In ea verò Canonicos Regulares Congregationis sancti Frigidiani Lucensis, ab se etiam Laterani restitutos, locauit, qui eam ad Clementis Sexti tempora tenuerunt. Amplissimo hoc priuilegio à Romanis Pontificibus ornati, ut presbyterum Cardinalem tituli sui ex suo corpore crearent, quod & de Diacono Cardinale sanctæ Mariæ Nouæ eius Diaconia Canonicis concessum fuerat. Ex hoc Collegio multi Cardinales eximij, & Lucius Papa Secundus prodierunt, qui cum ante Pontificatum eius Ecclesiæ presbyter Cardinalis esset, Pontifex creatus totam ipsam Ecclesiã, & Canonicorum claustra à fundamentis renouauit. Consimilia scribit Baronius tomo 12. sub anno 1144. in principio, nisi quod ait, eum fuisse Patria Bononiensem ex Patre nomine Viseo, ab Honorio Secundo assumptum ad dignitatem Cardinalitiam in eodem titulo sanctæ Crucis in Ierusalẽ, quod minimè ijs repugnat, quæ Onuphrius testatur.*

Quis verò Priuilegium adeò insigne illi Canonicorũ collegio primus fecerit. putat Ciacconius, à Calisto Secundo primitus emanatum: cæterum illius priuilegium hactenus non vidi. quantum verò ex Bullarijs Romanorum Pontificum aucupari licet, crediderim, illud ab eodem Lucio Secundo primitus concessum, licet illius etiam exemplum iniuria temporum, vel hominum desideretur. Sed adest aliud priuilegium Alexandri Tertij ad exemplar illius exaratum, quod ad posterorum memoriam hic redditur.

Alexander Episc. seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Vbaldo presbytero Cardin. eiusq; fratribus tam presentibus, quam futuris in Eccl. S. Crucis, qua dicitur in Ierusalem, regularem vitam professis in perpetuum. Quoties illud à nobis postulatur, quod Religionis, & honestati conuenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desiderijs congruum suffragium impertiri. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis petitionibus clementer annuimus, & præfatã Eccl. cum omnib. pertinentijs suis in qua diuino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri pie recordationis Lucii. Papa

Apost. Sedis protectione, & presentis scripti priuilegio communimus. Imprimis siquidem statuente, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & D. Augustinam, & institutionem ordinis sancti Frigidiani ibi noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus obseruetur, nec alius, nisi de ipsa aut sancti Frigidiani Congregatione in eadem Ecclesia Cardinalis presbyter ordinetur. Si autem (quod absit) in ipsa Congregatione idoneus reperiri non poterit, de alio regulari claustro eiusdem ordinis assumatur. Præterea quascunque possessiones extra &c. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua sedis Apost. autoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginã sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundo tertioque commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissime Corpore, & sanguine Dei, & Domini nostri Iesu Christi Redemptoris nostri aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruatis sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æterna pacis inueniant. Amen. Datum Laterani per manus Hermani tit. S. Susana Presby. Card. 6. Kal. Maij Indictione 13. Incarnationis Domini anno 1166. Pont. verò Alexandri III. anno 7.

Secunda est Ecclesia s. Mariæ Nouæ, quæ vna. I V. est ex vetustissimis Diaconijs titulo Cardinalatus insignitis. Hanc Eccl. Aimericus Gallus ex Canonico Regulari Diaconus Card. à Calisto Secundo creatus, ac etiã S. R. E. Cæcellarius anno 1123. statim cum monasterio instaurandam curauit, & Canonicos Regulares prædictæ congregationis S. Frigidiani ibidem locauit, impetrato etiam illis priuilegio ab Innocentio Papa secundo, ne quisquam illius Eccl. diaconus Card. nisi vel ex ipso Capitulo: vel ex s. Frigidiani cõgregatione assumeretur, quod priuilegium plerique alij Romani Pontifices firmauerunt, nimirum Cœlestinus II. Lucius H. Eugenius III. Adrianus IV. & Alexander Tertius, cuius exemplum hic subiicitur. *Alexander Episc. seruus seruorum Dei Dilectis filiis Vener. Priori Eccl. s. Frigidiani, eiusq; fratribus tam presentibus, quam futuris Canonicam vitam professis in perpetuum. Ad hoc vniuersalis Ecclesia cura nobis à prouisoro omnium bonorum Deo concessa est, ut religiosas personas, & beneplacentem Deo religionem studeamus modicè omnibus propagare, non enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex charitatis radice procedens, à puritate religionis fuerit conseruatus. oportet igitur, omnes Christianæ fidei amatores religionem diligere, & religiosa loca cum personis inibi*

Domini-

Domini seruitio mancipatis attentius confoueri, ut nullis prauorum hominum inquinentur molestiis, nullis angarijs fatigentur. Americus siquidem S. R. E. Cancellarius, & Ecclesie B. Mariae Nouae Diaconus Cardinalis fratres vestros ad eandem Ecclesiam conuocauit, & bonis sibi à Deo praestitis ad eorum necessitatem, & sustentationem honestè prouidit, ut per eam ibidem religio statueretur. & locus ipse tam spiritaliter, quàm temporaliter eorum studio (auxiliante Deo) augetur. Ne igitur tam sanctum ipsius propositum immutari, vel perturbari in posterum debeat, praedecessorum nostrorum Innocentij Secundi, Caelestini Secundi, Lucij Secundi, Eugenij Tertij, & Adriani Quartij Romanorum Pontificum vestigijs inherentes, statuimus, ut Diaconus Cardinalis, qui pro tempore ibidem ordinandus fuerit, de Conuentu S. Frigidiani, si idoneus ibidem fuerit repertus, assumatur. Si fortè (quod absit) ibidem reperiri non poterit, de alio Regulari Collegio vocetur, & ordinetur. Ordinatus autem cum fratribus ipsius Ecclesie communiter uiuat, quod si facere noluerit, tertiam partem de omnibus redditibus antiquae hereditatis illius Ecclesie, qua est in Valeriano, & Galera sibi in suos usus recipiat. Caetera uero qua Regulares fratres ipsius Ecclesie impraesentiarum iuste, & canonicè possident, aut futurorum concessione Pontificum, largitione Regum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis (praestante Domino) potuerint adipisci, firma uobis, uestrisque Successoribus, & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, praefatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa fuerunt, usibus omnimodis profutura, salua in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertioque commonita, nisi praesumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, & sanguine Dei, & Domini nostri Iesu Christi Redemptoris nostri aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruandis sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Iudicem praemium aeternae pacis inueniant. Amen. Datum Anagninae per manus Hermanni S. R. E. Subdiaconi, & Notarij XII. Cal. Ianuarij Indictione nona, Incarnationis Dominicae anno MCLX. Pontificatus uero Domini Alexandri Papae Tertij anno primo.

Tertia est Ecclesia s. Praxedis, quam Canonicis Regularibus monasterij s. Mariae de Rheno apud Bononiam tunc sanctitatis fama celeberrimis concessit Anastasius Quartus, qui fuit Pontifex anno Domini 1154. Etsi enim huius Pontificis conce-

sionem non uidi, illius tamen distinctè meminit Alexander Tertius in quodam priuilegio concessio Gerardo Priori, & Fratibus s. Mariae de Rheno sub anno 1177. quod in libro Indultorum Congregationis Lateranensis uideri potest pag. 93. ad quem locum remitto, ubi haec habet: *Ecclesia quoque sanctae Praxedis sicut à pie memoriae praedecessore nostro Papa Anastasio uobis concessa est, saluo iure, & reuerentia Cardinalis, qui pro tempore in eadem Ecclesia fuerit, uobis auctoritate Apostolica confirmamus.*

Quarta est Ecclesia s. Potentianae, siue Pudētianae, quam eisdem Canonicis S. Mariae de Rheno concessisse Adrianum Quartum Anno Dom. 1155. ostendit eiusdem Pontificis priuilegium Guidoni Priori, & Canonicis dictae Ecclesiae concessum 16. Cal. Aprilis quod in eodem libro pagina 78. habetur.

Quinta est Ecclesia s. Sebastiani extra Urbem ad Catacumbas, quam Canonicis S. Mariae Nouae concessit Alexander Tertius. quam postea Hieronymus Cardinalis cum Priore, & toto Capitulo S. Mariae Nouae Monachis Cisterciensibus concesserunt, reseruatis sibi quibusdam uincis cum censu duarum librarum thuris in Assumptione B. Mariae Virginis à dictis Monachis soluendo. Testatur hoc Onuphrius in dicto libello, ubi agit de dicta Ecclesia S. Sebastiani pagina 100.

Sexta est Ecclesia s. Ioannis ante portam Latinam, cuius meminit Gregorius Nonus in Priuilegio concessio Priori, & Canonicis Basilicae Saluatoris Lateran. anno Domini 1227. tertio nonas Februarij. Ista Ecclesia erat membrum antiquae Congregationis Lateranensis: Verum Canonicis Regularibus ex Basilica Lateranen. per Bonifacium Octauum pulsus, etiam ista Ecclesia successu temporis eisdem Canonicis fuit destituta, & in monasterio positae fuerunt Sanctimonialia, quemadmodum ex illius uestigijs, quae nunc supersunt, aperte conspicitur. Sed illis quoque deficientibus, quòd locus pro seruandis ibidem uirginibus sacris parum esset, idoneus, tandem in dicta Ecclesia proiectum est silentium. Porro ad eandem Ecclesiam s. Ioannis ante portam Latinam quatuor aliae Ecclesiae spectabant, quarum in eodem priuilegio fit mentio, de quibus dicemus in Congregatione Lateranensi.

Septima est Ecclesia s. Gregorij in Campo Martio, quam Canonicis Regularibus Laterani degentibus concessit Anastasius Quartus ex eodem priuilegio Gregorij Noni, in quo haec specialiter habentur: *Ex dono etiam beatae memoriae Anastasij Papae Ecclesiam sancti Gregorij in Martio, in qua ipsa sita est, & cum omnibus ad eandem pertinentibus.*

Octaua s. Mariae de Pace, quam Sixtus Quartus à se aedificatam nostris Canonicis à Populo Romano ex Ecclesia Lateranen. ui pulsus, temporè Sedis uacantis, tribuit, confirmans uobis titulum, & omnia priuilegia Ecclesiae, & Congregationis antiquae

tiquæ Lateranensis, ac si nunc etiam illius canonici, ac de gremio illius Capituli actu essemus.

Nona, sancti Petri ad Vincula, cuius meminit Volaterranus lib. 21. Antropologia, quam Canonicis Regularibus Congregationis S. Saluatoris de Bononia nuncupatis concessit Innocentius Octauus, anno 1486. die 9. Augusti. Erat tamen ab antiquo tempore Conuentus Canonorum.

Decima, Ecclesia s. Laurentij extra muros eidem congregationi vnita per Iulium Secundum 7. Idus Nouembris anno 1511.

Vndecima, s. Agnetis via Nomentana eidem congregationi vnita, siue potius Ecclesiæ, & monasterio s. Petri ad Vincula, ab eodem Innocentio Octauo anno 1489. Idibus Augusti.

Duodecima quoque recenseri potest Ecclesia s. Mariæ in Via lata, quia cum sit Collegiata, & teneat dignitatem Prioris, quæ est prima dignitas illius Ecclesiæ, argumentum euidens est, illam ante fuisse Regularem: sed postea ex Regulari effectam secularem, sicut aliæ innumeræ, retenta dignitate Prioris.

Decima tertia etiam numerari potest Ecclesia s. Mariæ trans Tiberim, quam olim tenuisse Canonicos Regulares, testatur Anastasius Bibliotecarius in Gregorio Quarto, quamuis appellet eos monachos canonicos, dicens illum Pontificem in dicta Ecclesia constituisse monachos canonicos.

Decima quarta fuit Ecclesia collegiata sanctorum Sergij, & Bacchi, quemadmodum constat ex privilegio Innocentij Tertij Romano Archipresbytero, & clericis eiusdem Ecclesiæ concessio anno 1199. quod habetur in 2. lib. Epist. dicti Innocentij pagina 335.

Decima quinta, s. Triphonis Cardinalaris, cuius fuit canonicus s. Clemens Doctor. Ioannes de Nigraualle in Catalogo sanctorum Ordinis canonici, quæ Ecclesia post templum s. Augustini ædificatum illi est vnita, & titulus Cardinalaris ex Ecclesia s. Triphonis ad Ecclesiam s. Augustini translatus

Decima sexta s. Georgij in Velabro, quæ est titulus Diaconia Cardinalaris. In hac manserunt septem Canonici sub Priore vsque ad Pauli V. tempora, qui eosdem canonicos ad ædem s. Mariæ Maioris translatos, in Sacello B. Virginis à se magnificentissimè constructo, & ornato locauit. Porro dictam Ecclesiam fuisse Canonorum Regularium monstrat dignitas Prioris, quæ non nisi ex Regularibus ad seculares est profecta. Vide inscriptionem quæ est in fronte ipsius Ecclesiæ scilicet in peristilio porticus illius

Aliæ insuper erant Canonorum Regularium Ecclesiæ in eadem Vrbe, quæ vel quòd conuentuales non essent, vel alijs Ecclesijs essent vnitæ, in obliuionem iuerunt, de quarum nonnullis dicemus libro sequenti de Congregatione Lateranensi.

Caput decimumseptimum

De propagatione eiusdem Ordinis per B. Augustinum reformati in alijs Ciuitatibus, & Ecclesijs per Italiam constitutis.



Xinde ab ipsa Lateranensi Basilica, I. tanquam à capite cœpit statim hæc sancta institutio clericorum canonicorum per B. Augustinum reformati, & per Gelasium eius discipulum ad Urbem Romanam euecta, per alias Ecclesias Urbis, & Orbis mirum in modum dilatari, & propagari, de quibus consequenter dicturi, à Prouincia Romana inchoabimus, in quâ sequentes Ecclesiæ, quæ olim erant Canonorum Regularium, reperiuntur, & in primis.

Ecclesia Veletrensis. Hanc ab institutione regularem extitisse, colligitur ex Beato Petro Damiano libro tertio Epistolarum epistola decima, ad A. Archiepiscopum in principio: qui illam ad primæum regularis vitæ institutum penè collapsam instaurauit: *Quia, inquit, noui sanctam mentem tuam Venerabilis Pater, præcipuè de hominum salute gaudere adeò, ut cum animarum te contingit audire profectum, velut ad dulcium aggliscas, ac delesteris edulium. Refero tibi de Canonicis nostris sanctæ videlicet Veletrensis Ecclesiæ, quia qui cum multis laboribus nostris, atque sudoribus incorrigibiles videbantur, iam per diuinam gratiam respiscunt, & per canonicæ regula tramitem non iam coacti, sed gaudentes incedunt. Vnusquisque præterea eorum quadragesimali tempore quotidie psalterium complet: tribus per hebdomadam diebus omnes vino, & pulmento communiter abstinent: tantumque districte conuersationis videntur habere feruorem, ut per totam Quadragesimam, quæ est ante Pascha, & illam, quæ Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi consuetudinaliter antecedit, tribus in hebdomada diebus unusquisque in capitulo se coram fratribus exuat, & propria peccata confessus, dura corrigiarum scutica perferat disciplinam.* Hæc ille.

In Diocesi Anagnina illustris Abbatia sanctæ Mariæ de Gloria à fundatione est Canonorum Regularium, quæ modò est vnita Ecclesiæ Lateranensi, de quâ vide libro tertio capite trigesimo, vbi de Prioratu sanctæ Mariæ de Balnearia, qui erat membrum dictæ Abbatia, & de illius vnione cum monasterio Lateranensi fusior sermo habetur.

In agrò Sabinensi Abbatia sancti Petri de Asciano, nunc monasterium cum Ecclesia dirutum, bona clericis secularibus commendata, sub titulo tamen monasterij Ordinis sancti Patris Augustini.

Aa Eccle-

Ecclesia quoque s. Mariæ de Frascati, siue Tusculana erat regularis ex priuilegio Gregorij Noni concessio Priori, & Canonicis Lateranen. quod incipit: *Vigilanti, atque supereminenti*. Dato tertio nonas Februarij 1227.

In Diocesi Tusculana monasterium s. Mariæ de Crypta Ferrata à fundatione est Ordinis Canonorum Regularium Diuo Augustino ex libro taxarum Camere Apostolicæ, licet modò sit commendatum, & illius amplissimi redditus teneantur ab vno Cardinali, constitutis ibidem quibusdam monachis Ordinis D. Basilij ad diuina officia celebranda.

In eadem Diocesi Monasterium s. Syluestri Montiscompatrium de quo vide lib. 3. cap. 25.

Ecclesiæ existentes in Castro, quod dicebatur Perlata videlicet sanctæ Lucie, sancti Petri, sancti Simeonis, & sancti Pancratij, omnes erant Canonorum Regularium Later. ex eodem priuilegio Gregorij Noni.

Ecclesiæ omnes Vallis Montonis cum ipso Castro ad eosdē Canoni. spectabāt ex eodē priuilegio.

Item Ecclesiæ omnes existentes in Castris Cellani, Metalantij, & Carpineti ex eodem priuilegio.

Item Ecclesia sancti Ioānis in Paterno, ex eodem priuilegio.

In Diocesi Vrbeuetana monasterium s. Ioannis Euangelistæ ab antiquo tempore erat Canonorum Regularium. Verum successu temporis diu etiam Canonicis destitutum mansit. tandem sub Alexandro VI. vnitum fuit Congregationi s. Saluatoris de Bononia circa annum 1498. veteres illius Ecclesiæ Canonici Violaceis indumentis utebantur sub tunica linea, sicut etiam nonnulli in Gallobelgica nūc vrantur, inter quos sunt illi sancti Auberti Diocesis Cameracensis.

In Ciuitate Soanensi monasterium vetustissimum s. Martini erat Canonorum Regul. quod cum esset Canonicis destitutum, illius bona vnita sunt mensæ Episcopali ex lib. taxarum Camere Apostolicæ.

In Ducatu Spoletano Ecclesiam Narniensem ab antiquo tempore fuisse Regularem testatur, Io. de Nigraualle in Catal. Ecclesiarum Regularium in Italia existentium. In eadem Diocesi Narniensi Ecclesia sancti Nicolai de Capite Montis, quæ est Prioratus, olim Canonorum Regularium fuisse, conuincitur ex epistola Innocentij Tertij N. Priori dictæ Ecclesiæ directæ, quæ habetur in 1. libro Epistolarum huius Pontificis pag. 167. in qua illi præcipit, vt de ipsa Ecclesia nulli alij excepto Romano Pontifice, cui erat immediatè subiecta respondere debeat. nunc est commendata.

In Diocesi Interamnensi Ecclesia s. Thomæ in ciuitate, à fundatione est Canonorum Regularium antiquæ Congregationis Lateran. ex eodem priuilegio Gregorij Noni. Item Ecclesia s. Mariæ in Colle Scipij ex dicto priuilegio.

Ecclesiam Spoletanam à sua institutione, vel saltem à vetustissimo tempore Regularem fuisse conuincit dignitas Prioratus adhuc inter Canonicos

eiusdem Ecclesiæ retenta. Sed quod omnem dubietatem eliminat, hoc ipsum indicat literæ Innocentij Tertij directæ Priori, & Clericis sancti Petri extra portam Spoleti, quæ habentur libro primo, pagina ducentesima octuagesima tertia: illa enim Ecclesia erat verus Cathedralis Spoletana, ex qua Ecclesia cum dignitas Cathedralis intra urbem esset translata, Clerici nihilominus D. Petri sub Regulari disciplina vsque ad Innocentium Tertium manserunt. Postea verò facti sunt ex Regularibus seculares.

In Ciuitate Spoletana est nunc monasterium Abbatie s. Iuliani, siue s. Aniani, sub cuius regimine sunt duo monasteria sacrarum Virginum, eiusdem Ordinis, nostræ Congregationis Lateran. de quibus dicemus in Congregatione Lateranensi. In eadem ciuitate Ecclesia vetustissima, & collegiata s. Gregorij ex antiqua traditione erat Regularis: licet illius Ecclesiæ monumenta videre hactenus non potuerim. Priori dictæ Ecclesiæ s. Gregorij & Abbati s. Iuliani scribit Innocentius III. lib. 1. fol. 283.

In eadem Diocesi est monasterium s. Mariæ Lacrymarum Castri Triuij nostræ Cōgregationis Lateran. sed & Ecclesiam s. Mariæ Cairi Ispelli Collegiatam Regularem extitisse indicat Prior, qui illius collegij est caput.

Ecclesia Ameliensis olim Regularis fuisse conuincitur ex picturis Canonorum Regularium, qui nunc etiam, in dicta Ecclesia picti cernuntur. Erant olim in Ciuitate Ameliæ duæ Ecclesiæ Canonorum Regularium antiquæ Congregationis Lateran. videlicet sanctæ Romanæ, ac sancti Pauli ex supra dicto priuilegio Gregorij Noni: sed modò Clericis secularibus sunt commendatæ.

In eodem Ducatu Spoletano aliæ plures erāt Ecclesiæ eiusdem Ordinis ad Congregationem Lateran. spectantes, quas Gregorius Nonus in dicto priuilegio recenset. Eas verò omittimus, quòd Collegiatæ non essent, sed vel parochiales, vel capellæ per Castra, & Villas sparsim existentes.

Caput decimumoctauum.

De Ecclesia Perusina, & Sancto Herculano eiusdem Ecclesiæ Episcopo, & Martyre Canonico Regulari.



Ecclesiam Perusinam ab antiquo tempore Canonicos Regulares secundum B. Augustini regulam. Altissimo famulantes rexisse, constat primò ex Prouinciali Romano, in quo eadem Ecclesia vsque ad Alexandri Sexti tempora Ordinis Diui Patris Augustini nuncupabatur: illam enim Iulius Secundus, qui Alexandro Sexto immediatè successit ex Regularibus ad Canonicos seculares transtulit.

Con-

Constat secundò ex literis Innocentij Tertij Atchypresbytero, & Canonicis dictæ Ecclesiæ directis, in quibus nonnullas constitutiones ab illis pro reformatione canonicæ disciplinæ factas cõfirmat. Sed & regulæ Beati Augustini ibidem meminit, quæ in 1. lib. pag. 22. videri possunt. Vetustissima etiam illius Ecclesiæ tabularia id manifestè indicant, & claustrum eidem Ecclesiæ contiguum, quod nunc etiam superest, & Prior claustralis, qui inter canonicos creatur, quid? quod ante annos circiter viginti ipsimet Canonici Seculares in dicta Ecclesia officium Beati Patris Augustini cum octaua iuxta morem veterum Canonorum Regularium celebrabant, quem ritum Perillustris, & Reuerendissimus D. Neapoleo de Comitulis, qui nunc eidem Ecclesiæ præest, multis quidem titulis suscipiendus Episcopus abrogauit. Verùm quo tempore institutum Canonorum Regularium inuehi cõeperit in ipsam Ecclesiam Perusinam, antiquæ illius tabulæ ad tempora Beati Herculani sanctissimi illius Episcopi, & martyris huius nominis secundi hoc rejicere videntur, cum inquirunt, Beatum Herculanium factum Episcopum Perusinum clericos maioris Ecclesiæ instituisse more canonico viuere, omnemq; clerum 2. 4. & 6. feria ieiunare. Nostri autem Lateranenses Augustinianum institutum ante Beatum Herculanium in eadem Eccl. constituunt: nam in officio illius, quod summus Pontifex Pius V. cum alijs quorundam sanctorum Canonici Ordinis, qui in nostra Cõgregatione venerantur, approbauit, lectione 4. sic legitur: *Herculani Perusini in maiori Ecclesia à quodam probatissime vitæ Canonico Regulari prima Religionis rudimenta edoctus, ibiq; postea professus ad tantam humilitatis, charitatis, omniumq; virtutum perfectionem ascendit, ut defuncto Ciuitatis Episcopo omnibus vno consensu efflagitantibus in eius locum fuerit electus &c.*

II. **E** Contrariò Constantinus Caietanus monachus Ordinis D. Benedicti in suo quodam libro sacrarum Concertationum, quem tamen non vidi, sed illius tantum fragmentum, quod manuscriptum à præfato Perillutri, & Reuerendiss. Domino Neapoleone Perusino Episcopo accepi, hanc D. Herculani historiam gratis assertam, & ex turbidis fontibus ab aliquo otioso haustam liberè fatetur. Sanctum verò Herculanium monasticæ Diuini Benedicti regulæ professorem facere totis viribus conatur. Sunt hæc illius verba inter alia signanda: *Ex turbidis denique fontibus ab aliquo otioso sancti Herculani historiã, quam etiã in diuinis officijs quotannis recitare boni isti Patres Augustini non verentur, haustam fuisse, & illud aliud insigne satis mendacium manifestat, quod unã cum sancto Herculano &c.*

Porro sanctum Herculanium professione monachum Benedictinensem, non Canonicum extitisse nonnullis ratiocinationibus suadere nititur, quas ne suo pondere fraudare videar totidem verbis ab ipso amplificatas hic subiicio: sunt autè huiusmodi: *Sed hæc omnia (quæ Canonici Augustiniani asse-*

runt) gratis asserta, quis non videt? nam in primis si Magno Gregorio Ecclesiæ Doctore sanctissimo, ac ijs Totila temporibus vicino, & qui non nisi ex relatione sancti Floridi Tifernatis Episcopi, & sancti Herculani ipsius discipuli scripsit, credendum est, monachum potius Herculanium, quàm Canonicum dicemus. Gregorij verba sunt hæc: Floridus vir venerabilis Tiferniæ Ciuitatis Episcopus mihi narrauit, quoddam valde memorabile miraculum, dicens: Vir S. Herculani nutritor meus Perusina Ciuitatis Episcopus fuit, qui ex monasterij cõuersatione ad sacerdotalis Ordinis gratiam est deductus. Ex conuersatione namque monasterij (ut ait Gregorius) petitum fuisse sanctum Herculanium, nihil aliud esse, quàm monachum extitisse aperte declarat Arnulphus Aretinus Canonicus in eiusdem sancti Floridi vita, quã anno Christi 1077. ex vetustioribus eius Ecclesiæ monumentis conscripsit ad Theobaldum Tifernatem Episc. In ea .n. habet, Herculani Episc. cum ex monastica disciplina ad Episcopatus apicem euectus esset, studebat & p̄t̄f̄icalis dignitatis officium adimplere, & monastica institutionis normam inuiolabiliter retinere. Gratulabatur, & exultabat in Domino Herculani Dei famulus, quod in exercitijs diuinorum operum se tam sollicitè equiparare videbat Venerabilem Diaconum Floridum. Vnde perspicuus, eum sacris mysterijs consciscendis satis idoneum, quãquam reluctantem, & indignum se proclamantem, cunctis, qui seu ex Tifernitibus, siue ex Perusinis aderant, gaudentibus, atq; collaudantibus, eum cõsecrauit presbyterum.

Arnulpho huic Aretino, & docti quique scriptores assentiuntur, vnde Caesar Baronius Cardinalis de eodem sancto Herculano ex monastica quidem vita ad Episcopatum venisse scribit Gregorius. Philippus etiam Ferrarius: Herculani Perusina incenobio vitam monasticam laudabilem ducens, eius urbis Episcopus postea creatur.

His quoque suffragantur. Codices manuscripti Ecclesiæ Perusinae, ac sancti Petri Perusini, ex Cassinensi Congregatione Monasterii, qui, & Herculanium non solum Monachum, sed etiam Benedictinum affirmant apertissime. Caterum quanta Codices huiusmodi auctoritatis sint, ac eo maxime cum ex sacris locis, probatisque autoribus habentur, fidem faciunt Ambrosius, Augustinus, Gregorius, atque alij Martyrologiorum insuper scriptores Florus, Beda, Vsuardus, Ado, ceterique dum huiusmodi sanctos Codices suis passim in libris in testes adducunt. Atque ut Canonistarum Canonumque Pontificiorum auctoritatem de his ipsis Codicibus resciam, una hic Romana sufficere debet Ecclesia, quæ in diuinis officijs de Sanctis, lectiones ex eisdem Codicibus decerpere consuevit. His innixa testimonijs sacra Illustrissimorum Cardinalium Rituum Congregatio cum officia propria Ecclesiæ Perusinae eius urbis Episcopo Neapoleone Comitulo curante, post diligetem à Baronio factam reuisionem, approbasset, Anno 1605. die 12. Mensis Nouembris de Martyre hoc nostro inter alia decreuit. Herculani secundus

buius nominis Perusinae Episcopus, cum in Cœnobio ex sancti Patris Benedicti instituto Perusia fundato, vitam monasticam magna cum laude duxisset, tandem Ecclesia Perusina Antistes est ordinatus.

Antiquissimis istis adhuc fundamentis celeberrimus, & antiquus sanè scriptor Ioannes Tritemius inherens, ut etiam Cardinalis Baronius ait, annumerat eundem sanctum Herculanum inter monachos Ordinis sancti Benedicti, & Tritemij testificatio. Herculanus Episcopus Perusinae ex monacho vir sanctissima conuersationis fuit, qui multos pro Christo labores martyrij palma terminauit. Quae Tritemij sententia quam verior vero sit, Ioannes Baptista Brachefius ex Ordine Prædicatorum, cuius laudabiliter meminit Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, optimè confirmat, eundem sanctum Herculanum fuisse monachum Benedictinum Perusino ex Cœnobio, quod sancto Benedicto extruendum curauerunt.

Illud præterea aliud de Benedictina sancti Herculani professione argumentum maximi est faciendum, quod ut idem Ioannes Baptista Brachefius optimè etiam probat, cum idem sanctus Herculanus quæ pluribus Dei uiris comitantibus ex Syria Romanam aduenisset, & ij eius in peregrinatione socij per Umbriam, Sabinam, & Tusciam, fere omnes vel monasticam, aut Eremiticam excoluisse vitam commemorantur. Immo & eorum nonnulli Cœnobij effecti Abbates, non aliam, quam sancti Benedicti Regulam obseruauerunt, obseruandamq; monachis tradiderunt, id quod nullo negotio, nisi breuitati consuleremus, demonstrare possemus. præcipuè tamen ex perantiquis monumentis monasteriorum Ferentilli, Vallis Narci, Panara, Spoleti, Nucia, & aliorum, in quibus Benedictinos Abbates præfuisse, certissimè constat Lazarum, Ioannem, Maurum, Felicem, Ioannem alium, Isaac, Eleuterium, atque Florentinum, sanctitate illustres, omnes Herculani consodales: sed & hæc eadem monasteria cum adhuc extent, Ordinis sancti Benedicti, ceteri, & esse sancti planè fatentur.

Quam rei veritatem ingenui quique Lectores facile sibi persuadebunt, si ante oculos ponent, sanctum Benedictum Regulam à se diuinitus scriptam ab anno Christi 497. ad 543. quo mortuus est, ut ex Magno Gregorio, ac fide dignis scriptoribus alijs fufius nos alibi probabimus, monachos docuisse, ac per uniuersas Christiani Orbis partes euulgasse. Quod si quispiam negauerit, negare illi necesse erit & Romanae Ecclesiae auctoritatem, quæ de Patriarcha hoc nostro inconcussè testatum reliquit, quod monachorum disciplinam in Occidente penè collapsam restituerit, ac mirificè propagauerit. negare illi necesse itidem erit, & Faustum eiusdem Magni Benedicti discipulum sanctitate clarum, testemq; oculatum de ipso Monachorum Patriarcha scribentem. Tantam à Domino promeruit gratiam, ut nemini post Beatos, ac primos Apostolos unquam fuerit secundus: sed potius, Deo seruante, tot Sanctorum extiterit fundator Cœnobiolorum, tantaq; Domino acquisieris milia

monachorum: sed de Regula monachorum à Benedicto Principe Occidentis legislatore, longè, latèq; propagata, cum nos pluribus alijs tractauerimus, hoc loco sit satis attigisse. Ceterum cum sanctus Herculanus ex monastica conuersatione deductus, & ipse monachus Perusinus fuerit ordinatus Episcopus, deinde etiam sua ea in Ecclesia monasticas disciplinas, & virtutes tam ipse obseruauerit, quam alios docuerit, quo sanè pacto iam asserti Canonici affirmant Augustiniani hac ipsa in Cathedrali à Regulari quodam probatissime uite Canonico, eundem illum prima religionis rudimenta edoctum, ibiq; professum, in Episcopum postea assumptum, & etiam Canonico-rum sancti Augustini Regularium instituta, & caeremonias non solum docuisse, verum etiam eorundem Canonico-rum obseruantiam, quæ ibidem diutissime floruerat, & quæ à prima institutione deflexerat ad pristinum statum reformasse? quo pacto inquam hæc affirmare audent, cum & Perusina eadem Ecclesia Ordinis sancti Benedicti potius extiterit, nec aliquando sancti Augustini Canonicos, sed Benedictinos tunc temporis habuerit Regulares?

Canonici insuper Augustiniani seipfos etiam decipere cognoscuntur, cum uolunt, maiorem Perusinae Ecclesiam ea sancti Herculani tempestate fuisse illam, quæ hodiernà hac die eandem intra ciuitatem Sancto Laurentio dicata ueneratur. cum eadem potius in Perusino suburbio, ac in monte cognomento Caluario sancti Petri nomine diceretur, quæ & eadem ipsa est, cuius meminit in Dialogo Magnus Gregorius. Hanc tamen maioris commoditatis gratia permultos post annos intra Ciuitatem transtulit Rogerius eius loci Episcopus. Ipsa uero D. Petri Ecclesia, quæ Benedictinorum Cassinensium institutionibus hodie subiacet, à monachorum Patriarcha Benedicti Regula obseruatione nullo unquam tempore discessit, quod clarissimum sit ex uita sancti Petri eiusdem monasterij Abbatis, qui Othonis magni Imperatoris ætate uixit. Ex eo etiam quod sancti Petri Damiani de perantiquo altero illius monasterij Abbate sanctitate insigni testatur. atque demum ex Pontificum Romanorum priuilegijs Cœnobio eidem elargitis, in quibus hæc inter alia habentur; In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & B. Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

Ex turbidis denique fontibus ab aliquo otioso eam de S. Herculano historiam, quam etiam in diuinis officijs quotannis recitare boni isti Patres Augustiniani non uerentur, haustam fuisse, & illud aliud insigne satis mendacium manifestat, quod unà cum sancto Herculano, & Canonicos, quos, ut dicebam, suos regulares intelligunt Augustinianos, gladio interemptos fuisse uolunt. Verum enim uero, & hoc ipsum sicut, & superiora omnino Commentitia esse, optimè percipient ij, qui tam ueteres, quam recentiores Scriptores præ manibus habebunt. Percipient inquam, quod cum sancto Herculano Episcopo nec presbyter, nec clericus, non modò

Augu-

Augustinianus gladio fuerit interemptus & exultabit lingua mea iustitiam tuam Deus &c. Hæc Constantinus Caietanus, quæ sicut ad manus meas venerunt, fideliter reddenda curavi, sine vlla prorsus immutatione, siue per augmentum, siue diminutionem.

III. **H**ic tamen Constantinus apparatus, ac tantus verborum strepitus, tot scomatum ornatibus tumens, ac turgens, non adeo solidus est, vt vel vno ictu totus dirumpi, & in aërem solui non posset, nec tanti ponderis, vt ad illum refutandum, manum calamo ad mouere deberemus, nisi iam apud nonnullos ista de sancti Herculani professione disceptatio in rem iudicatam parte inaudita pertransisset. Quod fide oculata didici, cum anno superiori in Ecclesia sancti Laurentij Perusina quadragesimales conciones ad populum haberem, & quorum mentibus errorem, quem radices iam fixisse reperi, non per verba volantia, sed per scripta manentia conuellendum existimaui.

Hoc autem vt efficiam, illis suppositis, quæ hætenus de Canonici Ordinis institutione, & propagatione disseruimus, contra Constantinum Caietanum sequentes veritates euentissimè probabo: quarum prima hæc est. Sanctus Herculanus potuit esse Clericus Canonici ex Ordine reformato per sanctum Augustinum. Secunda, sanctus Herculanus non fuit monachus instituti Diui Benedicti, sed nec esse potuit. Tertia, sanctus Herculanus verè fuit Canonici, siue Clerici Regularis sacri ordinis Apostolici reformati per sanctum Patrem Augustinum. In istis veritatibus probandis, & firmandis, vt modestius cū Constantino agamus, quæ ille cum canonicis Augustinianis, eâ partem omittebat, quæ conuitorum parergis illius oratione exornat, dum canonicos Augustinianos, quod in officio s. Herculani supra narratam historiam legant, viros otiosos vocat, inuerecundos, ac insigniter mēdaces.

Prima igitur veritas probatur ex eodem fundamento, cui soli nititur Constantinianum ædificium, illud autem est autoritas Magni Gregorij dicentis, s. Herculani ex conuersatione monasterij ad sacerdotalis dignitatis gratiâ euectū. Verū quo tempore B. Herculani ad sacerdotalis dignitatis gratiam euectus est, solis luce clarius constat, clericos canonicos multa monasteria, tū in Africa, tum in Europa habuisse, nisi forsitan dicas, monasteria Africana per Vvādalos iam subuersa, & vastata, quod ad rem nō facit. Et quidem quod ante D. Herculani canonici Augustiniani haberent monasteria in Africa, plus notum est, quàm quod probatione indigeat. Quod etiam domus Canonici Augustinianorum vocarentur monasteria: apparet ex Possidio in vita Aug. c. 5. 11. & 15. ex ser. 1. de Comm. vita cler. dicentis: volui habere mecū in domo Episcopi monasterium clericorum, quæ sola autoritas totā Constantinianam argumentationem eludit, dū iocatur, idē esse s. Herculani assumptum fuisse ex institutione monasterij, & ex institutione monastica, quod leue est commentum, nam si omnia mona-

steria, & monasteriorum instituta Benedictinè familiæ sint vendicanda, vbi, aut quid erant tot monasteria Canonici Regul. siue Clericorum Augustinensium? quæ monasteria vocauisse Augustinū & etiā Pontifices Romanos, & Concilia, & superius ostendimus, & etiā inferius ostendemus. Quod verò ante s. Herculani fuerint monasteria canonicorum in Europa, maximè in Italia, apparet ex dictis superius de Ecclesia Later. per Gelasium I. reformata, de alijs Ecclesijs Neapoli, Mediolani, Bergomi, Vercellis, & Nouariæ, ex quibus ipsemet Augustinus institutum Regularium Clericorum didicit, & accepit quod in Africa plantauit. Dices: At illæ vocabantur Ecclesiæ, nō monasteria. Respondeo, vocatas tū Ecclesias, tum monasteria, quod præter autoritatē irrefragabilem D. August. & Possidij, proximè allegatam, habetur ex D. Basilio in lib. Constitutionū monasticarum cap. 19. cuius est titulus: Ad Canonicos Regularem vitam in monasterijs degentes, & ex Concil. general. Calced. celebrato anno 450. c. 8. vbi fit mentio clericorum in monasterijs degentium, vt recentiora Concilia Turonensia, Arelatensia, Aquigrani, Moguntinū, & alia omittamus, & vt semel dicamus, cum temporibus D. Herculani longè plura fuerint monasteria Canonici Augustinianorum, quàm monachorum D. Benedicti, qui vix de ouo erū, pere incipiebant, facilius fuit, D. Herculani ex monasterio Canonici assumi, quàm monachorum Benedictinensium. Sed puto istam veritatem euentem adeo esse, vt illam non percipere, vel manifestam Ecclesiasticæ historiæ ignorantiam arguat, vel debilitatem intellectus.

IV. **S**ecunda veritas, quod nimirum B. Herculani, sex institutione monastica D. Benedicti assumptus non fuerit, sed nec assumi potuerit, ex temporū ratione deducitur, suppositis duobus, quorum alterū est D. Benedicti monachos ex illius S. Patriarchæ institutione, & regula non fuisse Clericos, neque deputatos clericatui, hoc enim est, quod D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 8. ad 2. inquit, clericatum inesse monacho per accidens: quam ob causam D. Benedictus in sua regula nihil de clericis disponit. Alterū verò est, licet Gelasius Primus in cap. Priscis 55. d. cum monachis dispensauerit, vt ob penuriam clericorum possent in clericos ordinari: id tamen concessisse cum adhibita limitatione, nimirum vt saluæ in reliquis manerent antiquæ cōstitutiones de iisdē Monachis disponentes. porro inter constitutiones de Monachis disponentes, quod ad rem attinet, erat constitutio Siricij Papæ in epist. 1. Decretali, quæ etiā refertur in c. Monachos 16. q. 1. præcipiēs, monachos non ante quadragesimum, & quintum ætatis annum ad Episcopalem dignitatem posse assumi. Sunt .n. hæc ipsius canonis formalia verba: *Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, ac vita, & fidei institutio sancta commendat, clericorū officijs aggregari, & optamus, & volumus, ita ut qui intra trigessimū ætatis annum sunt digni, in minoribus per gradus singulos crescente tempore promoueantur ordinibus, & sic ad Diaconatus, vel Pres-*

byterij insignia mature ætatis consecratione perueniant: nec statim saltu ad Episcopatus culmen astant, nisi in his eadem, quæ singulis dignitatibus supra præfiximus, tempora fuerint custodita. Superius verò scilicet cap. 6. eiusdem epist. talis terminus singulis ordinibus suscipiendis præfigitur, ut ab accessu adolescentiæ vsque ad trigessimum annum; qui digni reperti fuerint; minores ordines & Subdiaconatum suscipiant, à trigésimo verò anno Diaconatum; & post quinque annos Presbyteratum; & post decennium à suscepto Presbyteratu Episcopatum. Ita enim legimus in dicta epist. in primo volumine Conciliorum; quamvis Gratianus in cap. Quicumque 77. d. ubi hoc caput refert, ista tempora aliquo pacto immutauerit, ut alia multa. His suppositis deducitur veritas istius assertionis euidenti ratione, ex annorum ratione; ac supputatione accepta, nam quo tempore B. Benedictus vix monasterium fundare incepit, necesse est Beatum Episcopum Herculanium non solum clericum extitisse, verum etiam in sacris Subdiaconatus; & Diaconatus ordinibus, ac fortassis etiam Presbyteratus constitutum. Ergo impossibile est, illum ex monasterio, vel professione, vel institutione sanctissimi Patriarchæ Benedicti ad sacerdotalis dignitatis gratiam fuisse euectum, ut malè Constantinus Magni Gregorij verba interpretatur. Sequelam nullus negabit: cum nec monachi à Diuino Benedicto instituti ex illorum institutione essent clerici, nec legatur, aliquem illorum, qui se in prima saltem ordinis institutione illi instituendos tradiderunt; clericum fuisse. Sed nec ipse Beatissimus Patriarcha in sua regula clericorum meminerit, nec ipsi monachi ab eodem instituti, nisi prius aliquot annorum interuallo in monasterio probati, ad Clericatum assumi potuissent. Antecedens verò istius rationis ita probatur. B. Herculani circa annum humanæ salutis 544. sub Vigilio Papa, & Totila Tyranno in ruina Ciuitatis Perusina per martyrium cursum consummauit, ut Baronius testis pro eiusdem sancti Herculani Benedictina professione à Constantino productus, ac idcirco maior omni exceptione, in notis ad Martyrologium sub die septima Nouembris ex Sigiberto, & Mombratio fatetur. Ergo inter illius Diaconatum, & assumptionem ad Episcopatum quindecim saltem anni intercesserunt ex prædicta Constitutione Siricij Papæ. His addendi sunt saltem quatuor, aut quinque anni, in quibus Minores Ordines, & Subdiaconatum sumpsit, ac in eisdem ordinibus seipsum exercuit, iuxta vetustissimam Ecclesiæ traditionem, de qua non est nunc differendum. Igitur ab initiatione s. Herculani ipsi clericatui vsque ad assumptionem ad Episcopatum viginti saltem anni intercesserunt. Vtè certum est, eundem Herculanium aliquot annis in Episcopali dignitate vixisse, quippe qui illam Ecclesiam optimis institutis reformauit, & tantam auctoritatem apud omnes ciues sibi conciliauit, ut Ciuitatem à Gothis obsi-

fam magis suasionem, quam ciues armis defenderit, quam ob causam iussus est viuis decorticari: quæ non facillè vno, vel etiam altero anno fieri possunt, quæ res adhuc magis confirmari posset, si vera essent, quæ Diuus Gregorius illorum temporum vicinus eod. lib. 3. cap. 13. scribit, Perusinam ciuitatem septenni obsidionem sustinuisse. Hoc de Clericatu B. Herculani, & illius ad Episcopatum assumptionem constituto, videamus nunc, quo tempore B. Benedictus monasteria fundare coepit, & monachos in eis congregare, non me latet, Constantinum, ut scopolos præcaueret, ista verba ex induria posuisse: *Quam verisimile ingenii quique lectores facile sibi persuadebunt, si ante oculos ponent, sanctum Benedictum Regulam à se diuinitus scriptam ab anno Christi 497. ad 543. quo mortuus est, ut esse Magno Gregorio, & fide dignis alijs scriptoribus fuisse nos alibi probabimus, monachos docuisse, &c.* Verum ingenii lectores hæc de regula à B. Benedicto anno Domini 497. diuinitus scripta sibi ob oculos saltem pro veritate ponere non possunt, qui legunt, D. Gregorium lib. 2. Dialogorum cap. 3. scribentem sanctum Benedictum post deuictas tentationes, post fractum signo Crucis vas vitreum cum veneno sibi propinatum, relicto monasterio, quod ad preces quorundam monachorum regendam susceperat, in solitudinem fugisse, ibique diu permansisse: ac exiade coepisse multos ad illam congregari, & tunc duodecim monasteria ibi construxisse, & tunc etiam coepisse nobiles Romanos ad illum concurrere, & tunc Equitium, ac Tertullum nobiles Romanos suos filios Maurum, & Placidum illi instituendos tradidisse, id enim non nisi anno salutis 523. contigisse, ostendit sub eodem anno Baronius tom. 7. num. 11.

Multò minus eandem fabellam sibi pro veritate ob oculos ponent ingenii lectores, quicumque legerint in Actis s. Mauri Abbatis eiusdem Benedicti discipuli scriptum, ipsum Diuum Benedictum ex hac vita migrasse 12. Kal. Aprilis in sabato sancto, & Marianum Scotum explicatius illius obitum referentem in annum Christi 603. cum vixisset annos 96. quin & Sigibertum Gemblacensem, & Trithemium omnes ex Benedictino instituto monachos eandem sententiam, ut veriolem, prædicantes, aut si demus, illos in hoc deceptos alijs errandi occasionem præbuisse, in hanc tamen Constantinianam sententiam nunquam descendunt, quicum Leone Hostiense, & Baronio tom. 6. sub anno 494. num. 71. senserint ipsum Diuum Benedictum natum anno Christi 480. quomodo enim Regulam Monachis tradere potuisset, qui necdum primæ vitæ monasticæ documenta exactè in tam tenera ætate discere potuerat? Supponamus igitur cum Cardinali Baronio, Beatum Benedictum non ante annum Christi 523. monasteria erigere, monachos congregare, instituere, & regulis informare coepisse, iam ab illo tempore vsque ad B. Herculani obitum non plusquam anni vnus, & viginti intercedere potuerunt, cum ut diximus, B. Herculani anno

anno 547. martyrio cursum suum consummauerit. Verum si B. Gregorio fidem adhibemus, necesse est dicere, ipsum B. Herculanium septennio saltem obsidionis Perusinae Cathedram Pontificalem tenuisse, & adhuc ex Constitutione Siricij Papae superius memorata decem annis presbyterum ante Episcopatum mansisse, & alios quinque Diaconum, qui integrum numerum annorum intercedentium inter primam institutionem Benedictinam, & obitum B. Herculani explent, & superant, ut alios annos omittamus, in quibus idem sanctus vir in Minoribus, & sacri Subdiaconatus Ordinibus seipsum prius exercuerat. Igitur de vltimis ad prima pedem referendo, antequam D. Benedictus monasteria erigere, & monachos instituere coepisset, Beatus Herculani iam inter Clericos erat numeratus, & saltem inter Diaconos constitutus.

V I. **Q**uæ ratio in hunc modum roborari adhuc magis poterit, si supponamus B. Herculanium, antequam à ciuibus Perusinis Pontifex postularetur, ex longa conuersatione in monasterio Perusino ante habita illis optimè notum, & probatum fuisse, quod nec Constantinus negat, quin & constanter asserit: hoc namq; supposito necesse erit dicere, monasterium illud iam Perusij extitisse, antequam D. Benedictus in montibus Simbruinis prima suorum monasteriorum fundamenta proieceret, ut ipse Herculanius iuxta pontificias constitutiones per conuenientia temporum interualla ad singulos ordines ascenderet. Ergo cœnobium illud, ex quo D. Herculanius ad Pontificalis dignitatis culmen fuit euectus, ex D. Benedicti instituto nullatenus esse potuit.

V II. **S**ed adhibetur ad maiorem corroborationem eiusdem veritatis hæc secunda ratio, quo tempore Sanctus Herculanius in monasterio Perusino conuersabatur, siue ante assumptionem D. Herculani ad gratiam sacerdotalis dignitatis, monachi D. Benedicti nullam monasterium Perusij habebant. Ergo frigida est ista Constantini imaginatio de Benedictina D. Herculani professione, antequam ad episcopalis dignitatis gratiam assumeretur. Sequelam istius rationis suppono, ut manifestam: quia iam ipse Constantinus, quam Canonici Augustiniani conueniunt, Beatum Herculanium assumptum fuisse ex aliquo monasterio Perusij tunc existente. Assumptum verò probatur, nam D. Gregorius in Dialogis Chronicæ monasterij Cassinensis, Baronius, & alij antiquiores, qui monasteria à D. Benedicto vel etiam ab illius discipulis illo viuente exstructa recensuerunt, istius monasterij Perusij, siue ab illo, siue à Perusinis ipso viuente exstructi, ne per somnium quidem meminerunt, quis verò credat, omisso, si eiusmodi monasterium Benedictinum reuera ibi fuisset institutum, cum aliorum tum à D. Benedicto in montibus Simbruinis, & in monte Cassino, tum à B. Placido in Sicilia extructorum distinctè, specificè, & conceptis nominibus meminerint?

Patiantur obsecro tarditatem meam, qui inge-

ntio præuolant. Si B. Herculanius ex monasterio assumptus fuit, quod Perusini D. Benedicto exstruxerunt, eiusmodi monasterium quodnam fuit, & ubi extitit?

Respondet Constantinus, illud fuisse monasterium Beati Petri, ubi tunc D. Benedicti institutio vigeat, & nunc etiam viget, nec vlllo tempore à monachorum D. Benedicti institutionibus descendit. At eum hic loci ego volebam, nam istud vltimum præsidium, ad quod veluti ad sacram Anchoram recurrit, tandem illius assertionem Solis lucidius euertit, quod solum ad hominem saltem sufficit ad ostendendum, & quidem inuincibiliter, Beatum Herculanium non monachum siue ex Diui Benedicti, siue etiam alterius cuiusuis instituto, sed clericum regularem necessariò extitisse, primò namq; ubi reperit Constantinus, monachos tempore B. Herculani, aut etiam quadringentis annis post illius obitum immediate sequentibus, monasterium Beati Petri in Suburbio, in loco, qui mons Caluaris dicitur incoluisse? Legat quæso vitam Beati Petri eiusdem monasterij primi Abbatis ex Ord. D. Benedicti: legat historiam manuscriptam eiusdem monasterij, quam viri docti, & nobiles, & probatæ fidei non pauci eiusdem Ciuitatis viderunt. Videat insuper Ecclesiæ Perusinae historiam, videbit Ecclesiam D. Petri non ante monachis Benedictinis traditam, quam Rogerius Ciuitatis Episcopus nouam Cathedralem intra Ciuitatem, quæ nunc S. Laurentij dicitur, exstruxisset, & in eam ex dicta Ecclesia S. Petri suam, & suorum canonicorum sedem transfulisset: quæ omnia circa tēpora Othonis III. Imperatoris contigerunt, quibus temporibus Honestus eiusdem Ciuitatis Perusinae Episcopus, & Rogerij successor Petro Abbati Benedictino Ecclesiam Sancti Petri concessit, ut ibi monasterium secundum Regulam D. Benedicti institueret. Ante id temporis ostendat Constantinus, eam Ecclesiam monachorum D. Benedicti fuisse, ac ut illi etiam indulgeamus, ostendat Perusinos aliquod aliud monasterium vel D. Benedicto, vel illius monachis exstruxisse.

Præterea Diui Petri Perusina Basilica temporibus Beati Herculani, & sequentibus vsque ad Rogerium Episcopum, qui fuit circa annum 980. plus minus, maior Ecclesia erat, vel ut vocat Cathedra- lis ipsomet fatente, & asserente. Verum monachos D. Benedicti temporibus Sancti Herculani, qui eiusdem D. Benedicti contemporaneus extitit, Ecclesias Cathedrales tenuisse, Constantinus quo probabili documento ostendet? eo præsertim tempore quo vix ex Sublacensibus tugurijs erumpere incipiebant, homines sanctissimæ quidem vitæ, sed omnes Laici, ut vulgi more loquamur ob vocabulorum indigentiam, id est nullo adhuc clericali caractere insigniti, quibus Diuus Benedictus non ut clericis, sed ut laicis regulam vitæ præscripserat, in qua de clericis monachis ne verbū quidē habetur.

Tertio si sanctus Herculanius ex monastica D. VIII. Benedicti institutione assumptus fuit, ut hoc

Aa iiij etiam

etiam gratis concederemus, sanè inter primos ipsius D. Benedicti discipulos veniret connumerandus, utpote vel ætate maior secundum aliquos, aut saltem illi æqualis: & cum fuerit insignis non solum Episcopus, sed etiam Christi martyr, consequens erit, ut primus ex familia D. Benedicti Episcopus, & martyr, eodem Benedicto adhuc superstite, sit omni iure constituendus. Hoc si ita est, cur venerandi monachi illum ab antiquo tempore in suis Martyrologijs minimè scripserunt? cur illi sua officia minimè persoluerunt, cur Beatus Gregorius, qui aliorum D. Benedicti discipulorum sanctorum, & martyrum meminit, & alij vetusti, qui Sanctorum Placidi, Mauri, & aliorum, & Sanctissimi Patriarchæ res gestas tanta diligentia, tam accuratè literis conscripserunt, vnius Herculanum primo loco ante omnes recensendi, ne per somnium quidem mentinerunt? sed nec ex recentioribus aliquis fide dignus, & probatus autor illum in albo Sanctorum Benedictinensium reposuit? parum igitur probabilia sunt, quæ Constantinus de Monastica Benedictina S. Herculanum professione scribit.

Postremò vetusta, & constans est Ecclesiæ Perusinae traditio, Beatum Herculanum statim ad episcopalem dignitatem euectum, clerum reformatum, & optimis Regulis Clericalibus instituisse, quin etiã illos more canonico seu regulari viuere constituisse. Ergo necesse fuit, illum inter clericos, & cum clericis regulariter, & more canonico viuentibus ante illud tempus degisse, non inter monachos Benedictinos, qui vix vnum sacerdotem, aut diaconum per singula monasteria per id temporis habebant, ut ex regula D. Benedicti cap. 62. habes.

IX. **T** Etia tandem veritas, quod S. Herculanus fuerit verè clericus canonicus, siue regularis, ex instituto per D. Patrem Augustinum instaurato, multipliciter etiam probatur, & primò quidem ratione proximè facta, quia veteres Ecclesiæ Perusinae tabulæ, quæ in antiquo officio Sancti Herculanum recitabantur, expressè habent, Beatum Herculanum ex monasterij conuersatione assumptum, clericos maioris Ecclesiæ more canonico viuere instituisse. Hinc verò euidentis præsumptio est, illum professione canonicum antea extitisse, quomodo enim regularis vitæ instituta suis clericis tradere potuisset, & illos ad normam vitæ canonicæ reformare, nisi prius ipse eiusmodi instituta apprimè doctus fuisset in aliquo Collegio Canonicorum?

Ad hæc Beatus Herculanus venerando P. Constantino fatète in monasterio Ecclesiæ Beati Petri, ante Episcopatum regularis vita institutum profitebatur. At illo tempore Ecclesia B. Petri Perusina Cathedralis cum esset, non monachorum D. Benedicti, nec alterius instituti, sed Clericorum Regularium erat, sicut omnes primæui illius temporis Basilicæ, ut in antecedentibus ostendimus. Ergo vel ex hoc capite, quod aduersæ partis præcipuum est fundamentum, maximè probatur clericalis institutio B. Herculanum.

Præterea certum est, in Ecclesia Perusina regu-

lare D. Augustini institutum ab antiquissimo tempore viguisse vsque ad Iulium Papam huius nominis Secundum. Tradunt etiam Perusinae tabulæ, B. Herculanum suos clericos maioris Ecclesiæ more canonico viuere instituisse. Ergo ante B. Herculanum in Ecclesia Perusina non erant monachi, sed clerici. Ergo & post Sanctum Herculanum fuerunt ibi clerici canonici, id est regulares. sed quod ad rem pertinet. Ergo vel ante D. Herculanum erant clerici canonici, & sic habemus intentum, cum S. Herculanus assumptus fuerit ex numero Religiosorum illius Ecclesiæ, vel ipse primus institutum clericorum canonicorum in Ecclesiam Perusinam introduxit, & sic cum introduxerit institutum Diui Augustini, & cum suis canonicis communiter vixerit, saltem in Episcopatu fuit professor instituti Canonicorum Regularium Augustinianorum, præter quod verisimile admodum est, illud institutum in Ecclesiam Perusinam illum induxisse, cuius ipse professor antea extiterat: & ut semel dicam, si Sanctus Herculanus huiusmodi institutum in Ecclesiam Perusinam non inuexit, aut saltem non reformauit, ut Canonici Augustiniani in suis officijs quotannis recitatis dicunt, quis alius huiusmodi institutum in Ecclesia Perusina plantauit? tandem quod omnem dubitationem tollere videtur, in Bulla Iulij Secundi, per quam Ecclesia Perusina ex regulari est secularis effecta, dicitur illam à sua institutione fuisse regularem, & Ordinis S. Augustini, non ergo fuit aliquando instituta sub Ordine Monastico, siue D. Benedicti, siue alterius.

Secundò principaliter probari potest eadem **X.** veritas testimonijs duorum Historicorum non minores certè autoritatis, quam decem Arnoldi, & Brachesij, vel etiam Trithemij, cum alter Apostolicæ Ecclesiæ Bibliothecarius extiterit, alter non solum Theologus, & legum Doctor sui temporis clarissimus, verum etiam Historicus peritissimus, qui integram historiam à mundi exordio sex tomis distinctam ad sua tempora perduxit. Primus est Ioannes de Nigraualle in Epilogo Chronicarum tertio decimo cap. 18. vbi in Catalogo Sanctorum Canonici Ordinis refert sanctum Herculanum Serusinae Ciuitatis Episcopum. Hunc librum ex Bibliothecis monachorum D. Benedicti ad nos deriuasse, fidem facit, qui illum manu propria exemplauit, & Ioanni Alcatio Alemano tradidit, qui illum postea imprimendum curauit, nimirum D. Zacharias Vicentinus Benedictinensis, postea Episcopus. ita enim in fine ipsius libri habes: *Hæc omnia supra scripta de verbo ad verbum ex Chronica suprascripti Ioannis de Nigraualle Bibliothecarij Apostolici per Reuerendum Patrem D. D. Zachariam Vicentinum Benedictinensem, postea Episcopum, manu propria fideliter transcripta.* Quod adnotandum duxi, ne quis prædictum Chronici fragmentum à Canonicis Regularibus sub falso titulo Ioannis de Nigraualle inuulgatum, calumnietur, quod integrum illius Chronicon difficile inueniri possit. Alter est Augustinus Ticinensis in Dilucidario Christianarum

stianarum Religionum part. 4. in vita ipsius Sancti Herculani, vbi inter alia hæc habet: *Quum verò caelestem vitam in terris ageret in Ecclesia Perusina, Religionis prima electa, sub quodam viro probate vita didicit, & infra. Cumq; in Regulari Canonica secundum Apostolica perfectionis, & D. Augustini regulam iam professus esset &c.* Contra quem si obijciat Caietanus, Ticinensem canonicum Augustinianum extitisse, obijciam ego eidem Cōstantino Ioannem item Trithemum, quem ille antiquum, & celeberrimum Scriptorem pro Sancti Herculani monachatu nobis obijcit, monachum Benedictinensem fuisse, cui Ticinensis noster vel antiquitate, vel eruditione historica est sine dubio comparandus, & æquiparandus, pluribusq; etiam titulis tum eruditissimi Theologi, ac Diuini verbi Concionatoris, tum Iurisperiti suorum temporum clarissimi eidem Trithemio præferendus, vt illius scripta sine alio laudatore prædicant.

XI. **S**ed vt omnem scrupulum amputemus, probatur hæc eadem assertio testimonio irrefragabili S. D. N. Pij Papæ V. in suo motu proprio, per quem officia Ordinis Canonorum Regularium Congregationis Lateranensis probauit anno Domini 1570. inter ea namq; officia, illa sancti Herculani habetur historia, quam Constantinus Caietanus pro sua licentia ab aliquo otioso ex turbidis fontibus haustam prædicat, ac etiam insigniter mendacem. qui motus proprius plenam fidem facit, præsertim in antiquis, vt tradunt passim Doctores, Felinus in cap. Cum à nobis. de testibus. lafon volum. 3. consil. 65. Socc. consil. 226. col. 2. vers. Ad secundum respondetur, Alexander vol. 1. consil. 6. col. fin. Decius consil. 445. nu. 15. & saltem transfert in aduersarium onus probandi contrarium vt notant Felin. vbi supra, & Angel. consil. 368. vnde cum Pater Constantinus contrarium non probauerit, parum reuerenter prædictam historiam ex turbidis fontibus à viris otiosis haustam iocatur, nec plus aliquid dicam. His omnibus addo Decretum S. Congregationis Illustrissimorum Cardinalium super Ricibus editum anno 1613. per quod ipsa Congregatio probauit officia Canonorum Regularium Congregationis S. Saluatoris de Bononia nuncupatæ, inter quæ continentur eadem historia quæ recitatur quotannis à Canonicis Regularibus Congregationis S. Saluatoris Lateranensis, quod Decretum posterius est eo, quod pro monastica S. Herculani professione profert ipse Caietanus, & est huiusmodi: *Die 22. Decembris 1612. Officia hac propria, & particularia recitanda in proprijs solemnitatibus Sanctorum Canonorum Regularium Congregationis S. Saluatoris Ordinis S. Augustini iam à Sede Apostolica approbata, & iterum in S. rituum Congregatione proposta, & de mandato, & ordine eiusdem S. Congregationis recognita, emendata, & subscripta ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Cardinali Bellarmino, eadem S. Rituum Congregatio approbavit, & vt à Canonicis eiusdem Congregationis S. Saluatoris recitari possint,*

& debeant iuxta rubricas in principio huius libelli positas, concessit, & indulget, cum facultate, vt eadē subscripta officia pro maiori totius ordinis prædicti commoditate imprimi possint, & valeant, & ita censuit, & declarauit die 22. mensis Decembris 1612. R. Card. Bellarmin. F. Maria Cardinal. de Monte. Ioannes Paulus Mucantius Secret.

Demum filius honorat Patrem suum, & seruus Dominum suum, ait Dominus per Malachiam 1. Si ergo S. Herculani ex ordine Monachorum Benedictinensium fuit, debebant illi eum in albo Sanctorum sui ordinis reponere, debebant illum peculiaribus officijs quotannis venerari, sicut cum alijs eiusdem ordinis facere consueuerunt, vel ob id maxime, quod inter primos ex illo ordine in numerum Sanctorum relatos, ille primus Sanctus, primus martyr, & primus Episcopus fuisset: at inter Benedictinenses ante paucos saltem annos S. Herculani mentio nec habita, nedum peculiaris officia in eius laudem recitata: è contra Canonici Augustiniani illi semper inter præcipuos illorum ordinis Patres, Protectores, & Sanctos habuerunt, illi quotannis diuinum officium peculiari ritu persolvere consueuerunt. Quis ergo in dubium reuocet, num Monastico, an potius Canonico sit ordini merito, ac iure vindicandus? merito enim dicet vobis S. Herculani à Venerandi Benedictinenses, filius honorat Patrem, & seruus Dominum suum. Si ergo Pater vester ego sum, vbi est honor meus?

Caput decimumnonum.

Constantini Caietani argumentationes pro Monastica S. Herculani professione superius adductæ resoluuntur.



Constare satis arbitror ex dictis, quid virium Constantinianæ argumentationes contineant ad assertam Beati Herculani Monasticen probandam, cum illas ex duplici errore, iuris, & facti procedere nullus non intelligat. Iuris quidem, quod censeat, idem esse, Beatum Herculani ex Monasterij conuersatione ad Episcopalis dignitatis gratiam euectum, & illum ex Monastica professione ad Episcopatum fuisse assumptum, quod præterquam si pro vero admitteremus, nõ tamen exinde inferret ex familia Benedictinensium acceptum, quæ necdum ab ovo eruperat. tamen secundum rei veritatem falsum est, & ostendit, illum non vidisse, quæ de Canonicis in Monasterio degentibus scribunt D. Basilii in institutionibus Monasticis c. 19. Concil. Calcedonense c. 8. & de Monasterijs Clericorum, siue Canonorum, D. Augustinus serm. 1. & 2. de communi vita Clericorum, & in psal. 138. Possidius eius discipulus in illius vita cap. 5. 11. & 15. D. Ambrosius in epistola 82. & in sermone 69. de

de Natali Beati Eusebij, Concilium item Arelatense quartum cap. 8. Turonense tertium c. 24. Aquigrani, Moguntinum, & alia, Venerabilis Beda lib. 4. Historiæ gentis Anglorum cap. 4. Gulielmus Mallesburiensis in Libris de Regibus, & Episcopis Anglicanis, Archidiaconus in c. Quæsitum 1. q. 3. ubi dicit omnes Ecclesias Galliarum antiquitus consueuisse vocari Monasteria, ut Vincentium Bellouacensem, D. Antoninum, Ioannem Molanum lib. 1. de Canonicis cap. 12. & alios recentiores omittamus, ne in re notissima laboremus.

Errare etiam in facto eundem Caietanum nullus non intelliget, qui aduertat, illius rationes in falsa narratione fundatas, nempe quod quæ nunc dicitur S. Petri Ecclesia Perusina Congregationis Cassinensis, tempore sancti Herculani esset monasterium ordinis Sanctissimi Patriarchæ Benedicti, id enim plusquam falsum est, quia illa Ecclesia Cathedralis tunc temporis erat, quæ per Clericos, non per Monachos regebatur: quam Benedictinenses Monachi non ante annum Christi 980. vel 990. obtinuerunt, quod mirum est illum ignorasse, cum non facile credatur propria ignorare, qui alienorum curiosus adeo est scrutator: & licet hoc pacto facillimum esset ab eius nos molestiis liberare, ne tamen queratur, nos illius argumenta consultò dissimulare voluisse, illius discursum nunc breuiter repetemus, singulis rationibus singulas adhibendo responsiones. ait igitur.

II. *S*ed hæc omnia gratis asserta quis non videt? nam si Magno Gregorio Ecclesiæ Doctore sanctissimo, ac ipsi Totius temporibus vicino, &c.

Respondeo, Principij petitionem merito obijci posse, quod probanda pro veris supponantur, videlicet idem esse, fuisse assumptum ex conuersatione monasterij, & fuisse assumptum ex conuersatione monastica: hoc enim principio negato, quod nullus eruditus non negabit, primum illius argumentum flaccescit, & euanescit. Sed quia forsitan Dialecticis parum assuetus hæc audiens Sophistam in clamabit: Respondeo aliter, falsum esse, quod assumit, idem esse, Beatum Herculanium fuisse assumptum ex conuersatione Monasterij, & ex conuersatione Monastica. nomen enim Monasterij commune est ad domus tam Canoniorum, quam Monachorum, & æque dicuntur Monasteria domus Clericorum una communiter viuentium, sicut domus Monachorum: & ante D. Benedictum, immo etiam D. Herculanium pleraque Monasteria Canoniorum in orbe Christiano visabantur. Sed lege, si placet, quæ notauimus supra lib. 1. cap. 38. aut si libros nostros legere non dignaris, lege D. Augustinum, Possidium, & alios autores proximè citatos, sed præsertim ipsum Augustinum in expositione psalmi 132. at subdit.

Constantinus ex conuersatione namque monasterij, ut ait Gregorius, petitum fuisse sanctum Herculanium, nihil aliud esse, quam Monachum existisse, aperte declarat Arnulphus Aretinus Canonicus in eiusdem sancti Floridi vita &c.

Respondeatur, quid si pro vno Arnulpho Aretino

Basilium, Augustinum, Possidium, Bedam, innumera Concilia, & testimonia Patrum, Historicorum, Canonitarum, quin & Sacrorum Canonum authentica testimonia tibi obiecero, & probauero, æque conuenire nomen Monasterij domibus Canoniorum, sicut & Monachorum? An pro sacris monumentis vnus tibi suppetit Arnulphus Aretinus, & non magis sacri Canones, & sacrorum Conciliorum definitiones, & Priscorum Patrum narrationes, quas non esse omittendas diuina scriptura præcipit, cum inquit: Non te prætereant narratio Seniorum?

Constantinus, Arnulpho huic Aretino & docti quique scriptores assentiuntur: unde Cesar Cardinalis Baronius de eodem sancto Herculano, ex Monastica quidem vita venisse scribit Gregorius. Philippus etiam Ferrarius: Herculanus Perusia in Cenobio vitam laudabilem ducens, eius Urbis Episcopus postea creatur.

Respondetur, cum tam liberè doctos quosque Arnulpho Aretino assentiētes audiui, extimui valde. Cæterum quando doctos quosque ad Cardinalem Baronium, & Philippum Ferrarium restringis, animum resumpsi, maxime quia tu ipse Baronium in multis arguis, & præsertim in vita magni Pontificis Gregorij: & alter Philippus Ferrarius vix est in orbe cognitus. Sed quid si isti duo viri etiam doctissimi tecum in eadem salebra hæserunt, aut tu cum illis, dum putant, idem esse, aliquem assumi ex conuersatione monasterij, & ex conuersatione monastica, ut nullus præter Monachos in monasterio degere, & conuersari valuerit?

Constantinus. His quoque suffragantur manuscripti Codices antiquissimi Ecclesiæ Perusinae, ac sancti Petri Perusini ex Cassinensi congregatione Monasterij, qui Herculanium non solum Monachum, sed Benedictinum apertissime affirmant, &c.

Respondeo, Satius fuisset, fixum de Codicibus antiquissimis Ecclesiæ Perusinae testimonium ponere. Nam illi nihil amplius ponunt, quam quod ex verbis D. Gregorij referunt, addētes quod Herculanus factus Episcopus instituit Clericos maioris Ecclesiæ more Canonico viuere, & omnem Clerum secunda, quarta, & sexta feria ieiunare constituit. Manuscripti verò Codices monasterij S. Petri hoc solum verè affirmare possunt, sanctum Herculanium ex conuersatione monasterij sancti Petri assumptum: quod non negamus, sed quàm maxime contendimus. Si autem ex institutione Monastica, præsertim D. Benedicti assumptum aiunt, manifestè illorum autores se, & alios decipere conuincuntur: cum constet, illam Ecclesiam ante annum circiter 980. Cathedralem extitisse, neque Monachos D. Benedicti, nisi post sedem Episcopalem, & Canoniorum Regularium intra urbem trāslatam, illam Ecclesiam obtinuisse, quod accidit circa annū 990. Quare frustra terremur testimonijs Ambrosij, Augustini, & autorum veterum Martyrologiorum, ac etiam Historicorum, qui de hac re ne verbum quidem habent, sed nec tu aliquod testimonium ex illis promiss.

Constan-

III. **C**onstantinus . *His innixa testimonijs Sacra Illustrissimorū Cardinalium Congregatio, cum officia propria Ecclesie Perusinae, eius urbis Episcopo Neapolcone Comitulo curante, post diligentem à Cardinali Baronio factam reuisionem, approbasset, anno Christi 1605. die 12. mensis Nouembris de Martyre hoc nostro inter alia decreuit . Herculanus secundus huius nominis Perusia Episcopus, cum in Cœnobio ex sancti Patris Benedicti instituto Perusia fundato vitā Monasticā magna cū laude duxisset, &c.*

Respondeo. Exiguum momētum in isto Decreto constituendum esse, primò quia parte inaudita, & causa minus cognita emanauit, supposita falsa narratione, quod Monasterium seu Ecclesia S. Petri Ciuitatis Perusinae teneretur per illa B. Herculani tempora à Monachis Benedictinis, quod tā fallum est, quàm quod non nisi post annos quadringētos à foelici dormitione sancti Herculani Benedictinēses Monachi dictam Ecclesiam obtinuerunt. Secundò, quia eadem sacra Congregatio anno 1512. probādo officia congregationis Canoniorū Regulariū s. Saluatoris Bononiēsis, virtualiter, & implicite hoc antèruius decretum reuocauit, & nostrā Sententiam manifestè probauit. Tertiò, quia nos habemus firmiorem propheticum sermonem, cui & tu benefeceris attendens, nempè Bullam Pontificiam Pij V. per quam officia Sanctorum Canonici ordinis, quæ à nostra Lateranensi Congregatione quotannis recitantur, approbauit. Sed quid si dixerò tibi Reuerendissimum eundem Neapolconem Comitulum, viso meo responso ad tuas argumentationes, quod tibi tradidisse, vt si quid velles, replicares, tum ab illo, tum ab alijs fide dignissimis didici, suauissime mihi plurimum, ac etiam Generali Procuratori nostræ congregationis, vt ostensis nostris euidentissimis rationibus hoc tuum decretum, quod iactitas, per eādem Sacram Congregationem Illustrissimorū Cardinalium super Ritibus reuocandum procuraremus. ipse adhuc in viuis agit, quem Deus Optimus incolumem diu seruet, & ad Cœli coronam perducatur ex illo sciscitare.

IV. **C**onstantinus, *Antiquissimis istis fundamentis celeberrimus, & antiquus sanè Scriptorum Ioannes Trithemius inbarens, vt etiam Cardinalis Baronius ait, &c.*

Respondeo, præter quod Trithemius Monachus Benedictinus fuit, & pars in causa formalis, vt semel intelligas, quam opportunè illius testimonium exaggeres, referam tibi, quæ de illo, ac eius similibus Cardinalis Baronius, quem contra Augustinianos Canonicos producis, ingenuè fateatur, tom. 6. Annalium sub anno 494. num. septuagesimo sexto. *At vero, inquit, cum innumerorum penè sanctissimorum virorum, & doctissimorum Patrum Patriarcha Benedictus fuerit fecundissimus propagator, perperam mea sententia illi faciunt, qui ei, quos non genuit, alienos partus supponunt. qui in quā nimio eius ordinis, sub quo profitentur amore, nonnullos fama illustres viros, qui etiam ante sancti Benedicti tempora floruerunt eiusdem fuisse regula professores im-*

prudenter, & inconsulte nimis affirmant. Etenim nō fecundis, sed sterilibus supponi aliena soboles consuevit. Præstitit hoc inter alios Trithemius, autorque cæteris posterioribus fuit id ipsum faciendi. Quid rogo cum sancto Benedicto sanctus Casarius Arelatensis Episcopus? &c. Hæc Baronius, & alia, quæ ibi sunt videnda. & præter Casarium Arelatensem, & alios ibidem relatos addiderim ego. Quid cum sancto Benedicto, vel cum Monachis Adrianus Papa huius nominis Quartus? quid monasterium S. Rufi apud Auenionem, quod cum eodē Adriano Quarto illius olim Abbate, inter monasteria Monachorum recenset, quod Monasterium nunquam Monachorum, sed semper Canoniorū extitisse plus notum est, quàm quod vlla indigeat demonstratione? Addo cum ex sententia Trithemij in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis magnus Patriarcha Benedictus post annum Christi 600. ætatis annorum 96. obierit, sanctus verò Herculanus anno Christi 544. vel ad summum 546. martyr ad Christum migrauerit, ac èt Episcopali munere aliquot annis defunctus, & consequenter ætate prouectus, & grādæuus, quomodo non animaduertit Constantinus, suo se gladio petere, cum Benedictinam sancti Herculani professionem ex Trithemij testimonio nititur comprobare?

Constantinus. *Quæ Trithemij sententia quam verò verior sit, Ioannes Baptista Brachefus ex ordine Prædicatorum, cuius laudabiliter meminist Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum optimè confirmat, &c.*

Respondeo, putabam ad Trithemij sententiam verò veriore ostendendam aliquod ex sacrarum Scripturarum oraculis, vel Summorum Pontificū, vel Conciliorum Oecumenicorum Decretis testimonium promendum. Sed cum illis omissis ad vnū Brachesium se recipiat, videat an dici possit, cœcus cœco ducatum præstat, & ambo in foueam cadunt. nam circumscripta illius autoritate, quæ apud me in hoc nulla est, ille suum dictum nec cōfirmat, nec optimè probat, sed voluntariè loquitur, eodem errore captus, quod nullus ex Monasterij conuersatione nisi Monachus assumatur.

Constantinus: *Illud præterea aliud de Benedictina Sancti Herculani professione argumentum maximi est faciendum, quod vt idem Ioannes Brachefus optimè etiam probat, cum idem S. Herculanus cum pluribus Dei viris comitantibus ex Syria Romam aduentasset &c.*

Respondeo, quod Ioannes Baptista Brachefus Sanctum Herculanum cum pluribus Dei viris ex Syria Romam aduentasse, aut optimè, aut pessimè probauerit, non video. nam arguens illius probationem non attulit, quam non omitteret, si præmanibus haberet. quod verò S. Herculanus ex Syria Romam venerit, apochryphum est: nam in manuscripto libello hitorie Annuli Beatissimæ Virginis Deiparæ, qui apud Perusinos sūma veneratione asseruatur, mihi oblato, dum in maiori Ecclesia Cōciones quadragesimales haberem, S. Herculanum non

non ex Syria, sed ex partibus Germaniæ, siue Aie-
 mania illuc aduentasse reperi. Porrò eundem
 S. Herculanium apud maiorem D. Petri Ecclesiam
 eiusdem Ciuitatis in monasterio educatum, ipse
 etiam Constantinus cum Canonicis Augustinianis
 fatetur: qui hoc solo à nobis distat, quòd nos mo-
 nasterium illud clericorum, sicut & cæterarum il-
 lius temporis cathedralium fuisse contendimus: ille
 autem monachorum Benedictinensium, qui non-
 dum per id temporis Perusij visi fuerant, sed neque
 ad regimen cathedralium nisi post multa secula, &
 per accidens admitti consueuerant, vt in sequenti-
 bus ostendemus. Iam videat, quàm optimè Bra-
 chesius intentum euincat. Verùm esto id verum sit,
 quod tamen falsissimum esse contendo, ostenden-
 dum manebat, quod socij S. Herculani, quos fin-
 git in monasterijs narratis, S. Patriarchæ Benedicti
 monachi extiterint, & illius regulam seruauerint,
 & alijs obseruandam tradiderint. neque enim pro-
 bationem adeo necessariam, vtpote circa quam rei
 cardo vertitur, omittit breuitati consulens, sed il-
 lius inopiam manifestè prodit. Certè vt de alijs
 taceam, monasteriũ, quod sanctus Isaac apud Spo-
 letanam Urbem in cliuo montis fabricauit, à funda-
 tione Benedictinensium monachorum extitisse, vel
 sanctum Isaac D. Benedicti monachum fuisse, nun-
 quam probabit, quod ipsum de alio monasterio san-
 cti Petri de Firentillo eidem monasterio Spoletano
 olim subiecto contendo. Monasterium enim Spo-
 letanum, quod sancti Iuliani vocatur, ex Apostoli-
 ca concessione nostræ Lateranensi familiæ cessit,
 cuius sum ego Abbas, licet immeritus. Reliquiæ
 illius sanctissimi Viri apud nos sunt, cum omnibus
 eiusdem monasterij monumentis vetustissimis. ex-
 tant eiusdem sancti Viri res gestæ in tabulis Eccle-
 siæ Spoletanæ? extant apud D. Gregorium lib. 3.
 Dialogorum cap. 14. hæc omnia scio vidit. At
 quod S. Isaac D. Benedicti Regulæ professor exti-
 terit, vel sub eadem regula sancti Iuliani martyris
 Ecclesiam, & monasterium fundauerit, certè non
 vidit, si non inuidit. Fateor idem monasterium
 progressibus temporum Benedictinis monachis Clu-
 niacensibus, sicut & S. Petri de Firentillo cessisse,
 quod vetustissime scripturæ in eodẽ monasterio ad-
 seruatae indicant. Verùm aliud hoc est. & tandem
 vt daremus per importunitatem, alios sancti Her-
 culani socios in illis monasterijs degentes mona-
 chos Benedictinenses fuisse, non probaret, sanctum
 Herculanium sancti Benedicti monachum fuisse,
 quem in Ecclesia sancti Petri Perusina Cathedrali
 vitæ Regularis institutum coluisse, ille ipse fatetur.

VI. **C**onstantinus. *Quam rei veritatem ingenui
 quique Lectores facile adhuc sibi persuadebunt,
 si ante oculos ponent, S. Benedictum Regulam à se
 diuinitus scriptam ab anno 497. ad 543. quo mor-
 tuus est.*

Respondeo. Iam dixi, ingenuos Lectores nisi
 cæcutiendo, sibi ante oculos hoc ponere non posse:
 sed etsi ponerent, & concluderent etiam, prout con-
 cedendum est, sanctissimum Patriarcham Benedictũ

monastici Ordinis in Occidente reparatorem, innu-
 mera monachorum Cœnobia per se, vel per sui in-
 stituti professores erexisse, quid inde? An ex hoc
 sequeretur, S. Augustinum Canonici Ordinis in
 Occidente reparatorem non extitisse, & Ecclesias
 Cathedrales omnes ab initio clericorum regulariũ
 non fuisse, vel ante D. Benedictum innumera Col-
 legia, & monasteria Canonorum Regularium in
 Italia non fuisse: aut etiam sanctũ Herculanium, qui
 S. Benedicto ætate maior fuit, & in Ecclesia Ca-
 thedrali Perusina regulariter institutus, non nisi mo-
 nachum Benedictinensem esse potuisse: aut tandem
 per tempora D. Benedicti, & post illum, nullos mo-
 nachos in Europa, addo in Italia, nisi ex Ordine
 D. Benedicti extitisse? Errant certè, qui ista cre-
 dunt. Circa tempora B. Herculani S. Benedicti
 monachi per Umbriam non erant propagati, soli-
 tudines colebant, non Ciuitates, non Ecclesias Ca-
 thedrales. Clericorum erant munera non mona-
 chorum, Ecclesias regere, intra Vrbes, & in medijs
 populorum frequentia constitutas: sed subiungit.

Constantinus. *Quo sane pacto iam asseri Ca- VII.
 noniti Augustiniani affirmant, hac ipsa in Ca-
 thedrali à Regulari quodam probatissima vitæ Cano-
 nico, eundem illum prima religionis rudimenta edo-
 ctum, ibiq; professum, in Episcopum postea assump-
 tum, ea etiam Canonorum Regularium S. Augu-
 stini instituta, &c.*

Respondeo. Quo pacto Canonici Augustiniani
 id affirmant, ex dictis apparet. quod autem de as-
 fertis Canonicis Regularibus Augustinianis sub-
 murmurat, nescio quid ætatis adhuc offensionis
 redolet, qua veteres discordias, si posset, vellet ite-
 rum ab Orco reuocare. Verùm incassum, nos enim
 Canonicos Augustinianos non asseros, vt ait, sed
 veros, proprios, originarios, ac de veris antiquis
 clericis, à D. Augustino, immo à sanctis Apostolis
 institutis existere, post longas, & dispendiosas mo-
 lestias nostræ Congregationi Lateranensi illatas,
 Sedes Apostolica decreto inappellabili sententia-
 uit, & definiuit, quod videri potest inter constitu-
 tiones Pij Quarti constitut. 95. in ordine, ad quem
 locum lectorem remitto.

Constantinus. *Canonici insuper Augustiniani se-
 ipsos etiam decipere cognoscuntur, cum volunt, ma-
 iorem Perusij Ecclesiam ea S. Herculani tempestate
 fuisse illam, quæ hodierna hac die eadem intra Ciui-
 tatem S. Laurentio dicata veneratur, cum eadem po-
 tius in Perusino suburbio, &c.*

Respondeo. Canonicis Augustinianis hic error
 stultissimus, quem illis imponit, nunquam in men-
 tem venit, neque vllum ex nostris monstrabit, qui
 hunc asseruerit. aiunt nostri, idq; verissimè, quod
 nec ipse Caietanus detrectat, S. Herculanium in
 maiori Ecclesia Perusina prima Religionis rudi-
 menta didicisse, quod autem maior Ecclesia Perusi-
 na esset illa, quæ nunc intra Ciuitatem S. Laurentio
 est dicata, non dicunt, sed ab arguente impo-
 nitur. Quod autem subiungit: *Ipsa verò S. Petri
 Ecclesia, quæ Benedictinorum Cassinensium institutio-
 nibus*

nibus hodie subiacet, à monachorum Patriarchæ Benedicti Regula obseruatione nullo unquam tempore desciuit, quod clarissimum sit ex vita sancti Petri eiusdem monasterij Abbatis, qui Othonis magni Imperatoris etate vixit. Amphibologicum dicendi genus est ad ignaros illudendos: nam distinctione opus habet, vel enim sensus verborum est, Ecclesiam sancti Petri sub Diui Benedicti Regula fundatam, & primitus institutam, eiusdem Diui Benedicti institutionem semper retinuisse, quem sensum accipere oportet, si aliquid probare intendit, quemq; arguens accipere conuincitur, dum ait, sanctum Herculanium monasticam exercuisse in eo monasterio sancti Petri, quod Perusini D. Benedicto exstruxerunt. Verum hic sensus quàm falsus sit, nullus non intelliget, qui legerit, maiorem Ecclesiam Perusinam ante Diuum Benedictum exortum multo tempore fundatam, ac in ea quamplures sanctissimos Præsules floruisse, vt Herculanium primum, Fœlicissimum, & alios. Vel sentit, ex quo tẽpore Benedictini monachi Ecclesiam sancti Petri obtinuerunt, illam nunquam dimisisse, qui sensus admitti potest. Sed quid inde? ipsi enim monachi Benedictini non ante annum circiter 990. sub Othone magno Imperatore illam obtinuerunt, vt patet ex vita eiusdem, Beati Petri primi illius monasterij Abbatis, quem si primum illius monasterij Abbatem dixisset, vt debebat, illico artem detexisset, cum primus ille Abbas quadringentis annis, & amplius, S. Herculano posterior fuerit, & adhuc longè posterior ille alius Abbas, quem perantiquum ex Petro Damiani refert, cum Petrus Damiani lib. 6. epistola 25. de illo Abbate sancti Petri Perusini hæc scribat. *Ante septem fere annos Abbas monasterij ad honorem Diui Petri in Perusino suburbio constituti, commissi sibi regiminis curam spreuit.* Videat igitur, quid iuuet istorum Abbatum antiquitas ad intentum probandum.

VIII. **C**onstantinus. *Ex turbidis denique fontibus ab aliquo otioso eam de sancto Herculano historiam, quam etiam in diuinis officijs quotannis recitare boni isti Patres Augustiniani non verentur, bastam fuisse, & illud aliud insigne satis mendacium manifestat, quod vnà cum S. Herculano, & Canonicos, quos vt dicebam, suos Regulares intelligunt Augustinianos, gladio interemptos fuisse volunt.*

Respondeo, autorem historię, quam boni Patres Augustiniani recitant, fuisse virum otiosum, & insigniter mendacem, illius licentię indulgendum est, qua vtitur etiam in notis marginalibus, quibus opera Beati Petri Damiani aspergit, cuiusmodi exempli gratia est illud in tom. 1. lib. 1. epistola 16. *En quam Regulam obseruabant Canonici Regulares B. Petri Damiani etate.* & illud in tom. 2. serm. 70. de Dedicacione Ecclesię. *Legant hæc inertes Canonici, qui nibil aliud, quàm cutem curant.* Eiusmodi autem historiam ipsos Canonicos Augustinianos, quos per irrisionem Bonos vocat, quotannis in diuinis officijs recitare non ve-

teri, libentissimè concedo, quippe qui veris laudibus Deum, & Sanctos venerari non timent. Vereantur, qui putant Diuos illorum mendacijs indigere, vt pro illis loquantur dolos, vt est apud Iob cap. 7. Illud tandem satis insigne mendacium, cuius eosdem Canonicos Augustinianos reuincit, cum aiunt, vnà cum sancto Herculano & Canonicos, quos illi suos Regulares intelligunt (& meritò quidem, velis, nolis, ac remurmures quantumcunque volueris) gladio interemptos fuisse, insignem oscitantiam in verbis Doctorum legendis, & ponderandis ostendit, ne plus dicam. nam leguntur apud D. Gregorium hæc verba lib. 3. cap. 13. *Tunc Comes, qui eidem exercitui præerat, ad Regem Totilam nuncios misit, exquirens, quid de Episcopo, vel populo fieri iuberet: cui ille præcepit dicens, Episcopo prius à vertice capitis vsque ad calcaneum corrigiam tolle; & tunc caput eius amputa. omnem verò populum, qui illic inuentus est, gladio extingue.* Nam si hæc Caietanus legit, & ponderauit, quæro, putetne cum sancto Herculano in illa obsidione nullos clericos, siue canonicos, siue monachos extitisse, & si extiterunt, impium Tyrannum in sanctum Episcopum, & totum populum tam dirè debacchantem, solis clericis parcere voluisse, vt cæteris omnibus extinctis illos omnes superstites esse voluisset? Iam videat, quàm insigne mendacium protulerint boni Patres Augustiniani, dum cum S. Herculano illius Ecclesię canonicos, quos suos Regulares esse volunt, gladio interemptos fuisse contendunt.

Hæc pro Dei gloria, & canonica D. Herculani professione vindicanda, non autem iniurię referendæ causa scripsi, necessitate cogente, propter nonnullos, qui labore superfluo tum seipsos in scribendo, tum alios in respondendo grauant.

Caput vigesimum.

De alijs Canonici Ordinis Ecclesijs in Hetruria constitutis.



Dæter supradictã Ecclesiam maiorem Perusinam, recensentur alię quãplures Ecclesię, ac monasteria canonici Ordinis in ciuitate, ac Diocesi Perusina, & alibi, quę olim canonicos Regulares tenuisse tum Prouinciale Romanum, tum etiam liber taxarum Apostolicarum, & alia particularium locorum authentica documenta fidem certissimam præbent: ex quibus nonnulla subijciam, quorum veridica testimonia oculata fide examinaui. Sunt autem in primis. In Suburbio eiusdem ciuitatis Perusinæ monasterium perantiquum sub titulo S. Mustiolę martyris Clusinæ, ac membrum Præpositurę S. eiusdem Mustiolę apud Clusium canonicorum regularium vetustissimæ, de qua statim dicendum.

B b Erat

Erat autem istud monasterium in pomerio extra portam sanctæ Susannæ Vrbi proximo: Verùm vi bellorum, quæ proximo seculo multas Vrbes Hetruriz contriuerunt, illud etiam attritum fuit, & solo ferè æquatum, & Canonicis omnino destitutum. aliquot ab hinc annis renatum ex illius ruinis monasterium Sanctimonialium sub Regula D. Francisci, quæ ab arctiori eiusdem Sanctissimi Patris disciplina Capuccinæ passim sunt nuncupatæ. Meminit huius Ecclesiæ Ioannes Baptista Laurus Perusinus Protonot. Apostolicus in libello recens edito de Annulo Beatæ Virginis pag. 33. & 34.

In eadem ciuitate Perusina, & illius Diocesis aliæ plures erant Ecclesiæ canonicorum Regularium, quin etiam ipsi Canonici Regulares in Urbanos, qui maiori, & alijs minoribus Ecclesijs intra urbem constitutis, & Rurales, qui alijs Ecclesijs extra Ciuitatem existentibus regendis erant præfecti, distinguebantur, qui omnes in Bulla Secularizationis ipsius Ecclesiæ maioris intra urbem, ac ipsam D. Laurentij maiorem Basilicam reducti sunt, Ecclesiarum illarum redditibus mensæ Canonicorum cathedralium applicatis, ac in eisdem Ecclesijs constitutis perpetuis Vicarijs, per quos deinceps regi consueuerunt. hæc omnia constant ex Bulla Secularizationis eiusdem Ecclesiæ Iulij summi Pontificis huius nominis Secundi.

Est in eadem Ciuitate Prioratus conuentualis sanctæ Mariæ Angelorum congregationis canonicorum Regularium sancti Saluatoris Bononiensis, eidem congregationi vnitus per Pium Secundum anno 1468. octauo Idus Decembris, cum antea esset monasterium sacrarum Virginum Ordinis sanctæ Claræ.

II. **I**N ciuitate Clusina, quæ à Perusio viginti quinque circiter milliaribus distat, siue prope eandem ciuitatem ad Clanum fluuium insignis, ac vetustissima exitit canonicorum Regularium Præpositura sanctæ Mustiolæ nuncupata: siquidem in illius Ecclesia reliquæ sanctæ Mustiolæ Claudij Principis consobrinæ, & insignis matronæ, ac Christi martyris, vnà cum reliquijs sancti Irenæi Diaconi, & martyris seruabantur. Fuisse autem istud collegium canonicorum Regularium vetustissimum ante annos septingentos, ostendit miraculum Annuli pronubi Gloriosæ Virginis Deiparæ à puerulo Rainerij ciuis Clusini filio defuncto, dum ad dictam Ecclesiam sanctæ Mustiolæ solemni pompa tumulandus portaretur, ad vitam reuocato, diuina reuelatione indicati, qui Annulus in eadem Ecclesia sub cura Præpositi, & canonicorum diu est adseruatus, nimirum vsque ad ipsius Ecclesiæ euerisionem bellorum vi secutam, quæ omnia cum sub Præfectura Hugonis Hetruriz Marchionis pijssimi ante annum millesimum, tempore Orthonis tertij Imperatoris contigerint, indicio sunt, illud monasterium septingentorum circiter annorum antiquitatem habuisse. Extant Alexandri Quarti literæ sub anno 1262. quibus Præpo-

siti, & canonicorum vitam relaxatam seuerè coercuit. Sed & illud non omittendum, quod de quodam canonico illius monasterij Anonimo, vitæ castimonia ad miraculum suspiciendo ex relatione Tuffignani in Annalibus Seraphicis idem Ioannes Baptista Laurus Perusinus in dicto libello pag. 27. narrat, ipso die, quo Beata Virgo Deipara cum Elizabeth cognata congressum habuit, illum more alterius Simeonis puerum Iesum in vlnas suas suauissimè recipere consueuisse, ac præsentia diuini numinis mirum in modum recreari. Tandem seculo præterito ipso monasterio euerso illius bona partim Ecclesiæ Clusinæ à Pio Secundo, partim Plebanæ à Clemente Octauo sunt attributa. ex libro taxarum Cameræ Apostolicæ in Ecclesia Clusina, ac ex eodem Ioanne Baptista Lauro, qui plura de eadem Præpositura, & de alijs eiusdem nominis in Suburbio sanctæ Susannæ Perusino scribit libro citato. eiusdem fit mentio in Actis cuiusdam Capituli prouincialis Eugubij in Ecclesia Cathedrali anno 1344. die 4. Maij celebrati, cuius acta sunt in Archiuo eiusdem Cathedralis.

III. **P**roxima eidem ciuitati Perusina est etiam Ecclesia Tifernatensis, nunc ciuitatis Castellum vocata, quam ab illius institutione, seu fundatione vsque ad annum 1578. sub D. Augustini Regula stetit, præter Prouinciale Romanum, in quo dicta Ecclesia sub Ordine Diui Augustini recensetur, constat apertissimè ex Bulla Gregorij Papæ Decimi tertij, eodem anno 1578. Kalendis Februarij emanata, per quam dictam Ecclesiam, quod in ea Regularis disciplina solo habitu canonicorum regularium, scilicet rochetto retento, in reliquis esset penitus collapsa, ex Regulari ad statum secularem transtulit: nam in dicta Bulla hæc inter alia leguntur. *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam reememorialiam. Infrima hominum conditio saepe efficit, ut res vel maxime perspicua, & memorabiles, &c. & infra: Exhibita siquidem nobis nuper pro parte eorundem Præpositi, & Canonicorum petitio continebat, quod etiamsi dicta Ecclesia ab eius Institutione Regularis dicti Ordinis existat, nulla tamen professio Regularis, aut vsum à dicto Præposito, & Canonicis, alijsq; personis dicta Ecclesia à memoria hominum expresse emittitur, sed solummodo Rochettum per Canonicos dicti Ordinis gestari solitum etiam extra dictam Ecclesiam deferunt &c.* Ex quibus habes, dictam Ecclesiam ab illius institutione Regularem extitisse. Huius Ecclesiæ præsul fuit sanctus Floridus sancti Herculani Perusini Episcopi discipulus, & consequenter canonicus Regularis, vt ex Diuo Gregorio libro tertio Dialogorum capite decimotertio habes, quod etiam Ioannes de Nigraualle in Catalogo Sanctorum eiusdem Ordinis notauit, quanquam aliter in officio eiusdem Ecclesiæ legatur. Sed esse potuit, vt ex ignorantia imperiti alicuius historici in dictam

dictam Ecclesiam hic error obreperit, sicut dictum est in præcedentibus de sancto Herculano secundo Episcopo Perusino: & si diuinare liceat, eidem errori ansam præbuit, qui illius vitam scripsit Arnulphus canonicus Aretinus, dum ex verbis Diui Gregorij malè intellectis deduxit, sanctum Herculanium ipsius beati Floridi nutritorem, monachum fuisse, non clericum: quòd illum ex conuersatione monasterij assumptum, magnus ipse Gregorius loco sæpius allegato scribat: nam si beati Herculani discipulus, & Ecclesiæ Perusinæ Diaconus fuit beatus Floridus, vt vel ipsemet Arnulphus istis verbis fatetur. *Gratulabatur, & exultabat in Domino Herculanus Dei famulus, quòd in exercitijs diuinorum operum se tam sollicitè equiparare videbat Venerabilem Diaconum Floridum. vnde perspicuens eum sacris mysterijs conficiendis satis idoneum, quanquam reluctantem, & indignum se proclamantem, cunctis, qui seu ex Tifernitis, siue ex Perusinis aderant, gaudentibus, atque collaudantibus, eum, consecrauit presbyterum.* Cum in præcedentibus certo certius ostenderimus, Ecclesiam Perusinam canonici, non monastici Ordinis ab illius institutione vsque ad Iulij Secundi tempora extitisse, & S. Herculanium ex monasterio canonicorum, non autem monachorum assumptum fuisse. quis non videt, per sequelam ineuitabilem, ipsum etiam beatum Floridum clericum canonicum, non autem monachum fuisse?

In Diocesi Suanensi erat insigne, ac vetustum monasterium S. Martini nuncupatum, quod canonicis destitutum euersum est cladibus bellorum. illius bona nunc mensæ Episcopali sunt vnita ex libro taxarum.

IV. **E**cclēsia Senensis olim Episcopalis, nunc verò Archiepiscopalis, videtur ab antiquo tempore fuisse regularis: nam in quibusdam vetustissimis priuilegijs seu concessionibus factis per Episcopum, & canonicos ipsius Ecclesiæ Senensis Vener. Priori, & canonicis S. Frigidiani Lucensis de Ecclesia Cardinali S. Martini in Burgo ciuitatis Senarum, ad constituendum ibi collegium canonicorum regularium secundum institutionem S. Frigidiani Lucensis, fit mentio Præpositi Ecclesiæ Senensis, & suorum fratrum sub nomine fratrum, sicut dum fit mentio eorundem canonicorum S. Frigidiani, nec mirum, quia omnes Ecclesiæ Italicæ ab olim erant Regulares, vt inferius ostendemus, licet multatum peculiare institutiones nunc minimè teneamus. Cæterum quidquid sit de Ecclesia Metropolitana, de qua non contendo, quia non me latet, omnes canonicos, siue Regulares, siue seculares nonnunquam vocari fratres, & canonicum esse fratrum clericum, vt deducunt Doctores ex cap. Relatum de Præbendis.

In eadem Ciuitate, seu in quodam Burgo ciuitatis Senarum, constat fuisse olim collegium canonicorum Regularium congregationis S. Frigidiani cum primis nobile S. Martini nuncupatum, de cuius fundatione, & progressu ex authenticis scri-

pturis, & priuilegijs Romanorum Pontificum, & Episcoporum Senensium, quorum originalia sunt Romæ in Archiuis monasterij nostri sanctæ Mariæ de Pace, ista accepi. Oldericus Præpositus, & Ioannes Archipresbyter sanctæ Mariæ ciuitatis Senarum cum consensu suorum canonicorum, & fratrum, ac etiam Rainerij dictæ Ecclesiæ Episcopi dederunt Attoni Priori sancti Frigidiani, eiusque successoribus in perpetuum Ecclesiam Cardinalem sancti Martini nuncupatam, positam in Suburbio, siue in Burgo eiusdem ciuitatis cum Xenodochio, & omnibus possessionibus suis, & pertinentijs, quandiu in dicta Ecclesia Ordo Canonicus viguisset, quam concessionem idem Rainerius Episcopus confirmauit per suas datas 15. Kalend. Octobris anni 1168. quarum hic est tenor.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Anno Dominice Incarnationis Millesimo centesimo sexagesimo octauo, quinto decimo Kalendas Octobris, Indictione secunda. Pia postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri. Ea propter Ego Rainerius diuina prouidentia sanctæ Senensis Ecclesiæ Episcopus, dilecte in Domino frater Verne Ecclesiæ sancti Frigidiani Lucane ciuitatis Prior, tibi, tuisq; fratribus rectè postulantibus, vt priuilegium Religionis intuitu, prædecessori tuo Attoni beata memoria Priori à nobis concessum firmaremus, clementer annuimus, & vt firmiter vobis, & illibatum Vestre in perpetuum Ecclesiæ permaneat, volumus, & desideramus. Statuimus ergo, vt sicut Oldericus sanctæ Dei Genitricis Mariæ Senensis Canonice Præpositus, & Ioannes eiusdem Ecclesiæ Archipresbyter, suorumq; fratrum consilio Ecclesiam sancti Martini Cardinalem iuxta Burgum Senensis ciuitatis positam, eiusq; Ecclesiæ Xenodochium cum suis possessionibus, eiusq; pertinentijs omnibus Attoni Lucane sancti Frigidiani Ecclesiæ Priori, eiusq; successoribus concesserunt. Nos quoque eorum optatu, & consilio presbyterum Petrum claustralem Priorem predictæ Ecclesiæ sancti Frigidiani vice præfati Prioris postea inuestiuimus, & per nostrum priuilegium sub proprio sigillo, & propria manus subscriptione in perpetuum valitura firmauimus. Ita nunc vobis, vestrisq; successoribus, quousque in ea Canonicus Ordo viguerit, per presentis scripti paginam in perpetuum valituram stabilimus, atque firmamus, & liberam tribuens facultatem omnium, que in nostro Episcopatu siue nunc iuste possidet, vel de cetero acquirere Dei fauente gratia potuerit, firma ei, & illibata possidere nostra, nostrorumq; successorum salua reuerentia Episcopali matricis Ecclesiæ Senensis, Synodi videlicet, & Generalis Capituli, & vt de eiusdem sancti Martini Ecclesiæ fratribus aliqui ad maiorem Ecclesiam in festiuitatibus sanctæ Mariæ Annunciationis, & Assumptionis, & vt in die Cæne Domini, atque in Sabbato sancto Resurrectionis veniant, & censum trium solidorum

Lucensis moneta in festiuitate sancti Martini, si Episcopus illuc ad celebrandum Missam venerit, persoluant. Addentes præterea, ut nulli præter eos in sua parochia liceat edificare Ecclesiam, vel Venerabilem domum, sine consensu Episcopi, & Canonicorum eiusdem Ecclesie sancti Martini voluntate, & assensu. Si qua ergo Ecclesiastica, secularisue persona huius nostræ institutionis paginam violare tentauerit, sui honoris periculo subiacet, ac Corporis, & Sanguinis Domini acceptione indignus existat, atque ultimi examinis iudicio damnatus pereat. Actum quidem hoc fuit in Episcopatu Lucensi in Castro videlicet, quod vocant Castillione Vallis Viola, coram Augustino diuina gratia presbytero, & Priore claustrali iam dictæ Ecclesie sancti Frigidiani, & Bernardino Diacono eiusdem Ecclesie, & Vbaldo Clerico Vbaldo de Pifcia, & Bernardino, & Barcellione iam dicti Rainerij Episcopi, & sine nomine filio eiusdem Bernardini, atque Græco-Camerario eiusdem Episcopi, &c.

Confirmauerunt eandem concessionem Romani Pontifices, præsertim Lucius Tertius per suum priuilegium datum Nonis Nouembris anni 1181. Bernardo Priori sancti Martini, eiusque fratribus, in quo inter alia hæc habentur. *Imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & beati Augustini regulam, & institutionem fratrum sancti Frigidiani in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.* In eodem quoque priuilegio fit mentio alterius priuilegij per Alexandrum Tertium concessi eidem Priori, & Canonicis, quo non solum antedictam concessionem illis confirmat, sed illos etiam eximit à iurisdictione, & subiectione Episcopi, & Capituli Senensis. Eandem concessionem confirmauit Urbanus Tertius altero priuilegio dato 13. Kalend. Februarij anno 1185. Adest & aliud priuilegium Honorij Tertij, datum 16. Kalend. Maij 1177. per quod antecedentia priuilegia confirmat. Sed inter alia eiusdem monasterij priuilegia illud non omittendum, quod Prior dicti monasterij sancti Martini habebat vsu mitræ, & baculi, & aliorum pontificalium, ad instar Prioris sancti Frigidiani.

Porro non solum inter Priorem s. Frigidiani, cui illud monasterium tanquam capiti erat subiectum, & Episcopum Senensem, & alias quasdam personas coeperunt lites progressu temporis nasci, quarum occasione diuersæ literæ Pontificum emanauerunt: sed etiam inter Priorem sancti Frigidiani ex vna, & Priorem sancti Martini ex altera ortæ sunt dissensiones: nam Prior, & Canonici sancti Martini uoluerunt se ab obedientia Prioris generalis sancti Frigidiani subducere, quarum occasione aliæ Romanorum Pontificum literæ emanarunt, quæ in eodem Archiuo nostro Romano habentur. Perseuerauit nihilominus in dicto monasterio canonica institutio, vsque ad annum 1497. quo tempore lite uertente inter Bartholomæum de Carraria ca-

nonicum sancti Frigidiani, & Priorem sancti Martini ex vna, & Canonicos sancti Frigidiani ex altera, Pontifex causæ cognitionem Auditoribus Rotæ Romanæ commisit: post quem annum vix reperitur mentio Canonicorum Regularium in dicto monasterio residentium. Porro postquam monasterium ipsum sancti Frigidiani cum suis membris per Sedem Apostolicam nostræ congregationi fuit unitum, reperiuntur quædam acta de anno 1531. eiusdem nostræ congregationis, contra Eremitas Augustinenses in dictum monasterium sancti Martini intrusos. Cæterum propter varios bellorum tumultus, quibus Senensium Respublica tunc temporis exagitari coepit, ac tandem Duci magno Hetrurizæ subdita est effecta, re à nostris omissa, Eremitæ in pacifica possessione vsque in hanc diem steterunt.

Est in eadem ciuitate Senensi monasterium sanctæ Mariæ Angelorum congregationis Canonicorum Regularium sancti Saluatoris Bononiensis, eidem congregationi unitum per Eugenium Quartum, die prima Octobris anni 1434. cum prius esset monasterium Sanctimonialium.

Est etiam in Diocesi Senensi in castro S. Cassiani Ecclesia sanctæ Cæcilie Ordinis Canonicorum Regularium: sed tenetur à clericis secularibus.

IN Diocesi Vulterrana Ecclesia sancti Bartholomæi, de monte Scalochio spectat ad Ecclesiam sancti Frigidiani Lucensis. Constat mandato facto cuidam Domino Ioanni canonico sancti Frigidiani à Priore, & canonicis sancti Frigidiani anno 1498. die 5. Octobris, rogato Lucæ per manum Petri quondam Ioannis de Pifalla.

In Diocesi Cortonensi monasterium sanctæ Mariæ Gratiarum congregationis sancti Saluatoris Bononiensis, concessum eidem congregationi per Innocentium Octauum xj. Octobris 1488.

In Diocesi Aretina Prioratus sancti Petri de Supporio cum annexa sibi Ecclesia sanctæ Lucie de Mongorno eiusdem Diocesis, unitus congregationi nostræ Lateranensi per Iulium Secundum, septimo Idus Februarij 1507.

In ciuitate Fesularum insignis Abbatia sancti Bartholomæi congregationis nostræ Lateranensis, illi unita per Eugenium Quartum, de qua libro sequenti dicitur.

In ciuitate Florentina monasterium Monialium sanctæ Mariæ de Niue, exactis eisdem Monialibus ab Eugenio Quarto, dum Florentiæ moraretur, concessum fuit nostræ congregationi Lateranensi, cuius etiam meminit D. Antoninus in 3. parte summæ Historialis tit. 22. cap. 10. §. 5. hoc monasterium nunc est unitum Abbatie sancti Bartholomæi Fesularum.

In eadem ciuitate monasterium sancti Iacobi supra Arnum congregationis sancti Saluatoris de Bononia, ad quem locum translatum est vetus monasterium sancti Donati de Scopeto anno 1573. sub Gregorio XIII.

In Diocesi Florentina erat monasterium sancti

sancti Andreæ de Mosciano, cuius Prior Capitulo Prouinciali Eugubij anno 1344. celebrato interfuit, ab eodem Capitulo designatus Visitator monasteriorum existentium in Episcopatu Lucensi. nunc arbitror esse commendatum.

VI. **I**N Diœcesi Pisana vetus, ac nobile monasterium sancti Augustini de Nicosia nuncupatum, quod fundauit Hugo Episcopus Nicosiæ in Cypro insula, genere quidem obscurus: sed doctrina, probitate, ac dignitate clarissimus: nam cum puerulus in valle Arni Pisanae Diœcesis ouibus pascendis operam daret, ab illius loci plebano ad scholas destinatus, breui optimus Philosophus, ac Theologus euasit: nec minus pietate, & religione, quàm doctrina omnibus se amabilem, & admirabilem exhibuit: cuius virtute commotus Romanus Pontifex Nicosiensem Episcopum illum destinauit, quo munere per aliquod tempus laudabiliter absoluto, cum sub Clemente Quarto in patriam esset reuersus, inter alia pietatis opera, quæ præclare ab illo gesta fuerunt, monasterium apud Pisas in Valle calcis nuncupata, sub inuocatione sancti Augustini ædificauit, in quo etiam Canonicos secundum Beati Augustini Regulam viuentes constituit, quam eleganter exposuit, additis etiam constitutionibus, iuxta quas in eodem monasterio vitam componere deberent. Accidit hoc circa annum Domini 1268. Post quod tempus etsi varias iacturas, & ruinas, monasterium ob difficultates illorum temporum sustinuerit, viguit tamen in eo Regularis obseruantia vsque ad annum saltem 1401. quo anno datæ sunt à Bonifacio Nono literæ Abbati sancti Petri in coelo aureo Papiæ, & Prioribus sancti Frigidiani de Luca, & sancti Augustini Nicosiæ pro obseruatione constitutionum Benedicti XII. & celebratione Capituli prouincialis canonicorum regularium existentium in Archiepiscopatibus Mediolanensi, Ianuensi, Rauennatensi, & Pisano, quæ literæ habentur in libro Indultorum Congregationis Lateranensis pag. 276. & seq. Immo circa annum 1420. plus minus Nicolaus Guinifius Episcopus Lucensis, instante Paulo Guinifio eius fratre, & Ciuitatis moderatore, eidem monasterio Nicosiensi aliud monasterium Monialium sancti Michaëlis de monte Brancoli nuncupatū, cum parte illius bonorum, sublatis monialibus vniuit, vt ibi canonici secundum D. Augustini regulam, & constitutiones Nicosiensium, viuentes constituerentur: sed & circa annum 1455. iidem canonici Nicosienses nostræ Congregationi Lateranensi, vnà cum monasterio prænominato sancti Michaëlis fuerunt vniti per Calistum Tertium, licet Pius Secundus, qui eidem Calisto successit eandem vnionem ex causis rationalibus dissoluerit, quarum ea potissima extitit, quod cum nostri Lateranenses Gregorium Florentinum monasterij Fesulani canonicum ad curiam Romanam pro eadem vnione obtinenda legassent, ille pro se dictum monasterium à Sede Apostolica non bonis artibus impetrauit: quæ res multorum diffi-

diorum inter nostros, ac dictos Venerabiles Canonicos Nicosienses seminarium extitit, cum se vtriusque partis canonici contra conuentiones initas fraudatos causarentur. Quam ob causam cum res Nicosiensium in deterius vergerent, instantibus Lucensibus, idem Pius Secundus dictum monasterium de monte Brancoli à Nicosiensibus separatam, Episcopo Lucensi reddidit, sub cuius iurisdictionem per aliquot annos mansit. Demum ipsi Nicosienses à Iulio Secundo, anno Christi 1504. fuerunt vniti canonicis regularibus Congregationis sancti Saluatoris Bononiensis.

VII. **S**ed nec illud omittendum, quod ineptè satis de hoc eodem Nicosiensi monasterio notauit recens autor Iosephus Mozzagrugnus lib. 7. de rebus gestis Canonicorum regularium cum ait: *Tempore præterea, quo ad extinguendum schisma Pisis Concilium celebrabatur, circa annum Domini 1409. quidam Venerandus frater Ordinis Prædicatorum cum socijs aliquibus illuc petijt: & cum Canonicorum mores, & vitam attendissent per multos dies, & Regularia instituta perdidicissent, constitutionibus cum ipsorum habitu humiliter petitis gratiosissime à B. Petro tunc Priore donati, & decorati fuerunt. Qui cum in amplissimam Congregationem effusi essent, sæpius procurauerunt vniri sibi canonicam Nicosiensem, quæ tunc celebris valde erat, vt Frigidianensis Luca. in qua retractanda variè hinc inde elaboratum est, quod reticendū proponimus nunc. Sed non prætereundum, quod Gregorius à Fesulano monasterio Procurator inuasum anno 1490. Nicosiensem Prioratum per aliquot annos non bona gubernatione gessit, vt iidem Canonici fatentur, & nos in vltimo libro ad horum attestatorem in responsionibus recolimus: quo tempore Apostolica autoritate, annuente Senatu Lucensi, monasterium Brancolanum eidem periculo dispositum à Nicosiensi segregatum fuit: sed paruo tempore durauit illa violenta prælatio. Hæc ille ad literam, quæ illius pace facile refelluntur: nam quod de fratre illo Venerabili Ordinis Prædicatorum, quem tacito nomine nostræ Lateranensis Congregationis circa annum Domini 1409. facit autorem, cum sit vetus cantilena, à quibusdam Eremitis Augustinensibus, præsertim Paulo Bergomensis, & Ambrosio Coriolano excogitata, & à monachis Cassinensibus in causa præcedentiæ contra nos pluries adducta, & pluries reiecta, quid iuuat, eam nunc repetere? & quomodo ab isto Venerabili fratre de anno 1409. potuit Lateranensis Congregatio originem trahere, cum extent instrumenta authentica contractuum celebratorum à Priore, & Canonicis de Frisonaria de anno 1405. extet insuper Gregorij Duodecimi priuilegium eidem Priori, & Canonicis factum anno 1407. Idibus Decembris. Extet etiam aliud priuilegium eiusdem Gregorij Duodecimi Canonicis monasteriorum sanctæ Mariæ de Frisonaria, & sancti Leonardi apud Veronam simul vnitorum, datum anno 1408. quinto Kalendas Maij, quin immo extet bulla*

unionis, & reformationis dicti monasterij sancti Leonardi prius Ordinis sancti Marci, data anno 1407. ab eodem Gregorio Duodecimo, pridie Nonas Iulij, per quam dictus Pontifex tribuit Domino Benedicto Ariminensi Canonico professo monasterij sancte Mariæ de Frisonaria Ordinis sancti Augustini, & sacerdoti dictum Prioratum sancti Leonardi reformandum, secundum Ordinem sancti Augustini, & constituendum in eo numerum Canonorum, qui de prouentibus dicti Prioratus sufficienter viuere valerent, verum de hac re pluribus agendi alius locus est.

Quod etiam ait, illum fratrem Ordinis Prædicatorum, quem Congregationi nostræ primum autorem tribuit circa annum Domini 1409. dum Concilium Pisanum siue Conciliabulum celebraretur, cum suis socijs constitutiones, & habitum Canonorum Regularium Nicosiensium, à Petro illius monasterij Priore sumpsisse, vnde obsecro haufit? nam frater Iacobus Bergomensis prius Albericus de Aduocatis Primarius in Patauino Gymnasio legum Doctor, postea frater Ordinis Prædicatorum, qui ex dispensatione Pontificis, & etiam licentia obtenta à fratre Thoma Generali tunc Magistro Ordinis Prædicatorum ad nos transiit, non certè à Priore Nicosiensis, sed à Priore sancte Mariæ de Frisonaria habitum sumpsit, & in illius manibus professionem emisit, extat enim chirographum membranaceum, & vetustissimum, in quo notatus est dies sumptionis habitus illius per manum Prioris sancte Mariæ de Frisonaria, scilicet ij. Iunij in festo sancti Barnabæ Apostoli, de quo lib. sequente dicemus. Præterea quod subiungit. *Qui cum in amplissimam Congregationem effusi essent, sepius procurauerunt vniri sibi Canonicam Nicosensem, quæ tunc celebris valde erat, vt à Frigidianensis Luca.* Vnde accepit? nam nostri Annales contrarium dicunt, Nicosenses procurasse nobis vniri, non nos illis: sed esto verum sit, quid tum? quid, quod pro nunc reticendum proponatur? et si Frigidiana canonica Lucensis, vt Nicosiensis tunc temporis celebris erat, qua specie veritatis dixit idem autor supra lib. 5. sapius, quo tempore Gregorius XII. illorum Congregationem ex Eremitis Ilicetanis in Canonicos transformatis inchoauit, nullos Canonicos fuisse, qui regulariter viuerent, & Canonorum claustralium vix agnita vestigia? Demum quod de Gregorio canonico Fesulano ait, illum anno 1490. Prioratum Nicosensem inuasisse, si vera sunt, quæ de hac re scribit Cæsar Franciottus in lib. Historiæ sanctarum imaginum ciuitatis Lucensis, in descriptione Ecclesiæ sancte Mariæ foris portam ciuitatis Lucensis, falsum omnino est; cum casus narratus non sub Innocentio Octauo, sed sub Pio Secundo acciderit. Sed de monasterio Nicosensi satis.

In Diocesi Pisana constat fuisse aliud, ac insigne monasterium sub titulo Præposituræ sancti Petri ad Vincula, cuius Præpositus Capitulo prouinciali Papiæ anno 1340. celebrato interfuisse

perhibetur ex actis eiusdem Capituli, quæ inferius hoc eodem libro capite 44. ex integro referemus.

In ciuitate Pifarum est Abbatia sancti Michaelis discalceatorum nostræ Lateranensis Congregationis, de qua libro sequenti in ipsa Congregatione Lateranensi. Sed & alia multa dicti Ordinis monasteria, tempore prædicti Capituli prouincialis Papiæ celebrati, in prouincia Pisana extitisse, hinc colligere potes, quod pro solis monasterijs dictæ prouinciæ visitandis vnus visitator est constitutus, nimirum Prior sancti Augustini de Nicosia. Sic namque in eisdem Actis legitur. *Domnus Prior sancti Augustini dicti Nicosia teneatur, & debeat visitare omnia monasteria, Ecclesias, & loca Conuentualia dicti Ordinis existentia in tota prouincia Pisana.*

IN ciuitate Pistoriensi est Abbatia sancti Bartholomæi nostræ Congregationis, de qua libro sequenti.

Item Prioratus sancti Frigidiani olim membrum Congregationis sancti Frigidiani Lucensis, vt patet ex quadam comparitione facta per Dominum Michaellem eiusdem Ecclesiæ Priorem coram Reuerendissimo Episcopo Pistoriensi de anno 1350. qui cum ad instantiam Abbatis sancti Michaelis Pistoriensis citatus fuisset coram eodem Reuerendissimo Episcopo, comparuit, & protestatus fuit de incompetencia Iudicis ex eo, quia illius Prioratus membrum erat Congregationis sancti Frigidiani, & illius Priori immediatè subiectus, & exemptus à iurisdictione Ordinarij. Exemplum protestationis authenticum est Romæ in nostro Archiuo sancte Mariæ de Pace. huius monasterij fit mentio in libro taxarum Apostolicarum.

In eadem Diocesi in Castro, quod Pratum nuncupatur, Prioratus sancti Saluatoris nuncupatus. Item Prioratus sancti Saluatoris Vallis Agnæ ad nostram Lateranensem Congregationem spectant: suntq; membra Abbatie Fesulanæ sancti Bartholomæi, ex bulla unionis Eugenij Quarti, data tertio Idus Februarij anno 1439.

In eadem Diocesi Pistoriensi Prioratus sancti Thomæ de sancto Matho Canonorum Regularium nostræ Congregationis Lateranensis ex concessione Innocentij Octauo, & Alexandri Sexti, quam confirmauit Iulius Secundus per suas datas quarto Idus Octobris 1504.

Lucensem Ecclesiam s. Martini nuncupatam ab illius fundatione siue institutione suos Canonicos in claustris regulariter viuentes habuisse, fidè facit, qui eiusdem Ecclesiæ priuilegia peruestigauit Cæsar Franciottus proximè allegatus in descriptione ipsius Ecclesiæ s. Martini pag. mihi 516. vbi refert priuilegium Leonis IX. quo ipsis Canonicis ea omnia firmavit, quæ Ioannes I. eius nominis Lucensis Episcopus eisdem Canonicis regulariter viuentibus donauerat, nimirum circa an. 790. quo tempore Ecclesiæ Lucensi idem Episcopus præerat, nec minù,

cum

• cum illius Ecclesiæ prima fundatio, & institutio in Sanctum Frigidianum Canonici Ordinis professorem, & propagatorem referatur, vt ex vetustissima scriptura translationis Reliquiarum Sancti Reguli facta ab eodem Ioanne primo Episcopo, quæ in monasterio nostro Sancti Frigidiani seruetur, probat idem qui supra Cæsar Franciottus loco proxime citato.

Porro in eadem Ciuitate, & Diocesi Lucensi multæ aliæ fuerunt, & nunc etiam sunt insignes Canonici Ordinis Ecclesiæ, quarum Prima est S. Frigidiani ab eodem S. Frigidiano sub inuocatione triû Leuitarum exstructa, in qua Deo fauente Ordo Canonicus secundum B. Augustini regulam semel ab eodem sancto Frigidiano institutus, vsque in hâc diem perseuerat: fuit autem monasterium sancti Frigidiani caput Congregationis præclarissimæ: nunc verò nostræ Lateranensis præcipuum, de quo inferius specialis tractatio habenda erit, tum in hoc secundo libro, cum de Congregatione sancti Frigidiani agemus, tum in sequenti cum de monasterijs nostræ Lateranensis Congregationis sermo erit.

Secunda est Ecclesia S. Mariæ de Frisonaria prius sancti Frigidiani oratorium, postea ab illustrissima foemina Mathilda in monasterium erecta, tertio ab equite Marcoaldo Lucensi circa ann. Do. 1255. instaurata, demû à nostris an. 1400. reformata, de qua in Catalogo monasteriorû nostræ Congregationis.

Tertia, Ecclesia sancti Petri, quam vetustissimam fuisse, ac in ea ab antiquo tempore disciplinam canonicam viguisse, ostendunt literæ Innocentij tertij Priori sancti Frigidiani, & Canonicis Lucensibus directæ, quibus mandat, vt quandoquidem in dicta Ecclesia ordo canonicus ab antiquo tempore fuerat institutus, licet postmodum per multa, & longa tempora fuerint in dicta Ecclesia instituti Priores non professi, tamen quia non oportet arare in boue, & asino, compellant Priorem electum, & alios dictæ Ecclesiæ canonicos non professos, vel professionem emittere, vel beneficia, quæ in eadem Ecclesia tenebant, dimittere. Refertur hæc epistola in cap. Cum causam de electione.

Quarta est Ecclesia sancti Pantaleonis eiusdem Ciuitatis, quam cum in ea disciplina canonica colaberetur, Innocentius Secundus per suas datas kalend. Nouëbris Priori, & canonicis sancti Frigidiani reformandam sub istis verbis concessit: *Atque Ecclesiam sancti Pantaleonis, ad reformandum in ea Religionem, & locum ipsum, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, Deo propitio, meliorandum, cum omnibus scilicet, quæ in presenti prima indictione iustè, ac laudabiliter pertinere noscuntur, Apostolica vobis dispensatione committimus, vt videlicet quandiu ibi Religio durauerit, idem venerabilis locus in vestra dispositione, vestroque regimine, absque alicuius contradictione consistat.*

Quinta est Ecclesia S. Saluatoris in Mosthiolo eiusdem Ciuitatis Prioratui S. Frigidiani subiecta, & illius membrum, cum suo capite nostræ Congregationi vnita.

Sexta, Ecclesia sancti Leonardi eiusdem sancti Frigidiani membrum, & similiter nostris vnita.

Septima, Ecclesia S. Mariæ foris portam, vetustissima, & à Desiderio Rege Longobardorum instaurata, vt Cæsar Franciottus in descriptione eiusdem Ecclesiæ adnotauit pag. mihi 564. in qua ab antiquissimo tempore degisse canonicos regulariter viuentes, constat ex titulo Prioris, qui canonicis eiusdem Ecclesiæ præerat, cuius fit mentio in quodam instrumento confecto anno Domini 1281. prædicta Ecclesia cum ad secularitatem transisset, iterum ad Regulares repedauit anno 1512. cum Iulius Secundus canonicis regularibus Congregationis sancti Saluatoris Bononiensis illam vniuit.

Octaua, Ecclesia sancti Ioannis in capite Burgi nuncupata, quam fundatam circa annum Christi 1050. illius Patroni de anno 1135. habita ab Innocentio II. facultate, Priori, & canonicis sancti Frigidiani cum hospitali eidem annexo regendam tradiderunt. Idem autem Prior cum canonicis de anno 1517. sacris Virginibus Canonissis nostri Ordinis sub dicti Prioris regimine constitutis tenendam concesserunt, quam etiam nunc tenent.

Nona sancti Michaelis de Platea, secundum Auctorem Supplementi lib. 12. sub anno 1107. vbi de sancto Rufo siue Arnulpho verba faciens hæc scribit: *Vnde in Hetruria, maximè in Luca Vrbe, & eius agro multa Canonicorum Regularium monasteria adhuc extantia erexit, ea quippe in Vrbe Luca, & extra sunt in primis sancti Frigidiani, sancti Michaelis de Platea, & extra à Bosco, & alia duo vno sub capite gubernata. & alia fermè Parochiales Ecclesiæ omnes Vrbs illius, suppositæ erant huius sancti viri Rusti regulari &c.* Non me latet tamen, de Ecclesia sancti Michaelis aliter sentire supradictum Cæsarem Franciottum in descriptione huius Ecclesiæ.

Decima, Ecclesia sancti Michaelis de Monte Brancoli, de qua dictum est supra. nunc vnita Congregationi sancti Saluatoris Bononiensis per Iulium II. anno 1507.

Vndecima, S. Mariæ Magdalenæ Castri Franchi Vallis Arni membrum Congregationis sancti Frigidiani, quam de anno Domini 1345. conuentum Canonicorum habuisse, constat ex electione facta eo anno à Canonicis monasterij de Frisonaria in illorum Priorem, de quodam canonico dicti Conuentus nomine fratre Matthæo.

Præter supradictas verò Ecclesias sunt in præfata Diocesi Lucensi alię parochiales ad monasterium nostrum sancti Frigidiani, vel S. Mariæ de Frisonaria spectantes, & per aliquem ex nostris canonicis gubernari solitæ, de quibus etiam inferius dicemus, sed & alias quamplures Ecclesias, quæ nunc à secularibus clericis reguntur, regulares olim extitisse priorales earum tituli satis indicant, qui nonnisi Ecclesijs Regularibus saltem ab institutione tribui consueuerunt.

In Diocesi Lunensi, siue Sarzanensi Ecclesia S. Andreæ de Carcaria cum omnibus parochialibus,

bus, & capellis eidem subiectis olim membrum sancti Frigidiani Lucensis, nunc cum eodem capite nostræ Congregationi vnita, cuius Prior ordinariâ iurisdictionem in seculares dicti loci Carcaræ, & aliorum adiacentium exercet, vice tamen Prioris sancti Frigidiani.

Caput vigesimumprimum.

De Ecclesijs, & Monasterijs Canonico- rum Regularium Prouinciarum Mar- chiæ Anconitanæ, Ducatus Urbini, & Romandiolæ.

I. **E**cclēsiā Collegiatam sancti Saluatoris in Castro sancti Angeli Diocesis Firmanę Canonico-regularium, sub Beati Augustini regula militantium extitisse, quo tempore sanctus Nicolaus de Tolentino illius Ecclesię erat Canonicus, testatur D. Antoninus 3. parte Historiali tit. 24. cap. 10. in principio, vbi sic ait: *In iuuenili igitur etate sancte conuersans, cuiusdam Ecclesię sancti Saluatoris Canonicus efficitur Regularis*. Eam enim Ecclesiam sancti Saluatoris in Castro sancti Angeli nuncupato, Firmantę Diocesis fuisse, habes ex Breuiario Romano in officio eiusdem sancti Nicolai. Canonici dictę Ecclesię seculares effecti habent adhuc Priorem.

In Diocesi Firmana propè ciuitatem, secundo circiter milliario ad ripam Adriaticę fuit vetustissimum Collegium nostri Ordinis sancti Marci nuncupatum, quod rogantibus, ac iuuantibus ciuibus Firmanis intra vrbeim translatum, nunc sanctę Catharinę vocatur, ingentissimis priuilegijs per Romanos Pontifices munitum, de quo vide libro sequenti in Catalogo Monasteriorum nostrę Congregationis.

In Ciuitate Firmana erat alia Collegiata Ecclesia s. Marię nuncupata, cuius, & illius Canonico-
rum meminit Eugenius Quartus in literis Priori sancti Saluatoris eiusdem Ciuitatis directis anno 1431. secundo Kal. Maij per hæc formalia verba: *Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filij Firmani Pellegrini Canonici monasterij sanctę Marię per Priores soliti gubernari Ordinis sancti Augustini petitio continebat, & c.*

In ciuitate Tolentini est Præpositura collegiata nostrę congregationis sancti Caterui nuncupata, vbi sancti Martyris sanctissimę Reliquiæ adseruantur.

In ciuitate Anconitana monasterium Abbatiale s. Ioannis Baptistę de Capite montis sub arce positum nostrę Lateranensis congregationis.

In eadem ciuitate est collegium cum primis nobile S. Virginum Canonissarum nostri ordinis,

quod sancti Bartholomęi nuncupatur.

In Episcopatu Asculano circa annum 1344 fuisse monasteria nostri ordinis, patet ex actis Capituli eo anno Eugubij celebrati, in quo designatus est ad visitanda monasteria in Episcopatibus Firmiano, & Asculano Prior sancti Ioannis de Vrbe veteri.

Ecclesia Fanensis ab institutione Regularis fuisse conuincitur ex epistola B. Petri Damiani ad Clericos Fanenses, qua vitã communem, & regularem disciplinam in dicta Ecclesia collapsam reparare nititur, ostendens illos perperam, & contra suum nomen canonicos vocari velle, qui Regulares esse, ac regulariter viuere noluerint, & institutum clericorum primitiue Ecclesię ab Apostolis fundatę, fuisse institutum vitę communis, & regularis, quę epistola tota esset hic ponenda.

II. **I**n ciuitate Fanensi est collegium Abbatiale in-
signe s. Paterniani congregationis s. Saluatoris Bononiensis.

In eadem ciuitate quędam Ecclesia s. Marię nuncupata iuxta portum, nostrę Lateran. congregationis, non tamen collegiata.

Ecclesia Eugubina ab illius institutione fuit regularis, in qua institutum vitę canonicę sub regula B. Augustini vsque ad Iulium Secundum durauit, qui illã, vt multas ex regularibus seculares effecit: nam & in Prouinciali Romano sub Alexandro VI. typis cuso, ipsa Ecclesia Eugubina ponitur sub ordine D. Augustini, extant literę secularizationis illius à Leone X. emanatę anno 1514. quarum est tenor, illam antea regularem fuisse ordinis sancti Augustini.

In Diocesi Eugubina erat vetustissimū monasterium canonicorum, cuius bona post illius euerfionem per bellicos tumultus, tandem monasterio sacrarum Virginum sancti Benedicti ordinis sanctę Clarę fuerunt applicata. Sed locus, vbi illud monasterium extabat, etiam nunc La Canonica vulgo dicitur.

In ciuitate Eugubina est aliud collegium vetustissimum sancti Secundi nuncupatum, cuius Ecclesiam sanctus Vbaldus Canonicus Regularis, & Episcopus Eugubinus, quod apud illam fuerat enutritus ab infantia, ac etiam clericali militia initiatus, suis sumptibus, vt fertur, refecit, dotauit, & ex seculari regularem effecit, canonicorū collegio secundum normam canonicę Portuensis in littore Adriatico viuentium in eadem Ecclesia constituto, quę cum successibus temporum varias iacturas passa esset, & canonicis destituta, Calistus Tertius per suas datas sub diē 3. Nouemb. anni 1455. illam congregationi sancti Saluatoris Bononiensis vniuit.

In Monte eidem ciuitati imminente est Præpositura nostrę congregationis, in qua sanctissimi Patris, & Præsulis Vbaldi Reliquiæ, summa ciuitatis Eugubinę, ac etiam totius Prouincię, necnon finitimarum regionum veneratione seruantur.

In

III. **I**N ciuitate Urbini Ecclesia s. Agathæ ab institutione fuerat regularis ex lib. Taxarum Apostolicarum. verum sublatis canonicis videntur positæ in eadem Ecclesia Sanctimoniales Canonissæ eiusdem Ordinis s. Augustini, quæ inibi vsque ad annum 1480. permanserunt, quibus tandem amotis, & in monasterio s. Benedicti eiusdem ciuitatis locatis, Sixtus Quartus eandem Ecclesiam congregationi s. Saluatoris Bononiensis vniuit, anno 1481. die 27. Aprilis.

Ecclesia Ariminensis videtur ab institutione regularis extitisse: si vera sunt, quæ Hieronymus Rubeus in Historia Rauennatum lib. 5. sub anno 1119. de Aldobrando prius Portuensi canonico, mox Ariminensi Præposito, & tandem Forosempronienfi Episcopo his verbis scribit: *Cum interea confluens undique complures ad Portuense cœnobium, in disciplinamq; sese eius canonicis traderent, in his fuisse Aldobrandus legitur, qui in Oppido Sorbetulo è Bobio, seu Galliata prope Cesennam natus, & in Grammatica eruditus in Portuense cœnobium, ut maiores in literis ac pietate progressus faceret, se contulit. Cum autem Ariminenses canonici Præposito destituti peterent, ut fieri ab illis cœsuevit, ex eorum conuentu aliqui ipsi idoneum præfici, qui virtute præstaret, Aldobrandum obtinuerunt, qui deinde Forosempronienfium Episcopatum adeptus, Kal. Maij decedens in Diuorum numerum relatus est.* Non me latet, viros nonnullos eruditos, ac in historijs Ecclesiæ Ariminensis apprimè versatos hanc Rubei de Regulari Aldobrandi professione historiam habere suspectam. Primò quod de nullo alio dictæ Ecclesiæ Præposito, ex innumeris ab eisdem Ariminensibus canonicis de more, consuetudine, ac etiam iure electis legatur, illum siue ex consuetudine, siue alio titulo ex Canonicis Portuensibus electum, quod non omisisset Rubeus, qui nullum non mouit lapidem ad Patriam gloriam extollendam. Secundò, quòd cum Ecclesia Ariminensis ab institutione nulli præter quàm Romano Pontifici subijciatur, nulla etiam lege illius canonici obnoxij tenebantur ad illorum Præpositum ex Portuensi collegio, siue alio quopiam eligendum. Verum non inquit Rubeus, Ariminenses canonicos aliqua lege obnoxios fuisse ad illorum Præpositum ex Portuensi cœnobio eligendum, sed Præposito destitutos id effecisse; quod & alij consueuerant, scilicet Præpositos, & Rectores suorum collegiorum accipere ex eodem collegio Portuensi, quod non de secularibus, sed de regularibus collegijs intelligendum est, neque enim vsus fuit, collegia canonicorum secularium ex collegijs regularibus suos Rectores accipere. Consueuerunt autem ita facere canonici regulares, vt innumeris exemplis in re notissima minimè necessarijs probari potest. Nec etiam obitat, Ecclesiam Ariminensem per antiquissima tempora soli Romano Pontifici subiectam, ius eligendi proprios Episcopos, multò magis Præpositos, habuisse: innumeræ enim erant Ecclesiæ Cathedrales, & Metropolitanæ, quæ soli Ro-

mano Põtifici cum subijcerentur, & proprios Episcopos eligerent, sub regulari nihilominus distributione illorum clerici viuebant. Præter quod cum vel ex eorum libera confessione constet, Ariminensium Parochias magna ex parte olim per canonicos regulares regi consueuisse, probabile admodum videtur, ipsam maiorem Ecclesiam, à qua cæteræ pendebant, multò magis regularem extitisse, vt cunque verò id fuerit, hoc certum, ante annos trecentos multa collegia canonicorum Regularium ciuitatem, ac Diocesim Ariminensem habuisse, quandoquidem in Capitulo Prouinciali Papiæ anno 1340. habito, designatus est visitator pro visitandis monasterijs in Ariminensi Diocesi existentibus.

In eadem ciuitate est collegium nostræ congregationis s. Marini nūcupatum, cum altero s. Lazari de Tertio, circiter milliario tertio à ciuitate remoto, sibi vnito, quod antiquitus erat Ordinis D. Augustini, sub cuius Prælati regimine degit aliud collegium sanctarum Virginum Canonissarum nostræ Congregationis, quod vocatur sancti Sebastiani.

IN Diocesi verò Ariminensi apud Castrum sancti Archangeli est vetus monasterium s. Ioannis de Cereto Ordinis s. Augustini, quod nostræ congregat. primitus vnitum, per aliquot annos in eadem congregatione mansit, vt ex literis Martini V. & Nicolai V. habes. Verum quod nostris minus aptum existeret, dimissum Sixtus IV. congregationi s. Saluatoris Bononiensis vniuit anno 1478. die 3. Decembris, quòd postea conuentu destitutum est, & illius bonæ alteri monasterio in Foroliuensi Diocesi eiusdem congregationis applicata.

In Prouincia Rauennatensi circa tempora Magni Gregorij fuisse monasteria canonicorum, habes ex illius epistola ad Marianum Archiepiscopum Rauennatensem lib. 6. epist. 40. cuius etiam fragmentum refertur in cap. Dudum 18. q. 2. in illis verbis: *Nec illic vterius habeat potestatem aliquam, ne monasteria huius occasionis velamine, ea, quæ prohibemus simul cum canonicis, & monachis in Ecclesia sustinere onera compellantur.* Licet in Decreto Gratiani Correctores Gregoriani propter nonnulla vetustiora exemplaria deleuerint illas dictiones: *Cum canonicis, & monachis simul in Ecclesia.*

Cæterum in ciuitate Rauennate extat in primis antiquum, & insigne monasterium Portuense, prius in litore Adriatico extructum, cuius etiam nunc ædificia ibidem cernuntur: postea in urbem à nostris translatum, multorum sanctorum virorum, & præclarissimorum Doctorum domicilium, quod per varios casus hætenus, Deo protegente, ab vniuersali canonici ordinis diluio seruatum, nostræ congregationi Later. est vnitum, de quo infra lib. 3. dicemus.

Prope eandem ciuitatem erat Prioratus vetustissimus s. Laurentij in Cæsarea, prius monasterio nostro s. Iacobi Cæsariæ Volanç Comacienfis Diocesis,

cessis, postea eidem collegio Portuensi vnitus, ad quem Ecclesia s. Marię in Cosmedin eiusdem ciuitatis spectabat.

In Diocesi Rauennatensi monasterium s. Adalberti, siue Alberti monasterio s. Iacobi Cellę volanę vnitum postea oppido vastato, factum est Archiepresbyteratus secularis, qui curam animarum eius loci adiunctam habet.

In eadem ciuitate Rauennatensi monasterium Abbatiale s. Ioannis Euangelistę, antea Ordinis sancti Benedicti, concessum fuit congregationi s. Saluatoris Bononiensis, à Pio II. per suas datas 6. Idus Augusti 1459.

V. **I**n ciuitate Cesenę collegium Abbatiale s. Crucis nostrę congregationis à fundatione sub canonica institutione, & regula D. Augustini institutum, erat membrum congr. antiquę Portuensis, adest priuilegium Innocentij Secundi anno 1139. concessum eidem collegio, quod cum alijs inferius in nostra Lateranensi congregatione reddemus.

Inter Cesenam, & Oppidum, Forum populi nuncupatum, erat vetus monasterium cum Hospitali s. Ioannis Baptistę, cuius Priori, & fratribus insigne priuilegium concessit Innocentius Tertius anno 1199. quod est in Archiuo s. Marię in Portu Rauennę.

In Diocesi Foroliuensi Prioratus D. Augustini eiusdem ordinis, & membrum prædictę congr. Portuensis, nunc autem eidem monasterio Portuensi vnitus, olim conuentualis, quandoquidem & claustrum, & cęterę canonicorum officinę integra nunc etiam visuntur. Sed modò canonicis in monasterium Portuense receptis, manet ibi tantum Prior cum socio, qui etiam curam animarum exercet.

In eadem Diocesi in Villa Fornouij est monasterium s. Marię de Gratijs, quod à quodam Eremita piorum eleemosynis exstructum, congregationi s. Saluatoris Bononiensis concessum fuit per Sixtum Quartum 29. Maij 1477.

In ciuitate Fauentię seu prope illam erat Prioratus s. Marię de Stradella membrum monasterij, & congregationis Portuensis, cuius monasterium propter guerras vastatum est, & bona illius à Communitate ciuitatis occupata magnas lites inter dictam Communitatem, ac Portuense monasterium excitauerunt.

In eadem ciuitate Ecclesia s. Iuliani olim erat regularis, eaq; per canonicos s. Iacobi Cellę Volanę regebatur, quam de anno 1222. conuentus Cellę Volanę concessit Episcopo Faentino, compensatione ab illo accepta.

In ciuitate Imolensi est Prępositura s. Iuliani martyris conuentualis nostrę Lateranensis congregationis, de qua lib. sequenti.

In Diocesi Comaciensi erat vetustissimū collegium in nemoribus exstructum, quod s. Iacobi de Cella Volana nuncupabatur, quod nostrę congr. Lateranensi vnitum ob aëris intemperiem primò ad aliud monasteriū s. Lazari apud Ferrariā & tandem intra ciuitatem Ferrarię ad Abbatiale cœno-

bium s. Ioannis Baptistę fuit translatum, de quo infra. Extant in Archiuo eiusdem cœnobij exempla contractuum, & inuestiturarum, quę factę sunt à canonicis dicti monasterij Cellę Volanę de anno 1018. quę venerandam illius antiquitatem produnt.

Caput vigesimumsecundum.

De Ecclesijs, & Monasterijs Canonico-regularium existentibus in Episcopopatibus Ferrariensi, Mutinensi, Regiensi, Parmensi, & Placentino, & Mantuano.



Ferrariensem Ecclesiam à prima illius I. fundatione Regularem extitisse, facile intelliges, si prius animaduertas, Cathedralem Ferrariensem ab initio non illam fuisse, quę modò intra ciuitatem cernitur, sed quę sancti Georgij vulgò de Ferrarola extra ipsam ciuitatem ultra vetustum alueum fluminis, posita nuncupatur: hanc enim, non illam, quę nunc est in ciuitate, quippe quòd nondum existeret, Episcoporum Ferrariensium sedem primariam fuisse, ostendit priuilegium factum ab Episcopo Ferrariensi nomine Griffio anno Christi 1141. die 11. Maij Hugoni Sacerdoti, & Ioanni Subdiacono prædictę Ecclesię Canonicis, in quo inter alia hæc habet: *Pro remedio scilicet animę meę, meorumq; prædecessorum, & successorum Episcoporum, qui in possessione in prædicto Episcopio ordinati fuerint, & pro remissione peccatorum nostrorum vobis presentibus Hugoni sacerdoti, & Ioanni Subdiacono Transpadanę sancti Georgij Ecclesię Canonicis, in qua Ferrariensis Episcopatus sedes olim viguit, &c.* Potro eandem Ecclesiam à primaria illius fundatione sub disciplina canonica, siue regulari institutam ostendit aliud priuilegium Vitaliani Papę, cuius auctoritate eadem Ecclesia fuit ædificata, necnon etiam Episcopali dignitate aucta, præfecto eidem primo Episcopo Marino de Sauellis viro sanctissimo circa annum Christi 658. quo quidem priuilegio multis prædijs, & redditibus dictam Ecclesiam locupletavit, statuens in ea canonicos, qui vitam communem ducerent, quod priuilegium habetur in Archiujs ciuitatis Ferrarię, cuiusque meminit qui historiam Ecclesiarum Ferrariensium recens edidit Io. Baptista Guarinus Ferrariensis Canonicus in descriptione Ecclesię sancti Georgij de Ferrarola, qui etiam subdit, translata intra urbem sede Episcopali circa annum 1135. remansisse eandem Ecclesiam s. Georgij de Ferrarola cum titulo Canonice Regularium Lateranensium, quod nimirum multis prædijs tributis ab Episcopo Griffio Cęlestinus Pontifex huius nominis Secundus Prioratus titulo exornatam Canonicis Regularibus Lateran. tribuif.

tribuisset suo priuilegio dato Laterani anno 1143. quod priuilegium firmavit Innocentius Tertius anno 1215. stetit verò in eadem Ecclesia Canonicos regulariter viuentes vsque ad annum 1339. ostendunt literæ Benedicti Papæ XII. Abbati s. Petri in cœlo aureo Papiæ, & Priori eiusdem Ecclesiæ s. Georgij de Ferrarola directæ eodem anno 1339. Kalend. Iulij, quibus mandat Capitulum Prouinciale congregare, vt infra dicitur. Sed & de anno 1362. Canonici monasteriorum s. Iacobi Cellæ Volanæ, & s. Laurentij in Cæsarea apud Rauennam inuicem vnitorum capite destituti, canonicè elegerunt in illorum Priorem Antonium Canonicum sancti Georgij de Ferrarola eiusdem Ordinis sancti Augustini, quorum electionem confirmavit Innocentius Sextus per suas datas Auenioni anno decimo sui pontificatus, quæ seruatur Ferrariæ in nostro Abbatiali Collegio s. Ioannis Baptistæ. Exinde verò cum esset cuidam Petro Diacono Cardinali tituli s. Angeli commendata, ac etiam post illius obitum commendata cuidam Iordano Episcopo Albanensi, Canonici Regulares illam omnino deseruerunt. Quam Ioannes Papa huius nominis XXIII. instante Nicolao Ferrariæ Marchione monachis Oliuetanis vniuit per suas datas Bononiæ de mense Septembris anno 1411.

II. **I**N Ciuitate Ferrariæ extitit vetus Collegium Canonicorum Congregationis sancti Frigidiani Lucensis ab Illustrissima, & pijsissima Comitissa Mathilde sub inuocatione D. Marci exstructum circa annum Domini 1083. aut vt alij malunt 1071. Causa istius collegij excitandi hæc fuit. Henricus Quartus Imperator Italiam inuadens, Ferrariam cum alijs quibusdam ciuitatibus, & oppidis eidem Comitissæ abstulit. Eodem ex Italia profecto Mathildis Romani Pontificis, necnon etiam Venetorum copijs adiuta, Ferrariam recepit: statimque in superiori parte ciuitatis Ecclesiam magnificentissimam exstruxit, ac in honorem D. Marci Venetorum patroni, quòd illorum præsertim auxilio Ferrariam, ac etiam Mantuam de manibus Imperatoris eruisset, dicendam curauit, mox sancti Frigidiani Canonicis magna sanctitatis fama celeberrimis illuc aduocatis, eam illis tradidit, qui eam aliquot seculis tenuerunt, nimirum vsque ad annum 1478. quo anno Sixtus Quartus instantibus Hercule Hestensi Ferrariæ Duce, & Eleonora eius coniuge illam Frigidianis Canonicis ablatam, fortè quia debitis obsequijs illam destituerant, Diui Benedicti Monachis Congregationis s. Iustinae vniuit, qui sub inuocatione D. Benedicti in eam, quæ nunc cernitur formam eandem instaurauerunt, extat bulla ipsius vnionis in nostro Archiuo Romano s. Mariæ de Pace.

In Diocesi Ferrariensi in loco Vico Airolì nunc corrupto vocabulo Ficcarolo nuncupato idem canonici congregationis sancti Frigidiani aliud Collegium s. Saluatoris præcipuum, eiusdem ferè antiquitatis tenebant, in eo siquidem Vico, qui vnus erat de septem præcipuis totius ditionis Ferrariensis,

nobilissima foemina Imicza Stckelmi vxor cum Casotto filio magnificentissimam Ecclesiam s. Saluatoris, cum Xenodochio eidem adiuncto edificauit, & multis prædijs, decimis, & alijs redditibus dotatam Landulpho Ferrariæ Episcopo donauit, qui circa annum Christi 1112. Abbati Pomposiano regendam tradidit. Cæterum (qua de causa mihi incompertum) post annos circiter viginti amotis Monachis Pomposianis idem Landulphus illam Attoni Priori, & canonicis s. Frigidiani tribuit anno 1133. quam Innocentius Secundus, Imperatores, Principes, & Episcopi Ferrarienses magnis priuilegijs decorauerunt, tenuerunt eam canonici Frigidiani vsque ad annum 1478. quo instantibus Hercule Ferrariæ Duce, & Eleonora eius coniuge illam cum Ecclesia D. Marci Monachis Benedictinis congregationis s. Iustinae, nunc Cassinensibus vocatis vniuit. Meminerunt istius Ecclesiæ Innocentius Secundus in priuilegio concesso Attoni Priori s. Frigidiani anno 1133. tertio Nonas Octobr. Coelestinus Secundus in priuilegio concesso Petro Priori, & fratribus s. Frigidiani dato 5. Idus Decembris 1143. Eugenius Tertius in alio priuilegio eidem Priori, & fratribus concesso anno 1145. tertio idus Aprilis.

In eadem ciuitate Ferrariensi est Collegium Canonicorum s. Mariæ de Vado nuncupatū, cuius Ecclesia, quæ vetustissima erat, priusquam Ferrarienses Padum traicientes nouam urbem, quæ nunc cernitur, excitarent, suo loco nomen dederat, qui s. Mariæ in Burgo Vado dicebatur. Cum aut Ferrarienses in alia fluminis parte fines illorū vrbis ampliasent, Ecclesia s. Mariæ intra eosdem fines recepta, & ampliata, instante Gualterio Rauennatensi Episcopo canonico regulari, Portuensibus canonicis apud Rauennam constitutis per Landulphum Episcopum Ferrariensem fuit concessa, constituto in ea canonicorū conuentu sub Martino Priore circa annum 1135. vel secundum Hieron. Rubeum in Histo. Rauennat. anno 1141. cui anno sequenti 1142. Philippus electus Ferrariensis omnes decimas bonorum dicti Prioratus donauit. Sed & Eugenius Tertius anno 1148 multiplici illā priuilegio muniuit, & exornauit, tenuerunt illam Portuenses multis annis, verum ipsis deficientibus, cuidam Poëtæ Lyrico nomine Io. Aurispæ fuit commendata. Iterum nostris Portuensibus iam reformatis de anno 1457. restituta procurante Paschali Maripetro Venetorū Principe, ij quòd Borsio Ferrariensium Dux nonnullis legibus illos velle obstringere, quæ minus placerent, cum aliquot dies tenuissent, sponte dimiserunt. Eam postea Sixtus Quartus anno 1473. Canonicis congregationis sancti Saluatoris Bononiensis vniuit.

In eadem ciuitate est nostrum collegium Abbatiale s. Io. Bapt. ex loco s. Lazari intra urbem translatum, cuius Ecclesiam Hercules Ferrariæ Dux I. Regia magnificentia extruxit: sed illa terræ motu horribili, qui anno 1570. totam ciuitatem labefecit, tota penè ruit.

In Diocesi Ferrariensi est alius Prioratus vetustis-

stissimus s. Margaritæ in loco Constantiaco apud portam Maiorem cõstitutus, quem Gualterius Archiepisc. Rauennas anno 1120. canonicis Portuensibus regendum tradidit, & Gulielmus Bulgari filius cum illius coniuge Adelfia dotauerunt, tributo eidem Castellari, in quo Ecclesia s. Margaritæ est ædificata, fossis, & eurippis cincto. Hic Prioratus nunc etiam eidem monasterio Portuensi nostræ congregationis est vnitus.

In eadem ciuitate Ferrariensi est Collegium S. Virginum Canonissarum anno 1502. erectum, quod s. Mariæ de Gratijs dicitur vulgò del Mortaro: quia illæ ex Mortariensibus apud Insubres in Diœcesi Papiensi originem traxerunt, sicut patet ex instrumentis foundationis eiusdem collegij.

III. **I**N Episcopatu Mutinensi Archipresbyteratus Oppidi Carpi ab illius foundatione fuit regularis, & sub disciplina canonica, vsque ad nostra ferè tempora permansit. Archipresbyter Carpi Capitulo Prouinciali Papiensi interfuit, vt ex actis patet, nunc Collegium factum est ex Regulari seculare.

In Suburbijs Mutinæ erat monasterium s. Catharinæ Canoniorum Regulariũ Ordinis s. Augustini, cuius Prior electus fuit Præsides in dicto Capitulo Papiensi, nunc arbitror esse commendatum.

In eisdem Suburbijs Prioratus s. Trinitatis vetustus nostræ congregationi vnitus, & intra ciuitatem translatus, ac etiam dignitate Abbatiali auctus, de quo in congregatione Lateranensi.

In Castro Vineolæ Mutinensis Diœcesis est Præpositura s. Mariæ nostræ congregationis à nobilibus de Murenis fundata.

In ciuitate Mutinensi est etiam Prioratus sancti Hieronymi Congregationis sancti Saluatoris Bononiensis, erectus per Alexandrum Sextum anno 1498.

In Ciuitate Regij erat Abbatia, cuius Abbas nominatur in Capitulo Prouinciali Papiensi. Verum cum nõ exprimaturs titulus Ecclesiæ, quænam, & vbi fuerit, diuinare non possum.

In Diœcesi Regiensi ex libro Taxarum Apostolicarum, erat vetustum monasterium s. Mariæ de Marola, cum alio monasterio sibi vnito, quod pu- to commendatum.

In ciuitate Regiensi est cœnobium Abbatiale s. Mariæ Gratiarum nostræ Congregationis.

In eadem ciuitate collegium S. Virginum Canonissarum, quæ regimini Abbatis s. Mariæ Gratiarum, & totius Congregationis subduntur, quod s. Petri Martyris vocatur.

In eadem ciuitate est collegium canonicorum sancti Saluatoris de Bononia sancti Marci nuncupatum, erat antea congregationis, seu Ordinis s. Marci de Mantua, sed deficientibus canonicis illius Ordinis, vnitum fuit dictæ Congr. anno 1497.

IV. **I**N ciuitate Parmensi collegium Abbatiale vetustissimum nostræ congregationis sancti Sepulchri nominatum, de quo infra in congregatione Lateranensi.

In Diœcesi Parmensi non longè à Ciuitate est

vetustissimus Prioratus Ordinis Canoniorum Regularium sancti Armani nuncupatus, quem conuentu destitutum Monasterio sancti Sepulchri vnuit Sixtus Quartus anno 1494.

In eadem Diœcesi est alius Prioratus vetustissimus s. Foeliculæ, quem conuentui sancti Sepulchri antea vnitum, nostræ congregationi concessit Pius Secundus anno 1460.

In ciuitate Parmensi est antiquum, & præcipuum Collegium Canonissarum nostri Ordinis, & etiam Congregationis, quod sancti Saluatoris dicitur.

In ciuitate Placentia est præclarum cœnobium Abbatiale sancti Augustini nostræ Congregationis, præcipuum inter omnia collegia Italica, de quo in nostra congr. Lateranensi.

In Diœcesi Placentina est Prioratus antiquus sancti Petri de Domo Dei, circa annum circiter millesimum centesimum fundatus à nobili viro Gandulpho, & vxore eius Ghisla, vt apparet ex priuilegio Innocentij Tertij Ioanni Priori, eiusque fratribus concessio, ad exemplum aliorum priuilegiorum, quæ eidem monasterio concesserant Romani Pontifices Calistus Secundus, Innocentius Secundus, Cœlestinus Secundus, Anastasius Quartus, Adrianus Quartus, Alexander, Lucius, Urbanus, Clemens, & Cœlestinus Tertij, hoc monasterium quod canonicis esset destitutum, Eugenius Quartus anno 1442. prædicto cœnobio S. Augustini vnuit, resident tamen in eo Prior, Vicarius, & alius Canonicus, qui curam animarum exercet.

In eadem ciuitate Placentia erat aliud collegium insigne sancti Raimundi, cuius Propositus Capitulo Papiensi interfuit, ac in eo Definitor renunciatus, ac etiam Visitator monasteriorum, & Ecclesiarum in Ciuitatibus, & Diœcesibus Placentina, Cremonensi, Parmensi, Regiensi, cum Archipresbyteratu Carpi. Verum ipsum quoque canonicis destitutum, monialibus Ordinis Cisterciensis per Sedem Apostolicam fuit concessum.

V. **I**N ciuitate Mantua est cœnobium Abbatiale sancti Bartholomei nostræ congregationis, olim membrum Congregationis Portuensis, de quo inferius.

In eadem ciuitate est aliud cœnobium Abbatiale sancti Viti nostræ congregationis, quod antea erat Prioratus Canoniorum Regularium Ordinis sancti Marci de Mantua: sed Pius Secundus anno 1459. instante Illustrissima Eleonora Mantuæ Marchionissa, illum nostræ congregationi reformandum tradidit, extincto in eodem ordine s. Marci, & instituto Ordine s. Augustini.

In eadem ciuitate est collegium insigne Canoniorum Regularium congregationis sancti Saluatoris de Bononia, sancti Sebastiani nuncupatum, ad quod de anno 1527. prædicti canonici se transtulerunt ex Abbatiali cœnobio s. Rufini foris Mantuam, olim Ordinis s. Benedicti, vbi degebant.

In eadem ciuitate est insigne collegium S. Virginum Canonissarum nostræ congreg. quod dicitur sancta

s. Mariæ de Cantelma, pluribus priuilegijs per Sedem Apostolicam exornatum. quod subest regimini Abbatis s. Bartholomæi.

In eadem Ciuitate est aliud cœnobium canonicarum regularium nostræ congregationis, quod dicitur s. Mariæ Annunciatae, in Burgo s. Georgij, & est sub cura Abbatis s. Viti.

In eadem Ciuitate erat Prioratus s. Marci caput ordinis canonicorum regularium s. Marci, qui ordo anno 1200. fundatus, cum multis collegijs in partibus Lombardiæ, & Marchiæ Taruisinæ fuisset ampliat, paulatim deficiens, cum ad vnicum monasterium s. Marci Mantuani esset redactus, ibi quoque deficiente disciplina canonica, sub Vincenzio Mantuæ Duce finem accepit. monasterium à viginti circiter annis obtinuerunt monachi Congregationis Camaldulensis.

Erant autem in Ciuitate Mantuæ alia tria collegia canonicorum eiusdem Ordinis D. Marci, de quibus inferius cap. 50. dicemus.

Caput vigesimumtertium.

De Ecclesia Bononiensi, & Collegijs Canonicorum Regularium in Episcopatu Bononiensi constitutis.

I.

Bononiensem quoque Ecclesiam ab illius institutione regularem fuisse, & sub canonica disciplina per multa secula stetit, ostendunt in primis Romanorum Pontificum, necnon Imperatorum, & Episcoporum Bononiensium diplomata, ac priuilegia eidem Ecclesiæ concessa, in quibus de canonicis regulariter, & canonicè, & in congregatione, & sub regula viuentibus, sæpius mentio habetur, quorum meminit Sigonius de Episcopis Bononiensibus non vno in loco. nam libro 2. sub ann. 946. hæc scribit: *Huius rei precipuo illa documento existit, quod Episcopus abbas, ut dignitatem tueri suam posset, non solum decimis frugum omnium, quæ in Diocesi nascerentur instructus, sed etiam varijs Pontificum, atque Imperatorum priuilegijs ad ornamenta, & commoda sua amplificanda munitus est. Clericis verò canonicam ex lege vitam agentes, haud secus multis, & ipsi beneficijs ab Episcopis suis, Pontificibus, & Imperatoribus cumulati.* Quæ priuilegia recensens sub anno 967. ponit priuilegium Ioannis Papæ XIII. ad exemplum alterius Leonis V. eius prædecessoris sub hac forma tributum: *Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei. Cum ego Ioannes s. Mariae, & Apostolica Ecclesiæ Romanae XIII. Papa residerem in Rauennate Ciuitate, vnà cum meis, & Italicis Episcopis, affuerunt presentie nostræ Religiosi Presbyteri, & Diaconi sanctæ Bononiensis Ecclesiæ, ac pro vniuerso clero canonice Congregationis humo prostrati nostros osculantes pedes, obtulerunt epistolam tuitionis san-*

cta recordationis Domini Leonis Quinti Papa, &c. Et videri possunt reliqua apud ipsum autorem, quæ satis indicant, non solum Cathedrales, sed alios omnes Bononienses clericos in Congregatione canonica per ea tempora vixisse. Rursum sub anno millesimo quinquagesimo quarto, aliud refert priuilegium Adelfredi Episcopi, qui canonicus Bononiensis bona à suis prædecessoribus concessa firmavit, alia multa insuper largitus, in quo priuilegio hæc habes: *Omnes verò decimationes, quas presentialiter prædicti canonici habent, & tenent, ipsis, & eorum successoribus Canonum iure viuentibus, vel inuenire potuerint, gratanter annuimus. Hæc omnia supradicta eo tempore Petro Archipresbytero, & fratribus eius, videlicet Lamberto Subdiacono, & Stephano, & Bononio presbyteris, Rolando, & Aldebrando Diaconis, & Hugoni Acolito dedimus, ut regulariter ipsi, & successores eorum viuant, atque sine omnium successorum nostrorum molestatione cunctas supradictas res possideant. Si verò instigante diabolica versutia ipsi canonici, vel successores eorum canonicè viuere deserint, aut ipsa canonica penitus destructa fuerit, ad nos, vel successores absque infestatione reuertantur.* Sed & aliud Victoris Papæ Secundi diploma circa eadem tempora eidem canonicis factum subdit, quod sic incipit: *Victor Episcopus seruus seruorum Dei Petro Archipresbytero, reliquisque canonicis regulariter viuentibus Sanctæ Bononiensis Ecclesiæ, suisque successoribus in perpetuum &c.* Datum anno primò sui Pontificatus decimo octauo Kalend. Iulij, indictione octaua. Ibidem etiam addit aliud priuilegium Henrici Imperatoris, quod est huiusmodi. *Henricus Rex Omnium fidelium nouerit industria, quoniam interuentu coniugis nostræ, & pro incremento Henrici Regis filij nostri Petrum Archipresbyterum, cunctosque Canonicos Sanctæ Bononiensis Ecclesiæ regulariter viuentes, cum omnibus rebus, & possessionibus illorum per singula loca, & territoria constitutis &c.* Adhuc sub anno millesimo septingentesimo octauo, meminit cuiusdam donationis ab Alberto Comite, & Mathilda eius coniuge ciuibus Bononiensibus, factæ canonicis in canonica sancti Petri canonicè viuentibus. Adhuc sub anno millesimo centesimo vigesimo nono, meminit alterius priuilegij Honorij Secundi, quo canonicis Ecclesiæ Bononiensis canonicè viuentibus bona, quæ possidebant, confirmavit.

Sed præter supradicta priuilegia aliud etiam argumentum mea quidem opinione robustissimum eandem Bononiensem Ecclesiam canonicos regulares per multa secula habuisse demonstrat: nam cum in Ciuitate Bononiensi quamplura regularium canonicorum essent Collegia, vt sancti Ioannis in monte Oliueti, sancti Victoris, sanctæ Mariæ ad Rhenum, sancti Saluatoris, quos nulli dubium sub beati Augustini regula canonicè vixisse, illi tamen in canonicos Ecclesiæ Cathedra-

II.

C c lis

lis assumebantur: nam & Gerardum Gislam, siue Gifellam sancti Petri Archidiaconum, quem postea Episcopum Gregorius Papa Octauus ordinauit, antea sancti Ioannis in monte canonicum fuisse, tū ipse Sigonius sub anno 1186. tum etiam liber matriculæ Bononiensis affirmant. Lambertus quoque de Fagnano, qui postea Summus Pontifex renunciatus, dictus fuit Honorius II. ab eodem Sigonio sub anno 1105. prius sanctæ Mariæ ad Rhenum canonicus, postea Bononiensis Cathedralis Archidiaconus traditur. Guido etiam de Basio eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus fuit antea canonicus sancti Victoris, vt Ioannes de Nigraualle in suo epilogo Chronicarum adnotauit: vnde habes, quo illorum responsionem retundas, qui fortè dixerint, canonicos cathedrales Bononienses regulares quidem tunc temporis fuisse, sed non tales, quales cæteri canonici regulares sub beati Augustini Regula militantes erant. Quamquam & istud satis frigidum sit affirmare, scilicet canonicos, in cathedralibus olim regulariter viuentes, minimè eiusdem instituti cum alijs sub D. Augustini regula degentibus fuisse, vt infra cap. 68. ostendemus.

Quo verò tempore ipsi cathedrales canonici à regulari disciplina descuerint, incompertum habeo. quantum tamen ex narratione Sigonij sub anno 1374. aucupari possum, videntur per illa tempora idem canonici, vel paulò antè à vita regulari defecisse: nam ibi de Bernardo Episcopo verba faciens, inter alia notat, illum statim factum Episcopum conuentum omnium presbyterorum coëgisse ad disciplinam clericorum, quæ soluta erat, instaurandam, & constitutiones, quas synodales vocant, à se compositas edidisse. Causas verò dissolutæ apud Clerum Bononiensem canonicæ disciplinæ, præcipuas fuisse crediderim motus bellorum, vastationes, incendia, ruinas; quibus sub illis temporibus comitatus Bononiensis grauissimè est attritus, & Ecclesiæ præsertim Suburbanæ grauissima detrimenta passæ, vt sanctæ Mariæ Rhenanæ, sancti Victoris, sancti Michaëlis in Bosco, regularium tunc canonicorum, quod idem Sigonius sub ann. 1359. notauit.

III. **I**N Episcopatu Bononiensi multa fuerunt olim, & nunc etiam sunt collegia canonicorum regularium, vt vix alium inuenire liceat, in quo canonicum institutum ita copiosè fuerit multiplicatum. Ex his primum est sancti Ioannis in Monte Oliueti nuncupatum, quod à sancto Petronio Bononiensi Episcopo fundatum scribit idem Sigonius lib. primo in Actis illius Episcopi. illud porro Agapetus Papa s. Theodoro Bononiensi Episcopo cum multis alijs monasterijs monachorum, & clericorum suo priuilegio subiecit circa annum nostræ salutis 530. ex eodem Sigonio in actis sancti Theodori Episcopi Bononiensis, quod priuilegium Pelagius anno 556. renouauit. Meminit etiam eiusdem monasterij Gregorius Septimus in priuilegio, quod dedit Lamberto Episcopo Bononiensi anno 1073. relato ab eodem Sigonio in vita ipsius Lamberti,

Posterioribus verò seculis eiusdem monasterij mentionem sæpissimè habitam inuenies ab eodem Sigonio, sed de cœnobio sancti Ioannis in monte, & de viris sanctitate, dignitate, ac etiam doctrina, comprimis illustribus ex illo profectis, dicemus lib. sequenti in congregatione Lateranensi: nunc enim sufficiat illius antiquitatem ante annos mille ex probatis autoribus ostendisse. illud adiungendo, regulam canonicam in illo semel institutam nunquam defecisse.

Secundum est sancti Victoris in Colle propè Ciuitatem, paris sanè antiquitatis. nam qui eidem monasterio nonnullis annis dignissimè præfuit, Augustinus Ticinensis noster in 3. part. Propugnaculi cap. 5. probatione decima, hæc de illo scripsit. *Decimo idem patet ex cap. Cum in Ecclesijs de Maioritate, & obedientia. Dicitur ibi, canonici Ecclesiæ sancti Victoris, & sancti Ioannis in Monte de Bononia, & vocantur ibi canonici simpliciter, & vsque in presentiarum continuatis successibus constat, ibi regulares canonicos viguisse per annos octingentos, & Dei cooperante gratia vigens sub regulari, & laudabili eiusdem ordinis obseruantiâ: quibus inuicem connexis Ecclesijs ego licet indignus per quatuor annos præfui.* Sigonius quæ oculis. 2. de Episcopis in Ioanne canonico sancti Ioannis in Monte postea Episcopo sub anno 1178. hæc habet: *Idem 1178. adem sancti Victoris in Colle sitam, quam canonicorum regularium fuisse diximus 4. Nonas Martij consecrauit.* Vbi verò dixerit, illam Ecclesiam canonicorum regularium antea fuisse, mihi incompertum: sed parum refert, nam constat collegium sancti Ioannis in monte ab antiquo tempore ipsi Collegio Victorienfi tanquam capiti subiectum fuisse, non solum ex literis Innocentij Tertij in cap. Cum in Ecclesijs, de maioritate, & obedientia: sed etiam ex alijs literis Martini V. per quas illud monasterium cum sibi vnito sancti Ioannis in monte illorum canonicis procurantibus, nostræ congregationi vniuit, in quibus hæc ad verbum legis: *Exhibita squidem nobis pro parte Bartholomæi Prioris sancti Ioannis in monte Bononiensis, & s. Victoris ordinis s. Augustini Bononiensis Digressis monasteriorum inuicem canonicè vnitorum, quæ per Priorem gubernari solita sunt, petitio continebat, quod cum monasterium ipsum s. Victoris, quod ipsorum caput & conuentuale dudum esse consuevit &c.* Ex hoc cœnobio viri illustres non pauci prodierunt, de quibus infra in nostra congregatione Lateranensi, cui illud cum altero s. Ioannis in monte fuit vnitum.

IV. **T**ertium est s. Michaelis in Bosco, olim s. Michaelis in fundo Paterno nuncupatum, quod Sigonius lib. 1. in actis s. Paterniani sub eodem Episcopo, qui floruit supra ann. 450. ædificatum fuisse suspicatur, quod in actis s. Theodori illius regimini cum cæteris monasterijs in Diocesi Bononiensi consistentibus, Agapetus Papam subegisse, confirmat, ac exinde Pelagium Agapeti successorem id confirmasse, & lib. 3. in actis Octauiani Vbaldini aduertit, ordinem Canonicorum regularium

nam s. Augustini in eodem monasterio s. Michaëlis in Bosco fuisse firmatum per Romanum Pontificem Nicolaum Tertium. In actis quoque Capituli Prouincialis Papiæ anno 1340. habiti, legimus Priorē s. Michaëlis in Bosco eidem Capitulo præsentialiter interfuisse. Cæterum idem Sigonius lib. 3. in Actis Aimerici Lemouicensis Episcopi Bononiensis ait: *Sub anno 1364. Pace constituta, Monachi Oliuetani, quorum ordinem proximè Ioannes Pontifex approbauerat, cum superioribus annis in Urbem profecti in Burgo Auri domicilium posuissent, inde in Collem ad sanctum Michaëlem in Bosco se contulerunt, cum canonici regulares, qui ad unum Priorem deueniant, eo loco cessissent, eamque rem Androinus Legatus ex decreto Urbani Pontificis approbasset.*

IV. **Q**uartum est sanctæ Mariæ ad Rhenum, tertio circiter milliario ab Vrbe distans, quod à canonicis regularibus sancti Augustini circa annum 1083. fundatum Sigonius lib. 2. in Actis Bernardi Episcopi suspicatur, quod ante illum frater Cherubinus in sua Bononia autumnauerat. Cæterum si vera sunt, quæ de Guidone eiusdem Collegij Priore scribit Iosephus Mozzagrugnus lib. 4. de rebus gestis canonicorum regularium fol. 9. pagina 2. illum fuisse primum Priorem eius monasterij, cum in eiusdem monasterij præfectura vsque ad annum 1169. durauerit, vt ex priuilegio Alexandri Tertij dato sub anno 1169. & idem Guidoni directo probat Mozzagrugnus lib. 4. fol. 11. pag. 2. alterum è duobus dicendum videtur: aut Ecclesiam Rhenanam non circa annum 1083. exstructam, sed longè postea: aut vsque ad annum circiter millesimum centesimum trigesimum, nondum in ea collegium aliquod canonicorum sub regimine Prioris consedisse. Quidquid tamen sit de tempore foundationis, hoc certum, in eo collegio disciplinam canonicam cum magna sanctimonie fama per multos annos floruisse, ac ex illo viros cum primis illustres profectos, de quibus inferius in Congregatione Rhenana dicemus. nunc quod ad rem attinet, circa annum Domini 1359. cum Barnabas Mediolani Dux in Bononiensi obsidione propè Rhenanum monasterium castrametatus fuisset, ipsum monasterium euersum fuit, canonicis in sancti Saluatoris domicilium sese recipientibus: illud tamen cum altero s. Saluatoris intra Urbem canonicis congregationis s. Saluatoris Bononiensis vnitum, paucis abhinc annis fuit ab illis instauratum.

Verum tamen aduertendum, multos aliorum collegiorum canonicos præclaros, eidem Rhenano collegio nonnullos perperam adscripsisse, & alijs eosdem adscribendi occasionem dedisse, nixos auctoritate cuiusdam calendarij apud veteres canonicos Rhenanos reperti, in quo olim defunctorum canonicorum, siue illius, siue aliarum congregationum eiusdem professionis nomina, ex statuto Capituli Prouincialis Portuensis describebantur. Sciendum enim est, canonicis Rhenanis statim institutis Innocentium Secundum per suas datas apud Pisas anno Domini 1136. Constitutiones Capituli, &

Congregationis canonicorum regularium Portuensis apud Rauennam per Paschalem Secundum antea probatas, seruandas tradidisse, illosque more Portuensium viuere constituisse. Sciendum etiam, apud monasterium Portuense, procurantibus forsitan Archiepiscopis Rauennatensibus, omnes canonicos regulares illius Prouinciæ certis temporibus ad celebrandum Prouinciale Capitulum congregari solitos, ac in illo statuta aliqua communi consensu condere, à singulis collegijs seruanda. Porro inter eiusmodi statuta, quæ in codice vetustissimo post constitutiones à Paschali firmatas habentur, postremum est illud de canonicis defunctis in matricula, seu calendario describendis, quod vide infra in congregatione Portuensi. habebatur eiusmodi calendarium in monasterijs nostris Portuensi apud Rauennam, s. Victoris, & s. Ioannis in Monte Bononiæ, & adhuc forsitan in dictis locis inuenitur. Porro ex forma statuti in ipso calendario scribebantur non solum, qui erant de familia, siue de congregatione monasterij, verum etiam qui erant de alijs congregationibus, dum tamen essent eiusdem professionis, & ordinis. Immo in calendario Portuensi etiam canonici maioris Ecclesiæ Rauennatensis notabantur, cum quibus illi spiritualem fraternitatem iniuerant, vt Ioannes Philippus Nouatiensis lib. 3. suæ Chronicæ cap. 39. ex Archiuis maioris Ecclesiæ Rauennatensis per hæc verba notauit. *Canonici huius venerandi cenobij ob eorum sanctitatem, & morum honestatem, cum Reuerendis Canonici Cathedralis Ecclesiæ confraternitatem habebant, vt in dicta Ecclesia archiuis habetur, in tantum vt videretur unum esse collegium, & inter cetera ordinauerunt, vt quando vnus canonicus Cathedralis Ecclesiæ ex hac vita migraret, Canonici Portuenses tanquam fratri suo omnes exequias celebrarent, & sic è conuerso.* Sed & Congregationes monachorum Germaniæ vsum conficiendi huiusmodi calendarium habuerunt, ex Ioanne Trithemio in Chronica Sponheimensi sub anno. 1128. Istud calendarium recentioribus quibusdam canonicis Saluatoriensibus apud Bononiam errandi occasionem præbuit, vt aliquos aliarum Congregationum, vel Collegiorum canonicos ad Episcopatum, vel Cardinalatum, vel Summum Pontificatum euectos in copias antiquorum Rhenanorum traducerent, quod tamen ad recentium canonicorum dictorum collegiorum antiquitatem, siue dignitatem commendandam, nihil iuuat, cū isti non sint de illis antiquis canonicis Rhenanis, vel Saluatoriensibus, sed à Gregorio XII. nuper ex Eremitis Ilicetanis creati, vt infra patebit, ijdemque diuersi habitus, & obseruantia ab illis.

Quintum est s. Saluatoris intra Bononiam, quod ibidem circa ann. 1136. vel 1139. Oliuerius Diaconus in honorem Saluatoris mundi construxit, & Rhenanis canonicis vniuit, vt haberent in Vrbe hospitium, intra quod ad Urbem accedentes, se possent recipere. de quo plura Io. Baptista Signius lib. 2. c. 3. Mozzag. & Sigonius lib. 1. de Episcopis in Henrico

qui Sigonius lib. 3. in Lamberto de Podietto de eodem monasterio, & tribus alijs hæc scribit: *Is ex autoritate Patru quatuor monasteria infamia flagrantia abrogauit, sancti Columbani, sancti Gervasij, sancti Augustini, & sancti Saluatoris, quæ postea restituta sunt.* Steterunt canonici Rhenani in eodem monasterio vsque ad annum 1418. quo anno Franciscus Ghislerius Prior sanctæ Mariæ de Rheno, & sancti Saluatoris inuicem vnitorum, qui vnus ex dicti monasterij canonicis superstes erat, cupiens in illis disciplinam canonicam instaurare, cum non facile alios aliorum collegiorum reperiret, qui ad suum vellent transmeare, canonicos s. Ambrosij de Eugubio, siue sancti Saluatoris de Illiceto nuper à Gregorio XII. institutos, concedente Martino V. acciuit, etsi diuersi habitus, & obseruantia, vt verba literarum sonant.

V. Sextum fuit sancti Barbatiani circa annum Domini 485. exstructum, ex Sigonio lib. 1. in actis sancti Iocundi. obtinent illud monachi ordinis sancti Hieronymi nuncupati, quod quo tempore ex clericis ad monachos transiuerit, incomperum habeo.

Septimum monasterium Archipresbyterale sanctæ Mariæ Castri montis Belli ab illustrissima Comitissa Mathilda erectum, & membrum Congregationis sancti Frigidiani Lucensis, nunc nostræ Congregationi Lateranensi vnitum. de cuius dignitate, & amplitudine innumera documenta in eiusdem Collegij Cartophilacijs habentur: erat enim caput quinquaginta circiter parochiarum illi subiectarum, quæ ferè omnes per regulares canonicos regebantur. Verum, quod prædicta documenta hæcenus habere non licuit, ego quoque de illo aliquid dicere non curo.

Octauum est sancti Gregorij extra portam sancti Vitalis, de quo Sigonius sub anno 1260. hæc habet. *Monasterium sancti Gregorij extra portam sancti Vitalis monialibus sancti Benedicti liberius uiuentibus ex autoritate Gregorij de monte longo Legati Lombardie ademptum, & virginibus ordinis sancti Augustini sanctæ Mariæ in monte Guardia datum est, quod ille canonicis s. Augustini Maturani apud sanctum Antonium male habitantibus, tradiderunt.* Inferius verò sub anno 1418. de eodem Collegio hæc subdit: *Anno Domini 1418. Nicolaus Alberghatus Episcopus Bononiensis monasterium sancti Gregorij extra portam sancti Vitalis ad unum Priorem, & Cœterum redactum, à veteribus canonicis sancti Augustini ad nouos sancti Georgij in Alea Pontificis mandato tradidit sequenti vero ann. 1419. canonicis s. Mariæ Rhenanæ & s. Saluatoris, qui ad unum Priorem videlicet Franciscum Ghislerium deuenierant, canonicis sancti Ambrosij Eugubini regularibus illis quidam, sed diuersi habitus, & obseruantia, à Gregorio XII. probatos, ibidem ex decreto Martini V. copulauit, qui nunc s. Saluatoris dicitur.*

Nonum fuit sanctorum Apostolorum eiusdem Ciuitatis Bononiensis, cuius monasterij Prior Capitulo Prouinciali Papiæ ann. 1340. celebrato ad-

fuit. hoc monasterium nunc tenent moniales de Poenitentia, quas Conuertitas vocamus.

Decimū. monasterium s. Georgij, cuius itē Prior eidem capitulo interfuisse legitur. nunc à fratribus ordinis Seruorum possidetur.

V. Decimū est monasteriū s. Apollinaris apud V. I. Castrum Serrauallis in Archipresbyteratu montis Belli positum, de quo in libro siue catastico beneficiorū in Ciuitate, & Diocesi Bononiensi consistentium, in plebanatu montis Belli sic lego: *Monasterium canonicorum regularium s. Apollinaris de Vallata ordinis s. Augustini prope castrum Serrauallis, cum Ecclesia s. Remigij, & cum Ecclesia s. Andreae de Burgo Paradelle vnium.* Hoc monasterium deficientibus canonicis nunc est commendatum sub titulo Prioratus.

Duodecimum s. Frigidiani de saccis verustissimū membrum Congregationis s. Frigidiani Lucensis, cui nunc et est vnitum. de hoc monasterio in eodem Catastico sic legitur: *Monasterium s. Frigidiani de saccis extra portam s. Mamæ est residentia Prioris principalis, seu generalis. Prior s. Frigidiani de Luca confert.* In vetustis autem monumentis s. Frigidiani Lucensis istud monasterium erat collegium canonicorum, qui ex congregatione s. Frigidiani ad studium Bononiense mittebantur. nunc monasterium canonicis est destitutum.

Decimum tertium est Abbatiale cœnobij s. Stephani de Ponticulo nostræ congregationis sexto circiter milliario distans à Ciuitate.

Decimum quartum est Prioratus SS. Quirici, & Iulitæ Castri Casij, in territorio, & diocesi Bononiensi, sed membrum s. Frigidiani Lucensis, vbi Prior cum duobus, vel tribus canonicis, & vno Conuerso manet. hoc solo nomine illustre, quod Florianum Nanium Theologum suorum temporum eruditissimū, ac meum olim præceptorem beneuolentissimū, tandem Episcopum Scalensem in Campania nostræ Lateranensi Congregationi dedit.

Decimum quintum est monasterium s. Mariæ de Ripa sassi cuius Priori, & fratribus insigne priuilegium fecit Urbanus IV. quod incipit: *religiosam vitam*, & reperitur in Archiuo s. Ioannis in monte Bononiæ.

Decimum sextum monasterium Vallis viridis nuncupatum, membrum antiquæ congregationis eiusdem nominis, quod nunc mensē episcopali est vnitum. Est foris portam s. Mamæ ex catastico beneficiorum Diocesis Bononiensis.

V. VII. Vt etiam in Diocesi Bononiensi monasterium s. Mariæ de monte Guardia nuncupatum, de quo Sigonius sub anno 1087. ita scribit. *Anno 1087. Angela virgo Bononiensis diuina instincta spiritu in montem Guardia urbi proximum iniussu parentum sese contulit, atque ibi exigua rugurio sibi parato Eremiticam vitam instituit, cui pater anxius, & tam de eiusmodi depellere sententia nequirit, virginem alteram nomine*

nomine Angelicam vitam sociam, ac religionis adiunxit, atque eis sacellum cum domuncula condidit, canonicis S. Mariæ ad Rubenum, qui eo loco potiebantur, iura sua facile concedentibus. Angela porro relicta alijs virginibus, quæ se seruitio deinde diuino deuouerant, anno post millesimum centesimum quadragesimo quinto vitam cesserit: Angelica uero superstes accessionem adiunxit adibus, ac locum in monasterij formam redegit, quem Celestinus Secundus nobili priuilegio decorauit, ac uirgines ab Eremitica vita, ad disciplinam canonicorum regularium sancti Augustini traduxit. Porro eodem S. Virgines sub anno Domini 1280. intra Ciuitatem in monasterium sancti Matthiæ ab illis extructum, sese recipientes, habitum fratrum sancti Dominici sumpserunt, ut notat Sigonius sub eodem anno.

Demum in eadem Ciuitate Bononiensi est collegium Canonissarum nostræ congregationis, & genere, & numero cum primis nobile, quod sancti Laurentij dicitur, & subest regimini Abbatis sancti Ioannis in monte.

Caput vigesimumquartum.

De Ecclesijs, seu Monasterijs in Patriarchatu Gradenensi, seu Venetijs.

I. **P**atriarchatus Gradenensis, seu Gradenensis idem est cum eo, qui nunc dicitur Venetijs: nam Ciuitate Gradenensi desolata, & ferè consumpta patriarchalis dignitas ad Ciuitatem Castellanam, quæ & Venetijs dicitur, circa annum humanæ salutis 1451. fuit translata. Porro in eadem Ciuitate Venetijs sequentia canonici ordinis collegia recensentur, quæ vel nunc etiam sub Beati Augustini Regula degunt, vel saltem ab initio sub illa fundata dignoscuntur.

Primum sanctæ Mariæ de Charitate, quod Marcus Iulianus clericus Venetus sub Calisto Secundo fundauit, & beato Petro Apostolo obtulit, ac deinde canonicis regularibus in cœnobio Portuensi apud Rauennam consistentibus, tenendum, & habitandum tradidit. Extant literæ Calisti Secundi eidem Marco Iuliano directæ, quarum exemplum ab originali in eodem monasterio seruato, quod Iacobus Venetus nostræ Congregationis canonicus, & concionator, meus olim amantissimus discipulus, è rudibus uetustatis tandem erutum transmisit, hic subiicitur: *Calistus Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Marco clerico salutem, & Apostolicam benedictionem. Charissimus, & venerabilis frater, & Legatus noster P. Portuensis Episcopus missis literis significauit nobis, te possessiones tuas per manus suas beato Petro, eiusque Romana Ecclesiæ obtulisse, sub censu annuo unius bizantij. Vbi uidelicet Ecclesiam edificare desideras, in qua sub iure,*

ac dominio beati Petri regulares canonici conuersentur, & nos ergo deuotionem tuam, & desiderium approbantes oblationem ipsam suscipimus, & pro te Omnipotenti Domino supplicamus, ut bonum, quod cepisti opus, ad honorem suum, & salutem tuam te, faciat consummare. Præterea lapidem, quem in fundamento illius Ecclesiæ ponere debeas, mittimus, in eo tibi nostrum consensum, & gratiam indulgentes. Datum Auerse VIII. Kalend. Augusti. Licet dictis literis non sit notatus annus datarum: constat tamen Calistum Secundum anno 1119. ad Pontificatum euectum, anno 1124. ex hac vita decessisse. Ad sunt præterea literæ Innocentij Secundi, quibus Ioanni Priori Portuensi, eiusque fratribus mandat, supradictæ Ecclesiæ regimen quantocius assumere, aut eam alijs regendam liberè dimittere, exemplum literarum est.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Ioanni Priori, & fratribus sanctæ Mariæ in Portu salutem, & Apostolicam benedictionem: Filius noster Marcus Iulianus Venetus à tempore prædecessoris nostri bonæ mem. Pape Calisti, uouit Ecclesiam in honorem beata Mariæ construere, & canonicos ibi regulares statuere, cuius uidelicet magisterium est uobis concessum, uerum uos eius tardantes uotum, nondum eam regere cepistis. Ne igitur pium eius euacuetur propositum, mandamus uobis, ut si commodum visum fuerit, absque dilatione prædicti loci regimen assumatis: aut ut alios ibi possit substituere canonicos, liberè refutetis. Datum Pisis x. Kalend. Iulij. Cæterum eosdem canonicos Portuenses ipsius Ecclesiæ regimen suscepisse, & in ea Collegium canonicorum statuisse sub Drudono Priore, constat authentico instrumento donationis siue cessionis factæ eidem Priori, & suis fratribus in dicta canonica sanctæ Mariæ commorantibus, à nobili viro Ioanne quondam Antonij Polano de quadam petia terræ, posita super Canale sancti Vitalis, rogato per manum Ioannis presbyteri, & notarij anno 1140. 2. Iulij in Riua alto, cuius hoc est exemplum, ab authentico, quod seruatur in Archiuio prædicti monasterij fideliter extractum.

Anno millesimo centesimo quadragesimo secundo, Iunij in Riua alto. Plenam, & irreuocabilem securitatem facio ego quidem Ioannes Polanus filius quondam Dominici Polani de consinio sancti Luca, cum meis hæredibus Ecclesiæ sanctæ Mariæ canonicè edificatæ super allodium Marci Iuliani, & edificandæ, & tibi Drudono presbytero, & Priori ipsius loci, & uestris successoribus, de una petia de terra posita super canale sancti Vitalis, quam prædictus pater meus acquisiuit de bonis relicta à commissaria Stephani Lucarelli &c. & illam Drudono prædicto, & sancto loco, & canonicis do, & offero, ad faciendum quidquid uobis placuerit &c. Ego Ioannes presbyter, & notarius compl. & robora. &c. Sed præter supradictam, alię quamplures sub eodẽ ann. 1140.

inueniuntur factæ fuisse donationes eisdem canonicis in eadem Ecclesia de gentibus, quarum ibi authentica instrumenta in pergameno vetustissimo seruantur, vna videlicet sub die 8. Maij, quæ talis est.

Millesimo centesimo quadragesimo octauo mensis Maij in Ego quidem Helica ziani de Riuo alto de Confinio S. Trinitatis cum meis heredibus, & successoribus pro diuino scilicet amore Dei, & remedio animæ meæ, parentum meorum similiter in Dei, & Christi nomine do, dono, cedo, & offero Ecclesie Dei, & sanctæ Mariæ de la Carità, quæ edificata est in Riuo alto sub titulo sanctæ Mariæ in portu Rauennatis omnibus profuturis temporibus in perpetuum possidendum, & dominandum, videletet vnâ meam salinam postam in fundamento da Sablono, quæ est in lido &c. Ego Aegidius presbyter compl. & robora. &c.

In hoc collegio, quod, vt vides sub regimine Prioris, & canonicorum Portuensium institutum fuit, & membrum illius Congregationis per annos circiter ducentos, & quinquaginta mansit, multi viri sanctitate, & doctrina illustres vixerunt, de quibus, & alijs ad illud spectantibus dicemus in nostra Congregatione Lateranensi, nunc enim solum primariam illius originem indicare volui, propter nonnullos, qui sibi ipsis blandientes, propria ignorantes, & aliena nescientes, vt Aristoteles inquit in lib. peri herminias, de facili enunciant, ad pauca respicientes.

II. **S**ecundum igitur est Collegium sancti Saluatoris, cuius Ecclesiam, quæ antea per Plebanos regebatur, Bonifilius re, & cognomine Iustus, cum eiusdem Plebanus fuisset, canonicè institutus, consulente Henrico Dandulo Patriarcha Gradense in Collegium canonicorum regularium sub beati Augustini Regula viuientium reformauit, quod institutum ceteri illius Ecclesie presbyteri, & clerici libentissimè per assumptionem regularis habitus probauerunt. Verùm Episcopus Castellanus, qui & Venetiarum: quod rem totam se nesciente gessissent, illico, vt rescit, totis conatibus aggressus est disturbare: nam cunctis presbyteris, & clericis dictæ Ecclesie canonicis regularibus effectis præcepit, ne amplius in illa Ecclesia officia diuina celebrarent. Sed totam pium opus clementissimus Pater misericordiarum in nihilum euanescere nullatenus permisit: nam prædicto Patriarcha Gradensi Romam profecto, rebusq; Innocentio II. ex ordine narratis, ille suo priuilegio Laterani dato sub die 3. Maij anni 1141. dictam Ecclesiam, ac illius personas sub protectione Sedis Apostolicæ recipiens, in ea Prioratum, & Conuentum canonicorum regularium instituit. Insuper ad maius solatium illius viri Dei, & augmentum incepti operis duos ex canonicis Ecclesie Lateranensis ad illam Ecclesiam misit, quorum alter dictus Petrus, Cato alter: ad quorum præsentiam cessauit persecutio, & numerus Deo seruientium incrementum accepit. Priuilegium Innocentij confirmauit Eugenius III.

per suas datas Brixie 13. Kalend. Septemb. 1148. & noua addidit, sed & Anastasius Quartus, & Adrianus Quartus, & Alexander Tertius, & Lucius Tertius, Innocentius Tertius, & alij Romani Pontifices, & Præsules sacrum locum eximij priuilegij muniuerunt. Perseuerauerunt iidem canonici in prædicta Ecclesia continuata successione, vsque ad annum 1400. quo anno si vera sunt, quæ refert Ioannes Baptista Signius lib. 2. cap. 10. Bonifacius Nonus concessit Domino Ioanni Bono XXI. Priori, & suis successoribus vsam Pontificalium. Subdit autem ibidem Signius hæc verba: *In initio schismæ 22. hæc canonica fuit omnino destructa, & pristina regulari obseruantia deformata ab adulterinis canonicis. Quare vacante hoc beneficio in Romana Curia fuit à Martino V. ann. 1427. commendatum Gabrieli Condulmerio Bononia Legato, Episcopo verò Senensi, & S. Ecclesie Thesaurario. Quæ verba destruunt antecedentia, nam vigesimum secundum schisma non post ann. 1400. sed anno 1124. accidit Cœlestino Pseudopontifice contra Honorium II. à schismaticis creato, sed etiam post annum 1400. vsque ad 1439. nullum schisma est excitatum: anno autem 1439. excitatum fuit schisma 27. contra Eugenium Quartum. Durabat autem schisma 26. inchoatum ann. 1378. quod sub anno 1428. Clemente Octauo Antipapa spontè renunciante, finem accepit. Quare quod de schismate vigesimo secundo comminiscitur, & de canonica sancti Saluatoris in illius initio destructa, & adulterinis prioribus, & canonicis, vt ingenuè fatear, non intelligo. hoc vnum scio, istud Collegium, sicut alia pleraq; illorum temporum iniuria, canonicis destitutum, Gabrieli Cōdulmerio S.R.E. Cardinali, qui postea fuit Eugenius Quartus fuisse commendatum, qui nostros canonicos, ad quos præcipuum gerebat dilectionis affectum, rogauit, vt illius Ecclesie curam gererent, nocturnas, ac diurnas horas, & cætera officia diuinæ in illa persoluentes: qui dicto obedientes per aliquod tempus prædictam Ecclesiam tenuerunt. Cæterum quod aliam collegiatam, eamq; præcipuam sanctæ Mariæ Charitatis obtinerent, in Ecclesia verò sancti Saluatoris iuxta Ordinis constitutiones non satis commodè vitam ducere, ob nimiam secularium frequentiam, valerent, quos ob ius ex licentia quæsitum à claustris arcere non poterant, ac ob alias etiam causas nunc reticendas, in Generalibus Comitij Rauennæ anno 1427. Dominica tertia post Pascha Dominicæ Resurrectionis habitis, de eadem Ecclesia dimittenda in hunc modum decreuerunt. *Item deliberatum est, quod monasterium sancti Saluatoris de Venetijs omnino dimittatur: & quod fiat responsio Domino Cardinali Senensi, vt provideat loco suo: quoniam intentio totius Capituli Generalis est, vt nullo modo teneatur. & ita determinauit, cum hac tamen conditione, quod fratres vsque ad tres menses inclusuè, & non ultra seruiant Domino Cardinali, habitando in monasterio, ita quod nihil exigant ab eo pro expensis, sed quod vult**

vult faciat secundum iudicium suum, sed transacto termino trium mensum omnino, & sine mora exeat, quod ut fiat, pertinebit precipue Reſtori Generali.

Noſtris verò ab eodem loco recedentibus, idem Cardinalis ad Pòtificatù cuectus pro ea, quæ sùma in eo erat Regularium ordines, & collegia reparandi voluntas, protinus Thomæ Rechanatèſi, & Maceratenſi Episcopo in mandatis dedit, vt de Religioſis sub D. Augustini Regula militantibus, præter quàm de mendicantibus, vsq; ad viginti quinque personas colligeret, & in canonicos Ecclesiæ, & monasterij sancti Saluatoris prædicti assumeret, Superiorum etiam licentia super hoc minime obtenta, vel requisita, à qua tamen licentia nostros per speciales datas Florentiæ 15. Kalend. Februarij 1435. exceptos esse voluit. Tandem idem Pontifex anno 1442. 21. Iunij eandem Ecclesiam cum omnibus eius iuribus, & pertinentijs vniuit Congregationi sancti Saluatoris Bononiensis.

III. **D**E prædicto monasterio, & illius priuilegijs, & viris illustribus plura scribit Ioannes Baptista Signius in libris de Ordine, ac statu canonico præsertim lib. 2. cap. decimo, apud quem sit fides. Plura etiam perperam effundit Iosephus Mozzagrunus in suis libris de rebus gestis canonicorum regularium, vt cum scribit lib. octauo, fol. 40. pag. prima, suos canonicos sancti Saluatoris Venetiarum absque vlllo dubio antiquitate, nobilitate, & præeminentia erga canonicos sanctæ Mariæ de Charitate gloriari, vt in superioribus dictum est, & lib. septimo fol. 7. pagina prima, & secunda, cum scribit: *Dato igitur priuilegio dictus Romanus Pontifex ad maius viri Dei solatium, & consolationem concessit eisdem duos fratres de Ecclesiæ Lateranensi Petrum videlicet, & Casonem, & numerus Deo seruientium cepit augeti. Hi canonici Lateranenses, maximam nostræ Congregationi auctoritatem contulerunt, vt etiam nos à Lateranensibus ante reformationes particulares pèdere profiteamur, & cum Lateranensibus vnitos esse, & eod. lib. fol. 14. pagina prima, cum dicit, canonicis sanctæ Mariæ de Charitate volentibus ire de præ se in processionibus separatim à canonicis sancti Saluatoris, Serenissimū Ducē Venetiarum iussisse, illos ire in loco inferiori ab illis sancti Saluatoris, & postea lib. octauo fol. 40. colum. prima hoc factum suis applicat, tanquam si sui illi essent, qui tunc in cœnobio sancti Saluatoris degebant. Quæ illius pace falsa sunt, neque illius scopo vllatenus deseruiunt: nam quod primo loco ait, monasterium sancti Saluatoris antiquitate præstare monasterio sanctæ Mariæ de Charitate, si de monasterio, & collegio canonicorum regularium intelligi velit, absolutè falsum esse conuincitur, ex vtriusque fundatione superius notata. Rursus quod secundo loco subdit, duos illos canonicos ex monasterio Lateranensi missos ab Innocentio Secundo ad Ecclesiam sancti Saluatoris maximam auctoritatem contulisse suæ Congregationi, vt ipsi quoque, qui sunt canonici sancti Saluatoris de Bononia nuncupati, à Late-*

ranensibus ante reformationes particulares se pendere profiteantur, silentio potius explodendum est, quàm ratione confurandum. quàm enim auctoritatem huic congregationi Lateranenses illi contulerunt, quæ non nisi post annos ducentos, & septuaginta ab illorum profectioe ad dictam Ecclesiam sancti Saluatoris, in mundo esse cœpit, in qua canonica sancti Saluatoris antiqui illi canonici siue ab Innocentio Secundo Pontifice Maximo, siue à Bonifilio de Iustis instituti, multis annis antequam canonici Saluatorienses de Bononia eò accederent, penitus, atque penitus extincti erant? At inquiet, nos in eorum loco subrogati sumus. sed cur non à pari dicunt, Diuum Benedictum, & alios eiusdem instituti sanctissimos viros magnam auctoritatem suæ congregationi contulisse, vt meritò gloriari possint, se à Benedictinensibus descendisse? nam constat in eorum locum subrogatos fuisse in cœnobijs sancti Michaëlis de Candiana, sancti Danielis de monte Apono Diocesis Paduanæ, sancti Sebastiani aliàs sancti Rufini apud Mantuam, sanctæ Sophiæ Beneuentanæ, & alijs præcipuis illius congregationis, eadem enim de vtriusque ratio est, ne latum vnguem distans. Tandem quod ait, canonicos s. Saluatoris Venetiarum ex decreto Principis Venetiarū in processionibus de an. 1391. habitis, canonicos sanctæ Mariæ Charitatis præcessisse, quid commune habet cum suis Saluatoriensibus de Bononia? vel quid istis modernis ex Eremitis Ilicetanis in canonicos transformatis, cum illis s. Saluatoris antiquis, veris, originarijs, & vt sic loqui liceat, naturalibus canonicis commune, excepta domo, quam illis penitus extinctis, isti obtinēt, vel nomine canonicorum, vel priuilegijs ex largitate Apostolica impetratis? canonici s. Mariæ de Charitate, qui tunc erant, & qui nūc sunt, cum illis antiquis s. Saluatoris Venetiarum eiusdem naturæ, ac instituti erāt: & ob eam causam in publicis processionibus sub vna Cruce tanquam vnum corpus simul incedebant. Cæterū antiquo instituto s. Saluatoris alterato, & tandem extincto illi s. Mariæ de Charitate suum locum obtinuerunt, qui illis non ex decreto Principis Venetiarū, sed de iure cōgruebat, digniorē super omnes ordines regulariū, ita demū post longos litium amphractus summo Pòtifice decernente. Noui autem canonici s. Saluatoris, vt qui de illis antiquis nullatenus sunt, sed recēs post monachos instituti, nouissimum similiter locū tenēt infra omnes ordines monasticos, supra Fratres Prædicatores, & tamē iactat confidēter hic autor, absq; vlllo dubio antiquitate, nobilitate, & præeminentia erga canonicos s. Mariæ de Charitate, se & suos gloriari vt dictum est, dum de s. Salvatore ageretur.

Tertiū collegiū est s. Clementis de Orphano IV. vocatū, quod vnā cum xenodochio illi contiguo ante annum saltem 1160. fundatum constat ex instrumento concessionis factæ ab Episcopo Ariminensi nomine Alberico Lothario Priori sancti Clementis de Orphano, & illius successoribus in perpetuum, ad instantiam Domini Patriarchæ Gradensis,

de quadam Ecclesia S. Iacobi de Secundo nūcupata cum omnibus suis pertinentijs, quod instrumentum fuit rogatum Arimini per manum Sasso Ariminensis scribæ communitatis anno 1173. die 10. Ianuarij, & extractum ex Authentico per manum Gabriellis Seibani S. Palatij Notarij anno 1231. die 11. Februarij: sed & Iosephus Mozzagrugnus lib. 1. in fine refert, lectas literas Benedicti XII. sub Bulla plumbea, attestantes Ioannem XXII. illius prædecessorem contulisse monasterium sancti Clementis cum Xenodochio in ripa Canalis Orphani Castellanenſis Diœceſis, constructum à Petro Gatiloso Veneto anno 1141. canonicis regularibus, tunc vacans per decessum Domini Nicolai de Arimundo in personam D. Nicolai de Beneuentis canonici regularis monasterij sancti Spiritus, licet diuersi habitus, apud quem autorem quoad hoc sit fides. Ad istud monasterium primò delatæ sunt ex Alexandria reliquiæ sancti Confessoris, & Patriarchæ Aniani, quæ postea in Ecclesiam sanctæ Mariæ de Charitate fuerunt translatae, vbi nunc in veneratione habetur. demum istud monasterium canonicis destitutum dicto monasterio s. Mariæ de Charitate nostræ cōgregationis fuit vnitum ab Eugenio Quarto per suas datas iv. Nonas Decemb. an. 1432.

Quartum est sancti Spiritus Venetiarum. istud monasterium ferunt circa annum 1140. cum Xenodochio contiguo exstructum, quod an verum sit nescio. hoc certum, si vera sunt quæ de collatione monasterij sancti Clementis Ordinis canonicorum regularium, facta à Ioanne XXII. Domino Nicolao de Beneuentis canonico item S. Spiritus proximè sunt narrata, viguisse ab antiquo tempore disciplinam canonicam in dicto monasterio. Cæterum & illud quoque canonicis destitutum varia passum est discrimina. tandem circa annum 1430. idem institutum canonicorū regularium de nouo recepit, quod hætenus feruat: qui canonici regulares s. Spiritus cōmuniter dicuntur, de quibus infra sermo redibit.

Quintum est s. Helena, quod ab institutione canonici Ordinis extitisse, ostendit historia translationis reliquiarū s. Helena Constantini matris ex ciuitate Bizantio ad prædictum monasteriū s. Helena, quæ sic habet. *Anno 1213. Duce Petro Ziano Aicardus canonicus regularis ex monasterio sui Ordinis Constantinopolitano, clam sustulit corpus S. Helena, quod Venetias translātū in suo monasterio S. Helena dicato locauit.* Quanquā de hoc monasterio aliud reperire nō potui, nisi quod de an. 1407. cū canonicis esset penitus destitūtū, monachis Oliuetanis concessum est, qui vsque in hodiernū diem illud detinent.

V. Sextum est s. Georgij in Alega, quod ab institutione fuisse collegium canonicorum regulariū, ac in eo disciplinam canonicam viguisse, ostendunt literæ Greg. XII. per quas idem monasterium canonicis ferè destitutum, quippe qui ad vnum solum Priorem, & duos fratres conuersos redacti fuerant, eodem Priore nomine Ludouico Balbo consentiente, ex Regulari transtulit in collegium canonicorum tunc secularium, qui s. Georgij de Alega vocantur.

in quibus literis hæc inter alia habentur. *Sane petitio pro parte dilecti filij Ludouici Prioris monasterij S. Georgij in Alega per Priorem soliti gubernari, Ordinis S. Augustini Castellanenſis Diœceſis, nobis nuper exhibita continebat, quod monasterium prædictum, in quo ab olim laudabiliter viguit obseruantia regularis, & eius instituta Apostolica fuerunt per Sedem Apostolicam approbata, à longis retroactis temporibus extitit, prout existit huiusmodi regulari obseruantia destitutum, &c.* Hæ literæ habentur in nouo Bullario Romano inter constitutiones Gregorij XII. constitutione prima, quæ est Bulla institutionis canonicorum secularium S. Georgij in Alega nuncupatorum.

Septimum est monasterium S. Crucis quod nūc à Collegio sacrarum Virginum Ordinis tenetur: illud enim prius monasterium canonicorū regularium fuerat, teste Sansino in sua Venetia in descriptione illius monasterij.

Octauum est S. Antonij Venetiarum, cuius Ecclesia primò fuit vnita monasterio S. Saluatoris Venetiarum tunc Congregationis S. Saluatoris de Bononia per Sixtum Quartum anno 1471. die 19. Octobris. Deinde anno 1475. 29. Augusti ab eodem Pontifice separata, & in Prioratum dictæ Congregationis erecta. cuius Prioribus Innocentius Octauus, & Alexander Sextus, ad instantiam Ducum Venetorum vsum Pontificalium, & alia priuilegia concesserunt.

Præter supradicta verò collegia canonicorum est etiam in eadem ciuitate Castellana seu Venetiarum, monasterium cum primis nobile sacrarum Virginum canonissarum nostræ congregationis sancti Danielis nuncupatum, cuius tamen regimen Abbas S. Mariæ Charitatis anno 1604. iustissimis, & honestissimis ex causis, in manibus Illustrissimi Patriarchæ, necnon etiam Serenissimi Ducis, quibus iubentibus ante centum circiter annos prædecessores illius coacti illud susceperant, sponte resignauit, & ita congregationem præter expectationē grauissimis curis liberauit. In eadem Ciuitate erat aliud collegium canonissarum S. Mariæ de Virginibus, quæ nescio, an nunc etiam cum regula canonica perseuerent.

Caput vigesimumquintum.

De Ecclesijs, & Monasterijs existentibus in Patriarchatu Aquileiense, ac in toto Dominio Venetorum.



Datriarchalem Ecclesiam Aquileiensem sanctus vir Apostolicus Hermagoras D. Marci discipulus, aut potius ipse Marcus. Euangelista primus fundauit, & cum nulli dubium sit, ipsidem illam institutis, ac legibus plantasse, quas Romæ à B. Petro dicerat,

dicerat, quibusque Ecclesiā Alexādrinam fundauit, extra difficultatē remanet, Ecclesiam Aquileiensem sub regulari disciplina clericorum communiter videntium fuisse institutam, nec minori certitudine credendum est, idem institutum in ea vsque ad omnimodam illius euerfionem sub Totila secutam, retentum fuisse, nam & Diuus Hieronymus in continuatione Chronici Eusebij Pamphili circa annum Domini 378. Olympiade verò 289. in laudem clericorum Ecclesiæ Aquileiensis scribit, quos veluti choros Beatorum commendat. illum vide. Nec dubium in eodem Aquileiensi Patriarchatu multa olim fuisse canonicorum nostri Ordinis collegia, quandoquidem illē vnus cum Gradensi eidem finitimo pro vna integra Prouincia ad capitulum Prouinciale celebrandum à Benedicto XII. fuerat determinatus. Verum vicissitudines temporum, & Barbarorum frequentissimæ in illam Prouinciam irruptiones, incursiones, populorum euerfiones, quas non semel sustinuit, illorum monumenta deleuerunt, paucis seruatis, quorum vel adhuc vestigia remanent, vel saltem in locorum tabularijs memoria est conseruata, ex quibus, quæ venari licuit, hic fideliter subiicimus.

In Dioecesi Cenerensi in Castro Conegliani est vetustum collegium canonicorum regularium olim Ordinis sancti Marci, nunc Ordinis s. Augustini, & nostræ congregationis Lateranensis, cui per Sixtum Quartum sub anno 1478. fuit vnitum.

In ciuitate Taruisij cœnobium S. Quadrage-
Martyrū olim membrū congregationis s. Frigidiani Lucensis, nunc cum suo capite nostræ congregationi vnitum, & multis priuilegijs, & viris claris exornatum, de quibus in nostrā congregatione Lateranensi sermo erit.

In eadem ciuitate Prioratus verustissimus sancte Mariæ de Bethleem nuncupatus, cum à tempore immemorabili conuentu esset destitutus, & commendatus per resignationem nobilis viri Doymide Vallano, fuit ab Innocentio Octauo anno 1490. eidem monasterio sanctorum quadrage-
mā Martyrum vnitus.

In eadem ciuitate monasterium sancti Paoli erat Canoniarum, quæ paucis ab hinc annis habitum mutauerunt.

II. In ciuitate Patauina Ecclesiam s. Iustine nunc monachorum Cassinensium, & ante illos Cluniacensium, antea collegium canonicorum regularium exiisse fatemur. Glossa in capite literis & ibidem Ostiensis de officio iudicis delegati.

In Dioecesi Patauina ab antiquissimo tempore fuisse collegium canonicorum regularium, indicat locus, qui nunc etiam tertio circiter milliatio versus Orientem ab vrbe distans, Canonica vulgariter nuncupatur.

In eadem verò ciuitate Patauina est Abbatiale cœnobium cum insigni Bibliotheca nostræ congregationis sancti Ioannis in Viridario nuncupatum.

In eadem ciuitate est conuentus Prioralis cano-

nicorum regularium s. Spiritus Venetiarum, qui s. Michaëlis dicitur.

In eadem ciuitate est Prioratus s. Antonij de Vienna nuncupatus, olim membrum s. Antonij Venetiarum congregationis s. Saluatoris Bononiensis, postea in Prioratum distinctum erectus per Pium Quartum anno 1563.

In Dioecesi verò Patauina est præcipuum cœnobium Abbatiale sancti Michaëlis de Candiana eiusdem cogregationis, ac illi vnitum per Nicolaum Quintum, cum prius esset monachorum Ordinis s. Benedicti, vt patet ex libro taxarum Apostolicarum.

In eadem Dioecesi est aliud Abbatiale cœnobium s. Danielis prope Aponum eiusdem congregationis, à Pio Secundo illi vnitum, cum prius esset Ordinis s. Benedicti, ex eodem libro taxarum Apostolicarum.

IN ciuitate Vicentia est Abbatiale cœnobium III. s. Bartholomæi, cum alio de Panē in sacco sibi vnito, nostræ congregationis, antea Ordinis s. Marci, de quo suo loco dicendum erit.

In Dioecesi Vicentina erat Prioratus conuentualis canonicorum regularium Ordinis D. Marci, cuius Prioris meminit Honorius Tertius in literis Confirmationis Regulæ, & Constitutionum eiusdem Ordinis D. Marci datis anno 1218. Vocabatur dictus Prioratus s. Eusebij de Seratico. Verum præter contenta in dictis literis amplius nihil de illo potui inuenire.

In ciuitate Veronensi collegium s. Georgij, quod nunc tenent canonici s. Georgij de Alega nuncupato, antea fuerat canonicorum Regularium Ordinis s. Augustini, qui exactis quibusdam monialibus ob solutam vitam, & ad alia monasteria translatis, ad illud regendum vocati fuerunt à Pellegrino illius Ecclesiæ tunc Curatore, & consentiente ciuitatis Episcopo anno humane salutis 1127. de quo Hieronymus à Curte nobilis Veronensis in sua historia libro 15. hæc inter alia scribit: *Hic (scilicet Pellegrinus Archiepiscopus) qui paulò plus quinque annis istam Ecclesiam tenuit, ductus deuotione, egit anno 1127. ad illius regimen Canonici Regularis s. Augustini ponendum, & ita fuit, Episcopo rem probante, quemadmodum legitur in quibusdam libris vetustissimis, & authenticis illius monasterij, in quibus ad literam ita legitur: Cum sit quoddam monasterium S. Georgij in Bruida de Verona quoddam mulierum, ac monacharum fuerit cœnobium, Diaboli tamen potius quam Dei templum, & quasi profanabile: ad circò in remedium anime nostræ volentes illud reformare, Canonicos sub regula D. Augustini perpetuò famulantes in eo ordinare voluimus. & post pauca. Rexerūt RR. Canonici Ecclesiā prædictam, & monasterium vsque ad annum 1295. eo maiori sanctitatis, Religionis fama redolentes, quo maiori licentia, & scandalo Moniales antea vixerant, atque in hunc modum locus virtutum Seminarium euaserat, & morum optimorum gymnasium, quibus medijs multis multa priuilegia, & immuni-*

lates

tates à Summis Pontificibus, & seculi Principibus obtinuerunt: bonorum etiam affluentia plurimum ditati, Deo ostendente quantum ad bonorum etiam temporalium incrementum, vite sanctitudo profuit. Hæc dictus autor, & alia, quæ apud illum videri possunt. quando verò, & quas ob causas canonici regulares loco cesserint, diuinare non possum.

Apud Veronam in monte Donico ciuitati imminenti est Abbatiale cœnobium congr. s. Leonardi, sanctorum seminarium, de quo in Lateranensi congregatione plura dicenda.

In ciuitate Veronensi erat Prioratus conuentualis canonicorum regularium Ordinis s. Marci, cuius mentio habetur in literis Honorij Tertij proximè citatis, quod s. Spiritus appellabatur.

IV. **I**N ciuitate, & Diocesi Brixienfi multa fuisse olim collègia nostri Ordinis, vel ex hoc solum coniectare licet, quòd in capitulo Prouinciali Papiensi læpius memorato vnus visitator pro solis monasterijs, & Ecclesijs canonicorum regularium in Episcopatibus Brixienfi, & Laudensi fuerit cõstitutus. Ea verò, quorum nomina ex actis dicti Capituli, vel alijs veridicis scripturis colliguntur, quæq; hætenus, vel per se, vel alijs monasterijs vnita superfunt, hæc sunt.

Primum Abbatiale cœnobiũ s. Afræ, seu verius SS. Faustini, & Iouitæ ad Languinem, vel s. Saluatoris vetustissimum, & nunc nostræ congregationis dicitur autem SS. Faustini, & Iouitæ ad sanguinem, quòd sit locus plurimorum S. Martyrum sepulchro, & Reliquijs venerandus, de quibus Galestinus in Martyrologio sub die 7. 11. & 16. Ianuarij, & sub die 12. Februarij, & alij, sed & nos in lib. de congregatione Lateranensi ex insituto dicemus. Nunc quòd ad illius antiquitatem attinet, in actis sæpe dicti Capituli Papiensis recensetur Præpositus monasterij SS. Faustini, & Iouitæ, ad sanguinem, & videtur fuisse illemet, qui in ingressu Capituli sermone habuit, quique inter Definidores ipsius Capituli fuit renunciatus. Quare decipiuntur, qui non ante annum 1516. quo tempore nostri monasterio s. Saluatoris Suburbano, vbi tunc degebant hostiliter euerso, intra dictam Ecclesiam sese receperunt, illam nostri Ordinis canonicos habuisse arbitrantur, cum longè ante illud tempus, nimirum 1340. constet, Ecclesiam sanctorum Faustini, & Iouitæ ad sanguinem canonicorum conuentum non ignobilem habuisse, qui sub cura Præpositi degebant. Sed & longè ante annum illum 1340. fuerunt ibidem clerici canonici, si vera sunt, quæ de prædicta Ecclesia Ioannes Philippus noster lib. 3. cap. 32. scribit, in ea siquidem stetit Beatus Dominicum, & ibi habitam sedem, ac mensam, in qua ipse gloriosus sanctus studebat, quæ cum maxima veneratione seruaretur: ibi quoque B. Guallam Ordinis Prædicatorum, & postea Brixiensem Episcopum, dum esset in campanili, Beati Dominici animam vidisse, quam in Paradisum Angeli ferebant. Istud monasterium conuentu tandem destitutum anno 1523. canonicis nostris, monasterio san-

cti Saluatoris Suburbano bellorum ruinis euerso, fuit concessum, vt infra dicemus.

Secundum est monasterium ipsum s. Saluatoris in Suburbijs ciuitatis Brixie constitutum, cum altero monasterio Canonissarum eiusdem ordinis sibi vnito, quibus inuicem vnitis Gregorius Nonus insigne priuilegium concessit anno 1232. & Pontificatus sui quinto, quòd quidem priuilegium sic incipit: *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Præposito s. Saluatoris, & s. Mariæ iuxta Brixiam, eiusq; fratribus, & sororibus tam presentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosa &c.* Reliqua si vacat, videre poteris in libro Indultorum nostræ congregationis pag. 146. & sequentibus huius etiam monasterij sub titulo Præposituræ in actis Capituli Papiensis mentio habetur, in hoc monasterio regularis obseruatiã per tot vicissitudines temporum vsque ad nostram reformationem in loco Frisonariæ factam durauit, nostris verò ibidem reformatis, Præpositus dicti monasterij cum suis canonicis reformationem ipsam ex animo susceperunt, & nostræ congregationi fuerunt vniti, & ita viguit in eodem monasterio disciplina canonica vsque ad annum 1516. quo anno in obsidione ciuitatis solo fuit æquatum. Conuentus verò, & Præpositura cum titulo sancti Saluatoris intra urbem, & Ecclesiam olim sanctæ Afræ, siue Sanctorum Faustini, & Iouitæ ad sanguinem, per Clementem septimum anno 1523. translata.

Tertium est s. Ioannis de foris, cuius similiter sub titulo Præposituræ in actis eiusdem capituli mentio habetur. Ferunt ante canonicos moniales quosdam ibi consedisse. Verum cuius Ordinis essent, vel quo tempore loco cesserint, mihi hætenus incompertum: hanc Præposituram nunc obriunt canonici congr. s. Saluatoris de Bononia per Innocentium Octauum anno 1485. eidem congregationi vnitam.

Quartum est s. Petri in Oliueto, cuius Præpositum, Capitulum Prouinciale Papiense anno 1340. celebratum, in numerum Definitorum Capituli sequentis elegit. istud monasterium nunc tenent canonici Regulares sancti Georgij de Alega nuncupati.

Quintum est sancti Alexandri, quòd vsque ad annum 1499. Canonicos Regulares tenuisse ostendunt instrumenta authentica in Archiuis cœnobij sancti Saluatoris eiusdem ciuitatis Brixienfis seruata.

Sextum est s. Mariæ Magdalene apud Brixiam, quòd iam dudum canonicis destitutum, & in fabricis, excepta Ecclesia, propemodum cõsumptum, Eugenius Quartus anno 1447. eidem monasterio s. Saluatoris vnuit.

Septimum est monasterium, seu Prioratus olim conuentualis s. Georgij de Monte Claro Diocesis Brixienfis, cuius Prior in Actis supradicti Capituli Papiensis memoratur, qui Canonicis destitutus, eidem cœnobio s. Saluatoris est vnitus.

Erar

Erat prope eandem Ciuitatem Monasteriū Canonissarum S. Mariæ nuncupatum, & Monasterio Sancti Saluatoris vnitum, & sub regimine Præpositi eiusdem Monasterij degēs, cuius meminit Gregorius Nonus in Priuilegio eisdē Monasterijs concessio, cuius mentio habita est superius hoc eodem capite. Verū illud cum dicto Monasterio S. Saluatoris de anno 1516. fuit euersum, & forte ante illud tēpus nullæ amplius erant ibi Sanctimoniales.

In eadem Ciuitate erat aliud Monasterium Canonissarum S. Catharinæ nuncupatum. extant literæ Eugenij Papæ Quarti datæ anno 1443. quibus Præposito s. Ioannis Brixienfis mandat, vnire dicto Monasterio s. Catharinæ domum s. Luca in Burgo s. Alexandri, & hospitale s. Ioannis de foris Brixiam Ordinis Humiliatorum, & hoc ad supplicationem ciuitatis. quarum literarum exemplum habetur in nostro Archiuio Romano.

V. **E**cclēsia Bergomensis inter præcipuas, easq. vetustissimas, in quibus apud Italos disciplina Canonica à sanctissimis Apostolis inter Clericos instituta, & a D. Augustino reparata olim viguit iure ac meritò numerari debet. de ista Ecclesia aliquid dicturus, vt rei amplitudini, ac sermonis breuitati consulam, ea solū hic referam, quæ Bartholomæus de Peregrinis Ciuis Bergomensis, ac Presbyter in suo libro de Sacra, ac fertili vinea Bergomēsi ex diuersis authenticis, catholicisq. libris, & scripturis diligenti cura collegit, qui liber editus est Brixie apud Ludouicum Britannicum. v. Idus Iulij M. D. LIII.

Igitur hic autor 1. par. cap. 7. de s. Proiectio Bergomensis Ecclesiæ Archidiacono differens in hunc modum scribit. *Proiectus primus Bergomensis Archidiaconus per annos septē, menses sex, hanc Sanctissimam vineam custodiuit, & sibi coadiutores, successoresq. elegit quadraginta clericos, qui secundum Regulam, moresque Apostolorum viuerent. Hæc ex epitaphio eius, & ex tertio Libro Chronicarū D. Ioannis Mariæ Mediolanensis Canonici Regularis, & ex historia ipsius scripta in lib. 3. cap. 1. & 2. de Antiquitatibus, & gestis Diuorum Bergomensium, & cap. 2. eiusdē primæ partis. Anno Christi 654. surrexit in vinea magnus ille colonus, & Beatus Pastor Io. Episcopus noster, &c. & infra. Hic sanctissimus Pastor numerum Canonicorum, & prouentus mirum in modum auxit, & quicquid ex victu honesto, ac vestitu supererat, in Ecclesiæ suæ beneficium dabat, vna denique, eadēq. mensa communis omnibus, vnus habitus, vna regula, atque vnus ordo Apostolicus in Canonica Diui Martyris Alexandri iugiter seruabatur, &c. Et infra. Hæc breuiter collegimus ex antiqua Longobardorum historia Pauli Diaconi lib. 6. cap. 6. & 9. & ex Priuilegijs trium Imperatorū Caroli Tertij, Arnulphi, Berengarij Primi. ex parte 5. lib. 14. cap. 26. 30. & 40. Chronicorum Bartholomæi de Ossa Bergomatis, & ex 4. lib. Chronicorum D. Ioannis Mariæ Mediolanensis, & ex lib. Pontificum Plasine Cremonensis, & ex epitaphio eius, & vt cōstat ex quadam scriptura in quodam saxo scul-*

pta. Fara. & ex Memoriali Episcoporum Bergomi Iouite Clarenfis. Rursus ex cap. 19. eiusdem primæ partis. Beatus Adalbertus Carimalus nobilis ciuis Bergomensis vineam collabentem, ciuitatemq. ipsam bis ab Vngaris combustam, ac dirutam reformauit. templumq. in Vrbe medio, quod antea Beate Agneti dicatum fuerat Parochiale, illud amplificans Cathedralē templum s. Vincentij martyris constituit, & canonicam. Postea medium canonicorum numerum canonicæ S. Alexandri in recentiorem Canonicam prædictam S. Vincentij transfudit, & ibi iuxta Apostolorum Regulam, vt antea in Canonica D. Alexandri debebant, ipsi quoque viuerent, constituit. & hoc fuit anno Christi 896. & Episcopatus sui anno secundo. Rursus ex cap. 23. eiusdem 1. par. In hanc vineam intravit Reginfredus, qui hanc non more antecessorū suorum regulariter gubernauit, sed tanquam pastor mercenarius, ad quem non pertinebat de ouibus, canonicos suos ex Regulari, & honesta valde ad secularem, nimisq. liberam vitam transire, eosq. vagari permisit. Hoc factum est anno Christi 1012. & Pontificatus sui 16. mensē 7. quo anno è vita migravit die 28. Decembris. Hæc ex dicto memoriali.

Præstat etiam huius autoris testimonio ad maiorem dilucidationem historię, & veritatis aliud subnectere ex canonico Regulari acceptum, sed ab eo, qui eadem Bergomensis Ecclesiæ monimēta diligentissimè iustrauerat, Ioanne Philippo nostro ex lib. 3. cap. 24. acceptum, quod sic se habet. *In Episcopatu Bergomensi erant canonici Regulares: legitur enim in antiquis scripturis ipsius Ecclesiæ, quod primò viuebant in communi iuxta morem Ierosolimitanæ Ecclesiæ, sub sancto Narnio, & Viatore Episcopis, & postea tempore Syluestri Papæ Primi floruit sub sancto Proiectio Archidiacono, & tempore sancti Ambrosij sub sancto Iacobo Martyre: deinde tempore Iuniperti Longobardorum Regis floruit sub sancto Ioanne Episcopo, & Martyre. tandem sub sancto Adalberto Episcopo, & Cardinale. In ipso Episcopatu adhuc est refectorium canonicorum, & Regula Patris Augustini in choro Ecclesiæ. Hæc Io. Philippus, qui cum Bergomi esset, quando ista sub anno 1529. scribebat, & fateatur tunc temporis Refectorium Canonicorum, & Regulam D. Augustini in Episcopatu, & Ecclesia Bergomensi visa, duo mihi euidenter probat. Alterum, Regularem obseruatiam in aliqua saltem dictarum Ecclesiarum (duæ quippè erant Ecclesiæ, sancti Alexandri vna, s. Vincentij altera) longius post annum 1012. durauisse, alterum, canonicos Bergomenses canonicos Regulares, ac sub Beati Augustini Regula degentes verè extitisse: non autem canonicos communem vitam sponte, & sine votorum emissionē ducentes, vt recentiores scribunt.*

Præter verò supradictas maiores Ecclesias sanctorum Alexandri, & Vincētij, aliud erat Collegium nostrorum canonicorum perantiquum sancti Georgij de spino, cuius nunc etiam vestigia cum Ecclesia extra suburbium s. Leonardi cernuntur, de quo in præallegato libro de Vineâ Bergomēsi p. 2. cap. 40.

VI.

c. 48. hæc habes: *Militabat etiam Deo in hac vinea in temporibus (scilicet anno 1319. venerabilis Dominus Melchior de Traruffis, Prior monasterij sancti Georgij de Spino fundati extra portam colonij, Ordinis Canonorum Regularium, qui anno sequenti videlicet 1320. principium dedit consortio Carceratorum Bergomi. Hæc ex primo, & secundo capite regule ipsius consortij, & ex alijs scripturis antiquis.*

In eadem ciuitate Bergomensis est cœnobium Abbatiale s. Spiritus nostræ congr. ex quo viros sanctitate, & doctrina illustres habuimus, de quibus inferius.

In ciuitate Cremensi est cœnobium Abbatiale s. Benedicti nostræ congregationis, cum nonnullis Parochijs sibi subiectis, de quo in congregatione Lateranensi.

In Diœcesi Tridentina, quæ licet sit in Comitatu Tirolis, & extra dominium Venetorum, est tamen in Patriarchatu Aquileiensi, cuius suffraganeus est Episc. Tridentinus, duæ sunt insignes Præposituræ canonorum regularium, de quibus ex actis visitationum Illustrissimi, & Reuerendiss. DD. Card. Madrucij Episcopi Tridentini hæc pauca accepi. *In Diœcesi Tridentina sunt duæ Præposituræ Canonorum Regularium sancti Augustini, altera sancti Michaëlis ad decem milliaria, à ciuitate distans; altera sanctæ Mariæ ad portam clausam vulgò Gries nuncupata. Harum Præpositi ex ipsarum gremio eliguntur, & usum mitræ, & baculi obinent*

Caput vigesimum sextum.

De Ecclesia Mediolanensi, & alijs Ecclesijs, & Collegijs Canonorum Regularium existentibus in toto Dominio, & Metropoli Ducatus Mediolani.



I. Vm ex multorum probatæ satis fidei Autorum relatione docuerimus, canonicum institutum, secundum quod Beatissimus Pater Augustinus factus Hipponensis Episcopus illius Ecclesiæ canonicos reformauit, illum in Italia, & præsertim apud Insubres in Ecclesia Mediolanensi didicisse, rem superfluum agere videremur, si Mediolanensem Ecclesiã ab institutione regularem fuisse pluribus confirmare niteremur, quod nunc admonendum censemus, solum est, duas olim fuisse Mediolani maiores Ecclesias, quæ pro temporum vicissitudine pro Cathedralibus deseruiebant, alterã s. Teclæ, s. Ambrosij alteram, & quidem posterior nunc etiam superest proprio nomine retento. Verum Prior solo æquata in eam magnificentissimam, & propè admirabilem formam, quæ nunc cernitur re-

nouata, quæque nunc sola Ecclesia Metropolitana reputatur. Cæterum in vtraque per multa tempora canonorum regularium instituta viguisse, probatione non indiget. Nam quod ad Ecclesiam s. Ambrosij spectat, illius canonici vsque ad tempora Io. Andreæ Clementinarum Glossatoris regulares erant. Vide quæ ille notat in Clementina prima in verbo Monasterijs, de electione. obiit autem Io. Andreæ anno 1348. ex Cardinali Bellarm. in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis: postea verò ex regularibus facti sunt seculares. De Ecclesia sanctæ Teclæ minor potest esse difficultas, cum in antiquo Pontificali pro forma solemnis professionis à canonicis regularibus emitti solitæ, reposita fuerit forma professionis canonorum ipsius Ecclesiæ s. Teclæ. Ferunt etiam inueniri adhuc cartulas professionum quorundam illius Ecclesiæ canonorum, quas tamen non vidi, sed ex relatione virorum fide dignorum didici, qui illas fatebantur vidisse: sed & sanctus Carolus Borromæus eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus maximè laborauit, vt illam ad primæuum institutum quadantenus saltem reduceret, quòd canonicos Mediolanenses olim regulares fuisse authenticis documentis didicisset, prout in illius vita habes. Quo verò tempore canonici dictæ Ecclesiæ ex statu regulari ad secularem defecerint, hætenus non inueni: suspicor tamen circa annum 1000. id accidisse, quod coniectari licet ex his, quæ pro Ecclesia Mediolanen. reformanda gessit B. Petrus Damiani.

Preter verò Ecclesiam ipsam Metropolitanam **II.** alia multa recensentur canonici Ordinis collegia, quorū nonnulla, vel ex regularibus secularia sunt effecta, vel canonicis destituta, ad alios aliorum ordinum regulares transferunt: Alia verò licet valde pauca primæuum regularium canonorum institutum adhuc retinent. Ex his Primum est collegium s. Laurentij vetustissimum, & incolatu s. Aquilini Coloniensis canonici, & martyris, & tandem illius reliquijs decoratum, nunc factum ex regulari seculare.

Secundum est s. Stephani in Brolio nuncupatum, cuius Præposito, & fratribus Innocentius III. in hunc modum scribit: *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, Præposito, & fratribus sancti Stephani in Brolio, &c. Cum pro dilecto filio Al. Marcellino Subdiacono nostro preces vobis misissemus Apostolicas, & præceptum, vt ipsum in fratrem vestrum, & canonicum recipere deberetis, titulati Ecclesiæ vestra hoc in suum præiudicium fieri asserentes, ne procederetur &c. & infra. Si verò (quod non credimus) mandatum nostrum nolueritis adimplere, noueritis nos dilecto filio Guiscardo de Arsago. Canonico Mediolanensi in mandatis dedisse, vt vos ad ea, quæ præmisimus, exequenda per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellat.* Habetur hæc epistola in secundo libro epistolarum Innocentij Tertij, pagina 426. sed & istud etiam collegium ex regularibus ad seculares defecit.

Tertium est s. Satyri in quo antiquitus fuisse duplex

duplex collégium (sicut etiam apud sanctum Ambrosium) alterum canonicorum regularium, alterum monachorum, Basilius noster Sirenus authenticis scripturis, quas apud se habet, perhibet comprobari, quas scripturas, quoniam ego non vidi, apud illum sit fides.

Quartum sancti Barnabæ extra portam Tonsam, in quo steterit Canonici regulares sub regimine Prioris vsque ad annum circiter 1500. fatetur, qui illos vidit Augustinus Ticinensis, dum monasterij nostri Casoretani apud Mediolanum Præfecturam teneret, in secunda parte sui Dilucidarij Christianarum Religionum, & Sylvester Maurolicus in historia omnium Christianarum Religionum libro quinto, pagina 599. postea verò canonicis deficientibus, clerici regulares Congregationis sancti Pauli Decollati subintroducti, sui Ordinis prima fundamenta ibidem ponentes, Barnabiteque sunt exinde nuncupati.

Quintum sanctæ Mariæ de Crescentiaco, tertio ab vrbe milliario versus Orientem positum, quod est vetustissimum, & caput congregationis olim extitit, ut & præclarissimorum virorum seminarium, inter quos duo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales fuerunt. nunc nostræ Lateranensi congregationi vnitum, de quo infra dicendum erit.

Sextum sancti Georgij de Brinate apud Ticinum annè 20. à ciuitate milliario remotum, quod Urbanus Pontifex huius nominis Tertius ex Patricia familia de Cribellis in suo allodio paterno fundauit, & bonis patrimonialibus dotatum, Canonicis Regularibus sanctæ Mariæ de Crescentiaco donauit, quod nunc etiam, Deo adiuuante, canonici nostræ congreg. tenent. de quo infra in congr. Later.

Septimum est monasterium s. Petri de Vimo, quod idem pijsimus Pontifex, & in ordinem canonicum summo perè propensus, in alio allodio paterno excitauit, & bonis patrimonialibus similiter locupletauit teste Seuerino Calco in quadam epist. ad Io. Cribellum eiusdem collegij s. Petri de Vimo Præpositum, quæ præmittitur libro Eusebij Corradi Mediolanen. cuius est titulus: *Responsio pro venerabili, & erudito Dei predicatore D. Dominico Canonico Regulari contra quendam fratrem ord. Erem.* Ex qua etiam epist. habetur canonicos regul. in monasterio sub Præposito item regulari vsque ad annum saltem 1478. quo anno liber est impressus, permansisse. Præpositus eiusdem monasterij capitulo Provinciali apud Papiam anno 1340. celebrato interfuit, ac in eo inter Definidores capituli renunciatus. Nunc locus canonicis destitutus, monasterium destructum, Ecclesia vix superstitit, & bona illius, quæ maximos prouentus reddunt, commendata.

Octauum est monasterium Campi mortui nuncupatum à nobilissima familia de Mantegacis fundatum, constitutis in eo Canonicis Regularibus, qui per multa tempora illud tenuerunt. Nam & in læpe memorato capitulo Papiensi huius

monasterij, & illius Prioris mentio habetur. Sed quanquam esset de Iure patronatus familiæ de Mantegacis, neque alij, quàm canonici Regulariter professi ex fundatoris dispositione possent institui Priores, patronis reclamantibus, clericis secularibus est commendatum, & disciplina canonica penitus sublata.

Nonum est Abbatiale cœnobium nostræ congregationis de Casoreto 2. ab vrbe milliario foris portam Orientalem à Religiosissimo viro Petro de Tancijs anno 1405. fundatum, de quo in congr. Lateranensi.

Decimum est Abbatiale cœnobium sanctæ Mariæ Passionis nostræ congregationis inter præcipua Mediolani collegia Regularium numerandum, à Reuerendissimo D. Celso Dugnano Abbate Generali nouo perititilio magnificentissimo auctum, & alijs fabricis, tam pro vsu canonicorum, quàm etiam ad excipiendos hospites. cui operi tam præclaro Gabriel Citadinus, qui nunc eidem monasterio præest Abbas dignissimus non parum contulit, de quo in congr. Lateranensi similiter dicemus.

Vndecimum est sancti Celsi congreg. s. Saluatoris Bononiensis, quod illis concessum fuit à Paulo Quarto anno 1548. per suas datas tertio idus Martij. erat Ord. D. Benedicti ex lib. taxarum Apostolicarum.

Duodecimo tandem loco numerari potest collegium sacrarum Virginum canonicarum sanctæ Mariæ Annuntiatae nostræ congr. quod & regularis vitæ sanctimonia, & virginum primæ nobilitatis numero cum primis floret.

In ciuitate Cremonensi Ecclesia collegiata sanctæ Agathæ, cuius Præpositus vtitur insignibus Pontificalibus, à prima fundatione fuit canonica regularis, illam enim pij quidam ex Cremonensibus, proprijs sumptibus erexerunt circa annum salutis 1080. cuius regimen canonicis regularibus statim commiserunt. Eam verò Urbanus Papa II. anno 1096. sub protectione Sedis Apolliticæ recepit, quam ipse ac illius prædecessor Gregorius Septimus, nec non etiam successores Paschalis, & Calistus Secundi, Eugenius, Alexander, Lucius, Urbanus, Cœlestinus, Innocentius III. & alij multis, ijsq; amplissimis priuilegijs communiuerunt. Inter quæ præcipuum, quo nunc etiam illius Ecclesiæ Præpositi vtuntur, est priuilegium vsus mitræ, & baculi, & aliorum habituum pontificalium, quod ab Alexandro, & Lucio Tertio concessum firmavit Urbanus Tertius. In dicta Ecclesia per annos circiter quadringentos viguit disciplina canonica sub regula D. Patris Augustini, nam in priuilegio, quod Nicolaus V. anno 1452. tertio nonas Februarij Reçtori nostro Generali, & cæteris nostræ congr. Prælatis contra fugitiuos, & apostatas concessit, sic habetur: *Prælatis verò quibuscunq; tales suscipientibus, ac recipientibus, præsertim dilecto filio Bono de Vspirellis Præposito Monasterij sanctæ Agathæ Cremonensis per Præpositum soliti gubernari, qui ut asseritis nonnullos ex dilectis filijs*

Canonici Lateranensibus preterea quarundam literarum Apostolicarum recepit, ac recipere tentat, quibus literis etiam si motu proprio, & ex certa scientia à nobis emanauerint, derogamus, illasque omnino quoad Canonicos Lateranenses predictos annullamus, & pro infectis haberi volumus. Quatenus eosdem canonicos fugitiuos à se suisque locis penitus, & omnino expellere intra competentes per vos eis, & eorum singulis præfigendos terminos peremptorios studeant, & procurent &c. Verum paulatim zelo disciplinæ canonicæ frigescente, eadem canonica ex regulari effecta est secularis.

In eadem ciuitate, est cœnobium Abbatiale s. Petri septem Ecclesias Parochiales partim in ciuitate, partim in Diocesi Cremonensi, & Bergomensi sub se habens, de quo in nostra cong. Lat.

In eadem ciuitate est Prioratus s. Pauli Parochialis; in quo Prior cum duobus canonicis, & vno conuerso resident, eidem tamen Abbatiali cœnobio subiectus, & vnitus.

In eadem ciuitate, siue in illius Suburbij erat perantiquus Prioratus conuentualis, seu monasterium sanctæ Mariæ de Valle Viridi, congregationis, vt opinor, canonicorum Regularium Vallis Viridis nuncupatæ: nam dictam congregationem in Prouincijs Galliarum, & Italiæ, ac etiam vtriusque Siciliæ, viris, & monasterijs, non parum fuisse dilatatâ, testatur Syluester Maurolicus in suo libro, quem mare Oceanum omnium Religionum aditulauit pagina mihi trigesima octaua, vbi data opera de hac congregatione scribit, & inter alia illius monasteria, istud de quo nunc agimus, nominatum recenset. hoc insuper addens, prædictam congregationem non solum collegijs canonicorum, verum etiam Sacrarum Virginum Canonissarum in Italia olim abundasse: quæ res suspicandi ansam præbet, alterum monasterium Sanctimonialium eiusdem ciuitatis Cremonæ, quod Vallis Viridis dicitur, ab antiquo tempore Canonissarum dictæ congr. extitisse; quibus nihilominus deficientibus, moniales Ordinis Cisterciensium ad illud sunt translata.

In eadem ciuitate siue in eius suburbij, erat Prioratus s. Pelagiæ Ordinis canonicorum regularium s. Marci, cuius Prior nouissimus fuit M. Hieronymus Vida Cremonensis, postea Prior sancti Syluestri apud Tusculanum à nostro Abbatiali cœnobio Romano s. Mariæ Pacis pendens, demum Albæ Episcopus. nunc Seminario clericorum ciuitatis Cremonensis vnitus.

In ciuitate, ac Diocesi Laudensi fuisse olim monasteria canonici Ordinis non pauca, indicio esse potest Visitator, qui in capitulo Prouinciali Papiæ habito pro solis monasterijs in Episcopatibus Brixie, & Laudæ existens fuit destinatus. nã in actis illius capituli sic legitur: *Dominus Præpositus monasterij s. Io. de foris Brixie visitare debeat, & teneatur omnia monasteria, Ecclesias, & loca existentia in ciuitatibus, & Diocibus Brixien. & Laudens.* Verum quæ clades ciuitatem cū illius Diocesi contriuerint, ex hoc accipe, quod nõ solum omnia mona-

steria prædicta, verum etiam illorū nomina funditus ac penitus deleuerunt. est nunc in eadem ciuitate monasterium s. Romani Parochiale nostræ congr. cum Abbatia s. Mariæ de Riolo sibi vnita, de quo in Lateranensi congregatione sermo redibit.

IN Ecclesia Papiensi per sanctum Syrum Marci IV. Euangelistæ discipulum fundata clericos more Apostolico in communi viuentes institutos, præter Augustinum Ticinensem, alij quoque auctores non ignobiles affirmant. & sane ita dicendum esse conuincunt, quæ de communi vitâ clericorum primitiæ Ecclesiæ superius tradidimus, vsque ad Vrbanum Primum, & Syluestrum Primum inter omnes clericos seruata. nec illud omittendum, quod Sigonius libro decimo de Episcopis Bononiensibus in Actis Ioannis Episcopi narrat, celebratum videlicet anno 872. apud Ticinum Concilium, ac in eo definitum, vt Episcopi proximum Ecclesiæ claustrum instituerent, in quo ipsi cum clero regulariter Deo militarent. Recensentur in ciuitate, ac Diocesi Papiensi collegia canonici Ordinis non pauca, quorum nonnulla vel penitus extincta, vel illorum domus ad alios Ordines translata: quædam verò nunc etiam sub regulari disciplina perseverant, hæc autem sunt.

Primum Regale cœnobium D. Petri in caelo aureo sanctissimi Patris Augustini Reliquiarum thesauro inæstimabili ornatum, & locupletatum, quod semel sub Regula canonica fundatum, per summam rerum vicissitudinem institutum canonicorum regularium semper tenuit. de quo libro I. in fine plura dicta sunt, sed plura adijcienda, quæ in libro sequenti de congregatione Lateranensi referemus.

Secundum s. Iuentij eiusdem ciuitatis, quod collegium circa annum 1100. à quodam nobili ciue Papiensi ex familia de Caneua noua fuit institutum ea lege, vt in eo Præpositus cum septem canonicis regulariter, & communiter viuerent, secundum regulam B. Patris Augustini. Extant Innocentij Tertij literæ ad Præpositum, & fratres s. Iuentij, quibus quendam clericum in fratrem, & canonicum recipi mandat, & locum ei, & stallum in choro assignari, & etiam beneficium. Vide suspicari possumus, illos temporibus Innocentij Tertij iam à regulari obseruantia relaxatos, quamquam non taliter, vt præbendas designatas haberent: siquidem pro illo vno clerico, quem in canonicum recipere nolebant, sex alios in canonicos admiserant, vt ex forma dictarum literarum patet. Istud collegium nunculare penitus est effectum, in quo Præpositus cum paucis canonicis residere solet. Literæ Innocentij habentur libro decimo, pag. 56.

Tertium fuit sancti Ioan de Cimiterio in Suburbio ciuitatis Papien. quod licet nunc solo sit æquatum, ac penitus extinctum, constat nihilominus fuisse monasterium canonici Ordinis non ignobile, quod Lucius & Innocentius Tertius suis priuilegijs confouere, & sub protectione Sedis Apost. recipere

non

non sunt dedignati. Habetur priuilegium ab Innocentio Tertio eidem monasterio ad exemplum alterius à Lucio illius prædecessore cōcessum lib. 1. epistolarum pag. 230. cuius exemplum hic subijcere non abs re futurum existimaui. illud eiusmodi est.

Innocentius Episcopus &c. N. Præposito s. Ioannis de Cimiterio, eiusq; fratribus tam presentibus, quàm futuris canonicè substituendis in perpetuum. effectum iusta postulantis &c. & infra, & præfatam Ecclesiam s. Ioannis in Papiensi suburbio sitam, in qua diuino mancipati estis obsequio, ad exemplar fœlic. record. Lucij Papæ prædecessoris nostri sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti pagina communimus, statuente ut ordo canonicus qui secundum Deum, & B. Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quasq; possessiones &c. in quibus hæc proprijs duximus exprimenda uocabulis, locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentijs suis, Ecclesiam s. Mariæ positam in porta aurea cum omnibus pertinentijs suis, Ecclesiam s. Mariæ positam in Castello Lampbranchi cum pertinentijs suis, & plebem, quæ dicitur rete, cum omnibus pertinentijs suis. Sanè cum Generale interdictum &c. sepulturam quoque &c. obeunte uerò te &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij uicem agentis 18. Cal. Ianuarij, indictione secunda, incarnationis Dominicæ anno 1198. Pontificatus uerò Domini Innocentii Papæ Tertii anno 1.

V. **Q**uartum fuit sancti Marcelli in eadem Ciuitate, quod erat Præpositura, & erat membrum congregationis sanctæ Crucis Mortariensis, ut constat ex priuilegijs Urbani Papæ Tertij, & Benedicti Duodecimi, Præposito, & canonicis Mortariensibus elargitis, in quibus istius Ecclesiæ specialis mentio habetur. In hoc monasterio manserunt canonici Mortarienses etiam postea quàm illorum caput nostræ Congregationi fuit per Sedem Apostolicam unitum usque ad annum millesimum quinquagesimum, & supra, quos Augustinus Ticinensis, qui aliquot annos post illud tempus superuixit, fatetur se in eodem monasterio, & in habitu canonicorum regularium incedentes uidisse, & quanquam cœnobium ipsum Mortariense cum omnibus suis membris fuisset nostræ congregationi per Sedem Apostolicam unitum: ramen unio quoad hoc membrum, sicut & multa alia ob potentiorum uolentiam effectum, habere non potuit, unde tandem canonici regulares defecerunt, & bona commendata manent ibi pauci clerici seculares.

Quintum fuit sancti Victoris foris portam nouam eiusdem ciuitatis, & membrum eiusdem sanctæ Crucis Mortariensis, sub titulo præposituræ, cuius in dictis priuilegijs mentio habetur, & in quo canonicos Mortarienses in habitu usque ad supra-

dicta tempora stetisse testatur idem Ticinensis, qui illos uidit, quod postmodum successu temporis similiter periit, illius bonis commendatis. Extant quædam scripturæ in Archiuo nostro Romano ad hanc Præposituram spectantes.

Sextum est Prioratus olim conuentualis s. Spiritus de Columbina dictæ Ciuitatis, qui temporibus Alexandri Sexti, & Iulij Secundi iam erat conuentu destitutus, & cuidam aulico commendatus. Extant in eodem Archiuo nostro s. Mariæ de Pace Romano quamplures literæ Apostolicæ ad illum spectantes, cum bullis plumbeis, quas uidi, & legi. nunc est Xenodochium puerorum Orphanorum eiusdem Ciuitatis Papiensis.

Septimum est monasterium s. Petri herbæ amaræ nuncupatum, quod an esset in Ciuitate Papiensi, an in Comitatu nescio: quia illius mentionem in solis libris taxarum Cameræ Apostolicæ inueni, sub titulo monasterij Ordinis s. Augustini, quod non est dubium intelligendum de ordine canonicorum regularium.

Octauum est Præpositura s. Albini apud castrum Mortariæ. hanc præposituram Carolus Magnus fundauit in honorem s. Eusebij Vercellensis Episcopi, & Martyris, tradente Vincentio Beluacensi lib. 23. Speculi historialis cap. 169. ubi scribit: *Hortante igitur B. Albino cum ceteris Episcopis, & Abbatibus, ut Ecclesia ibi fabricari, & intersectorum corpora sepeliri iuberentur, fabricata sunt ibi duæ Ecclesiæ, una iussu Regis, quæ dedicata est in honorem B. Eusebij Vercellensis: altera iussu Regine in honorem B. Petri.* Plura ibi profequitur Beluacensis præsertim de duobus socijs, & Carolo Magno familiaribus, Amico, & Amelio, in congressu Caroli Magni cum Rege Desiderio ibidem interfectis, & tumulatis. de quibus illum consule. ac etiam supra cap. 162. & Diuum Antoninum secunda parte Historiæ tit. 14. cap. tertio in principio, & nouissimè Carolum nostrum Nouariensem Episcopum in sua Nouaria lib. primo pagina vigesimatertia, & sequentibus, nam ea pars agri, & castri Mortariensis, in qua prædictæ Ecclesiæ fuerant extructæ, ad Episcopatum Nouariensem olim spectabat, quæ nunc Viceuanensi subditur. Porro eadem Ecclesia temporum successu in honorem sancti Albini Episcopi, & Confessoris curantibus canonicis regularibus, fuit dicata. Verùm ne nominum æquiocatione decipiatis, aduerte, quatuor fuisse Albinos, sanctitate, & doctrina conspicuos, quorum duo eidem Carolo noti, & familiares extiterunt. Primus fuit sanctus Albinus canonicus regularis, & Abbas monasterij Translacensis, & deinde Episcopus Andegauensis, cuius festum agitur primo die Martij. hic Concilio Tertio Aurelianensi subscripsit. quare decipitur Trithemius in lib. trigésimo de uiris illustribus Ordinis sancti Benedicti cap. 103. illum inter monachos D. Benedicti referens, cum fuerit sancto Benedicto cœtaneus, & ætate superior. nam Concilium Tertium Aurelianense an. 537.

vt in volumine 2. Conciliorum, vel anno 540. vt Baronius tom. 7. sub illo anno, celebratum fuit. Alter fuit Scotus siue Hybernus ex instituto sancti Patritij, quem cum socio nomine Clemente ad partes Galliarum applicantem, idem Carolus, quod essent viri sanctitate & doctrina conspiciui primum honorificè suscepit, mox altero apud Parisios retento, alterum nomine Albinum Papiam misit, qui & Ticinense Gymnasium primus fundauit, in monasterio sancti Augustini commoratus, quod monasterium sancti Petri in coelo aureo fuisse reor. Hæc habentur ex historia Arelatensi. Sed clarius ex libro de Gestis Caroli Magni, quem paucis abhinc annis Henricus Canisius inter alios libros Antiquarum lectionum edendum curauit, in cuius libri initio ferè ita legimus: *Alterum verò nomine Albinum in Italiam direxit, cui, & monasterium sancti Augustini iuxta Ticinensem Urbem delegauit, vt illuc ad eum, qui voluissent, ad discendum congregari potuissent.* Tertius autem extitit Albinus Alcuinus Anglus, quem ad Carolum Magnum pro Rege Anglorum legatione functum, ille apud se retinuit, & monasterio Turonensi præfectum in honore habuit. Qui iussu Caroli Magni homilias Patrum in vnum collegit, de quo idem autor libri de Rebus gestis Caroli Magni loco citato ita subiungit: *Audito autem Albinus de natione Anglorum, quam gratanter sapientes viros sapientissimus Regum Carolus susciperet, conscensa naui, &c.* Hunc Albinum nonnulli eundem esse putant cum illo, cuius meminit Beda in Proœmio Historiæ gentis Anglorum, quod creditu difficile videtur: nam ille, cuius Venerabilis Beda ibi meminit, sanctorum Theodori Episcopi, & Adriani Abbatis discipulus fuit, & iam ætate grandæuus, & Abbas Reuerendissimus erat, quo tempore Beda librum illum scribebat, nimirum anno Domini 731. vt ex proœmio, & ex fine illius historiæ apparet. Cæterùm Carolus Magnus anno septingentesimo quadragesimo sexto, natus est, & anno 814. septuagenarius occubuit, ex Epitaphio illius Mausolæo inscripto cuius meminit Baronius tomo nono sub anno octingentesimo decimo quarto, numero octuagesimo. Adhæc Albinus ille Carolo Magno notissimus circa annum Domini 778. eodem Carolo magno Imperante, & iam apud Longobardos regnante, potissimum florebat, vt ex Continuatore historiæ Anglicanæ ipsius Bedæ deducit Baronius, sub eodem anno 778. numero 13. & sequentibus, quo tempore necesse erat, Albinum illum, cuius Beda in Proœmio librorum suorum meminit, aut vita functum, aut senio propemodum confectum extitisse. Demum Albinus, quem Beda memorat, Beatorum Theodori & Adriani discipulus fuit: At Albinus, Carolo familiaris, non Theodori, & Adriani in Cantuaria, sed Egberti Eboraci discipulus fuit, vt ille met epistola sua ad Carolum Magnum fatetur, cuius verba notauit Baronius sub eodem anno 778. nu-

mero 14. quare puto, duos fuisse Albinos natione Anglos, alterum Bedæ Sinchronum, & forsantæ ætate maiorem, qui Adriano in munere Abbatiali apud Cantuariam successit: alterum Iuniorē n., qui Eboraci Gymnasium aperuit, & postmodum in Gallias migravit, vt sint numero quatuor eiusdem nominis, Primus Episcopus Andegauensis. Secundus Anglus, discipulus Ss. Theodori, & Adriani, Abbas Cantuariensis. Tertius discipulus Egberti, qui sub Carolo magno in Gallias migravit, & Turonensi monasterio est præfectus. Quartus Scotus, siue Hybernus, qui cum socio Clemente in Gallias veniens, Papiam est destinatus. Hos Albinos Historici confundentes sæpe decipiuntur, ac decipiunt, nam Albinus, qui apud Papiam Carolo adfuit, Albinus Andegauensis esse non potuit, qui multò ante vita excefferat: neque etiam fuit Albinus Alcuinus, qui apud Turones mansit: sed Albinus Scotus, quem Vincentium per errorem, Episcopum vocare arbitror, illum Andegauensem cum isto confundentem: nisi forte & hic Quartus Albinus ad Episcopalem dignitatem fuit euectus, quod esse potuit, ob præcipuam illius doctrinam, & sanctitatem. Porro sanctus Albinus, cui prædicta Ecclesia prius sancto Eusebio nuncupata, postea fuit dicata, est sanctus Albinus Episcopus Andegauensis, quem non solum canonici regulares, verum etiam omnes populi Galliarum in magna semper veneratione habuerunt. Sed decipi Vincentium, & cum illo sanctum Antoninum secunda parte, titulo decimo quarto, capite secundo, §. decimo, ex hoc conuincitur, quod putent, Beatum Albinum Andegauensem floruisse sub Anastasio Secundo Imperatore. In hac igitur Præpositura canonicorum regularium institutum, per tempora longissima dignoscitur permanissimè. Verum ingruentibus procellis bellorum, quibus non semel Insubria conflagrauit, ipsi tandem canonici loco cedere coacti fuerunt, maximè quod campestris sit locus à Castro Mortariæ, milliario, & amplius remotus: bona verò dictæ Præposituræ nunc secularibus commendantur, sub titulo tamen Præposituræ Ordinis sancti Augustini, vt patet ex collatione facta per Pium Quintum anno 1565. pridie Idus Iunij in personam Blasij de Guarnario clerici Casalensis, cuius exemplum cum multis alijs ad eam spectantibus habetur Romæ in Archiuo nostro sanctæ Mariæ de Pace.

Nonum est monasteriū s. Crucis Mortariæ anno 1080. à Dōno Adamo Clerico Mortariensi fundatum, quod statim in magnam cōgregationem coaluit, ab Urbano Secundo, ac etiam Innocentio Secundo proprijs manibus dicatum, ab illis, & alijs summis Pontificibus ingentissimis priuilegijs munitum, sæpe destructum, sæpe reedificatum, ex quo viri sanctitate, ac etiam dignitate Illustriss. prodierunt, de quo infra in congr. Mortarien. & lib. seq. in congr. nostra Lateranen. nam nunc eidem congr. cum aliquot illius membris manet vnitum.

Deci-

VII.

Decimum est Prioratus sanctæ Mariæ de Carbonaria, membrum eiusdem monasterij, & congregationis Mortariensis, cuius in priuilegijs Innocentij Secundi, Eugenij Tertij, & aliorum sequentium Pontificum mentio habetur, sicut aliorum nonnullorum Prioratum dictæ Congregationis Mortariensis, qui olim in Diœcesi Papiensi reperiuntur, vt Prioratus sancti Petri de Cantiano nunc de Cereto monasterio s. Crucis modò vnitus, Prioratus sanctæ Mariæ apud Castrum Gemi nunc factus secularis, Prioratus s. Andreæ apud Ticinetum. de quibus inferius dicemus. Hic Prioratus de Carbonaria fuit vnitus monasterio s. Petri in cœlo aureo per Clementem Septimum anno Dom. 1524. sexto idus Aprilis.

Vndecimum est Abbatiale cœnobium s. Epiphaniij nostræ Congregationis. de quo lib. sequenti dicemus.

Duodecimum s. Stephani in Campanea extra muros Papiæ, cum Ecclesijs sibi subiectis s. Mariæ in Campo, & s. Petri in Sylua, quod erat Congregationis s. Rufi ex lib. Priuilegiorum dictæ Congregationis.

VIII. **I**N eadem Ciuitate Papiensi, est Collegium sacrarum Virginum Canonissarum, quæ reguntur per Abbatem dicti monasterij s. Epiphaniij, quod etsi non satis constare possit, quo tempore, vel à quibus primò fuerit fundatum, constat nihilominus esse perantiquum ante Pontificatû Ioannis Papæ XXII. nam idem Ioannes anno 1316. & sui Pontificatus primo, dignissimo priuilegio ipsas canonissas ibi degentes communiuit. vocatur monasteriû s. Mariæ Iosaphatis, quod in Palatio à Theodorico Rege Gothorum exstructo, in quo & Rex Alboinus habitauit, fundatum Breuentanus lib. 3. suæ historiæ cap. 1. scribit.

Ex authenticis quoque monumentis, & scripturis, quæ in eodem monasterio reperiuntur, aliud etiam monasterium canonissarum eiusdem ordinis olim fuisse, conuincitur in suburbij Ciuitatis sancti Victoris nuncupatum: adfunt enim Scripturæ, quæ illius meminerunt ante annum 1274. sed propter bellorum incurfiones, & frequentes ruinas, eadem canonissæ parum tutè se in dicto loco amplius consistere arbitratæ, sub anno 1452. eo relicto, intra Ciuitatem, & in monasterium prædictum s. Mariæ se receperunt, & illis sunt vnitæ, quarum vnionem primùm Iacobus Borromæus Papiensis Episcopus eodem anno die 22. Iulij, deinde Nicolaus V. anno sequenti 1453. secunda Ianuarij confectis literis probauit.

In Castro Mortariæ est monasterium canonissarum nostræ congregationis s. Cassiani nuncupatum, quod regitur per Præpositum sanctæ Crucis.

X. **E**cclesiam Nouariensem, cuius primus Episcopus fuit s. Gaudentius s. Eusebij Vercellensis Episcopi, & martyris discipulus, & peregrinationis Orientalis Comes indiuiduus, per eundem sanctum Gaudentium regulariter fuisse institutam, vetus & constantissima Nouariensium traditio

est, quam illius Ecclesiæ tabularia vetustissima confirmant. Adstipulatur Carolus à Basilica Petri Nouariensis Episcopus in sua Nouaria lib. 2. pag. 241. de eodem sancto Gaudentio ita scribens. *Discipulus fuit sancti Eusebij Episcopi Vercellensis, Lectoris officio in ea Ecclesia functus eo duce, & magistro vel suscepit, vel iam susceptam perfectius coluit canonicæ vitæ disciplinam, hoc ei tribuitur sacris literis, quibus Ecclesia Nouariensis eius laudes colit, ac celebrat. hæc in antiquis membranis habentur. hæc in ore Nouariensium adhuc sonant, postius in iuuentute beatus Gaudentius studiosè rectam secutus est normam canonicæ vitæ.* Hæc ille. Idem, prorsus ante illum scripserat Ioannes Baptista Plotus Iur. C. in repetitione l. si quâdo C. vnde vi, & in Indice, in verbo Nouaria. Neque verò in sola primaria, seu cathedrali Ecclesia verum etiam in omnibus parochijs monasteria clericorum idem beatissimus Pater noster Gaudentius instituit, quem admodum in eius legenda habetur, quod ipse ædificauit per parochias, monasteria, & cellas, & pater effectus est, innumerabilium clericorum. Quantum verò in eadem Ecclesia Nouariensi regularia canonicorum instituta durauerint, ex claustris canonicorum argue, quæ adhuc prope maiorè Ecclesiam intueri licet, præter innumera collegia, quorum vel ruinæ adhuc supereminet, vel saltem memoria in Cartophilacijs eiusdem Ecclesiæ, aut aliorum locorum fideliter est seruata, ex quibus vt à vetustioribus incipiamus.

Primo loco recenseri potest collegiû canonicorû nunc secularium, sed ante non multos annos regularium s. Columbani Comitatus Blandrati, quod licet modò ob veteres Comitum Blandracensium discordias cum Episcopis Nouariensibus ex Nouariensi ad Vercellensem Episcopatum autoritate Apostolica fuerit translatum, tamen ab antiquo tempore Nouariensis Comitatus, ac Diœcesis extitisse, nulli rerum Nouariensium non imperito dubiû esse potest. Istud porro collegiû regulare ab institutione primaria fuisse, tum antiquæ illius Ecclesiæ scripturæ, tum etiam præposituræ, & canonicatum vetustiores collationes adstipulantur, quibus illius Ecclesiæ beneficia vt regularia, & sub titulo Ordinis sancti Augustini conferri consueuerant. Conduuntur in Ecclesia sancti Columbani Reliquiæ sancti Sereni Episcopi Massiliensis, vt Carolo Nouariensi Episcopo placet, cuius historiam cum epitaphio illius sepulchro insculpto apud illû vide.

Secundum numerari potest s. Petri, vel s. Apollinaris loci Calpurniani vulgo Carpignani, quod ex incolarum traditione fuisse monasterium Canonicorum, scribit idem Carolus Episcopus in descriptione Diœcesis Nouariensis lib. 1. pag. 92. Ceterû illius aliquæ ruinæ hodie tantum supersunt; nec mirum, cum Nouariensis Comitatus hostilibus incurfionibus, & rapinis, duobus, vel tribus abhinc seculis nostro malo expositus semper maneat, vt mirum sit, si lapis super lapidem in illo videatur.

Tertium quoque recensetur collegium s. Spiritus

tus apud Cominiacum, de quo idem Carolus Nouariensis in descriptione Nouariæ pag. 116. hæc adnotauit. *Cominiacum, ubi Præpositura s. Spiritus redditus non mediocris olim, ut videtur, cum collegio Clericorum Regularium, qui redditus uni absentii conferuntur commendationis nomine Parochiali Ecclesiæ tenui admodum facultate relicta, à M. Cominio Iustino Cominiacum dictum videtur, cuius inscriptio antiqua in lapide adhuc legitur apud Ecclesiam Plebanam Suni.*

Quartum erat s. Mariæ de Cumignaga in ripis Verbani, ut refert Io. Philippus in lib. 3. cap. 40. verum Carolus à Basilica Petri erroris illud redarguit, quod putet monasterium illud fuisse positum in loco Cumignagæ in ripis Verbani. nam in Pago Cominiaci Plebanatus Suni fuisse arbitratur. Ceterum illud, cuius nunc ruinae cum Ecclesia Parochiali apud Cominiacum supersunt, non s. Mariæ, sed s. Spiritus vocabatur, & præter illud, aliud etiam esse potuit s. Mariæ de Cumignaga, cuius Præpositus reperitur fuisse quidam Dom. Ambrosius Mediolanensis antea Canonicus Monasterij s. Mariæ de Crescetiaco.

X. Quintum fuit Monasterium s. Mariæ de Marcelengo, quod erat membrum Congregationis s. Mariæ de Crescetiaco. huius Præpositus fuit sub Lucio tertio quidam D. Trogerius antea Præpositus dicti Monasterij de Crescentiaco. ceterum ubi illud fuerit, minimè inuenire potui.

Sextum Monasterium erat Præpositura s. Spiritus in Ciuitate Nouariæ, pro qua obtinenda antequam in dicta ciuitate erectum esset nostrum Monasterium s. Mariæ Gratiarum, supplicatum fuit Sæctis. D. N. Sixto Papæ IV. ad effectum construendi prædictum monasterium, & in supplicatione, quæ licet esset signata, effectum tamen non habuit, expositum fuit, quod dicta Præpositura solum habitu erat Conuentualis, non actu, & quod in ea solum erat Præpositus, qui vocabatur Domnus Gaudentius de Testis. Supplicatio est in nostro Archiuo Romano.

Septimum est monasterium s. Mariæ Gratiarum nostræ Congregationis. nam cum nostri Ordinis, & Congregationis Canonici in Diocesi Nouariensi multa beneficia obtinerent, quæ erant membra congregationis Mortariensis, sed nullum monasterium intra, vel propè ciuitatem, supplicatum est Romano Pontifici pro erectione dicti monasterij, & applicatione aliorum beneficiorum, & vnione monasteriorum, quæ erant in Diocesi Nouariensi ipsi monasterio s. Mariæ Gratiarum. De hoc monasterio dicemus lib. sequenti in nostra Congregatione Lateranensi.

Octauum, & Nonum monasteria sunt s. Mariæ de Aggere vulgo de Argine, & s. Stephani de Borna simul vnita, quæ prius fuerat membra, & monasteria Congregationis s. Crucis Mortariensis: Verum cum numerus Canonicorum deficeret, illa duo monasteria fuerunt ad inuicem vnita. demum per Sixtum IV. ambo sic vnita, iterum monasterio s. Mariæ Gratiarum annexa fuerunt.

Decimū, & Nonū est Præpositura s. Marthæ propè ciuitatē, cuius Præpositus cum suo monasterio recensetur in Actis capituli Prouincialis Papiensis, ac inter capituli Definitorum numeratur. Hæc Præpositura cum propter quotidianas hostium incurfiones canonicis esset penitus destituta, per Iulium Secundum anno 1511. suo Ordini fuit restituta, & eidem monasterio s. Mariæ Gratiarum vnita.

Vndecimum est Prioratus sancti Iulij de Dulzago Diocesis Nouariensis, cuius Prior interfuit capitulo Papiensi. Verum hoc monasterium canonicis multis abhinc annis destitutum, clericis secularibus, vel S. R. E. Cardinalibus commendari solet.

Duodecimum est Prioratus s. Iacobi de Strata propè ciuitatem, cuius meminit Urbanus Tertius in priuilegio facto Præposito, & canonicis sanctæ Crucis Mortariensis, cuius dictus Prioratus erat membrum. Hic Prioratus eidem monasterio s. Mariæ Gratiarum fuit vnitus per Sixtum Quartum.

In eadem ciuitate Nouariæ est collegium sacrarum Virginum canonissarum, quod regimini Prioris sanctæ Mariæ Gratiarum subiacet, illud nunc vocatur sanctæ Agathæ, ex nomine Ecclesiæ, ad quam ex alia suburbana sancti Antonij, ob imminencia bellorum pericula, fuerunt translate.

XI. In ciuitate Dertonensi est antiquus Prioratus s. Matthæi, olim membrum congregationis sanctæ Crucis Mortariensis, in quo dicta congregatio suum vltimum generale capitulum celebravit anno 1448. ut infra dicemus, nunc autem cum suo capite nostræ congr. specialiter vnitus. quem Prioratum quia nuper quidam Laici, qui precario nomine in eius Ecclesia confraternitatem quandam erigere à nostris obtinuerunt, ab ipsis fundatum inaniter iactauerunt, opportunum existimaui, illius foundationem, ac institutionem ex scripturis authentice illius monasterij acceptam, ad notitiam, & eruditionem posterorum hic fideliter notare. Nouerint igitur omnes legentes, Ecclesiam sancti Matthæi ciuitatis Dertonensis nunc monasterium nostræ congr. à quodā venerabili presbytero Terdonensi, siue Dertonensi nomine Alberto in suo prædio, quod tunc tēporis erat in Suburbio, edificatā fuisse, ac B. Petro Apostolo, & Paschali Secundo sub anno censu oblatam, qui Paschalis Secundus illam Præposito Mortariensi regendam statim concessit. Patent hæc ex literis eiusdem Paschalis II. quarum exemplum ab originali, quod in dicto monasterio seruatur, acceptum hic subiicitur.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto in Christo filio Bernardo Mortariensis Ecclesiæ Præposito salutem, & Apostolicam benedictionem. Desiderium, quod ad religiosum propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, actore Domino, sine aliqua est dilatione complendum. Albertus siquidem bonæ memoriæ presbyter Ecclesiam sancti Matthæi, quam in Terdonensi Suburbio in prædio suo suis expensis construxerat, pro-

ani-

anima suæ remedio, Beato Petro, & eius S. R. Ecclesiæ sub censu annuo sex denariorum Mediolanensium obtulit. Hanc itaque dilectæ in Christo filii Bernarde Mortariensis Ecclesiæ sanctæ Crucis Præpositi nos tibi, tuisque successoribus regendam, disponendamque committimus, ut in ea per vestra sollicitudinis studium canonici ordinis Religio statuatur, & in perpetuum præstante Domino conseruetur. Statuimus ergo, ut nulli omnino Ecclesiam ipsam temerè perturbare, aut quæcunque ipsius sunt, vel fuerint auferre, siue subtrahere, sed semper sub Apostolicæ sedis tutela, & in Mortariensis Ecclesiæ unitate, per vos disponenda permaneant, saluo Lateranensis Palatii, sicut superius continetur, censu. Si quis autem aduersus istam præsumpserit, nec Canonicè monitus satisfecerit, scias se omnipotentis Dei, & Beati Petri Apostolorum Principis indignatione plestendum; & mucrone sancti Spiritus feriendum. Quicumque vero Ecclesiam ipsam, & in ea Domino seruientes fouere, atque honorare curaueris, Omnipotentis, & Apostolorum eius gratiam consequetur. Data Laterani per manum Ioannis Diaconi, tertio Nonas Aprilis, indictione octaua, Incarnationis Dominicæ anno MCV. Pontificatus autem Domini Paschalis Papæ Secundi tertio decimo. Istud monasterium est vnitum nostræ congregationi, & ideo libro sequenti de illo sermo iterum redibit.

In Diœcesi Dertonensi erant quidam alij Prioratus ad monasterium s. Crucis Mortariensis spectantes, vt s. Ioannis apud Troncianum, & s. Mariæ apud Vesulam. Verùm isti, vt puto, facti sunt beneficia secularia, nec reperio an fuerint monasteria, vel Ecclesiæ collegiatæ.

In ciuitate Alexandrina. est Præpositura collegiata s. Mariæ de Castello, antea Mortariensis, nunc nostræ congregationis Lateranensis. In eadem ciuitate est Prioratus s. Bartholomæi, qui ad dictum monasterium mortariense nunc etiam spectat, nuncupatus tamen, & non conuentualis.

Caput vigesimumseptimum.

De Ecclesijs, & Monasterijs existentibus in Archiepiscopatu Ianuensi, & in Marchionatu Montis Ferrati.

I. **D**E Ecclesia Metropolitana Ianuensi multorum est traditio, illam antiquitus regularem extitisse, quod nunc etiam iuxta illam claustra canonicorum regulariter, & in communi viuentiũ cernantur, quod quia nullo authentico documento probare possum, vt non detrecto, ita nec affirmare ausim. Cæterum Ianuenses semper fuisse in nostrum ordinem propensissimos, monasteria tam virorum, quam fœ-

minarum ab illis extracta fatis manifestè indicant, quorum pleraque nostro seculo, licet vel diruta, vel commendata, vel ad alios ordines sint translata, satis tamen sufficiunt ad ciuium affectum erga nostros ostendendum. Porro ex Collegijs, vel monasterijs ciuitatis, & Diœcesis Ianuensis, quæ nostri ordinis olim fuisse, aut nunc etiam existerè, authenticis scripturis probare possum.

Primo loco recensendum est Abbatia Cenobiũ s. Theodori de Fasiolo extra portam ciuitatis, in via, quæ s. Petri de Arena nuncupatur. Hoc monasteriũ esse vetustissimũ, ostendunt instrumenta emptionũ, & venditionum circa annum 900. stipulata, quæ in eius Cartophilacijs seruãtur. Sed & aliud ibi reperitur scriptũ authenticum in Pergameno seu membranceo anno 1100. confectũ, quo illa Ecclesia vocatur s. Theodori, ac etiã s. Saluatoris. Hoc collegium, cum cõgregatio Mortariensis circa annũ 1100. sãctitatis opinione apud Insubres plurimũ redoleret, sese in ipsorum Mortariensium societatem adiũxit, & effectum est membrũ d. Congregationis sub titulo Prioratus, cuius meminit Innocentius II. in priuilegio concessio Præposito, & canonicis Mortariensibus anno 1134. reperitur etiam in Archiuo dicti monasterij aliud Priuilegium ab Alexãdro III. Canonicis s. Theodori concessum, quo illis indulget, vt ad processiones cõpelli non possint, s. Laurentij s. Syri, & dedicationis Ecclesiæ maioris exceptis. Datur hoc priuilegiũ anno 1168. Istud monasteriũ eidem congregationi semper vnitum mansit, cuius Prior tẽpore vltimi Generalis Capituli d. congregationis Dertonæ habiti anno 1448. erat Vicarius Generalis. demũ illud cum suo capite nostræ congregationi fuit vnitum, non solum per generalem vnionem omnium membrorum dictæ congregationis Mortariensis, sed per specialem concessionem factam à Nicolao V. anno 1451. quam anno 1457. Calistus Tertius firmavit.

Secundum collegium est Præpositura s. Mariæ in Vineis eiusdem ciuitatis, quam regularem olim extitisse, & membrum d. congregationis Mortariensis, tum claustrum adiacens, tum authenticæ illius scripturæ indicant, quas viri fide digni, qui nunc supersunt, se vidisse indubiè attestantur. ea verò ex collegiata regulari, nunc secularis est effecta.

Tertium est s. Mariæ de Albario, quod similiter erat membrum dictæ congregationis Mortariensis. nam illius Prior nomine Frater Christophorus de Castillione Generali Capitulo Mortariensi Dertonæ celebrato interfuit, vt ex actis patet, quæ inferius in dicta congregatione referemus. nunc beneficium clericis secularibus est commendatum.

Quartum est Prioratus sanctæ Mariæ de Cassinellis vno milliari distans à ciuitate, eiusdem cõgregationis Mortariensis, quod successu temporis fuit commendatum clericis secularibus. tandem anno 1451. monachi sancti Nicolai de Buschetto ordinis s. Iustinae de Padua illud à Nicolao V. impetrauerunt, expeditę fuerunt literæ vnionis 7. Idus Augusti anno 1451.

Dd iiij Quin-

Quintum Prioratus sancti Ioannis de Pauarano propè Ianuam, membrum dictæ congr. Mortariensis. nunc dictum Prioratum tenent Patres Societatis Iesu.

Sextum Prioratus s. Mariæ de Priano, qui fuit vnitus monasterio s. Theodori per Nicolaum V. anno 1453. & in bulla vnionis dicitur, quod erat membrum s. Crucis Mortariensis.

Septimum Prioratus s. Mariæ de Granarolo propè ciuitatem, & membrum eiusdem congr. quem nunc tenet fratres s. Francisci Tertij Ord. nuncupati.

Octauum s. Petri de Prato, quod distat ab vrbe Ianua per octo circiter milliaria, olim membrum s. Crucis Mortariensis, nunc commendatum.

Nonum S. Io. de Borbonino in districtu s. Petri de Arena. De ista Ecclesia, sicut de alijs prædictis extant authenticæ scripturæ in monasterio sancti Theodori Ianuæ, sicut ex relatione admodum R. P. D. Ioan. Pauli Larcarij illius monasterij Abbatis accepi, ac etiam in Archiujs Ecclesiæ s. Crucis Mortariensis, & s. Mariæ Pacis Urbis Romæ, quarum plures, ac earum originalia ipse vidi. Ista Ecclesia soluebat monasterio s. Theodori annum censum quatuor librarum ceræ. nunc est commendata.

Decimum est s. Mariæ de Cella in districtu sancti Petri de Arena. Istud monasterium erat membrum congregationis s. Mariæ de Crescentiaco propè Mediolanum, cuius extitit Præpositus quidam D. Simo de Mantegatij ante Præpositus dicti monasterij s. Mariæ de Crescentiaco, prout in Catalogo Præpositorum dicti Monasterij de Crescentiaco habetur. Verum monasterio principali igne consumpto, & ruinis bellorum euerso, ipsum quoque monasterium s. Mariæ de Cella in deterius ruere cœpit: & demum regulari obseruantia destitutum, monasterio s. Benigni de Capite Fari Ord. D. Benedicti fuit vnitum, prout notatur in libro taxarum Apostolicarum, per hæc verba: *Nota quod monasterium sanctæ Mariæ de Cella extra muros Ianuenses Ord. sancti Aug. valoris centum florenorum vnitur monasterio S. Benignio.* Verum post dictam vnionem eadem Ecclesia s. Mariæ de Cella Patribus Eremitis Augustinensibus fuit concessa, donec vigerit in illa obseruantia regularis, & hoc circa annum 1500. referente Augustino Ticinensi in 2. parte Dilucidarij, qui tunc in viuis agebat, qui etiam addit in vita B. Augustini titulo 9. in tabula, locum illum traditum fuisse Eremitis ex consensu canonicorum regularium, & sub conditione, quod cessante ibidem regulari obseruantia locus ipse ad canonicos regulares reuertatur, & de hoc extare instrumenta apertissima, quæ ego non vidi. Addunt nonnulli, in dicta Ecclesia repositas D. Augustini Reliquias, cum ex insula Sardinia Rex Luitprandus Ticinum transferendas curaret. Verum non me latet, qui Ianuensium historias scripserunt, aliter sentire.

Vndecimum est monasterium s. Michaëlis vetustissimum collegium canonicorum regularium congregationis s. R. fi, de quo in Catalogo eiusdem

congregationis, & Augustinus Ticinensis in lib. de Origine, & procurfu Christianarum Religionum. Verum istud monasterium à multis annis est commendatum clericis secularibus, & canonicis omnino destitutū, cuius vix aliqui supersunt parietes.

Duodecimum est Monasterium sancti Nicolai de Capite Montis quindecim milliariibus distans à Ciuitate, quod similiter erat congregationis s. Rufi. Verum ipsum quoque nunc commendatum aut ad alios ordines translatum.

PRæter supradicta collegia canonicorum sunt **III.** nunc in eadem Ciuitate Ianuensi tria præcipua collegia sacrarum Virginum canonissarum, quæ, & generis nobilitate, & vitæ sanctitate inter cæteras illius Ciuitatis Sanctimonialia magna cum laude florent. Primum est sanctæ Mariæ Gratiarum, ex quo fuit Domna Ioanna Baptista, cuius meditationes, & libri spirituales, qui typis editi circumferuntur, ingenium sublime, ac pijsimum, & sexus conditionem superans Solis luce clarius ostendunt, excessit ex hac vita circa annum 1585. magna sanctitatis opinione apud totam ciuitatem relicta. Secundum est s. Andreæ. Tertium s. Bartholomæi, quæ omnia per Abbatem s. Theodori, & Prælatos nostræ Congregationis reguntur.

In Diocesi Sauonensi fuisse olim monasteria ex ordine canonicorum Regularium conuincitur ex actis capituli Papiensis, in quibus sic legitur, *Domini Præpositus S. Petri de Ferraria Albensis Diocesis, teneatur, & debeat visitare omnia monasteria, Ecclesias, & loca Conuentualia dicti Ordinis existentia in Ciuitatibus, & Diocesisbus Albensi, Assensi, Sauonensi, Secusensi, & in tota Prouincia Ianuensi.* Verum quænam illa fuerint, vel vbi extiterint, ad notitiam meam non peruenit, recensetur in priuilegijs Alexandri III. & Lucij III. Ecclesia s. Ioannis de Vadio cum titulis suis attinens ad Præposituram s. Laurentij de Vltio, de qua infra dicemus.

IN Marchionatu Montis Ferrati Ecclesia Casalensis s. Vasiij olim Ecclesiæ Vercellensi subiecta, sed in Episcopalem postmodum erecta, ab institutione fuit canonicorum Regularium. Habetur ex Innocentij Papæ Tertij epistola ad Episcopum Vercellensem, quæ est in secundo lib. pag. 414. in qua præcipit cassari electionem à capitulo Casalensi factam tempore interdicti, quo illi nonnullos scholares in suos fratres, & clericos dictæ Ecclesiæ elegerant. quo autem tempore postea facta fuerit ex Regulari secularis, mihi incompertum.

In Diocesi Casalensi in loco, qui dicitur Mons Cretæ est Abbatiale cœnobium nostræ congregationis s. Mariæ de Creta nuncupatum, quod olim Illustrissimi Marchiones Mōris Ferrati fundauerant sub titulo Prioratus, & sub ordine canonicorum Regularium, quodque per temporum interualla commendatum, ad alium ordinem transferat. Verum curantibus iisdem Marchionibus suo ordini restitutum.

In eadē Diocesi refertur ab autore supplementi Chro-

Chronicorum Iacobo Philippo Bergomenfi lib. 12. sub anno 985. monasterium sub titulo sanctæ Mariæ in loco Vizulani, quod ijdem Marchiones ordini canonicorum regularium D. Augustini ædificauerunt, habens ex prouentibus singulo anno ducatos 6000. quod monasterium nunc videtur destructū, & illius bona commendata.

In eadem Diœcesi est antiquus Prioratus s. Andree de Castelletto nuncupatus propè Castrum s. Saluatoris, olim membrum congregationis Mortariensis, vt colligitur ex priuilegio Urbani Tertij facto Nicolao Præposito Ecclesiæ s. Crucis Mortariensis, & illius fratribus calend. Iulij 1187. hic Prioratus per Sixtum Quartum vnitus fuit præposituræ s. Mariæ de Castello Alexandria per suas datas calend. Februarij ann. 1482.

In eadem Diœcesi Casalensi est Prioratus s. Agathæ Pontis Sturæ membrum s. Crucis Mortariensis, cuius Prior nomine frater Zaninus Capitulo Generali congregationis prædictæ anno 1448. Dertonæ celebrato, interfuit, nunc monasterio sanctæ Mariæ de Creta vnitus, habet annexam curam animarum. manet in eo Prior cum vno canonico.

V. **I**N Diœcesi Albensi erat monasterium s. Petri de Ferraria vocatum, cuius Præpositus in Capitulo Prouinciali Papij anno 1340. celebrato creatus fuit Visitator monasteriorum, & Ecclesiarum, & locorum conuentualiū in Episcopatibus, & Diœcesibus, Albensi, Astensi, Taurinensi, Sauonenfi, & in tota Liguria. nunc commendatum, & canonicis omnino destitutum.

In eadem Diœcesi est Archipresbyteratus s. Petri ad Neuias cum capellis s. Michaëlis, & s. Iuliani, membrum s. Crucis Mortariensis, cuius Archipresbyter eidem Capitulo Generali anno 1448. interfuit, nunc vnitus monasterio Abbatiali s. Mariæ Nouæ Astensis nostræ congregationis.

In eadem Diœcesi recensetur Prioratus s. Stephani membrum congregationis s. Laurentij Castri Vltij, cuius fit mentio in priuilegijs Alexandri Tertij eidem monasterio s. Laurentij concessis anno 1172. & 1183.

In Diœcesi Aquensi erat Prioratus s. Thomæ cum pertinentijs, & capellis suis. Item Prioratus s. Michaëlis de Ripalta cum Ecclesia S. Georgij de montibus, omnes spectantes ad præposituram, & congregationem s. Laurentij de Vltio, quorum in dictis priuilegijs Alexandri Tertij, & Lucij Tertij, mentio specialis habetur.

In eadem Diœcesi Aquensi Prioratus s. Ioannis de Nicia Palearum aliàs, apud Lauerias. erat membrum Congregationis Mortariensis, cuius Prior nomine frater Adeodatus de Titonibus vltimo capitulo Generali interfuit. nunc commendatus. quidam clericus secularis in nostris Comitijs Generalibus anno 1592. celebratis de illo ad fauorem nostræ congregationis resignando tractatum habuit, sed cur tractatus effectum habere non potuerit, incompetum habeo.

In eadem Diœcesi erat Prioratus s. Trinitatis

apud Gamundium, cum Hospitali s. Rainerij sibi vnito, cuius in priuilegio Eugenij Tertij Præposito, & canonicis Mortariensibus concessio fit mentio, modo commendatus, & canonicis omnino destitutus.

Caput vigesimumoctauum.

De Ecclesijs, & monasterijs Ordinis Canonicorum Regularium in Archiepiscopatu Taurinensi, & Principatu Pedemontium consistentibus.



ECclesiam Taurinensem olim Episcopalem, nunc Metropolitanam superiori seculo, & in antea regularem fuisse, ac in ea canonicos sub B. Augustini regula viuentes degisse, ostendit Practica, siue formularium Cancellariæ Romanæ Apostolicæ edita sub Alexandro Sexto anno vndecimo sui Pontificatus, & Romæ impressa apud Ioannem de Besicken anno Domini 1503. nam fol. 120. pag. 2. ponens formam titulorum, qui præmittendi sunt in literis Apostolicis, quæ diriguntur ad canonicos regulares, in hunc modum exemplificat: *Dilecto filio Ioanni An. canonico Ecclesiæ Taurinensis Ordinis s. Augustini.* Et notandum, quod omnia exempla canonicorum, & Ecclesiarum regularium, quæ ponuntur in dicta Practica, quæ plurima ibid. intueri licet, ponuntur in personis, & locis, quæ verè, & propriè erant Ordinis D. Augustini, vt patet inductione per singula, quare non est dubiū, ipsam Ecclesiam Taurinensem vsque ad Alexandrum Sextum nomine saltem, ac titulo regularem extitisse. Porro in Diœcesi Taurinensi multa recensentur collegia canonici ordinis, quæ tamen ferè omnia vel cladibus bellorum, vel hominum incuria, corruerunt, & illorum bona vel ad alios ordines, vel ad manus secularium personarum deueniunt, nam

In Diœcesi Taurinensi in oppido Cherij erat præpositura s. Andree congregationis Mortariensis, quam fundauit Magister Rolandus Domini Papæ Capellanus, & dicti oppidi oriundus. hic enim pius, & venerabilis sacerdos cum vnico filius, & hæres parentum suorum existeret, pro remedio animæ suæ, & parentum suorum, de bonis per propriam industriam acquisitis, ac etiam ex paterna hæreditate, circa tempora Alexandri Tertij monasterium canonicorum sub inuocatione s. Andree in dicto oppido fabricauit, quod optimis redditibus dotatum canonicis s. Crucis Mortariensibus statim obtulit, statuens ibi certum numerum canonicorum, ad diuina officia perpetuis futuris temporibus inibi celebranda, & ad dictam Ecclesiam regendam, initis etiam cum communitate Cherij certis pactis, & conuentionibus, quæ dicta

com-

communitas promisit inuiolabiliter obseruare, & iura ac possessionem dicti monasterij pro viribus tueri, quæ omnia fuerunt per Sedem Apostolicam firmata, scripturis authenticis in Archiuis dictæ communitatis per multos annos seruatis, quæ nunc forsitan ibidem reseruantur. Tenuerunt Mortarienses canonici dictam Ecclesiam multis annis. Verum sæuiente diro schismate, quod anno 1378. inchoatum vsque ad 1427. durauit, cum serè omnia monasteria regularium collaberentur, & personis regularibus destituerentur, ipsa quoque conuenienti canonicorum numero est destituta, remanente ibidem Præposito nomine Antonio, viro simplici, ac sene, quem Abbatisa cum monialibus s. Mariæ de Stiulato eiusdem loci Cherij blanditijs illexerunt, vt absque licentia Præpositi Mortariensis ad illarum fauorem præposituram resignaret, & ita per subreptionem à Ioanne XXII. Pontifice in schismate creato eandem Præposituram sibi vniri impetrauerunt anno Domini 1413. Verum cum de nullitate vnionis dubitaretur, iterum pro illius confirmatione Domino Papæ Eugenio supplicauerunt: sed cum monasterium Mortariense cum omnibus suis membris fuisset nostræ congregationi vnitum, Rector Generalis anno 1456. pro dicta Præpositura recuperanda litem inchoauit, sententiam fauorabilem obtinuit, à qua per Abbatisam, & moniales fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, ac eidem exposito, quod ipsæ moniales à quadraginta annis, & supra fuissent in pacifica possessione dictæ Præposituræ, obtinuerunt à Calisto Tertio rescriptum ad Episcopum Taurinensem, & Præpositum Taurinensem, & s. Mariæ de monte Calerio, quatenus confitito de pacifica possessione quadragenaria, illas in d. possessione manutenerent, & parti aduersæ silentium imponerent. Præpositus verò Taurinensis sine legitimis probationibus, & contra rei veritatem eas in quadragenaria pacifica possessione mansisse declarauit, à qua sententia per nostros ad Sedem Apostolicam appellatum, & negotium in longum tempus protractum. Cæterum superuenientibus guerris nostri ad alia intenti rem inconfectam dimiserunt, & dicta Præpositura est amissa, sicut aliæ quamplures, quæ vel ad laicos transferunt, vel beneficia clericorum secularium sunt effecta, & hæc omnia ex authenticis scripturis Romæ in nostro monasterio s. Mariæ de Pace seruatis sunt deprompta.

II. **I**N eadem Diocesi erat altera Præpositura sancti Andree de Braida in capitaneatu tamen Astensi, & membrum eiusdem cõgregationis Mortariensis. Hanc præposituram siue alias Prioratum sub Calisto Secundo, Robaldus miles fundauit, & canonicis Mortariensibus obtulit, eamq; Calistus Secundus sub protectione sedis Apostolicæ recepit. meminit illius Innocentius Secundus in priuilegio, Præposito, & canonicis Mortariensibus anno 1134. concessio, ac etiam Vibanus Tertius, & Ioannes XXII. fuit autem dicta præpositura successiuis temporibus semper à Præposito Mortariensi, dum

vacabat, collata vsque ad annum 1497. quo anno defuncto D. Georgio de Marchesijs, Præpositus Mortariensis illam contulit cuidam D. Bernardo canonico eiusdem monasterij Mortariensis. Verum, Cardinalis tituli sancti Clementis tunc Episcopus Taurinensis vigore indulti à Sede Apostolica sibi facti eam contulit cuidam Magistro Stephano de Zaramellis abbreviatori, & solicatori literarum Apostolicarum, & vtraque collatione ab Alexandro Sexto per signaturam supplicationum firmata, beneficium factum fuit litigiosum, sed D. Bernardus sententiam fauorabilem obtinuit in Curia Romana, à qua cum fuisset appellatum, iterum Præposituram obtinuit in forma gratiosa de an. 1502. ex authenticis scripturis in nostro Archiuiio Romano repertis: postea supplicatum fuit Domino Papæ, vt dicta Præpositura vniretur Ecclesiæ s. Syluestri Ciuitatis Astæ, supportatis tamen oneribus curæ animarum.

In Ciuitate Taurinensi erat conuentus canonicorum regularium congregationis s. Laurentij de Vltio, & alter conuentus eorundem canonicorum regularium in Diocesi Taurinensi, & aliæ viginti circiter Ecclesiæ, omnes serè parochiales, eiusdem congregationis s. Laurentij, quorum fit mentio in priuilegijs Præposito, & canonicis dictæ Ecclesiæ per Summos Pontifices concessis, præsertim in priuilegijs Alexandri Tertij anno 1172. & Lucij Tertij 1183. emanatis.

In eadem Ciuitate Taurinensi est præcipuum collegium sacrarum Virginum s. Crucis nuncupatum nostræ congregationis, quod celebri fama sanctitatis floret.

IN Castro Vltij vulgo Orso Diocesis Taurinensis, sed in Delphinatu positi, est supradicta præpositura s. Laurentij, quæ olim erat caput congregationis: nam in actis Capituli Generalis dictæ Congregationis anno 1342. celebrati, viginti septem Prioratus cum suis familijs sub se habuisse reperitur. Huius Præposituræ foundationem Iacobus Philippus Bergomensis lib. 12. supplementi sub anno 985. refert in Marchiones Montis Ferrati. Verum ex relatione canonicorum illius Ecclesiæ nunc ibidem commorantium rem se aliter habuisse inferius dicemus. Viget nunc etiam in eadem canonice regulare institutum, licet aliquantulum relaxatum.

In Castro Secusiæ, quod olim Seuciam vocatum reperio, in finibus Italiæ, & Delphinatus Prouinciæ Galliarum, est Ecclesia s. Mariæ canonicorum regularium Ordinis s. Augustini dictæ congregationis s. Laurentij de Vltio, quam Ecclesiam Cuni-bertus Episcopus Taurinensis anno 1065. dictis canonicis s. Laurentij, ac illorum Præposituræ vnuit, quæ in Castro Secusiæ vicem gerebat matricis, & Ecclesiæ Episcopalis.

In eodem Castro Secusiæ est Præpositura conuentualis nostræ congregationis s. Iusti nuncupata, quæ anno 1057. ab Adalcida Manfredi, & Bertæ Secusiæ Marchionum, qui eam prius inchoauerant, ad perfectum reducta, prædictis canonicis s. Laurentij

rentij fuit donata, quibus post aliquot annos D. Benedicti Monachi successerunt. tandem ad Canonicos Regulares reuersa, nostræ Congregationi ab annis circiter quadraginta est vnita. In Ecclesia s. Iusti multa corpora Sanctorum, de quibus in congregatione Lateranensi fufius dicemus.

In ciuitate Salutiarum ex actis dicti Generalis Capituli congregationis s. Laurentij anno 1342. habitus, erat Prioratus Cœnualis dictæ congregationis, cuius Prior cum tribus canonicis eidem capitulo adfuit.

In oppido Auilliano eiusdem Diœcesis, vt puto, erat alius Prioratus dictæ congregationis, cuius Prior cum tribus canonicis eidem capitulo similiter interfuit.

In oppido Rauelli Marchionatus Salutiarum erat alius Prioratus, cuius Prior cum quinque canonicis dicto capitulo interfuit, & fortè plures alij Prioratus in eisdem actis nominati in districtu dicti Marchionatus, vel in finibus Pedemontium erant constituti.

IV. **A**stensis Ecclesia cathedralis ab institutione fuit regularis, ac in ea instituta regularia per longa tempora viguerunt, si vera sunt, quæ de illa Ioannes Philippus noster lib. 3. cap. 23. scribit, suo tempore adhuc superfuisse illud Dormitorium, & Cellas Canonicorum.

In ciuitate Astensi est Cœnobium Abbatiale s. Mariæ Nouæ nostræ congregationis, quod prius erat Prioratus congregationis Mortariensis, sed vnitus nostræ congregationi per Sixtum Quartum anno Domini 1473. Abbatiali dignitate ornatus per Pium Quartum, de quo in congregat. Lateranensi.

In Diœcesi Astensi apud castrum s. Martini est Prioratus s. Mariæ cum capella s. Martini annexa, olim membrum congregationis sanctæ Crucis Mortariensis, & per canonicos dictæ congregationis regi solitus vsque ad annum 1498. quo anno defuncto fratre Carolo de loco Gouoni, vltimo canonico dictæ congregationis, nobiles de Solario tunc Domini locorum Gouoni, & sancti Martini dictum Prioratum occupauerunt, afferentes illum esse de iure Patronatus illorum familiarum, & cum Præposito Mortariensis quendam D. Matthæum Astensem nostræ congregationis canonicum dicti loci Priorem institisset, illi ab adipiscenda possessione eum violenter impediuerunt. tandem concordatum fuit cū dictis nobilibus de Solario, vt Prioratus eis cederet, & illi vice versa monasterio s. Mariæ nouæ Astensis octo saccos tritici, & duo plaustra vini quotannis soluerent, & Prior de nouo eligendus, Præposito Mortariensi confirmandus præsentaretur, & illius correctioni subesset: & ita supplicatum fuit, & obtentum.

V. **E**ccliam Vercellensem temporibus B. Eusebij Episcopi, & martyris regulariter fuisse institutam ostendimus supra cap. 1. auctoritate D. Ambrosij Episcopi Mediolanensis, quæ quo tempore ab obseruantia Regulari defecerit, hætenus non vidi.

In ciuitate Vercellensi est Cœnobium Abbatiale sancti Andree per Cardinalem Gualam de Bi-

cherijs anno Domini 1224. fundatum Castris, Villis, & magnis prædijs tributis dotatum, & inter omnia cœnobia illius Prouinciæ præcipuum, nostræ congregationi vnitum, de cuius fundatione, & progressu lib. sequenti dicetur.

In eadem ciuitate erat Præpositura conuentualis sancti Gratiani membrum sanctæ Crucis Mortariensis, cuius Præpositus per Præpositum, & Canonicos Mortarienses semper institutus fuerat, vsque ad 1480. vel circa, quo tempore Sixtus Quartus ad instantiam fratris Petri Riarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis eius nepotis, dictam Præposituram canonicis Mortariensibus abstulit, & illius bonis mensæ Episcopali applicatis, monasterium monialibus ordinis sanctæ Claræ concessit, quæ nunc etiam illud tenent.

In eadem ciuitate erat monasterium sancti Bartholomæi sub titulo Præposituræ, cuius canonicum cuiusdam Cardinalis s. Cæcilie nepotem, Ioannes assertus Papa XXIII. anno tertio sui Pontificatus creauit Priorem monasterij s. Laurentij Hipporediensis, quod erat membrum s. Crucis Mortariensis: ea tamen lege, vt dictus canonicus ad Mortariensem Ecclesiam accedens in canonicum Mortariensem reciperetur, & sub obedientia Præpositi Mortariensis constitueretur, & viueret. Extant literæ Apostolicæ ea de re confectæ in nostro Archiuo Romano. Perseuerauerunt autem canonici Regulares in dicto monasterio, vsque ad annum saltem 1512. teste Augustino Ticinense. Verum ingruentibus tumultibus bellorum iidem canonici, quod extra ciuitatem esset positum, illud tandem deseruerunt, & sic illius bonis commendatis, monasterium concessum fuit fratribus Iesuatis, qui nunc illud inhabitant.

Prope eandem ciuitatem, eodem Ticinensi referente, erant Prioratus s. Bernardi, necnon Ecclesia s. Mariæ de Vezulano, & Ecclesia s. Mariæ Cremaschi, quæ nunc sunt commendatæ, vel alijs Ecclesijs vnitæ.

In Diœcesi Vercellensi erat Prioratus s. Mariæ apud Blancheram congregationis Mortariensis, cuius mentio habetur in Archiuo dicti monasterij Mortariensis. Verum ad aliorum manus ille quoque peruenit.


In ciuitate Vercellensi erat Præpositura s. Stephani de Citadella, quam Paulus Tertius, anno 1536. resignante Bonifacio de Ferrerijs S. R. E. Cardinali, nostræ congregationi vniuit. Verum circa annum 1581. cum Serenissimus Sabaudia Dux ciuitatem, & arcem, intra quam dictum monasterium erat constitutum, in meliorem formam, & magis tutam reformari iussisset, illud solo est equatum, ac illius vice Præpositura s. Iusti apud Secusiam nobis vnita.

Apud Hipporediam ciuitatē erat Prioratus conuentualis s. Laurentij, ac membrum congregat. Mortariensis. in d. Prioratu de anno 1502. adhuc residebant canonici Regulares, quo tempore August. Ticinensis Rector Generalis nostræ congregationis pro restitutione dicti monasterij, vt pote membri congrega-

gregationis Mortariensis, quod cum suo capite nostrę cōgregationi fuerat vnitū, Alexand. VI. preces supplices porrexit, licet ob mortem Alexandri statim secutam, vno, seu restitutio effectum non habuerit: ac exinde succedentibus guerris ipse Prioratus fuerit canonicis omnino destitutus, ac illius bona vel commendata, vel rapinæ exposita. Extant in Archiuo Mortariensi, ac etiam Romano plures scripturæ authenticæ ad dictum Prioratum attinentes.

Caput vigesimumnonum.

De Ecclesijs, & Monasterijs, quæ sunt, vel fuerunt olim in Regnis vtriusq; Siciliae.

I.  Vo tempore Beatus Gelasius Valerij filius, & s. Augustini discipulus canonicam institutionem, à beato Augustino instauratam, Romam deferens in Lateranensi Basilica plantauit, eodem prorsus Sanctissimi Episcopi Quoduultdeus Carthaginensis, Gaudiosus Bitinensis, cum maxima multitudine Episcoporum, Sacerdotum, & aliorum clericorum nauigijs sine velis, & remigijs impositi, & ad manifestum naufragium ex Africa pulsi, vt Victor Vticensis lib. 1. scribit, magno Italarum emolumento sospites Neapolim Campaniæ Urbem, Deo Duce, applicantes, eandem Augustinianam reformationem primum in ipsa Ciuitate, ac exinde per alias omnes vtriusq; Siciliae provincias propagauerunt. Nam quod ad Neapolitanam Urbem attinet, duo ibidem clericorum secundum beati Augustini Regulam viuentium collegia ab illis fuisse instituta, antiqua illius Ecclesiæ tabularia, necnon etiam ciuitatis monumenta verissimè testantur. quorum Primum fuit s. Ioannis maioris, quod vt superius dictum est, per Magnum Constantinum ædificatum, & per beatum Syluestrum Papam, clericis more Apostolico viuentibus ibidem constitutis, fuerat dedicatum. Constitisse verò in eadem Ecclesia s. Ioannis Maioris ipsum sanctum Quoduultdeum cum multis sacerdotibus, & clericis ex Africana persecutione profugis, ac in ea beatissimi Patris institutum exisse, illudq; multis seculis in eadem Ecclesia viguisse, tum historia ipsius sancti Quoduultdei, tum Neapolitanæ Urbis historia à Ioanne Villano, & Ioanne Antonio Summuntio exarata, quarum supra cap. 11. meminimus, aperitissimè testantur, vt Augustinum Ticinensem nostrum omittamus in libello de Origine, & Procursu Christianarum Religionum hæc scribentem. *Hi omnes Vuandalicam persecutionem fugientes sicut in gestis B. Quoduultdei legitur, Parthenope commigrarunt ex Africa, & in Ecclesia s. Ioannis Maioris canonicum ordinem erexerunt: Quo verò tempore disciplina canonica ibi defecerit, authentico*

documento non licuit inuenire: sed hoc scire parum retulerit. Alterum collegium illud fuit, quod beatus Gaudiosus in suburbio eiusdem ciuitatis instituit Neridanum vocatum, in quod cum plerisque sacerdotibus, & clericis Africanis sese recipiens, sancto ibidem sine requieuit. de quo cum libro primo multa dixerimus, superfluitatem vitantes, ad illum legentes remittimus, hoc vnum aduertentes, Iobi Iosephum Mozzagrugnum, dum scribit lib. 7. de rebus gestis canonicorum regularium: *Ecclesia parochialis s. Agnelli Maioris de Neapoli fuit primitus in honorem Beatae Virginis fabricata à B. Gaudioso Bitinensis Ecclesiæ apud Africam Episcopo, cui addito conuenienti cenobio, in eo Abbatem monachorum constituit Beatum Agnellum, quem à pueritia in Dei timore, & cælesti eruditione edificauerat, qui optimi Magistri emulatur effectus, tandem virtutibus, & miraculis clarus, anno ætatis suæ 61. Domini verò 1076. die 14. Decembris sanctissimè ab hoc seculo migravit &c.* in quibus verbis, quod illius pace sit dictum, vix tot dictiones reperiuntur, quot errores. Primus, dum putat, Ecclesiam à B. Gaudioso ædificatam illam esse, quæ nunc intra ciuitatem s. Agnelli dicitur, quam canonici congregationis s. Saluatoris Bononiensis tenent. nam illa non intra ciuitatem, sed in suburbio, quod Virginum dicitur, fuit extructa, in loco, quem fratres Prædicatores tenent, & in quo Ecclesiam sub inuocatione beatæ Mariæ de Sanitate nuper erexerunt. Vide Baronium in notis ad Martyrologium Romanum sub die 28. Octobris, & Paulum Regium Vici Episcopum in Vita s. Agnelli Italico idiomate descripta. Secundus est, beatum Gaudiosum monasterium monachorum instituisse, esto enim successu temporum illud ad monachos deuenit, tamen quos ibi s. Gaudiosus collegit, non monachi fuerunt, sed vel Episcopi, vel Sacerdotes, & clerici, vt ex historia Victoris Vticensis liquet. Tertius licet non eius peculiaris, beatum Agnellum illius monasterij Abbatem fuisse per ipsum s. Gaudiosum institutum, quomodo enim id esse potuit, cum Gaudiosus anno 440. Neapolim Episcopus peruenit, Agnellus verò sexagenarius anno 576. secundum Paulum Regium, aut sub Pontificatu sancti Gregorij Papæ secundum Baronium in notis ad Martyrologium die 14. Decembris obiit? Quartus est, beatum Agnellum à sancto Gaudioso eruditum anno 1076. die 14. Septembris obiisse, quod vel errorem Typographi, vel imperitiam auctoris conuincit.

Pater supradicta collegia, in quibus disciplina canonica iam ante plura secula defecit, est tertium collegium, illudq; vetustissimum, quod sancti Petri ad Atram dicitur, & est Abbatiale cenobium nostræ congregationis Lateranensis, de cuius antiquitate, & priuilegijs nonnulla in sequentibus dicemus.

Quartum est sanctæ Mariæ Pediscryptæ nostræ congregationis, tum loci sanctitate, tum aëris amoenitate, ac salubritate super alia dictæ ciuitatis loca

loca frequentatissimum . de quo vide lib. sequenti in Congregatione Lateranen.

Quintum est sancti Agnelli maioris, quod à B. Gaudio Bitinensi Episcopo exstructum Iosephus Mozzagrugnus perperam affirmat. puto fuisse monasterium monachorum, verum monachis destitutum à Leone Decimo Congregationi canonicorum regularium sancti Saluatoris Bononiensis ann. 1517. fuit vnitum.

Sextum est sanctæ Mariæ de Capellis, quod cum prius esset ordinis D. Benedicti ex libro Taxarum Apostolicarum, eidem Congregationi fuit concessum à Paulo III. anno 1549. die 9. Aprilis.

Præter supradicta Collegia est in eadem Ciuitate Collegium sacrarum Virginum canonissarum, quod S. Mariæ Reginæ Coeli dicitur, & numero canonissarum, & generis nobilitate, & morum probitate inter cætera sacrarum Virginum illius Ciuitatis præcipuum, cuius regimem spectat ad Abbatem sancti Petri ad Aram, & ad superiores ex nostra Congregatione.

III. **I**N Diocesi Nolana, & propè Ciuitatè est Prioratus Conuentualis nostræ Congregationis sanctæ Mariæ ad Parietem vocatus, de cuius fundatione vide lib. sequenti.

In Ciuitate verò Nolana est collegium insigne canonissarum nostri ordinis, quod vulgo collegium nuncupatur. fundauit illud Comes Nolanus anno 1213. vt ex Archiuis dictæ ciuitatis colligitur. Perseuerat in eo regularis obseruantia cum magna laude, & quæ in illud recipiuntur, ferè omnes nobiles sunt vel ex ciuitate Nolana, vel etiã Neapolitana.

In Diocesi verò Nolana in oppido, quod Laurum vocatur, est aliud collegium canonissarum, nostri ordinis, quod Comitissa Nolana vxor dicti Comitæ paulò antè fundauerat, & mille aureorum annuorum redditibus à prima fundatione dotaue- rat. quod nunc etiam sub canonica disciplina floret.

IV. **E**Cclesia Beneuentana Metropolitana ferè vsq; ad nostra tempora regularis mansit, cuius canonici tempore quadragesimæ præsertim maioris hebdomadæ, cappas nigras more canonicorum nostræ Congregationis Lateranensis in Choro detulerunt vsque ad annum circiter 1610.

In ciuitate Beneuentana est cœnobium Abbatiale s. Modesti nostræ congregationis, quod sub se nonnullas Ecclesias Parochiales habet, in quibus Abbas dicti monasterij iurisdictionem ordinariam exercet.

In eadem ciuitate erat vetus monasterium canonicorum regularium, cuius fit mentio in quodam priuilegio Alexandri Tertij, ac etiam Gregorij IX. quod vbi esset, vel quo titulo nuncuparetur, videre non potui: quia integrum priuilegium non habui, sed tantum illius fragmentum, quod refert Ioannes Marquez in suo libro de Origine Fratrum Eremitarum c. decimoquarto §. 8. ad sui ordinis Eremitici antiquitatem probandam, licet non efficaciter, cum verba priuilegij sint: *Cum in Ecclesia vestra*

fit ordo canonicus secundum Deum, & beati Augustini regulam nouiter institutus. Hoc priuilegium dicit reperiri in Bibliotheca Vaticana inter Bullas Gregorij Noni numero 97. sed parum retulerit illam videre. fuisse verò in Episcopatu Beneuentano monasteria canonicorum regularium anno millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, constat ex Actis Capituli eo anno Eugubij celebrati, in quo Prior sanctæ Mariæ Nouæ de Vrbe ad illa visitanda fuit designatus.

In eadem ciuitate est monasterium sanctæ Sophiæ, quod Clemens Octauus anno 1595. canonicis regularibus congregationis sancti Saluatoris Bononiensis vniuit, cum esset prius monasterium ordinis monachorum sancti Benedicti.

In Diocesi sanctæ Agathæ Metropolis Beneuentanæ ex libro Taxarum Camera Apostolicæ est monasterium sancti Mennæ, sed canonicis destitutum, & commendatum, sicut alia innumera in regnis vtriusque Sicilia, quorum vix nomen, ac ne vix quidem inuenitur.

In eadem Diocesi in oppido, quod vulgo appellatur Rienso, est collegium canonissarum nostri ordinis vetustissimum, quæ sub regulari obseruantia, ac etiam sub regula, & habitu canonico satis laudabiliter perseuerant.

V. **I**N Diocesi Melphitana sunt quædam beneficia canonicorum regularium, quæ destituta canonicis, sunt vnita mensæ Episcopali, vt ex Archiuis dictæ Ecclesiæ colligitur.

In ciuitate Brundisio est Ecclesia sancti Sepulchri olim congregationis canonicorum regularium sancti Sepulchri Ierosolimitani, cuius fit mentio in literis Cœlestini Secundi Petro Priori, & illius fratribus sancti Sepulchri Ierosolimitani directis anno 1143. Verum congregatione extincta, dicta Ecclesia cum alijs multis in eodem Regno existentibus est commendata.

In oppido Barletæ Ecclesia sancti Sepulchri cum suis pertinētis ad prædictam congregationem spectabat, ex dictis literis Cœlestini Secundi, quæ similiter manet commendata, vel ordini equestri sancti Ioannis Ierosolimitani vnita, vt multæ aliæ Ecclesiæ eiusdem congregationis.

In ciuitate Venusina Ecclesia sancti Nicolai ad prædictam congregationem spectabat, vt ex dictis literis colligitur, quam Episcopus quidam Venusinus eidem donauerat.

In ciuitate Troiæ siue iuxta illam Ecclesia sancti Sepulchri erat dictæ congregationis, quam nunc tenent equites sancti Ioannis Ierosolimitani, & similiter Ecclesia sancti Theodori iuxta portam ciuitatis Beneuentanæ, ex dictis literis Cœlestini Secundi.

In eadem ciuitate Troiæ monasterium sancti Nicolai fundatum per Nicolaum Decanum Ecclesiæ Troianæ, de quo Innocentius Tertius in epistola ad Archiep. Sipontinum libro primo fol. centesimo nonagesimo octauo.

In Diocesi Mileteni provincie Regine in Calabria Prioratus insignis sancte Mariæ de Balnearia, vulgo della Bagnara membrum Abbatie s. Mariæ de Gloria, de quo vide lib. 3. cap. 30.

In actis Capituli Provincialis Eugubij celebrati designatus est Visitator pro monasterijs, & locis conuentualibus canonicorum existentibus in Apulia.

VI. **I**N Mari Adriatico propè Theatinam Diocesim sunt Insulæ Tremitanæ olim Diomedæ, in quarum maiori est cœnobium sancte Mariæ cum arce munitissima nostræ congregationis. Abbas Tremitanus in dictis Insulis iurisdictionem ordinariam spiritualement, & temporalem, & vtrunque gladium habet, ac etiam in terris littoris adiacentis: & inter Barones Regni Neapolitani numeratur, & incedit. De monasterio Tremitano, vide quæ dicuntur lib. sequenti.

In Ciuitate Lauicani est Abbatiale cœnobium nostræ congregationis sancte Mariæ nouæ olim de Frifa vetustissimum, de quo libro sequenti plura habes.

Apud Ciuitatem Vestanam in Prouincia Capitanæ est etiam vetustissima Abbatia sancte Mariæ de Calena, quam nostræ congregationi vniuit Eugenius IV. anno 1446.

In extremis partibus Calabriae, quæ Messanam Ciuitatem vltra Pharum aspiciunt, in oppido, quod vulgo Bagnara nuncupatur, fuisse olim præcipuum collegium canonicorum regularium, testantur tabularia Ecclesie Cathedralis Cephaludiensis in Regno Siciliae vltra Pharum constitutæ: illa enim Ecclesia priusquam in Cathedralè erigeretur, eiusdem collegij membrum fuisse perhibetur, vt ex relatione ab illius Ecclesie canonicis habita, & ad me transmissa nuper accepi. fertur enim idem collegiũ aliud monasterium intra Messanam Ciuitatem sibi subiectum habuisse, de quo nihil certi habere hætenus potui.

VII. **P**orro in Regno vterioris Siciliae Ecclesia ipsa Cephaludiensis, quæ nunc est Cathedralis, à prima illius fundatione fuit canonicorum regulariũ ordinis Diui Augustini, sub quo ordine vsque in præsens permanet, licet ab initio non esset Cathedralis, sed simplex collegium canonicorum regularium, quod Rugerius Siciliae Comes, deinde Rex opere magnificentissimo, & Regia munificentia verè digno erexit anno Dominice Incarnationis 1148. Regni verò ipsius anno 18. quemadmodum sequentes versus in apside maiori illius Ecclesie musiuo inscripti indicant.

*Rugerius Rex egregius plenus Pietatis
Hoc statuit templum, motus zelo Diuinitatis.
Hoc opibus ditat varijs, varioque decore
Ornat, & amplificat in Saluatoris honorem.
Ergo fructu merito Saluator adesto,
Vt sibi subueniens conseruet corde modesto.
Anno q̄ Incarnatione Domini M. C. XLVIII.
Regni eius XVIII. huc opus musie factum est.*

Scribit verò Syluester Maurolicus in suo libro, quem mare Oceanum omnium Religionum aditulauit, ipsam sancti Saluatoris Basilicam ab eodem Rugerio magnificentissime ornata, duabus nimirum turribus campanarijs, & picturis pulcherrimis musiuo elaboratis, necnon duplici mausoleo porphiretico pro se, ac cæteris Siciliae Regibus illius Successoribus, quæ postea Fridericus Secundus Imperator ex dicta Ecclesia ad Palermitanam transtulit, ac etiam canonicos regulares Augustinianos in dicta Ecclesia ab eodem Rugerio constitutos, quibus iuxta Ecclesiam claustrũ ædificauit, quod vsq; in præsens tenent, subdit etiam dictos canonicos regulares Syracusanam Ecclesiam olim tenuisse, in qua sanctus Zosimus floruit regularis canonicus, & postmodum Syracusanus Episcopus, quod se in antiquis Chronicis manuscriptis legisse affirmat, quæquam non desint, qui Ecclesiam Syracusanam non canonicos regulares, sed Diui Benedicti monachos tenuisse affirmant.

VIII. **I**N Ciuitate Messana erat Prioratus sancte Crucis nuncupatus cum Ecclesia pulcherrimè exornata, quam anno 1537. Ferrantes Gonzaga Siciliae Prorex cum alijs duabus, & viginti Ecclesijs sub specie Ciuitatis muniendæ, solo æquauit. eodem Syluestro Maurolico tradente in Congregatione sancti Sepulchri Ierosolimitani, ad quam ille Prioratus spectabat: quam ob causam locus canonicis regularibus fuit destitutus. Prioratus verò ad Ecclesiam sancte Pelagie translatus, & commendatus, qui ad nominationem Regis Catholici confertur.

In Ciuitate Plateæ nuncupata est alter Prioratus sancti Andree eiusdem congregationis Dominici Sepulchri, quem Simon Butheræ Comes cum Thomasia illius coniuge anno Domini 1106. multis Villis, & prædijs, ac etiam nonnullis Ecclesijs attributis fudauit, & dotauit: qui Prioratus ad nominationem à Rege Catholico factam, Prioribus fiduciarijs, quos vocamus Commendatarios confertur, eodem Syluestro Maurolico referente in Congregatione Dominici Sepulchri Ierosolimitana.

Præter collegia verò Canonicorum memorata, sunt in Regno Siciliae vltra Pharum nonnulla Collegia Sanctimonialium Canonissarum Congregationis Vallis Viridis nuncupatæ, quarum præcipuum est sancte Catharinæ Vallis viridis Ordinis sancti Augustini olim extra Ciuitatem Messanam à quadam Regina Cypri fundatum, postea circa annum millesimum ducentessimum intra Urbem sub titulo sancte Mariæ, & s. Catharinæ Vallis Viridis translatum, quod erat caput cæterorum monasteriorum canonissarum eiusdem Congregationis in Regno Siciliae existentium, nimirum s. Lucie Vallis Viridis Panormitanæ, monasterij Vallis Viridis in Taormina, & in Castro veteri: quæ monasteria per Abbatissam sancte Catharinæ Messanensis visitabantur.

tabantur. De ijs plura idem Maurolicus in congregatione Vallis Viridis: ex quibus etiam deducit, dictam congregationem in Regno Siciliae multa collegia canonicorum habuisse, quibus deficientibus, cum praedictae canonicae regimen permutassent, etiam habitum nonnullae mutauerunt, retenta nihilominus regula D. Patris Augustini, ac etiam rochetto, quod in festis solemnioribus, praesertim cum ad Sacramentum Eucharistiae sumendum accedunt in signum pristinae illarum professionis, & institutionis, ferunt.

In Dioecesi Agrigentina reperitur monasterium ordinis canonicorum regularium Diui Augustini, quod dicitur sancti Spiritus de Calato. Verumputo illud nunc esse commendatum, vel ex regulari ad statum secularem translatum. Eius autem mentio habetur in libro Taxarum Camerae Apostolicae.

Caput trigefimum.

De Propagatione Ordinis Canonici in Prouincijs, & Regnis Hispaniarum, & primò de Ecclesia Caesaraugustana sanctae Mariae de Pilari, siue de Columna nuncupata.

I. **I**N Prouincijs, & Regnis Hispaniarum existunt adhuc Ecclesiae canonici ordinis vetustissimae, pluresq; olim extiterunt, quarum notitia post generale diluuium Saracenorum, quod omnes penè regiones Hispanorum inuasit, vel in ruinis aedificiorum, vel saltem in membranis Ecclesiarum, & libris Historicorum fideliter seruatur, quae ipsum canonicum institutum à sanctissimis Apostolis plantatum, & à beatissimo Patre nostro Augustino reformatum, in praedictis prouincijs Hispanorum ab antiquissimis temporibus, ipso Augustina adhuc superstitite propagatum, fide certissima demonstrant: ex quibus vt antiquissimum coenobium Sisletanum apud Toletanam ciuitatem omittam, quod era. 462. id est anno Christi quadringentesimo vigesimo quarto, assertus autor Historiae sub nomine Flauij Lucij Dextri, & alij nonnulli Historici sub beati Augustini Regula exstructum aiunt: vnam nunc referam antiquissimam, & inter omnes Hispaniarum Ecclesias dignissimam, Angelicis manibus Praeexcelsae Dei Genitrici in Caesaraugustana ciuitate erectam, & sanctae Mariae Maioris siue de Columna vulgo de Pilari nuncupatam, de qua cum multa praecleara, & memoranda quamplures viri docti tradiderint, illud certè non reticendum, quin pro diuino miraculo mea quidem opinione recensendum, quod Sacrae Theologiae Licentiatum, & eiusdem Ecclesiae regularis canonicus Michael

Cercito in praefatione librorum Ioannis Trullo de ordine canonicorum elucidato scribit, ipsum ordinem canonicum per D. Iacobum Apostolum semel in dicta Ecclesia plantatum nullis vnquam etsi difficillimis temporibus interruptum, vsque ad sua tempora stetisse. De huius sacratissimae Ecclesiae antiquitate nonnulla superius cap. I. notauimus, de cuius miraculosa fundatione, Sanctorum Martyrum, & Confessorum reliquijs in eadem quiescentibus, viris sanctitate, ac dignitate, necnon etiam eruditione illustrissimis, vel ab illa profectis, vel etiam eidem Ecclesiae praefectis, & tandem de illius priuilegijs, & super caeteras Ecclesias Hispaniarum eminentia nunc aliquid dicturo, tot profecto, & tam praecleara, veridicisq; testimonijs roborata scribenda occurrunt, quae si vellem ex integro percensere, non vnicum capitulum, sed integrum, illudque non exiguum volumen, me scribere oporteret. Quam ob causam tum rei, tum etiam temporis compendium facturo, illud tandem animo insedit, caeteris omnibus impraesentiarum ommissis, & motiua sententiae hic ad verbum exscribere, quae lata fuit pro Priore, & canonicis eiusdem Angelicae Ecclesiae beatae Mariae Maioris de Pilari, in Curia illustrissimi Domini Iustitiae Aragonum S. C. M. Consiliarij super iure praecedendi Capitulares, eorumque Syndicos, & Procuratores Ecclesiarum cathedralium Regni Aragonum, exceptis duntaxat Capitularibus Sedis Metropolitanæ, in Comitijs, & quibuslibet congregationibus Aragonum anno Domini 1605. & typis edita Madriti apud Ludouicū Sanchez an. MDC. VI. ommissa tamen praefatione, ac etiam additionibus marginalibus, ne pro vna sententia, integrum librum exscribere cogamur. Ea verò talis est.

IN Dei nomine Amen. Nouerint vniuersi, quod II. Anno computato à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quinto apud ciuitatem Caesaraugustae Regni Aragonum, in Camera consilij fuerunt praesens illustrissimus Dominus Iustitiae Aragonum S. C. M. Domini nostri Regis Consiliarius, & Illustres Domini locum tenentes ipsius Curiae, iuriumq; Doctores, nempe illustrissimus Don Martinus Baptista de Lanuça, Iustitiae Aragonum, Dominus Ioannes Clemens Romeu, Dominus Mattheus Deça, Dominus Petrus Hieronymus de Mendieta, Dominus Martinus de Godino, Dominus Michael Martinez del Villar, existensq; processu Prroris, canonicorum, & Capituli beatae Mariae Maioris de Pilari super apprehensione in deliberatione circa diffinitiuam sententiam, Dominus Michael Martinez del Villar Relator fuit voti, & opinionis, quod debet pronunciari, & mandare fieri contenta in propositione oblata pro parte Prioris, canonicorum, & Capituli beatae Mariae Maioris, & de Pilari principalium, Antonij Miraueta, Augustini Ximeno, & Petri Hieronymi Pasamar procuratorum, respectu iurium, in vndecimo articulo

tulo dictæ propositionis deductorum, & respectu domus apprehense præstita cautione forali. cæteras propositiones rejici, & repelli debere, & reseruari sua iura, ea reseruari supplicantiibus. neutram partium in expensis condemnando, ex eo præ maximè, & alias, quia etsi ratio aliqua habenda minimè foret in hoc litis pendentiæ iudicio (ubi de nuda tantum, quatenus facti est, & non iuris possessione, agitur) de iongissima, honorificentissima, venerandissimaque antiquitate, & dignitate tantæ Ecclesiæ, quæ sacra est, ac gloria, & ornamentum non solum huius Cæsaraugustæ inclusæ ciuitatis, & fidelissimi Regni Aragonum, verum totius Hispaniæ, & Orbis: Obtinet enim ex receptissima omnium Ecclesiarum, præsertim istius amplissimæ prouinciæ traditione à Pontificibus Summis non semel approbata, inter omnes Ecclesias mundi vetustatis, & excellentiæ originis primatum, atque ideo de ea Cæsaraugustæ verè, ac iurè gloriari potest, se primam non solum in Hispania, sed in vniuerso orbe Catholice fidei sedem, & aram tenuisse, & existisse. & inde meritò Petrus Librana primus Cæsaraugustæ Episcopus, post Anabes orbe pulsos, unà cum Gelasio Secundo Pontifice Maximo circa annum millelesimum centesimum decimum octauum, ad instaurandum templum dictæ Ecclesiæ, quod vetustatis causa esset ruinosum, ijs verbis vniuersos christiani orbis fideles excitabat: Quam beato, & antiquo nomine sanctitatis, ac dignitatis pollere nouistis. Et nos iure quidem poteramus litem huiusmodi decidere, declarando, debere eam præcedere Ecclesias Cathedrales dicti Regni, origine, & dignitate posteriores, ex quo ordo temporis inducit prælationem in honoribus: nam qui prior est tempore, potior est in iure, vltra quod semper in Regno nostro senectus venerabilis fuit, & quando gloriosissimum admirandum principium, origoque dictæ Augustissimæ Ecclesiæ ius aliquod ad obtinendum ei non tribueret, quæ Angelicis manibus iussu sacratissimæ Regine Virginis Dei Genitricis, dum adhuc in humanis ageret, autare Diuo Iacobo Maiori Christi Apostolo, consobrinoque constructa, erectaque fuit, cuius etiam ratione, & causa preferenda est tanquam dignior, & excellentior: nulla enim maior nec venerabilior origo, quam regalis est, atque ideo, & meritò maior honor debetur illi, qui honorabiliorem originem habet: talem præsertim & tantam, qualem habuit, & habet præclarissima Ecclesiæ. & quando ad huiusmodi prælationem nihil prodesset, ab initio nascentis Ecclesiæ sæpe dictam sacrosantam Ecclesiam Episcopum habuisse, matrem Ecclesiarum dictæ urbis fuisse, Cathedralemque existisse, autoritate præ excellentissimi Iacobi Zebedæi, quousque unita, seu translata fuit in excelsam sancti Saluatoris Ecclesiam, Arabibus Cæsaraugustæ exturbatis, et consuetissimum est. fuit namque consuetudo A-

postolorum in ciuitatibus, ubi verbum Dei prædicarunt, Ecclesias apud vnquamque condere, ut testantur Tertullianus, sanctus Cyprianus, sanctus Irenæus, quos refert Pamelius, ex Christicolis nouè ad fidem ab eis conuersis, vnum cuique Ciuitati Episcopum præficere, qui ceteros verbo Dei instrueret, & alia sanctæ dignitatis officia exerceret, ut apparet in beato Apostolo Paulo, qui Ephesi beatum Timotheum eius ciuitatis Episcopum nominauit, & Athenis beatum Dionysium, & Dertuse in Hispania sanctum Rufum, ut affirmant grauissimi Patres, & apparet etiam ex Actibus Apostolorum cap. decimo quarto, ibi, & cum constituissent eis per singulas Ecclesias Presbyteros: Olim namque coalescentis Ecclesiæ primis exordijs idem erat presbyter, quod Episcopus, secundum iura vulgaria, ac Diuum Thomam, & Baronium. Iacobus ergo aliorum Apostolorum vestigijs inherens, hac in ciuitate vnum è nouem ab eo ad fidem conuersis (Athanasium scilicet) huic ciuitati Episcopum præposuit, & sanctum Petrum Martyrem Brachary in Lusitania, ut vetustissima traditio est, & antiquissima Breuiaria, Annales, Celtiberi, Chronice Hispaniæ, Martyrologia Romana, & alij grauissimi Patres attestantur. Ex quibus satis liquet, hanc sanctam Ecclesiam ab eius initio Cathedralem dignitatem, & nomen habuisse. Quod ratione etiam comprobatur. Iacobus consecrauit Athanasium in Episcopum huius ciuitatis. ergo aliquam certam, & determinatam habuit Ecclesiam, cui tunc præficeretur, ut ratio, & minus ipsum indicat, sunt enim hæc correlatiua Episcopus, & Ecclesiæ, inter quos matrimonium spirituale contrahitur: at eo tempore nulla alia, non solum in dicta ciuitate, sed etiam in tota Hispania Ecclesiæ reperiebatur, nec erat, ut est concors omnium sententia. ergo fatendum, & necessariò tenendum est, in ea sedem Episcopalem tunc existisse, & primam omnium totius Hispaniæ, hoc nomen, & dignitatem meruisse Conferuasse autem eam toto tempore primitiue Ecclesiæ, & eius diris persecutionibus feruentibus, non est dubium, nam dum à principio ibi fuit constituta, in posterum quoque permansisse credendum est, cum ex præterito in futurum inferatur, non docto de contrario: maxime non constituto de mutatione, quæ præsumenda non est, tum quia multò post Gothorum tempora circa annum sexcentiesimum vigesimum constat, eandem dignitatem habuisse ex Breuiarijs tam antiquis, quam modernis Cæsaraugustæ, & ordinis sanctissimi Diui Hieronymi sic concipientibus lectionem festiuitatis sancti Braultij dictæ ciuitatis gloriosi Episcopi. Disputatione autem longa consummata, & Synodo celebrata, vnusquisque ad propriam sedem est reuersus: Beatus verò Braultius dum in ciuitate Cæsaraugustana in sancta Maria Maiori suam sedem diuinitus situasset, orta est hæresis de secta
illius

ipsarum parte productum, qui contra eas probat maximè, cum ab utraque parte fuerit approbatus. Nea Registra Curiarum possessionem aliquam ex parte cathedralium probant, tum quia ex ipsismet. apparet, multoties in diuersis Curijs, & sessionibus dictam Ecclesiam cathedrales præcessisse. Tum quia ultimus status, & nouissima possessio est, quæ in hoc possessorio summarissimo attenditur, non verò antiqua, & multò minus illa, quæ sic septies fuit, & est interuersa, & in multis curijs habitata aliarum qualitatum causa, quàm dictarum Ecclesiarum, quibus supradictam Ecclesiam præcedere potuerant. Nec releuat possessionem habitam respectu standi, & sedendi in præexcellentiore loco non extendi, nec trahi posse ad suffragij præstationem: quia ex quo dicta Ecclesia habuit, & habet locum in comitijs, habet ea, quæ sunt loci. nam locus designat locatum, & eius officium, atque ideo per locum traditur, probatur, acquiritur quasi possessio votandi, & iuxta prælationem loci. nec obstat, quod de iure debent Ecclesie cathedrales præcedere collegiatam maximè regularem, conuentualemq; cum præsens causa per possessionem, non autem per titulum decidenda veniat. Sed quid? quando per titulum iudicanda foret, cum potiorem titulum habeat (ut visum est). Sæpe dicta Ecclesia debuit vincere, & non vinci: coruscet enim radijs prioris dignitatis, ultra quod semper quoad dictam prælationem pro cathedrali habitata est, ut ex omnibus prædictis, regestrisq; curiarum resultat, & potuit etiam iura, præeminentiasq; cathedralis acquirere, præscribereq; insuper dignitas. canonicorum regularium magna est, quoniam illorum congregatio Episcopali, & Archiepiscopali dignitate fulget: atque ideo Cesaraugustana Ecclesia non minus præcessit dictas cathedrales, dum fuit regularis, quàm nunc, postquam effecta est secularis. Neque sæpe dictam verissimam tot seculis stabilitam traditionem infringunt fundamenta, quibus eam, impossibilitando aduentum beati Iacobi in Hispaniam, potius temerariè, quàm iure infringere nonnulli nituntur, ut tanto titulo de medio sublato, non dicta Ecclesia, sed sæpè dicta obtineant. Tum quia ut egregiè docent grauissimi nostræ ætatis Patres, eisdem fundamentis infringi possent alia multa, & ferè omnes traditiones Ecclesie, quod nimis durum, & hæresi proximum esset. Tum quia traditiones à Patribus institutæ non sunt infringendæ, sed potius ab omnibus pro legibus tenendæ, ac venerandæ: nam traditiones approbatæ non minorem vim habent, quàm scriptæ leges, unde admonet sacra Scriptura: Non se. prætereat narratio Seniorũ, ipsi enim didicerunt à patribus suis. Quare & meritò dicebat Iob: interroga generationem pristinam. Quæ loca Theologi Sacri egregiè expendunt de traditionibus Ecclesiasticis, quæ scripto nõ consistunt, contra Hæreticos eas tanquam nouitatũ

sectatores reijcientes. Tum quia nunc famæ rerum inconcussæ standum est, ubi certam derogat vetustas fidem. Tum quia aduentum Diui Iacobi in Hispaniam testantur plusquam octoginta magnæ auctoritatis viri, & inter eos septem ex grauissimis Ecclesie, sanctisq; Doctõribus.

Primus D. Hieronymus in illis verbis. Dederitq; eis sortes, atque diuiserit, ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, ut unusquisque in Euangelij sui, atque prouincia requiesceret, quibus expressè id firmat, dum apud nos Hispanos ex Apostolis tantũ requiescit Iacobus.

Secundus s. Asbanastus Patriarcha Antiochenus, qui floruit circa annum Domini 560. dicens, in hac die multiplicibus martyrijs affectus est s. Iacobus Apostolus frater Ioãnis filij Zebedæi, idq; postquam abiit in Occidentem.

Tertius s. Isidorus per hæc verba. Iacobus filius Zebedæi frater Ioannis, quartus in ordine xij. tribubus, atque Hispaniæ, & Occidentalium locorum populis Euangelium prædicauit.

Quartus venerabilis, sanctusq; Beda, qui sic ait, Apostoli Christi prædicatores fidei, & Doctõres gentium certis locis in mundo ad prædicandum sortes proprias acceperunt: Petrus namq; Romam accepit, Andreas Antiochiam, Iacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Ioannes Asiam, Mattheus Macedoniam, Philippus Galliam, Baribolomeus Lycœniam, Simon Zelotes Aegyptum, Mattheus Iudæã, Iacobus frater Domini Ierosolimam, Paulo cũ cæteris Apostolis nulla sors propria traditur.

Quintus s. Braulius Cesaraugustæ dignissimus Episcopus in abbreviatione vitæ sancti Isidori.

Sextus s. Vincentius in sermone de s. Iacobo.

Septimus s. Antoninus gloriosissimus Florentiæ Archiepiscopus. tum quia eiusdem etiam traditiones, & historie testem omni exceptione maiorem Pontificem Summum Calistum Tertium habemus, in quadam Bulla sic dicentem. Cum itaque scut accepimus, Ecclesia monasterij per Priorem solita gubernari eiusdem beatæ Mariæ de Pilari &c. in qua dicta beata Maria antequam ad cælos assumeretur, cum Iesu Christo Iacobo Maiori in columna marmorea apparuit, & ob hoc ipsa Ecclesia nomen beatæ Mariæ de Pilari assumpsit, ac inibi quamplurima, & infinita miracula diuina prouisione diutim fiunt: necnon Christi fideles magna deuotione, & ueneratione imaginem eiusdem beatæ Mariæ, & eius filij in quadam capella eiusdem Ecclesie, quæ de mandato dictæ beatæ Mariæ per dictum beatum Iacobum fabricata, & Camera Angelica Dei Genitricis de Pilari nuncupata, & appellata extitit, colunt, & venerantur, & cum maxima deuotione uisitare non cessant. Quibus verbis non solum aduentum in Hispaniam s. Iacobi, & miraculosã huius Ecclesie foundationẽ, sed in eius cõprobationẽ traditionis efficacissimum refert testimonium per illa verba: Sicut accepimus, Ecce iiii que

que etiam non posse opponi de subreptione impediunt, cum non referantur ad partem, ut dicitur, de clausula asseritur.

VI. **N**ec huius veritatis insciji, aut dubij fuerunt Serenissimi Reges Aragonum, et constat ex priuilegijs Regum Ioannis Secundi, et Ferdinandi Secundi, qui per eadem verba idem egregie affirmarunt. Nec etiam incliti Reges Castellæ, ut constat ex priuilegio Regis Ramiri Primi, in quo apparitio sancti Iacobi eidem Regi facta, recensetur. Quis ergo tantæ superbie fastigio tumidus erit, ut tot Ecclesiarum, Sanctorum Pontificum, Regum, et Principum testimonium contemnere ausus sum quia tota Hispania, et omnes illius Ecclesia idem Breuiarijs antiquissimis, et nouissimis profitentur, ut ex ipsis apparet (et testatur Cardinalis Baronius, Venerabilis Pater Petrus de Ribadeneyra, diligentissimus Mariana, multi alij eminentissimi viri) et summi gaudij sui causam in die solemnium sancti Iacobi his propalarunt verbis. Adest nobis valde lætabundus dies præcellentissimi Apostoli Iacobi, per cuius saluberrimam prædicationem totius plebs Hispaniæ suum caput agnoscere Redemptorem. Eo quod maioris autoritatis, et fidei est hæc concertatio siue consensus in libris Ecclesiasticis, in quibus ratio precum, et ritus continentur, Breuiaria vulgariter dicta, quo plures non homines priuati, sed conuentus integri in unam sententiam conspirarunt: optimum enim est iudicium, quod plurimorum vocibus confirmatur. Tum quia prædictæ Ecclesiæ Cathedralis eiusdem etiam voti, et sententiæ sunt, et fuerunt, ut apparet ex ipsarum Breuiarijs, quarum nunc dum contrarium, liti causa, asserere nituntur, audienda minime sunt: nimis enim iniquum iudicatur, ut quod sua voce dilucide protestati fuerunt, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. Tum quia non solum ab Ecclesijs Hispaniæ huiusmodi traditio recepta est, sed etiam ab Ecclesia insigni Mediolani, ut constat ex Breuiarijs illius Archiepiscopatus iuxta institutionem sancti Ambrosij illius Ciuitatis Archiepiscopi, anno millesimo quingentesimo trigesimo nono, editis, quorum verba huiusmodi sunt. Iacobus Maior Apostolus Domini, frater Ioannis Euangelistæ, filius Zebedæi dum vniuersam prædicando peragrasset Hispaniam.

Et non mirum, quandoquidem eandem traditionem vniuersalis Ecclesia totius Orbis Terrarum admittit, tam ante reformationem sacri Concilij Tridentini, ut ex Breuiarijs Romanis illius temporis constat sic loquentibus. Hispaniam adijisse, et ibi Euangelium prædicasse autor est Isidorus: quam post dictam reformationem, uti apparet per Breuiaria autoritate sanctissimi Patris Pij Quinti facta in hæc verba. Mox peragrata Hispania, ibique prædicato Euangelio, redijt Ierosolimam. Ridiculū

igitur est, et satis abominabile de decus, ut temporibus nostris vel falso insinulari s. Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, pro libito errantium infringi patiamur. Tum tandem quia adeo certa, irrefragabili, indubitataque traditione receptum est, D. Iacobum in Hispaniam aduentasse, dictamque insignem Ecclesiam fundasse, quod apud nos Celtiberos non habeatur ut Catholicus, qui dubitet, sicuti testantur Magister egregius Isela in libro Regulae Ordinis s. Iacobi, et Religiosus doctissimus Martinus del Rio. de dicto ergo aduentu s. Iacobi in Hispaniam, eiusque Prædicatione Euangelica in ea dubitare iam apud Hispanos præsertim fas non est, præmaximè postquam à sanctissimo Domino Clemente Octauo, tam in Breuiario Romano sua peculiari autoritate edito, quam in Breuiario fratrum Prædicatorum propria etiam sua autoritate confirmato, diffinitum est, esse constantem traditionem omnium Ecclesiarum Hispaniæ, præter vetera monumenta, quæ ipsam testificantur sanctum Apostolum Hispaniam adijisse, ibique Euangelium prædicasse. Eo namque ipso, quod Pontifex Summus hoc inter traditiones constantes non vnius, aut duarum Ecclesiarum, sed omnium Hispaniæ admittit, non minus certum, et indubitatum est, quam si manifestissimis monumentis esset firmatum. Et quidem traditio hæc merito vocatur à Pontifice Maximo constans: non enim vago, aut nutuanti verbo nititur, sed demonstratione earum Ecclesiarum, quæ fundatæ in Hispania fuerunt occasione aduentus huius sancti Apostoli, ut exemplum est Ecclesia Bracharensis, quæ primùm habuit Antistitem sanctum Petrum Martyrem, quem refert Martyrologium Romanum 26. Aprilis, et Card. Baronius scriptores vitæ huius sancti recenset, quos qui legat videbit, eos asserentes id, quod in eadem Ecclesia, et alijs Portugalliæ Prouinciæ Ecclesijs solemniter traditur s. Petrum Martyrem ab Apostolo Iacobo Hispaniam peragrante, ordinatum fuisse primùm illius Prouinciæ Episcopum, et idcirco Bracharensis Ecclesia sepe de suo primatu contendit, de quo quanta maiori ratione potest hæc nostra Casaraugustana gloriosissima, ex omnibus prædictis satis liquet. Nec obsiat quod dicitur s. Iacobum martyrio fuisse coronatum statim post Christi Domini Ascensionem, ideoque non potuisse subesse tempus peragrandi Hispaniam. nam id falsissimum esse comprobatur Illustrissimus Baronius ex eo, quod colligitur ex sacro Actuum Apostolorum libro s. Iacobum decollatum fuisse ab Herode ann. 44. à Natiuitate Christi numerando, quod similiter tradit, et comprobatur Archiepiscopus Gilbertus Genebrardus in sua Chronologia: et ideo decem annis ad minus post aduentum Spiritus sancti, tempus sanè sit sufficiens. non solum ad Hispaniam, sed ad vniuersum orbem peragrandum ab eo præcipue viro, qui vocatus fuit à Christo Boanerges, id est filius tonitruum propter admirandum, et velocem cursum suæ prædicationis.

Nec

illius falsidici Mabometis . Idem quoque reperitur in quodam Missali antiquo eiusdem Diocesis manuscripto, in officio, quod in Missa sancti Braulij celebratur, & canitur. festa celsus Braulij aule, qui sancta Maria fuit presul. Probatum idem Breuiaria domus Regie montis Aragonum antiquae, & illustris, quod agens de eadem ciuitate sic ait. Synodo celebrata uniusquisque ad propriam sedem est reuersus, & Braulius Casaraugustam repetens, apud sanctam Mariam Maiorem suam sedem situans, suis canonicis sic fraternam dilectione adhaesit. Corroboratur idem quodam libro, seu tractatu de vita Diui Braulij antiquissimo, manu exarato, qui cum praedictis Breuiarijs per eundem ferè sermonem contestatur. Beatus verò Braulius dum in Casaraugustana ciuitate in sancta Maria Maiori suam sedem diuinitus situasset. Quibus assentitur Aimonius monachus Gallus, & antiquissimus, probatissimus, fidelissimusq; testis, scriptorq; prisca seculi rerum gestarum: scripsit enim circa annum octingentesimum septuagesimum secundum, & de huiusmodi Ecclesia haec verba. Atque in Ecclesia beata Maria semper Virginis, quae est mater Ecclesiarum eiusdem Urbis. & tandem idem affirmat Martinus Garzia canonicus Casaraugustanus Episcopus Barcinona, Inquisitor Generalis Regnorum Aragoniae, Hieronymus Zurita, Hieronymus Blancas, Hieronymus Roman, Ioannes de Marieta, & alij quamplurimi grauissimi viri.

III. **T**um quia in toto illo infelici, & miserrimo tempore, quo Casaraugusta sub Arabum ditione extitit (quod circiter quadringentorum annorum terminum explet) dictam Religiosissimam Ecclesiam sedem fuisse Episcopalem dubio caret, adeo quod Cathedrales insidiari nec audent, nec possunt: nulla enim Christianis Ecclesia permissibatur ab infidelibus, praeter hanc gloriosissimam, ut nostri Historici varijs in locis testantur, praesertim Prades, Garibay, Beuter, Blancas, Zurita, qui notabiliter sic exclamant. Casaraugusta satis constat reliquis sacris edibus, siue sacris tectis depopulatis, sanctum, & religiosissimum templum Diuae Mariae Virgini dicatum, quod vulgus de Pilari nuncupat, miseris illis temporibus sanctitatis, Religionis, & Concilij publici tanquam sacramentum, & perfugij portum nostris fuisse. unde & Helece, & Seniore, ac superioribus, posterioribusq; Episcopis, & Ecclesiastico ceteri sacrosancta ea aedes sedem, ac domicilium praebuit. Tum quia ab huiusmodi sacra id aede iam diu in contradictorio iudicio obtentum est: fuit enim lite vertente inter eam, & insignem sancti Saluatoris Ecclesiam, & seu ipsius Anstitem cordate, & maxima cum deliberatione prehabita causa cognitione, partibus auditis, declaratum à Ioanne Ferrer canonico, & Archidiacono Hoscensis Ec-

clesia, & Vicario Generali excellentissimi Infantis Alfonso Regis Catholici filij Archiepiscopi Casaraugusta anno millesimo quingentesimo secundo, dictam Ecclesiam fuisse à primordijs Christianitatis Cathedralem usque ad translationem, seu unionem desuper dictam, bis verbis. Constat etiam, quod dicta Ecclesia, in qua gloriosa Dei Genitrix Virgo dum in humanis ageret, beato Iacobo Apostolo mirabiliter super pilare marmoreum Angelicis manibus deportatum apparere dignata est, in quo primaria sedes Casaraugustana per multa annorum curricula collocata fuit, beato Braulio, & alijs multis dignissimis Episcopis successiue praesidentibus. & licet postea dicta sedes Cathedralis translata fuerit, nihilominus tamen multa insignia, & prerogatiue Cathedralis Ecclesiae penes eam remanserunt, & quasi vna Ecclesia cum Maiori Casaraugustana reputatur in prerogatiuis praedictis. Quae sententia ab eodem Archiepiscopo fuit postea approbata, & ratificata, necnon & à dictis partibus laudata. Tantorum ergo virorum decreta certam faciunt determinationem nostram, scilicet sepe dictam Ecclesiam ab initio nascentis Ecclesiae Episcopos habuisse, Cathedralemq; extitisse. & consequenter constat, ipsam praeponi, & anteferri debere, ex quo prius meruit dignitatem, & huius sedis adoptione longe posteriores, & inferiores illa sint, & appareant praedictae Ecclesiae Cathedrales: adeo quod de ea illud Poeta dicere verè possumus.

Fortia facta Patrum, series longissima rerum.

Per tot ducta viros antiqua ab origine Gætis.

IV. **E**t quando in hoc articulo curandum non est de cultu Dei, Religioneq; ibi tandiu mirabiliter praefulgenti, de rebus in ea mirifice gestis, de innumeris & assiduis miraculis ibi quotidie fulgentibus, de pura, sinceraque fide ab exordio Christianitatis usque nunc, absque ruga, & macula apud eam inuolabiliter pro Dei benignitate seruata, itaut porta Inferi, Haereticorum caliditas, Ethnicorum impietas, Saracenorum iniquitas aduersus eam praualeere minime potuerint, nec in medio ignis fuit unquam estuata, sed potius ipsa contriuit eorum capita, & fuit nostris (ut diximus) sacra ara, eosque tanta constantia, & stabilitate muniuit, quod nulla unquam Tyrannorum seuitia, nulla persecutionum immanitas, nulla rei familiaris, nulla patriae honoris iactura, nulla Haereticorum fraudes, nulla denique sanguinis effusio clarissimum fidei lumen in eis semel incensum extinguere potuerint, ut adimpleretur, quod sacratissima Dei Genitrix promiserat Diuo Iacobo, quando ad ripam Iberi, ubi stat dicta Ecclesia, eidem corporaliter videndam, & eius discipulis sese obtulit, eamque construere praecipit. Pilare istud erit in loco isto, usque in finem mundi, & Christum colentes nunquam ex hac

Ee iij Vrbe

Urbe deficiens. Quare iure meruit principatum dictam praelationem primum, honorabilioremque locum inter dictas Ecclesias ubique obtinere, sum quia debetur illi, quae rerum gestarum gloria, religione, cultuque Dei praeter ceteris fulget. Si enim ex sola religione Cicero Rempublicam Romanam ceteris omnibus anteponebat dicens. Et si forte conferre volumus nostra cum exteris; cetera rebus aut pares, aut etiam superiores reperiemur, religione, id est cultu. Deorum multo superiores, quanto maiori cum ratione praeferrenda est huiusmodi illustrissima Ecclesia, quae eodem cultu, ac dignitate originis, excellentia senectutis, decoreque rerum gestarum omnes praedictas Ecclesias procul a se relinquit? tum quia talibus huiusmodi privilegium propter vitae discrimen conceditur, in qua propter salutem Republicae se constituerunt: tum quia inde amplissimos, & maximos honores eius Fani Antistitibus semper habitos, & vetustis tabulis, & memoria superiorum temporum pro certo cum Zurita, & alijs affirmare possumus. Tum demum quia si ex omnibus praedictis in aliquibus precedere meruit dictam Metropolitanam Ecclesiam, quae praedictas omnes antecedit, quanto maiori cum ratione poterit ipsa easdem precedere? & quando tandem non esset attendenda exemptio, qua subest tantum, & immediatè Christi Vicario, summoque totius Ecclesiae Pontifici Maximo. Nec Civitas ubi adest, quae est Metropolis, & insigne omnium Civitatum Regni, ac eiusdem, & celsitudinis coronae Serenissimum Aragoniae Regum caput, omniumque etiam (teste Diuo Isidoro) civitatum Hispaniae in multis clarior, quibus ex causis debuit, & debet etiam huiusmodi praelationem habere: cum quando quis sublimiori, & digniori immediatè subest, ac in excellentiori loco existit, tanto dignior, & honoratior sit.

V. **S**ed in hoc iudicio tandem attendenda esset insistentia, statusque rei apprehensa, iuriumque apprehensorum tempore apprehensam, & quae ex dictis Ecclesijs melius quasi possessionem iurium apprehensorum probauerit, adhuc debuit, & debet obtinere huiusmodi sacra Ecclesia, quae multo melius dictam insistentiam, possessionemque probavit, tum testibus, tum Chronicis, siue tractatibus, de modo, & ordine celebrandi Curiam: Tum demum alijs instrumentis, documentis, monumentisque antiquis, quibus potius lux veritatis ex omnibus praedictis, & alijs assistit: consuetudo namque in materia praecedentia praevallet, ut per Innocentium, & alios probat Franc. Marzarius consil. 25. Non enim obstat, in Comitibus Tirassonae celebratis anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, praedictas Ecclesias Cathedrales praelationem habuisse: quia constat fuisse ex consensu partium, iureque dicti consensus, & familiaritatis, & non ani-

mo, nec titulo acquirendi possessionem, quibus stantibus, nullam iuris, nec facti acquirere poterunt, ex traditis à Mandoso in Reg. 33. de Annalibus quest. undecima num. quarto. Oldrad. cons. 241. Dec. cons. 116. Aym. Crau. cons. 127. num. septimo. Portol. de consort. cap. trigesimo octavo numero tertio. Tum quia ante dictam consensum in exordio dictarum Curiarum Cathedralium ibi existentem praecessit ipsa. Nec refragatur, dictam praelationem habuisse in folio propositionis, non verò in brachio, seu stamento, & quod possessio non recipit extensionem, quoniam quasi possessio unius actus inducit quasi possessionem quoad alium actum sub eadem specie comprehensum, ut praedictum. ex quo eodem ordine, quo stant in folio, sedent in brachio, seu stamento. Tum quia in curijs Montissoni habitis an. 1585. in stamento quoque, siue brachio praecessit dictas Ecclesias, & quando de huiusmodi quasi possessione nulla habenda foret ratio ex simili consensu apud eas factò, habenda est tamen ex fractione dicti consensus à Syndico Hofcensi facta: tentavit enim prius votum suum praestare, quam Syndicus dictae Ecclesiae. & ideo potuit (ut fecit) resistere illi, & ante eum votum suum proferre. quare dum illud fecit contra dicti Syndici expressam voluntatem, visus fuit intervertere possessionem dicti consensus, & aliam de novo acquirere. facta namque interuersione interuertens verè possidere dicitur. Nec possessionem amisit, immo potius efficaciter retinuit, in conuocatione omnium generalium statuum regni anno millesimo sexcentesimo primo, Caesaraugusta facta. nam cum hora & die signatis, Syndici, dictarum Cathedralium Ecclesiarum conuenissent in aulam regiam destinatam, ad eam conuocationem inuenerunt iam ibi Syndicum dictae Ecclesiae, quem vidisse constat, & sedentem pacificè in loco sublimiori, eumque minimè in sua pacifica possessione molestasse, nec perturbasse, sed immo sua intentione frustrari timentes, & repulsionem (ut credendum est) suspicantes, quibusdam protestationibus consenti, egressi fuerunt ab aula. quare contrariam quasi possessionem, quando eam haberent, amisisse dictas Ecclesias, eamque Ecclesiam de Pilari acquisivisse, constitutissimum est. nam etsi absens retineat possessionem loci semel adeptam, licet ab altero postea corporaliter occupetur: tamen si reuersus in locum repellatur ab eo, qui corporaliter possidet, vel non admittatur, & suspicetur posse repelli, ciuilem quam antea retinebat, dubio procul amittit. Et cum in omnibus, & per omnia ad normam, & similitudinè Curiarum Regni in domibus disputationis dicta generalis conuocatio habita fuerit preparandarum Curiarum causa, idem de ipsa iudicandum est, quod de ipsismet Curijs, ex quo preparatio ad actum idem operatur, quod ipse actus. Nec obstat non apparere eos, qui ita egressi fuerunt, Syndicos dictarum Ecclesiarum fuisse: quia immo constat, per testem ex ipsarum

VII. **N**Es obstat, quod proponitur, Apostolos ante mortem sancti Iacobi non fuisse egressos Ierosolimam, sive Iudaea, neque ante eandem mortem praedicasse Euangelium Gentibus, falsum enim est, Apostolos non fuisse ante decessum sancti Iacobi egressos ex Iudaea: nam in primis Cardinalis Baronius in annotationibus ad Martyrologium die vigesima quinta Iulij, postquam testimonio Diui Istdori ab Ecclesia Taletana recepto, confirmavit Diui Iacobi aduentum in Hispaniam, manifeste concedit in ea dispersione discipulorum Christi, quae facta fuit Ierosolimis statim post mortem gloriosissimam Protomartyris Stephani, quae fuit paulo post aduentum Spiritus sancti, aliquos Apostolos ex Iudaea egressos regiones gentium atisse, & eleganter explicat ibi loca Scripturae sanctae, quae oppositum dicere videntur: quam doctrinam iterum approbat tomo primo Annalium anno quadragesimo quarto, deinde expresse Diuus Paulus in epistola ad Galatas capite primo narrat, se statim atque fuit a Christo de caelo descendente vocatus (multis certe annis ante mortem Diui Iacobi) non inquit veni Ierosolimam, sed abij in Arabiam, & ibidem docet, se antequam Ierosolymam veniret, varias Regiones peragrasse, & in eodem loco notat Teophilactus Episcopus, tunc Apostolum Paulum ad rudiores Gentes, & loca minus exculta se contulisse. Gilbertus etiam Genebrardus in Chronologia docet, quod Barnabas praedicavit fidem Christi Romae, viuo adhuc Tyberio, ex sententia Diui Clementis, & Dosithei. Certum est autem Tyberium multis annis ante Diuum Iacobum mortuum fuisse. Insuper licet dubium sit graue apud Sacros Theologos de tempore, quo Apostoli coeperunt predicare Euangelium Gentibus, & quando Gentiles fuerunt absoluti, & omnino admissi ad Ecclesiam, constans tamen est omnium sententia, nullatenus Apostolos a die aduentus Spiritus sancti dubitasse, omnibus Iudaeis obique essent, praedicandum fuisse Euangelium: certum est enim tunc Iudaeos dispersos fuisse per uniuersum terrarum orbem: nam ipsos varia bellorum agitationes multo ante Christi aduentum, Assyriorum, Babylonorum, Persarum, & Macedonum Regibus orta, alios alio expulerunt, ut veterum monumenta abunde prodiderunt, satisque litera sacrae indicant, in quibus Iudaei per orbem agentes vocabantur dispersi. Ijs igitur praedicandum fore Euangelium statim (ut diximus) ab initio cognouisse sanctos Apostolos non minus quam illis, qui in Iudaea agebant, ad quos & epistolas scribebant euangelizandi fidei gratia, sicut & scripsit Diuus Petrus suam epistolam canonicam fratribus electis aduentus dispersionis Ponti, Galaciae, Cappadociae, Asiae, & Bitiniae. Non ergo est contra traditionem constantem omnium supradictarum Ecclesiarum Hispania a Sanctissimo Clemente expresse firmatam, asserentem Diuum Iacobum in Hispania praedicasse Euangelium, id quod dicitur ante eius mortem non-

dum praedicari coeptum fuisse Euangelium Gentibus, ex quo iure potuit Diuus Iacobus, ut praedicaret Euangelium Iudaeis in Hispania degentibus, eam adire. itaque se habuisse sanctum Apostolum, sicuti se habuerunt illi discipuli, qui multo ante eius mortem abierunt ad regiones Gentium, de quibus dicitur in dicto libro Actuum Apostolorum cap. undecimo, quod pertransibant sane inter Gentiles, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudaeis. Sed quid? non solis ijs, qui natura erant Iudaei statim in principio annuntiabant Apostoli Euangelium, sed & innumeris gentibus, quae tamen factae erant Profelyti, quorum maxima multitudo ab initio etiam in ipso sanctissimo die Pentecostes recepit sacrum Euangelium, ut ex Beda annotauit Claudius Guiliandus in primam canonicam Petri Apostoli, & talem censent multi Theologi fuisse illum Eunuchum Reginae Candacis, cui Euangelium praedicauit sanctus Pbilippus, ut dicitur in libro Actuum Apostolorum cap. octauo, & doctissime docet Nicolaus Sanderus. Praeterea textus historiae erectionis tanta Ecclesiae, cuius sententiam Patres nostri annuntiarunt in Chronicis Regni Aragonum, in antiquissimo Barchinonensi Archiuo, necnon & in Beatissimi Gregorij Papae moralium libris inuentus, omnem tollit dubitationem, asserens Diuum Iacobum profectum in Hispaniam, non sequentem communem sententiam Apostolorum, sed reuelationem diuinam, quam contulit cum beatissima Virgine, quae optime a Ruperto Abbate vocatur Apostolorum magistra caelestis. Ergo reuelatione actus Diuus Iacobus ad praedicandum Euangelium in Hispaniam se contulit: quoniam Deus ipse, qui praesciebat futuram mortem eiusdem Apostoli, antequam Apostoli per orbem dispergerentur, eundem peculiari inspiratione adiecit, ut sicut morte sua praecessurus erat reliquos Apostolos, etiam praecederet, & antecederet eius praedicatio ad Gentes. Tum ut adimplerentur prophetae Regis Dauid: in fines orbis terrae verba eorum psalm. decimo octauo, uocnon & illa suscepimus: Deus misericordiam tuam in medio templi tui, sic & laus tua in fines terrae psalm. quadragesimo septimo, quae cum iam adimpletae fuissent, in principio Apostolatus Diui Pauli (ut ipse testatur scribens ab Roman. cap. undecimo) adimpleri aliter non potuerunt, quam aduentu, & praedicatione sancti Iacobi in Hispaniam, quae per Occidentem tunc erat orbis, terraque, & nuncupabatur finis. Atque ideo eodem aduentu, & praedicatione declaratur quidam locus Prophetae Abdia ad finem in verbo: Et erit Domino Regnum in Hispania (quod ut dicit Rabbinius Salomon) fuit impletum per Iacobum Apostolum, & eius discipulos ibi fidem Christi primitus praedicantes, & colla gentium subiugantes.

Tum

Tum ne tantus Apostolus absque Prouincia relinquere-
 tur, & ea careret gloria, qua ceteri Apostoli:
 nam unusquisque pro magno honore habet peculia-
 rem prouinciam, in qua Euangelium predicauit. ex
 quibus luculenter constat, firmissimam traditionem
 quasi per manus à maioribus perpetuo temporum de-
 cursu ad nos delatam, cum nulla probabili ratione
 conuelli possit, merito à nobis retinendam, & conser-
 uandam esse. Neque enim impedimentum aliquod,
 aut difficultas considerari posse videtur, quibus
 dicti Beatissimi Apostoli in Hispanias aduentus,
 vel refelli, vel in dubium vocari possit: quin po-
 tius non solum possibilis, & uerisimilis, sed &
 certus, & constans multis rerum argumentis su-
 pra confectis, conuincitur: nec enim ex huius pro-
 uinciae situ, & qualitate, nec ex temporis angu-
 stia, nec ex alijs rerum difficultatibus hic aduen-
 tus inuerisimilis existimari potest. nam cum ad
 omnes Orbis etiam remotissimas partes, nec ita
 claras, nec celebres, & multis terrarum, marisque
 spatijs seiunctas profecti fuerint Apostoli, ut eò
 sacri Euangelij splendidissimam lucem circumfer-
 rent, quis inuerisimile putet, ad hanc Hispania-
 rum Prouinciam toto terrarum orbe celeberrimam,
 & clarissimam, & perpetua fama peruagatam,
 nec ita à Ierosolymis marino praesertim tractu di-
 stantem, idem Euangelij lumen non pertulisse?

VIII. **M** Inus etiam obest temporis breuitas, & an-
 gustia, cum integro, ut minimum de-
 cennio post Christum passum dictus Apostolus in
 uisus egerit, non tantum semel eam legationem,
 obire potuisse, in comperto est, quod si refracta-
 rius quispiam eius ab Ierosolymis profectioem
 existimet non uerisimilem fuisse, usque ad tempus
 conspecti à beato Petro Apostolo lintei animalibus
 immundis pleni, quo signo Ecclesia ostium Gen-
 tibus referari Apostoli cognouerunt, id quidem
 licet certa ratione comprobari non possit, tamen
 quantuncunque ita esset, certe cum ea apparitio
 iuxta frequentiore Patrum sententiam septimo
 anno post Christi Domini mortem contigerit, &
 iuxta eisdem Diuus Iacobus martyrium (ut
 dictum est) anno, ut minimum decimo subierit,
 plusquam expeditum est, toto ad minus triennio
 remanente, iter illud conficere potuisse, & Pro-
 uincia peragrata ad propria rediisse. quibus ex
 causis uereri iam omnes amplius oportet, usque
 adeo constabilitam sententiam, non dicam ad im-
 possibile, sed nec ad inuerisimile deducere cona-
 ri: in qua intrepidè asserenda tenet nos consen-
 sus populorum, atque gentium, tenet autoritas
 miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta,
 uetustate firmata, cultuque & obsequio in sacra-
 tissimam Virginem roborata, tenet tandem ab ip-
 so Iacobo tutelari totius Prouinciae Diuo, & Fa-
 ni huius fundatore usque ad praesens tempus Ca-
 tholicorum in eo perpetua successio, & inter tot
 persecutionum turbines, & procellas, tot & tan-
 ta supplicia, totque martyrum, & martyriorum

myriades, purissimè, & inuiolatè in Christum
 fidei continua perduratio, quam & usque in finem
 seculi tantorum patronorum beneficio duraturam
 percredimus, & existimamus.

Neque obstant uerba Innocentij Primi in cap.
 Quis nesciat, undecima distinctione. Praesertim
 cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias,
 Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque
 interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos,
 quos uenerabilis Apostolus Petrus, aut eius suc-
 cessores constituerunt Sacerdotes. aut legant, si in
 istis Prouincijs alius Apostolorum inuenitur, aut
 legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nus-
 quam inuenitur, oportet eos sequi, quod Roma-
 na Ecclesia custodit. Tum quia quod in hac par-
 te profitemur, legitur, habeturque in saepe dicta
 historia, in Breuarijs, librisque Ecclesiasticis an-
 tiquissimis, & sequimur (ut uisum est) quod
 Romana Ecclesia custodit. Tum quia uerba quan-
 tumuis generalia sunt, accipienda sunt secundum
 iuris intellectum. quare supradicta non ita intel-
 ligenda sunt indistinctè, scilicet nullum Aposto-
 lum praeter Petrum in eas Prouincias peruenisse,
 & in eis Ecclesias adificasse: sequerentur enim
 grauissima absurda inter alia, & Paulum Apo-
 stolum varijs in locis falsum dixisse, Italiam,
 & Romam peruenisse, ubi à Nerone legimus fuisse
 carceribus mancipatum, flagellis caesum, &
 tandem capite truncatum anno decimo septimo
 post Passionem Christi. Et eundem Apostolum Hi-
 spanias adisse sanctissimi, & grauissimi uiri te-
 stantur. Referunt etiam sanctus Isidorus, & alij
 plurimi, Philippum Apostolum in Gallijs quoque
 predicasse. Quos omnes, & Summos Pontifices
 in dictis indultis, & Breuarijs iussu eorum edi-
 tis, & comprobatis errasse, & deceptos esse di-
 cere cogemur, si dicta uerba eo modo essent in-
 telligenda, quod durum admodum esset. non er-
 go sic accipienda sunt, solum Petrum in Occi-
 dente predicasse: quia ab eo missi predicarunt,
 & Ecclesias instituerunt, ut idem Innocentius
 profitetur. Beatus autem Iacobus, & Paulus, qui
 Hispanias adierunt, à Petro ut à capite Ecclesiae
 missi fuere, & eius autoritate Ecclesias institue-
 runt, atque ideo Innocentius non repugnat, nec
 diffidetur, Iacobum in Hispanias peruenisse: sed
 omnes, qui huc peruenierunt, iussu, vel consilio
 Petri uenisse dicit. in summa enim haec inten-
 dit Innocentius, omnes, qui in eas aduentarunt
 prouincias, unam eademque fidem professos
 eam scilicet, quam Petrus Ecclesiae caput profes-
 sus est, quam genuinam interpretationem, cum
 omnia sic uerò consonent, & inter se ad con-
 cordiam redigantur, ne unus tantum Pontifex
 tot Pontificibus Sanctis, Doctoribusque grauissimis,
 traditionibus, & Breuarijs aduersetur, sequi
 tenemur. sed quorsum haec ita diffusa diriguntur
 uerba de re constantissimo Ecclesiae, sanctorumque
 Patrum testimonio saepius definita, cum alienum
 prorsus

prorsus sit ab Ecclesiastica, & fidelium consuetudine in eo dubitationem accipere, quod ex Ecclesiastica quoque, & fidelium traditione descendit?

Nec in contrarium facit, quod saltem verum esse contendunt, dictam Ecclesiam nunquam Cathedralis fuisse, sed sancti Saluatoris, quia ultra quod nemo est, qui id attestetur, ipsamet proficitur contrarium in Breuiario, & Missali suae Diocesis (ut visum est) ac laudando sententiam Ioannis Ferrer, qua verbis expressis idem testatur. De priuilegio autem Imperatoris Alfonsi totius laborante, nulla est habenda ratio, praesertim cum eidem non debeat, nec possit maior fides adhiberi, quam ipsi Ecclesiae, & toti Archiepiscopati ipsi, totque Ecclesiae, & viris grauissimis antiquis, & nouissimis contrarium attestantibus, collegij, multorumque testimonio potius adhaerendum est, quam vnius personae quantumcunque Praesidiali praesulgeat dignitate. Rursus dum dicta Ecclesia beatae Mariae fuit vnita, communicata, seu translata in dictam sancti Saluatoris, de ea intelligitur, quod de praedicta refert dictus Serenissimus Princeps, atque ideo non obstat eius priuilegium.

Nec quod de inscriptionibus capitum diuorum Valerij, & Vincentij tantum ex aduerso celebratur, cum in eadem verificatur Ecclesia, & multo magis verè, & propriè, ut ex omnibus praemissis satis patet. Nec contrarium suadet, quod ex Chronicis Roderici Archiepiscopi Toletani, & Generalis opponunt, nullam fuisse Ciuitatem Cathedralis in Hispania, quae ab Arabibus non fuerit in eorum impia inundatione, aut incensa, aut diruta: & ideo si tunc Ecclesia de Pilari Cathedralis existeret, ipsa, aut eius Ciuitas, ut caetera Ecclesia, & Ciuitates perissent. quia non ita generaliter ut sonant, intelligenda sunt, quod nulla supererit. alias enim in notorio mendacio deprehenderentur, quia non solum permansit insignis huiusmodi Ciuitas, sed & Toletana, Hysca, Tyrasona, & aliae, quae ut nunc, eo tempore fuerunt Cathedrales. Nec refert intelligendas Chronicas fore de ipsis Ecclesijs, quae fuerunt ab ipsis Saracenis sic labefactatae. nam in hac, ut in multis alijs praeter ceteris micat, & resplendet huiusmodi clarissima Ecclesia, dum Omnipotens Deus non fecit taliter omni nationi. Tum quia tante immunitatis, & singularis excellentiae causa nulla alia esse potuit, quam quod iussu sacratissima Deipara à Diuo Iacobo in ipsis verbo, quod semper stabit, fuerit constructa. Nec mouet in contrarium, saepe dictas Ecclesias Cathedrales antiquissimas, sanctissimas, magnique habitas (& meruè quidem) semper fuisse, Episcoporumque sedes existisse in primitiua Ecclesia. Hoc enim non negamus. Sed quod ipse inficiari nequeunt, & omnes fatentur, Ecclesiam de Pilari multo

antiquiorem existere, & ante eas huiusmodi dignitatem habuisse, sequi cogimur: moribus namque confirmata destruere, difficillimum est. Nec facit in contrarium, dictam Ecclesiam non templum, neque Ecclesiam, sed Oratorium, vel capellam appellari ab aliquibus ex antiquis Scriptoribus: nam ut egregiè ait doctissimus Cardinalis Bellarminus, veteres Patres Latini, & Graeci per aliquot secula nunquam Ecclesias Christianorum, templa vocarunt, sed oratoria, vel Ecclesias, vel domos orationis, vel Basilicas, vel martyria: quia adhuc vigeat memoria templi Iudaici, ne viderentur Apostoli simile aliquid introducere, & ut distinguerent Ecclesiam à Synagoga. Nec omissionis argumentum sumptum ex Prudentio (qui omnia notabilia Christianae Religionis Ciuitatis Caesaraugusta, & Hispaniae scripsit, & de huiusmodi sanctae Ecclesiae fundatione non meminit, ut meminisset, si ita se haberet) procedit. quia multa, & grauissima quidem (ut notissima) omisit Prudentius, & inter alia illustrissimos Martyres, nempe Diuum Laurentium Hyscensem, & sanctum Lambertum Caesaraugustanum. Sed non silentio praeterit eam, secundum aliquos non vulgaris autoritatis Doctores, dum pro ea canit. Plena magnorum domus Angelorum, & paulò post. Nouerat templo celebrari in isto. & alibi. Hinc Sacerdotum domus insulata Valeriorum.

Ultra quod non de omnibus scripsit Prudentius gloriòse hic gestis, sed de aliquibus tantum. Nec pulsus Arabibus Rex Alfonsus dictam Ecclesiam debonestauit, transferendo sedem in Ecclesiam sancti Saluatoris: nam licet eo tempore pro beneficijs ab ea receptis huiusmodi dignitatem, quando non haberet, meruisset, multa tamen serenissimum, gloriosumque Regem mouere ad id potuerunt. Primum maiorum suorum vestigijs inherere, qui recuperata à Saracenis aliqua Ciuitate solebant mezquitam maiorem statim cultui diuino consecrare, & in ea Episcopalem sedem constituere. ne ergo à suorum consuetudine discederet, mezquitam maiorem Caesaraugusta in Ecclesiam erexit, & sedem Episcopalem in eam transiulit, ut ubi caput superstitionis fuerat, ibi caput quiesceret sanctitatis. Quod etiam Apostolos obseruasse comperimus, ut apparet ex epistola prima Clementis Papae ad Iacobum, quae habetur in cap. In illis, octuagesima distinctione. Potuit etiam moueri pulchritudine eius aedificij, ac magnitudine: longè enim superabat dictam Ecclesiam, cuius tunc parietes vetustate ferè collapsi, & diruti erant, ut ex Bulla Gelasij Secundi, & Petri Librana Primi Episcopi desuper relata constat. Vel potuit etiam moueri ex alij causis à Martino Garzia, & alijs adductis. Nec audiendus est Zurita, sentiens sedem tunc pristino, & natiuo loco restitutam, non verò nouè

nouè concessam. Tum quia contra seipsum loquitur, dum alibi dixit agens de Ecclesia beatae Mariae, unde & Helece, & Seniori, ac superioribus, posterioribusque Episcopis, & Ecclesiastico cœtui sacrosancta aedes sedem ac domicilium præbuit. Arabum namque tempore alios ante eos, quos enumerat non habuit Episcopos: atque ideo non de illis agit verbis superioribus, sed de illis, qui à primordio dictæ Ecclesie præfuerunt in ea. Tum quia eidem plures autoritate, antiquitate, & numero superiores refragantur, & tot Breuiaria grauiissima, quibus potius standum est. Nec tandem obstat, ob dictam translationem dictam Ecclesiam omisisse priuilegia, præeminentiasq; omnes cathedralis Ecclesie, ex quo constat, translationem factam fuisse non cum omnimoda dictarum præeminentiarum extinctione, sed immo potius cum expressa reseruatione earundem præeminentiarum, ut fuit pronunciatum à sepe dicto Ioanne Ferrer, & iure sanè, quandoquidem non ob delictum, non ob culpam factam fuisse constat.

Admittitur tamen dictæ Ecclesie propositio respectu domus Diputationis, quia ipsa tantum, & non regnum, nec alia loca eiusdem fuerunt apprehensa, & alias att. cont. &c. Et cum his dictus Dominus locum tenens Relator requisit di-
ctos illustres Dominos locum tenentes, quatenus votum suum proferrent, qui omnes fuerunt eiusdem voti ex eisdem motiuis. Deinde altera die apud eandem ciuitatem Cæsaraugustæ in Camera consilij interfuerunt Domini locum tenentes sequentes Dominus Clemens Romeu, Dominus Mathaus Deça, Dominus Hieronymus Mandieta, Dominus Martinus Godino, Dominus Michaël Martinez del Villar, & existente dicto processu in deliberatione super reuocatione dictæ sententiae supplicata, Dominus Michaël Martinez del Villar Relator fuit voti, & opinionis, quod debet pronunciarì, & stare in pronunciatis. non obstante reuocatione supplicata, quæ locum non habet ex eisdem motiuis. & requisit dictos Dominos locum tenentes, quatenus votum suum præstarent, qui fuerunt eiusdem voti ex eisdem motiuis.

Signum mei Ioannis Baptistæ habitatoris ciuitatis Cæsaraugustæ, autoritateq; Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, ac scribe principalis Curie Domini Iustitiæ Aragonum, & Secretarij Consilij eiusdem Curie, qui huiusmodi vota, & motiua à suo originali libro Consilij dictæ Curie de anno millesimo sexcentesimo quinto, ubi continuata existunt, manu aliena extraxi, & cum dicto suo originali libro consului benè, & fideliter comprobauì, & in testimonium præmissorum meo solito signo signauì.

IX. **E**X ista aurea decisione, & illius motiuis nonnulla maximi ponderis eliciuntur, & primò colligitur, istam Ecclesiam verustate, & origine

omnibus Christianorum Ecclesijs antiquiorem, esse, utpotè circa annum quintum, vel sextum à gloriosa Domini Nostri Iesv Christi Ascensione Angelicis manibus ædificatam, idq; ex omnium Hispaniæ Ecclesiarum traditione receptissima, & à Summis Pontificibus probata teneri.

Secundò in eadem Ecclesia Sedem Cathedralis Cæsaraugustanam ab illius foundatione vsque ad translationem dictæ Sedis factam ad Ecclesiam sancti Saluatoris, curante Alphonso Hispaniarum Rege circa annum 1120. in dicta Ecclesia sanctæ Mariæ Maioris semper mansisse, quod etiam confirmant Gelasij Secundi literæ, quibus Cæsaraugustanæ Ciuitati è Saracenorum manibus nuper ereptæ, Petrum Episcopum suis manibus consecraturum destinat, & porrigentibus manus adiutrices pro reparatione ipsius Ecclesie à Saracenis vestatæ, Indulgentias concedit, iunctis alijs literis eiusdem Petri Episcopi ad vniuersos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Sacerdotes, & Christi fideles eadem causa scriptis, quæ videri possunt apud Cardinalem Baronium tom. 12. Annalium sub anno 1118. vbi & alia multa de ipsa Ecclesia beatæ Mariæ Virginis de Pilari scribit, quam vniuerso Christiano orbi illustri fama notissimam esse dicit.

Nam cum Gelasius II. per suprascriptas literas, Indulgentias porrigentibus manus adiutrices pro Ecclesia Cæsaraugustana instauranda largitus fuerit, & nomine Ecclesie Cæsaraugustanæ absolutè prolato ex vsu Cancellariæ Apostolicæ intelligi debeat ipsa Ecclesia primaria seu cathedralis, de qua re nullus, nisi in hac parte ignarus, hæsitare potest, sicut non hæsitamus, an sub nomine Ecclesie Mediolanensis, Neapolitanæ, Toletanæ &c. absolutè, & sine vlla additione prolato comprehendatur sola Cathedralis, seu Metropolitana Mediolanensis, Neapolitana, vel Toletana &c. cum etiam suprascriptus Petrus Librana Cæsaraugustanus Episcopus asserat, Gelasium prædictas Indulgentias concessisse ijs, qui manus adiutrices pro instauranda ipsa Ecclesia beatæ Mariæ Maioris porrexissent, sequitur per sequelam ineuitabilem, tunc temporis Episcopalem Cathedralis Cæsaraugustanam in Ecclesia beatæ Mariæ Maioris siue de Pilari cõstitisse. Quod vel ex ipsius epistolæ verbis nõ obscure colligitur, dum inquit. *Diuina fauente clementia, vestrisq; precibus, & fortium virorum audacia, Cæsaraugustanam urbem christianis manibus subiugari, ac beata, & gloriose Virginis Mariæ Ecclesiam, quæ diu (proh dolor) subiacuit Saracenorum distioni, liberari satis audistis: quam beato, & antiquo nomine, sanctitatis, ac dignitatis pollere nouistis &c.*

Quam sententiã præter cõem traditionem, & famã totius Regni vetustissimã, & constantissimã, quæ in antiquis sufficienter probat, præsertim cū de facto agitur, ut Iuriconsulti cõter afirmat, & præter alia in eadem sententia, siue in illius motiuis, & fundamentis allegata, probant graues historici, & alij viri docti,

docti, & eruditi non pauci. Primus Aymonius historicus antiquus octingentorum circiter annorum, in lib. historię translationis reliquiarum s. Vincentij martyris, vbi vocat Ecclesiã B. Marię matrem Ecclesiarum eiusdem ciuitatis. Secundus D. Martinus Garzias Episcopus Barchinonensis ferm. 150. vbi ait, tempore persecutionis Christianorum factę per Dacianum anno nimirum 300. Ecclesiam sanctę Marię Maioris fuisse Metropolitanam. Nec refert, quod Ecclesia Cæsaraugustana non fuerit Metropolitana ante Ioannem XXII. nam potuit eo tēpore esse Metropolitana, & postea irruētibus Saracenis vsque ad Ioannem XXII. mansisse simplex cathedralis, & per Ioannem XXII. iterum in Metropolitanam erigi: aut potuit prædictus autor nomen Metropolitanę cum nomine simplicis Episcopalis confudisse, præsertim eo tēpore, quo per multos iam annos illa in Metropolitanam fuerat restituta. Tertius Antonius Beuter 1. par. suę Chronicę cap. 23. Quartus Iacobus Valdesius in lib. de dignitate Regum cap. 6. num. 21. Quintus Ambrosius Morales lib. 9. suę Chronicę cap. 7. asserentes, B. Iacobum Apostolum in dicta Ecclesia s. Marię posuisse duos discipulos Athanasium, & Theodorum, quorum alterum presbyterum, alterum Episcopum ordinauit. Sextus antiquum Breuiarium s. Braulij lect. 4. & 9. Septimus Ioannes Prades lib. 1. c. 5. §. 1. pag. 79. & lib. 2. c. 6. §. 2. Octauus Hieronymus Romano de Republ. Christiana lib. 4. cap. 2. Nonus Hieronymus Curita in suis Annalibus dicens, D. Petrum Libranam resedisse in Ecclesia s. Marię de Pilari. Decimus Lupus Arces in suo testamento cōdito anno 1131. vel paulò post, existente Episcopo D. Garzia, in quo statuit, vt amici sui post illius obitum ex illius hæreditate tres portiones facerent, & vnā darent s. Marię Cæsaraugustanę, & Episcopo, & successoribus illius, præsertim eodem D. Garzia Episcopo. Vndecimus Testamentum Vicecomitissę Biarnę conditum an. 1135. in quo donauit, seu legauit prædictę Ecclesię s. Marię, & dicto Episcopo D. Garzię, ac illius successoribus quandam vineã per illos tenendam, & possidendam.

Ferunt etiam, existere in eadem Ecclesia s. Marię siue in eius claustro Imagines vetustissimas ante ann. 300. Saluatoris sub forma agni vexillum tenentis, quę sunt insignia Ecclesię cathedralis Cæsaraugustanę, cum hac inscriptione: *Agnus iste docet, hanc fuisse Sedem*, quę Imagines, cum dicantur saltem annis tercētis antiquiores, non fuissent permixtę ab Episcopis, & Metropolitanis eo præsertim tempore, quo ipsa Ecclesia s. Marię nondū à iurisdictione Ordinarij fuerat exempta, nisi constitisset de veritate illius inscriptionis. ex quibus omnibus satis euidenter liquet, non solum ante recuperationem Cæsaraugustanę Urbis de manibus Saracenum, verum etiam post dictam recuperationē, & postquam ipsamet Ecclesia s. Saluatoris in cathedralem fuit erecta, Sedē nihilominus Episcopalem apud Ecclesiã s. Marię per aliquod tēpus mansisse, itaut ambę Ecclesię s. Saluatoris, & s. Marię pro

vna, & eadē cathedrali reputarētur, quod in alijs ęt Urbibus factū legimus, nā Modiolani duplex eodē prorsus tēpore cathedralis olim extitit s. Ambrosij, & s. Teclę, & Bergomi duplex item cathedralis sancti Alexandri, & sancti Vincenti.

Et quod omnem dubitationem tollere videtur, cū canonici s. Marię de Pilari ex antiqua loci consuetudine festum dedicationis Ecclesię cathedralis Cæsaraugustanę vti propriū illius Ecclesię, ritu solemni celebrarent, cathedralibus s. Saluatoris contradicentibus, causaq; ad Auditores Sacri Palatii Apostolici deducta, canonici s. Marię sententiã, & decisionē fauorabilem sub Illustris Ludouisio tunc Rotę Rom. Auditore, qui fuit Summus Pontifex Gregorius XV. in hunc modum retulerunt. sub die 18. Iunij 1610.

Dubitauit, an Ecclesię s. Saluatoris Cæsaraugustanę esset dandum mandatum de manutenendo in quasi possessione celebrandi sub die 12. Octobr. & septē sequentibus, dedicationem Ecclesię priuatiuē ad Ecclesiam B. Marię del Pilar eiusdē ciuitatis, & fuit resolutum non esse dandū: quia ex testibus, & alijs deductis apparet, Ecclesiã del Pilar antiquitus fuisse Cathedralem, & in ea extitisse Sedem Episcopalem Cæsaraugustanam, illiusq; dedicationem esse die 12. Oct. & quolibet anno fuisse solēniter in dicta Ecclesia celebratum pro dedicatione propria, vt benè probant plures testes de visu, & auditu, qui deponunt de pluribus annis vsque ad tempus motę litis.

Et licet Ecclesiã s. Saluatoris, quę prius erat Meschita Maurorū, & postea illis eiectis cultui diuino dicata, & consecrata 6. Ian. & in Metropolitanam erecta 17. Iulij, ultra festū dedicationis, quod in dictis diebus solemniter celebrat, celebrat etiam dedicationem primę cathedrales Ecclesię illius ciuitatis, & sic Ecclesiã del Pilar 12. Octobris: astamen eiusdem festiuitatis celebrationem continuauit semper dicta Ecclesiã del Pilar.

Non obstant testes pro Ecclesiã s. Saluatoris examinati, quia nullus deponit, quod Ecclesiã del Pilar per ipsã fuerit prohibita celebrare festū dedicationis sui tēpli, & acquieuerit prohibitioni, quod est necessariū, vt dicatur in quasi possessione priuatiuē glos. in l. qui hominibus, & ibi Bart. Castren. & alij ff. de ser. urb. præd. Fel. in c. Pastoralis n. 5. in 8. limit. de off. ord. latē Gomez. de contract. cap. 1 §. num. 28. vers. item Addi. Gabr. de præscript. concl. 10. num. 13.

Nec est verum, quod in Ecclesiã del Pilar fuerit celebratum festum dedicationis nomine Ecclesię cathedralis aduersarię, quia hoc tātū videtur deponere octauus testis, qui nō probat vti unicus; & quando etiam alij hoc innuerent, sunt multò plures in contrarium, qui dicunt, Ecclesiã del Pilar celebrasse festū vti propriam ipsiusmet Ecclesię dedicationē: & propterea eorum depositio debet præualere, sum quia numero excedunt l. ob carmen §. fin. ff. de test. c. in nostra eod. tit. tum quia cū eorum depositione concurrat præsumptio. Paul. de Cast. conf. 192. col. 2. ad fin. lib. 2. Ruin. conf. 35. sub n. 16. vers. testi autem lib. 4. Aym. conf. 73. post num. 41. Actus enim præsumitur potius factus

Et factus

factus iure proprio, quam alieno l. titiam. & l. & magis. ff. de solut. glos. in l. 2. in ver. & dominum. ubi Bart. & Salic. C. de acquir. possess. l. 3. S. ex contrario, & ibi not. ff. eod. tit. Bart. in l. 1. S. nuntiatio num. decimotertio ff. de nou. oper. nunc. Bald. in l. 2. questione nona C. de seruit. & aqu. Et quia assistit depositio iuris communis las. cons. 163. colum. penult. ad fin. lib. secundo cum alijs cumulat. per Gabr. de testib. concl. 3. num. vigesimotertio: De iure enim omnes Ecclesia tenentur celebrare festum sue dedicationis cap. solemnitas. primo, & secundo de consecr. dist. 1. cap. primo dist. 3. not. in cap. fin. de ferijs Abb. in Rubr. de consecrat. numero tertio.

Nec obstat, quod ista festiuitas generaliter in toto Archiepiscopatu celebretur: quia ultra quod testes hoc non probant, cum dicant, se ita credere, & pro certo habere, las. post alios in l. 1. ff. de iust. & iur. quando etiam hoc probaretur, non posset tamen fieri illatio, quam facit pars aduersa, quod sicut alia id faciunt intuitu Ecclesie cathedralis, ita & Ecclesia del Pilar, quia eum in hac Ecclesia sit probatum per testes, quod ab ea celebratur nomine ipsiusmet Ecclesie, & uti propria dedicatio, probatio in specie præfertur probationi generali Innoc. in cap. auditis de Prescript. Aym. cons. 258. numero decimosexto circa medium, late Gabr. dist. conclus. 4. num. 72. de testi. Menoch. de Arbitr. cas. 526. nu. trigesimo tertio, & viget dispar ratio, quia in alijs Ecclesijs non poterat dici dedicatio propria, & propterea cum non competeret iure proprio, sed alieno, nihil mirum, si censeantur nomine alieno id facere, Bart. in d. S. nuntiatio, num. decimoquinto late Surd. cons. 19. num. trigesimo quinto: non sic in Ecclesia del Pilar, cui cum iure proprio etiam competat celebratio propter propriam dedicationem, quando effemus in dubio, præsumeretur nomine proprio celebrasse. Menoch. præsumpt. 49. num. vigesimo tertio cum supra deductis. Quæ decisio fuit confirmata sub eodem R. P. D. Ludouisio die Lunæ 24. Ian. 1611. altera decisione, quæ talis est.

Domini steterunt in decisio, rationibus, de quibus in decisione. Non obstat, quod obijcitur, testes fuisse examinatos, & iura compulsata extra terminum, hoc enim ex facto tollitur, quia licet nuncius dederit terminum. 40. dierum, attamen illum prorogauit ad alios 40. & iste terminus ita prorogatus. 80. dierum incipiebat die 16. Decemb. & currebat usque ad diem 4. Martij inclusuè. Testes autem omnes iurarunt de mense Febr. uno excepto, qui iurauit die 3. Martij, & compulsatio Scripturarum cæpta die 1. Martij consummata fuit, & perfecta die 4. eiusdem, quibus scripturis coram Nuncio productis nihil fuit oppositum pro parte Ecclesie Cæsaraugustanæ, & dicta testium recipiunt adminiculum veritatis ab antiquis historijs loquentibus de multis prærogatiuis, & præminentijs, quas habuit Ecclesia del Pilar, quæ fuit antiquitas cathedralis.

Non obstat, quod cum ista celebratio fuerit facta ab Ecclesia s. Saluatoris uti de festo dedicationis Se-

dis, id est Ecclesie effecta cathedralis, ista quasi possessio in vim prærogatiuæ cathedralitatis, quæ uni tantum Ecclesie competere potest (cum non sit dare in eadem Diocesi plures cathedrales) videatur continere prohibitionem implicitam quoad alias Ecclesias, quæ sufficit ad acquirendam quasi possessionem priuatiuè, ut dixit Rota in Hostien. littoris maris. 20. Decembr. 1574. coram Rubeo, ex Calder. cons. 2. de præscr. & alii, tunc allegatis, quia responderetur, Ecclesiam del Pilar non celebrare festum ratione cathedralitatis, sed uti propriam Ecclesie dedicationem, ut in qualibet Ecclesia celebratur. Vnde sequitur, quod cum celebratio competat utriq; Ecclesie diuersis respectibus, vna possessio non potest continere prohibitionem alterius, sed sunt compatibles. Doct. c. licet causam. de prob. Bars. in l. si duo sub n. 4. ff. uti possid. Rip. l. ait Prætor n. 15. ff. de re iud. Cas. de Grass. dec. 33. n. 7. de caus. poss. & propr.

Non obstat quod dicitur, Ecclesiam cathedralem facere celebrationem propter cathedralitatem, quam amisit, quia omisso, an id facere possit, & in hoc cõseruare prærogatiuam antiquæ cathedralitatis iuxta tradita per Io. de Plat. in l. 1. & 21. de Prefec. Prælib. 12. Guido pa. decis. 377. & dato, quod facere non posset, posset autem, ut negari non potest, uti propriam dedicationem quasi possessio celebrandi censi debet facta eo nomine, ut legitime fieri potuit. Signor. cons. 75. n. 10. post med. Aym. cons. 322. post num. 3. Cas. de Grass. dec. 19. n. 5. de probat. & est regula generalis, quod actus præsumitur fieri eo modo, quo valide, & licite fieri potest l. quoties de reb. dub. l. merito. ff. pro Soc. Corn. 237. sub nu. 3. vers. & qui potest facere lib. 1. Rimin. Sen. cons. 42. num. 12.

Non releuat, quod dicitur probari ex literis quorundam Cardinalium, Ecclesiam del Pilar fuisse parochialè, & collegiatam, quia quando probaretur, non excluderet cathedralitatè, cum ut notum est, & pluribus exemplis constat, ista sunt compatibilia. Et cum rursus dubitatum esset, an post mandatum de manutenendo concessum Ecclesie B. Marie de Pilari super celebratione festi propriæ dedicationis, eadem Ecclesia teneretur ad instar aliarum, dedicationis Ecclesie Metropolitanæ festum celebrare, Domini Auditores responderunt negatiuè, ut patet ex illorum decisione ponente R. P. D. Verospio die Lunæ 9. Iunii 1614. quæ incipit.

Post mandatum de manutenendo me ponente concessum Ecclesie B. Virginis del Pilar super celebratione festi propriæ dedicationis. Dubitauit, an eadem Ecclesia teneretur ad instar aliarum dedicationis Ecclesie Metropolitanæ festum celebrare, & fuit negatiuè responsum, ex quo enim dedicatio Metropolitanæ sub eodem die cadit cum dedicatione Ecclesie del Pilar, ista cogi non debet ad illam celebrandam, cum de iure communi propriæ dedicationis diem celebrare teneatur cap. solemnitas. 1. & 2. de consecrat. dist. 1. & cap. 1. eod. tit. dist. 3. & notat Abb. in rubr. de consecrat. num. 3. Quod idem vniuersali Ecclesie consuetudini respondet: siquidem officium dedicationis propriæ Ecclesie regulariter aliis solem-

solemnitatibus præfertur, ut ex rub. Breuiarij Romani 4. in ordine de Dominicis Ex. 10. de translatione festorum colligitur. Hæc autem consuetudo est seruanda Vital. in Clem. dignum nu. 59. & 60. de celebrat. Missarum Fœlin. in rubric. de maior. & obed. num. 10. Nauarr. in Manuali cap. 13. nu. 5. Roia in nouis, decisione quarta numero tertio de electione.

Et hoc idem iuri consonat cum respectu precedentia quilibet in domo sua maior dicatur, l. nihil omnino & ibi glos. fin. C. de Palat. sacr. larg. lib. 12. Capic. decis. 27. num. 24. & 25. Corn. cons. 193. num. 15. lib. 2.

Vltterius ex quo Ecclesia del Pilar fuit olim Cathedralis, censetur prærogatiuam celebrandi suam dedicationem retinuisse. Ioan. de Platea in l. 1. & 2. de præf. prat. libro duodecimo, Guido Pap. decis. 277. Quæ ratio dignitatis antiquæ non militat in alijs Ecclesijs, & ideo hæc non tenetur, sicut alia Metropolitana, dedicationem celebrare.

Stante igitur assensu iuris, necnon dicta vniuersali consuetudine pro Ecclesia del Pilar debuit Metropolitana probare, se post erectionem, & translationem in Cathedralis illi prohibuisse, ne propriè dedicationis solemnitatem celebraret, & quod eadem etiam per tempus requisitum ad præscribendum acquieuerit per glos. in l. qui luminibus & ibi Bart. Castr. & alij, ff. de seruis. urb. præd. Fœlin. in cap. Pastoralis num. quinta in 8. limit. de officio Ordinarij cum alijs per Gabriel. de præscript. conclus. decima numero 130. Hoc tamen nunquam fuit probatum non obstantibus testibus alijs in contrarium adductis, ut fuit resolutum in decisionibus coram Reuerendissimo Bononien. Et cum hodie nihil ultra releuans deducatur non videtur in eodem amplius insistendum &c.

Tertiò colligitur, in eadem Ecclesia clericos canonicos id est regulariter viuentes semper mansisse, non solum post dictam Ecclesiam cum ciuitate Cæsaraugustana per Alphonsum Regem Hispaniarum auxilio Christianorum Principum è manibus Saracenorum liberatam, quod contigit circa annum salutis 1118. ex quo tempore vel paulò post nulli dubium est semper canonicos sub D. Augustini regula degentes illam tenuisse, quemadmodum, & nunc tenent sub Reuerendiss. & multis titulis suspiciendo Domino Doct. Iacobo de Ayerue illius dignissimo Priore, qui magno cum diuini cultus splendore, ac incremento illam moderatur. Verùm etiam antequam Saraceni prædictam ciuitatem occuparent, cum in eadem sententia de sancto Braulio eiusdem Ecclesiæ Episcopo, qui illam circa annum 620. regebat ita legitur: *Synodo celebrata vnusquisque ad propriam Sedem est reuersus, & Braulius Cæsaraugustam repetens apud sanctam Mariam Maiorem Sedem suam situans, suis canonicis sic fraternam dilectione adhaesit: quòd in causa fuit, ut post eandem Ecclesiam à Saracenis ereptam Petrus cognomento Librana, vel eius successor Collegium canonicorum regularium in*

ea restituendum statim curaret, quòd nimirum per ipsos canonicos regulariter viuentes ab antiquis temporibus regi consueuisset.

Quartò infertur, sanctissimos Episcopos, & clericos Cæsaraugustanæ ciuitatis Marcum, Maximū, Braulium, Helecam, & ante illos Valerium, & illius Archidiaconum Vincentium gloriosi nominis Martyrem, & alios ante annum 1140. omnes prædictæ Ecclesiæ s. Mariæ Maioris Episcopos, & clericos, & consequenter canonicos regulares numerandos, præsertim cum non solum post D. Augustinum, verùm etiam ante illum ab initio nascentis Ecclesiæ semper in dicto loco clerici canonici Apostolorum more communiter viuentes manserint, ut supra fuit notatum. Propterea falsitatis, & imposturæ arguendum autorem assertæ historiæ sub nomine Marci Maximi, recens editæ, cum sub Era. 606. nimirum anno Christi 568. scribit: *Ego Marcus Maximus, qui hæc scribo, vixi multos dies in eade s. Maria de Columnia, à beato Iacobo Zebedæi filio exadificata sub Regula s. Benedicti, propèq; erat monasterium monachorum Benedictinorum constitutum: Quid enim monachis Diui Benedicti, quid regulæ Diui Benedicti cum canonicis cathedralibus? præsertim per illa tempora, quibus vel Diui Benedicti institutum illas regiones nondum penetrauerat, vel si penetrauerat, illius professores non clerici, sed vt sic per vocabulorum inopiam dicatur, laici erant, non in cathedralibus, sed in solitudinibus, & tugurijs degebant, sed vide, quæ de hac re libro primo cap. quinquagesimo tertio adnotauimus.*

IN hoc præclarissimo Collegio floruerunt post X I. ciuitatem à Saracenis recuperatam, multi viri tum pietate, tum omni genere scientiarum eruditissimi, ex quibus vt paucos referam, fuerunt Ioannes Trullo primùm canonicus dictæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ, exinde Prior monasterij s. Christinæ eiusdem instituti, Sac. Theologiæ Professor eruditissimus, qui volumen de Ordine canonicorum regularium elucidato quatuor libris distinctum edidit, in quo præter ea, quæ ad canonicos regulares pertinent, alia quamplura tum ad moralem, tum ad naturalem Philosophiam, & diuinæ Scripturæ intelligentiam conducentia, doctissimè explicauit. Secundus Bartholomæus Laurente eiusdem Ecclesiæ Prior, & Regni Aragonum Historiator, qui epistolas aliquot, Vitam sancti Braulionis, & alia opuscula dignissima perfecit: quædam verò inchoata, morte præuentus absoluere nequiuit. Tertius Petrus Cenedo canonicus item, & Prior in vtroque iure versatissimus, qui duo edidit volumina: alterum quæstionum, quæ ad praxim in tribunalibus frequenter reducuntur. Alterum Collectanearum iuris canonici tribus libris distinctum, quorū primus materias Decreti. Secundus Decretaliū. Tertius Sexti, Clementinarū, & Extrauagantium perstringit. Quartus Dominicus Garzia, canonicus, & Prior d. Ecclesiæ, Doctor Theologus Complutensis, & linguarū intelligentia eruditissimus.

ditissimus. hic ut audio, scripsit librum de excellentia sanctissimi Nominis Iesu: alterum quoque de aduentu Messiae, & de Scripturarum intelligentia contra Iudaeos: tractatum quoque Christianae peregrinationis, necnon quaestiones super librum Genesis summo ingenio, & lucubratione elaboratum propediem in lucem emissurus. Demum de miraculosa Ecclesia sanctae Mariae de Columna integrum librum recens edidit Reu. Adm. Pater frater Didacus Murillo Seraphici Ordinis D. Francisci regularis obseruantiae professor, ad quem lectores plura cupientes remitto.

Caput trigesimum primum.

De caeteris Ecclesijs, & monasterijs canonicorum in Regnis, & Prouincijs Hispaniarum, excepta Lusitania constitutis.

I.



Acturus nunc de alijs Ecclesijs, & Collegijs canonicorum regularium in omnibus Prouincijs, & Regnis Hispaniarum, excepta Lusitania, vel nunc, vel olim existentibus, illud ante omnia praemittendum censui, de quo per suas certiore me reddit Reuerendiss. & Excellentiss. Doctor & Prior s. Mariae Maioris siue de Pilari Caesaraugustanae Dominus Iacobus de Ayerue, nimirum in omnibus Ecclesijs Hispaniarum disciplinam canonicam, siue regularem antiquitus fuisse institutam, quod triplici coniectura, mea quidem opinione, valde probabili confirmat. Prima est, quia quo tempore Diuus Gregorius Augustinum Anglorum Apostolum ad instituendam Ecclesiam Anglicanam destinauit, eo etiam tempore Isidorum Hispalensem Archipraesulem totius Hispaniae Legatum, ad illius Ecclesias reformandas, & ad pristinum, perfectumq; statum reducendas designauit, quare quod Diuus Gregorius Augustino Anglorum Apostolo praecipit, ut in Ecclesijs Anglicanis illam vitam institueret, quae ab initio nascentis Ecclesiae inter primos illos clericos Apostolicos legitur instituta, de quo in cap. Quia tua fraternitas 12. quaest. 1. non minus Isidorus in Ecclesijs Hispaniarum, quam Augustinus in Anglicanis, exequendum curauit, ut scilicet canonicam, & communem vitam, eamq; perfectissimam restitueret. quam ille in secundo libro de officijs primo loco describit, quam non aliam fuisse, nisi communem, & canonicam vitam clericorum regulariter uiuentium, quos ante illum beatus Augustinus reformatos regula praclarissima, & toti mundo celebri donauit, ex eo conuincitur, quod Turpinus in Vita Caroli Magni cap. 5. scribit, Carolum Magnum Saracenis a Compostella profligatis Archiepiscopum, & canonicos secundum B. Isidori re-

gulam uiuentes in Ecclesia Compostellana posuisse: nae cum in omnibus B. Isidori scriptis nulla peculiaris regula canonicorum ab illo scripta reperitur, certe non de alia regula, quam de Apostolica, per D. Augustinum in scriptis redacta, & ad normam vitae Apostolicae conuadarta, & exinde per totum orbem diuulgata, intelligendum videtur. Altera uero coniectura non minus euidens est, quod ut ille narrat, Ecclesiae, quae inter Saracenorum ruinas remanserunt, vel quae ad illorum manus non peruennerunt, omnes regulares erant, qualem fuisse Gestabientem, siue s. Petri de Taberna, monumenta, uetustissima testantur. Quae uero Saracenis superatis ex illorum manibus eripiebantur, cuiusmodi fuerunt Rotensis in Ripa Curtia, & Pampilonensis ambae tunc Cathedrales, & collegiatae Ronceuallis, & s. Christinae de Summo Portu, & Alquezarenfis, & quotquot subinde ad ditionem Christianorum ueniebant, in eisdem ordo canonicus secundum B. Augustini Regulam illico reponeretur, ut de Toletana, Oxomensis, & alij Autores grauissimi tradunt, sed tertia, quae omnem prorsus dubitationem eliminat, est, quia in Regnis saltem citerioris Hispaniae, utpote Aragoniae, Nauarrae, Valertiae, & in Principatu Cataloniae nulla est Ecclesia cathedralis, uel collegiata insignis, in qua non adhuc extent claustra, dormitorium, refectorium, & officia regularia, & in quibus canonici non recipiant uestiarium, & alia regularibus dari consueta. Idem de Ecclesijs Regnorum Aragonae, Nauarrae, & Castellae se aut uidisse, aut legisse affirmat Ioannes Trullo lib. 1. cap. 11. num. 2.

Hinc apparet, grauissimum esse pondus machine, quam mouendam aggredimur, Catalogum Ecclesiarum, & monasteriorum canonicorum regularium, quae nunc sunt, uel alias fuerunt in Prouincijs Hispaniarum recensuri, tum ob illorum numerum, tum quod illorum maxima pars, uel abiectis regularibus institutis, ac etiam insignijs ad statum secularem transierunt, uel bellorum procellis attrita, uel Praesulum incuria collapsa ruerunt, adeo ut ne illorum quidem uestigia liceat intueri. Quae causae etsi nos ab incepto terrere merito deberent, tamen ne nostrum quaecumq; studium in hoc desideretur, recesebimus breuiter, quae uel ex probatis autoribus deproptimus, uel Reuerendiss. Patrum D. Antonij a Cruce congregationis Colimbricensis Generalis dignissimi, & D. Iacobi de Ayerue s. Mariae de Pilari Prioris, relatione accepimus. In recensendis uero praedictis tam Ecclesijs, quam monasterijs non ordinem Prouincialis Romani, qui centum abhinc annis in multis est immutatus, sed ordinem Alphabeticum, ad errores, quantum fieri poterit, uitandos sequar, ponendo primum Ecclesias cathedr. sub suis Metropolitanis iuxta ordinem Prouincialis antiqui: deinde singula monasteria, quae sunt uel fuerunt in singulis ciuitatibus, uel in earum Diocesisibus. Horum aut nomina haec sunt.

IN Abulensi Diocesi Prouinciae Toletanae monasterium sanctae Mariae de Burgo Ordinis sancti Augustini, reperitur in libro Taxarum Apostolicarum.

I I.

dicarum . an verò sit prioratus, an Abbatia non inueni. & cum nullus eorum, qui Catalogum Ecclesiarum, & monasteriorum canonici Ordinis tam ex citeriori, quàm ex vltiori Hispania transmiserunt, huius monasterij meminerit, suspicor esse dirutum, & illius bona vel commendata, vel alijs Ecclesijs, vel Ordinibus applicata.

In Asturijs in Diocesi, vt arbitror, Ouentensium monasterium s. Mariæ vulgo de Cueva Donga. canonici Regulares illud adhuc tenent, ex relatione Lusitana.

Apud Augustobrigam monasterium canoniarum regularium s. Fœlicis nuncupatum, quod ab illis adhuc tenetur. Relatio Lusitana.

In Auriensi Episcopatu prouinciæ Compostellanæ prioratus dictus de Iunquera satis opulentus. Verùm canonicis destitutus, & commendatus.

Alquezarensis Ecclesia in Regno Nauarræ statim à Saracenis recuperata canonicis regularibus fuit restituta, qui multo tempore illam tenuerunt.

Binariensis Ecclesia Cathedralis olim regularis ex Augustino Ticinensi.

Barchinonensis Cathedralis Prouinciæ Tarracensis. hanc regularem antea extitisse tradunt Ioannes de Nigraualle, & relatio Hispanica.

In Barchinonensi ciuitate monasterium canonicorum satis celebre sanctæ Annæ vocatum. ex practica Cancellariæ Apostolicæ; & Auberto Miræo de collegijs canonicorum regularium cap. 32.

Apud Burgensem ciuitatem monasterium s. Ioannis de Ortega, quod ipse Sanctus ædificauit, & in eo sepultus iacet. olim canonicorum regularium, nunc eremitarum ordinis sancti Hieronymi Relat. Lusitana.

Apud eandem ciuitatem monasterium s. Ioannis de Ortega, quod ipse Sanctus ædificauit, & in eo sepultus iacet. olim canonicorum regularium, nunc eremitarum ordinis sancti Hieronymi. Relat. Lusitana.

Apud eandem ciuitatem aliud monasterium canonicorum regularium sanctæ Mariæ della Serra. nuncupatum. nunc dictorum eremitarum. Relat. Lusitana.

In eadem ciuitate monasterium s. Dorotheæ, item aliud monasterium s. Ildesonsi. item monasterium s. Mariæ de la Calera, omnia sunt canoniarum regularium ordinis s. Augustini, & sunt valde opulenta. Relat. Lusit.

In Regno Castellæ monasterium s. Barnabæ vulgo del Puerto nuncupatum antea canonicorum regularium, nunc ab Eremitis D. Hieronymi possidentur. Relat. Lusit.

Calarogésis seu Calaguritana Ecclesia prouinciæ Cæsaraugustanæ, olim erat canonicorum regularium, ex Ioanne de Nigraualle Carthaginensis prouinciæ Valentiniæ, olim canonicorum regularium ex eodem Nigraualle.

Cariolamensis ordinis canonicorum regularium. ex eodem.

Cæsaraugustana sancti Saluatoris Metropoli- I II. tana ab illius fundatione māsit regularis vsq; ad annum 1604. quo anno Philippo Secundo Hispaniarum Rege procurante, facta est secularis. Eā verò ab institutione sub beati Augustini Regula, fundatam constat ex libro Prouinciali Romano, & ex omnibus de illa scribentibus. Hæc prius fuerat Meschita Saracenorum magnificenter extructa, quam ob causam Alphonsus Rex Hispaniarum, Cæsaraugusta à Saracenis recepta, Sedem Episcopalem ex Ecclesia s. Mariæ Maioris ad illam, transferendam procurauit, præsertim quòd dicta Ecclesia sanctæ Mariæ Maioris vetustate ferè consumpta collabebatur. Eandem verò Ioannes XXII, cum esset Episcopalis, in Metropolitanam erexit, cui Hoscensem, Tirafonensem, Pampilonensem, Calaguritana, & Segobricensem Ecclesias subiecit ex eodem prouinciali. Porro in eadem Ecclesia floruerunt ex ordine canonicorum regularium in primis beatus Petrus Arbuesius Epilensis, Theologus insignis, & Inquisitor hæreticæ prauitatis, vir eximie sanctitatis, quem in eodem Ecclesia, laudes matutinas recitantem, Neophiti ex Iudaismo conuersi occiderunt, seu potius martyrio affecerunt: nam carne defunctus miraculis coruscat, cuius nunc canonizatio apud Sedem Apostolicam procuratur, vt à viris fide dignis accepi

Secundus D. Martinus Garzias eiusdem, Ecclesie primò regularis canonicus, deinde Episcopus Barchinonensis, Theologus præclarus, & à sacris concionibus Serenissimorum Regum Ferdinandi, & Elizabethæ, qui volumen sacrarum concionum edidit. Tertius D. Didacus Diaconus eiusdem Ecclesie canonicus. hic scripsit libros Physicos satis luculentos, & alia quedā opuscula Theologica non spernenda, vt notat Ioannes Trullo libro primo cap. sexto, quæ ad manus meas non venerunt.

In Diocesi Cæsaraugustana siue in Hoscensi Metropolis Cæsaraugustanæ monasterium s. Christianæ titulo Prioratus vetustissimum, cuius idem, Ioannes Trullo prius sanctæ Mariæ de Pilari canonicus, postea Prior extitit, nunc soluta regulari disciplina in prioratum secularem in Ecclesia Cæsaraugustana erectum.

Cordubensis Ecclesia prouinciæ Hispalensis olim regularis ex Ioanne de Nigraualle. In ea monasterium s. Petri, cuius fuit canonicus Hugo de Folieto S. R. E. Cardinalis, qui multa præclara scripsit teste D. Antonino Archiepiscopo Florentino 2. par. Histor. tit. 18. cap. 2. in principio ex Vincentio Beluac. lib. vigesimo octauo Speculi histor. cap. decimo octauo, & Ciaconio in Innocentio Secundo, & Ioanne de Nigraualle in Epilogo Chronicarum 13.

Compostellanam Ecclesiam Metropolitanam à Saracenis ereptam per Carolum Magnum regulariter fuisse institutam, & in ea per eundem Archiepiscopum, & canonicos secundum B. Isidori Regulam, quam Apostolicam, & ab Augustino descri-

pram superius diximus, collocatos, affirmant Turpinus in vita Caroli Magni cap. 5. sic dicens: *De auro, quod Carolo Reges, et Principes Hispania dedere B. Jacobi Basilicam tunc per tres annos in illis ordo commorans augmentauit, Antistitem, & canonicos secundum B. Isidori Episcopi, & confessoris regulam instituit: eamque tintinnabulis, pallis, libris, ceterisque ornamentis decenter ornauit.* Immo in dicta Ecclesia canonicum institutum, siue regulare vsque ad Innocentium Papam huius nominis IV. durauisse, affirmat Ioannes de Nigraualle, dum inter Doctores Ordinis canonicorum regularium numerat Bernardum Compostellanum Canonicum, & eiusdem Innocentij Capellanum, quem dicit scripsisse super 1. 2. & 3. Decretalium, ac etiam de canonicorum moribus librum vnum.

In Diocesi Compostellana fuit antiquissimum cœnobium canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini, quod S. Eligij nuncupatur, quod circa annum 1170. Ordini militari sancti Jacobi de Spata fuit vnitum, qui ordo & ipse habet canonicos regulares Beati Patris Augustini Regulam profitentes.

In eadem Diocesi Compostellana est Prioratus vetus, qui adhuc ordinem retinet sub vno Priore, & sex canonicis professis, sanctus Ioannes de Cauero nuncupatus, à sancto Rodisindo ante annos octingentos fundatus, qui Rodisindus postea fuit Archiepiscopus Compostellanus. Item alius Prioratus de Sar, verum commendatus, in quo maerent clerici seculares ad nutum Prioris ammouibiles, & capitulo Sarenfi scribit Innocentius III. lib. 2. fol. 371. vbi etiam meminit alterius monasterij de Inquaria.

IV. **D**erturiensis Ecclesia Prouinciæ Taraconensis, quæ ab initio sub Beati Augustini regula fuit instituta, nunc etiam retinet institutum canonicorum regularium, vt patet ex Pontificali Romano, Io. de Nigraualle, & ex proœmio constitutionum Benedicti XII. vt ex relatione virorum illius prouinciæ peraccepi.

Gerundensis Ecclesia eiusdem Prouinciæ Taraconensis inter eas, quæ ab initio regulares extiterunt, recensetur in eodem proœmio Constitutionum Benedictinarum, & à Ioanne de Nigraualle. nunc effecta secularis. In Diocesi Gerundensi est monasterium s. Mariæ de Villa Bertrandi ex libro taxarum Cameræ Apostolicæ.

Guadalupense monasterium sanctæ Mariæ nuncupatum in regno Castellæ fuit vsque ad nostræ ferè tempora collegium præcipuum inter cætera monasteria canonicorum regularium in regnis Hispaniarum consistentia, in quo miraculosam sanctæ Dei Genitricis imaginem seruari, quam cum D. Gregorius, Ciuitate Romana peste laborante, & penè consumpta, publicè in processionibus deferret, auditæ sunt voces Angelorum canentium: *Regina celi lasare, &c.* Multi autores graues affirmant, & illius Prouinciæ constans est traditio affirmans, cum idem Gregorius Leandro Hispalensi

Archipræsuli dono illam misisset, post multos annos Saracenis irrupentibus sublatam, & in quodam Sacello subterraneo absconditam, ibidem mansisse occultam vsque ad Ildefonsium XI. Hispaniarum Regem, eoque tempore ipsa imagine à quodam Pastore detecta, Reges Hispaniarum templum cum primis nobile in honorem B. Virginis ibidem erexit, additoque monasterio canonicos regulares ad diuina in eodem templo peragenda constituisse. Verum cum constet, imaginem B. Virginis, quam D. Gregorius publicè in processionibus tulit, nunc etiã Romæ in Ecclesia s. Mariæ Maioris summa cum veneratione seruari, quã B. Gregorius Leãdro dono misit, aliã fuisse oportet nempe quam secretò in suo quodam Oratorio tenebat. Canonici verò locum tenuerunt vsque ad annum humanæ salutis 1589. quo tempore existente illius monasterij Priore Io. Arias Montano, viro alioquin eruditissimo, res ita est composita, vt ipse monasterio resignato Episcopus Segorbiensis fieret, monasterium verò ex canonicis Regularibus ad Eremitas sancti Hieronymi transfiret. Quod & factum est, & in eundem modum canonici regulares alia collegia in Regnis Hispaniarum amiserunt. Vide Syluestrum Maurolicum pag. 12.

V. **H**ispalensis Ecclesia Metropolitana à Ioanne de Nigraualle inter Ecclesias canonicorum regularium recensetur, & meritò quidem, cum illius Archipræsul fuerit B. Isidorus, quem dubium non est, in ordine canonico in Ecclesijs Hispaniarum restituendo ab ea, cuius ipse erat Episcopus, tantum negotium auspiciari voluisse. Porro in ciuitate, & Diocesi Hispalensi multa sunt collegia canonicorum regularium s. Jacobi de Spata sub D. Augustini regula militantium. Primum sancti Jacobi in Oppido, quod dicitur Vcles, siue Vcles. Secundum sancti Marci de Leao. Tertium, quod de Calera dicitur. Quartum Emeritæ. Quintum s. Jacobi in ipsa ciuitate Hispalensi. Sextum s. Jacobi in ciuitate Granatensi, quæ omnia præfato conuentui de Vcles subduntur. Canonici verò dictorū locorū insignia Ord. D. Jacobi in vestimētis deferunt.

Hyeronensis etiam Ecclesia inter eas, quæ olim erant regulares ab eodem Nigraualle numeratur, sicut & Iulienfis.

In Legionensi ciuitate Prouinciæ Toletanæ est insignis Abbatia canonicorum regularium sancti Isidori nuncupata, ad quam ex Vrbe Hispali ipsius Beati Isidori reliquiæ à Rege Ferdinando primo fuerunt translatae, qui huius monasterij fundator extitit circa annum millesimū decimūseptimum, in eodem tumulatus, in quodam sacello ipsius monasterij sanctæ Catharinæ dicato corpora multorum Regum, & Reginarum Castellæ, & aliorū virorum Illustrium conduntur. Sed præter reliquias B. Isidori Archiepisc. Hispalensis sunt in eodem monasterio, seu in illius Ecclesia corpora sanctorum Vincentij de Aquila, & sororis eius, & mala sancti Ioannis Baptistæ Præcursoris Domini nostri Iesu Christi. Quadraginta canonici hoc cœnobium

biū incolunt; qui omnes capellani Regis existunt, & plures illorum in omni genere scientiarum versatissimi: nam & collegium proprium S. Mariæ de la Viega in Salmanticensi vniuersitate habent, in quo Philosophiæ, sacre Theologiæ, & alijs bonis artibus operam, & studium impendunt. Floruerunt in hoc cœnobio beatus Martinus Abbas dicti monasterij, de quo Ambrosius Morales lib. 12. Historiarum cap. 23. scribit, iam ab antiquis in dicta Ecclesia altare sibi erectum, & in Ecclesia S. Mariæ de la Viega Salmanticæ miraculosam eius scientiæ acquisitionem esse depictam, cui cum nihil in studio literarum proficeret, in oratione pernoctanti sanctum Isidorum apparuisse, & librum deglutiendum tradidisse affirmat, ac cum illo tantum doctrinæ, & scientiæ apprehendisse, vt plures libros, eosq; mirabiles ediderit, quorum aliquos & vidisse, & legisse fatetur. Secundus D. Lucas eiusdem monasterij primū Canonicus, deinde Tudensis Episcopus, qui fuit Chronista Reginæ Berengellæ, & Regum Hispanorum historiam scripsit. De hoc monasterio scribit Nauarrus comment. 3. de Regularibus nu. 7. & 22.

In eadem ciuitate Legionensi est monasterium S. Marci canonicorum regularium S. Iacobi de Spata. Item aliud monasterium S. Ioannis del Mirango, in quibusdam rupibus Regni Legionensis ædificatum, quod nunc etiam incolitur à canonicis regularibus.

In Murcia ciuitate est monasterium canonissarum regularium, quod dicitur monasterium Matris Dei.

In Oscensi diœcesi est insignis Abbatia à Regibus Aragonensibus fundata, quæ vulgo montis Aragonum nuncupatur, in qua canonicum institutum satis floret, de quo Miræus de Collegijs Canonicorum Regularium cap. 32. nonnulla scribit. Huic Abbatix nunc præsidet Martinus Carillo vir sanè doctus, & singularis eruditionis, qui in Iure Canonico plura scripsit, & adhuc scribit.

Oxomensis Ecclesia prouinciæ Toletanæ per multa tempora fuit regularis, & in prouinciali Romano sub Alexandro VI. edito adhuc inter cathedrales, quæ erant Ordinis S. Augustini numerabatur. Huius Ecclesiæ canonicus, & Subprior fuit S. Dominicus fundator Ordinis fratrum Prædicatorum, vt ex Breuiario Romano, & alijs Historicis passim habetur.

VI. **P** Ampilonensis Metropolitana statim post ejectionem Saracenorum per canonicos regulares S. Augustini fuit reformatata, quorum adhuc institutum in illa viget: nam & in prouinciali Romano recensetur inter Ecclesias, quæ sunt Ordinis Diui Augustini. De hac scribit Nauarrus in comm. 3. de Regularibus nu. 17. vbi etiam aliarum quarundam meminit. Huius etiam fit mentio à Ioanne de Nigraualle, & in præmio constitutionum Benedicti XII. In hac metropolitana floruit Martinus de Arles, & Androssilla eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus, qui librum aduersus superstitiones, & sectam

Lamiarum edidit, eiusdem Ecclesiæ fuit Episcopus S. Cerbonius, quem Ioannes de Nigraualle in Catalogo Sanctorū Ordinis canonicorum regularium describit.

In ciuitate Pampilonensi est aliud monasterium canonicorum regularium sancti Petri nuncupatum. In diœcesi verò Pampilonensi est insignis, & vetustissima collegiata S. Mariæ Ronceualles in finibus Regni Nauarræ à Carolo magno, vt fertur, fundata cum hospitali adiacente, & magnis redditibus, & prædijs attributis ditata, cuius extitit canonicus Martinus ab Azpilqueta, cognomento Nauarrus Doctor tum eruditione, tum vitæ integritate toti Orbi notissimus. cuius opera, quòd omnium manibus terantur, præcone non indigent. Hic cum Salmanticensem primam cathedram Iuris Canonici, ac deinde Colimbricensem pluribus annis rexisset, multis laboribus pro Ecclesia Catholica exantlatis, Romæ tandem requieuit octogenario maior, sepultus in Ecclesia sancti Antonij Nationis Lusitanorum cum Epitaphio.

In eadem diœcesi est aliud monasterium canonicorum regularium, quod dicitur sanctæ Mariæ de Vanneuiere, cuius meminit liber taxarum Apostolicarum. In eadem est aliud monasterium vetustissimum tempore Gothorum in môtibus Pirenæis exstructum in Comitatu, qui dicitur Riba Gorza, & vocatur monasterium sancti Petri de Taberna. Istud monasterium Saracenis cæteras Hispanias inuadentibus, ad illorum manus non peruenit, sicut ex antiquissimis monumentis constat, & difficillimis illis temporibus sub Regulari disciplina semper mansit, & adhuc manet: licet alteri monasterio de Ouauere nuncupato vnitum, vt testatur Didacus Murillo in lib. de miraculosa Ecclesia sanctæ Mariæ de Pilari cap. 3.

Ecclesia Palentina prouinciæ Toletanæ à Ioanne de Nigraualle recensetur inter Ecclesias, quæ olim erant Canonicorum Regularium. Cæterum in diœcesi Palentina est monasterium canonicorum regularium, quod dicitur de Beneuiere, vbi triginta canonici resident, & monasterium iurisdictionem spiritualem, ac etiam temporalem habet. In eadem diœcesi in loco, qui dicitur Frias, est aliud collegium canonicorum regularium, quod de Frias dicitur. In eadem diœcesi collegium, quod appellatur Matris Dei clericorum secularium, olim erat monasterium canonicorum regularium. In eadem diœcesi in loco, qui dicitur Hornillos, est collegium sacrarum virginum canonissarum. Item in ciuitate Palentiæ aliud monasterium canonissarum beatissimo Patri Augustino dicatum. Item aliud, quod dicitur de Varro, sub inuocatione Sanctissimi Sacramenti, similiter canonissarum sub sancti Augustini Regula degentium.

Rotensis Ecclesia olim cathedralis in Ripa curtia ab institutione erat canonicorum regularium, vt illius monumenta vetustissima demonstrant.

IN Salmanticensi ciuitate est collegium sancti monialium canonici ordinis, quod sancta Ma- **VII.**
ria

Ff iij

ria de las Duenas vulgo nuncupatur.

In Segouienſi dioceſi eſt monaſterium S. Mariæ de Parace, cuius meminit Nauarrus comment. 3. de Regularibus nu. 9. 17. & 22. & vocat illud auguſtiſſimum. In eadem dioceſi erat aliud monaſterium ſeptem leucis à Segouia, verſus Septentrionem ædificatum, quod per Abbatem perpetuum iuriſdictione, & inſignijs Episcopalibus vtentem, regebatur. Cuius Abbatis prouentus annui octo millia aureorum erant, & totidem alij Conuentui reddebantur. verum nunc prædictum monaſterium, cum omnibus prouentibus Eremitæ D. Hieronymi de Eſcuriali ex donatione Philippi Secundi Regis Hiſpaniarum poſſident.

In Seguntina dioceſi prouinciæ Toletanæ eſt monaſterium, quod dicitur de Villa Vitioſa, iſtud monaſterium fundauit Dominus Aegidius de Albornoz Archiepiſcopus Toletanus, quod multis redditibus locupletauit, & priuilegijs communitum fuit, & S. Blaſio nuncupauit. Verum illud quoque ab eremitis D. Hieronymi opera Regum Hiſpaniarum nunc tenetur.

In Tiraſonenſi dioceſi prouinciæ Cæſarauguſtanæ in oppido Calatao, ſiue Calatambio eſt Illuſtris Abbatia ordinis canonicorum regularium, quæ vocatur Dominici Sepulchri, eo quod illius canonici ſint de congregatione canonicorum Dominici Sepulchri Ieroſolimitani. meminerunt huius Abbatia Aubertus Miræus de collegijs canonicorum regularium cap. 32. & alij. Canonici dictæ Abbatia inſignia Regni Ieroſolimitani in externis veſtimentis deferunt. Habent collegium canoniſſarum eiſdem inſtituti intra ciuitatem Cæſarauguſtanam. de congregatione Dominici Sepulchri inferius ſuo loco dicemus.

Tarraconenſis Eccleſia metropolitana, quæ ab initio fuit regularis, vt ex prouinciali Romano, & ex vetuſtis illius monumentis habetur, nunc etiam inſtitutum canonicorum regularium tenet. Habuit Eccleſia Tarraconenſis viros ſanctiſſimos tum Episcopos, tum etiam canonicos, quos Ioannes de Nigraualle Apoſtolicus Bibliothecarius in album Sanctorum canonici ordinis reponit, videlicet ſanctum Fructuolum Episcopum, ſanctum Aemilianum canonicum, & ſanctum Badulphum, quem nominat Abbatem canonicæ Tarraconenſis. vnde præter cathedralem oportet aliam in Tarraconenſi ciuitate canonicam fuiſſe, in qua ille Abbatis munere fungeretur: nam Eccleſiæ cathedrales Abbates non habent, ſed Episcopos loco Abbatum canonicis, præſunt.

Apud Torquemaram eſt monaſterium canoniſſarum vulgo dictum de Bertauillo, à quodam Comite nomine Domno Parancuelo fundatum.

VIII. **D**E Toletana metropolitana referunt grauiffimi Auctores teſte Iacobo de Ayerue Priore S. Mariæ maioris Cæſarauguſtanæ, illam ſtatim à Saracenis recuperatam D. Auguſtini Regulam ſuſcepiffiſſe, quippe quæ cum alijs Eccleſijs Hiſpanicis ante irruptionem Saracenorum Auguſtinianum in-

ſtitutum præſtiteret. Porro apud urbem Toletanā vetuſtiſſimum monaſterium tempore Gothorū fundatum fertur exitiſſe, quod monaſterium Siſtæ ordinis D. Auguſtini ab aſſerto auctore hiſtoriæ Flauij Dextri, & ab alijs quibuſdam eſt nuncupatū. quod ſi verum eſt, de quo non contendo, quandoquidem ab aliquot ſeculis nulla illius vel minima veſtigia remaſerunt, nec eſſe erit dicere, illud canonicorum regularium cœnobium exitiſſe: quandoquidem tempore Gothorum nulli præter canonicos ſub Auguſtini Regula militabant. Nec difficultatem ingerit, quod idem Auctores illius monaſterij accolas non canonicos, vel clericos, ſed monachos nominauerint. quid enim obſtat, aliquem illius hiſtoriæ deprauatorem, aut impoſtorem, vel ex imperitia, vel ex partium ſtudio pro clericis de ſuo cerebro monachos poſuiſſe? præter quod quis neſciat, nomine monachorum ipſos etiam clericos canonicos ob votorum emiſſionem, ſæpius nuncupatos? vide quæ de hac re notauiſſimus lib. primo cap. 37.

Prope ciuitatem Toletanam inſignis Collegiata, quæ ſanctæ Eleucadiæ dicitur, ab inſtitutione canonicorum regularium exitiſſe conuincitur ex eo, quoniam illa Eccleſia à tempore antiquiſſimo Abbatem habere conſueuit, quemadmodum ex Iuliano Tolerano refert frater Ioseph de Siguentia Eremita Ordinis Diui Hieronymi in Chronica ſui Ordinis libro primo capite decimo tertio, ſub anno 1375. Abbates autem, ſicut & Priores, non niſi Eccleſiæ Regulares olim habebant.

V Num reſtat, quod fuerat olim apud eandem urbem Toletanam vetuſtiſſimum Agalienſe cœnobium, multis quidem titulis cum primis celebre, ſed præſertim in habitatione Sanctiſſimi viri Ildefonſi Beati Eugenij Toletani Archiepiſcopi nepotis, & in Archiepiſcopali munere ſucceſſoris, qui in eodem cœnobio Regularis vitæ inſtituta ſanctiſſimè ſuſcepit, & multo tempore profeſſus fuit. Super hoc cœnobio non me latet controuerſiam inter Diui Benedicti monachos, & Regulares Canonicos exortam, dum illud quique in ſuas partes traducere nituntur, in qua ne ſi abſque fundamento probabili inter monaſteria canonicorum retulero, abacti peccatis accuſer, ſi verò nulla cogente ratione monachorum Ordini conceſſero, neglecti gregis reus dijudicet, id ſolum referam, quod Doctor Franciſcus de Piſa lib. 2. Hiſtoriæ Toletanæ de hac ipſa controuerſia ſcribit. *Non minor, inquit, eſt difficultas in veriſicando, cuiuſnam Ordinis Regularis ex tunc approbatiſſimo fuerit monaſterium Agalienſe, cuius fuit monachus ſanctus Ildefonſus, & etiam Abbas, & ſub qua Regula, & inſtituto monachi illi viuerent, cum certum & conſans ſit, per ea tempora nullam aliam Regulam in Occidente præter Auguſtini, ac Diui Benedicti ſeruari ſoliſſam. Multi affirmant monaſterium ordinis D. Benedicti exiſtiſſe, cuius ſententia ſunt*

Sunt Tritemius, Petrus de Alcozer, & Marieta de Sanctis Hispaniarum, & Michaël Carranza in Vita istius sancti, quæ cum libro eiusdem de Virginitate, B. Dei Genitricis Mariæ habetur. Eidem Fr. Prudentius de Sandoual adheret, secutus cuiusdam opinionem, qui cartas nonnullas in librarij domo solutas inuenit. Primum huius sententiæ fundamentum est nomen Monachi, & Abbatis, quo nomine illi utuntur, qui S. Ildesonsi historiam scribunt, quod professorum Ord. D. Benedicti proprium videtur. Verum Breuiarium Toletanum, quod per multos annos Ecclesia prædicta in usu habuit, nimirum ab urbe recuperata, usque ad reformationem Pij V. clarè dicit, & repetit in octaua lectione, illud fuisse canonicorum regularium. Idem ait liber ille vetustus de Vita sanctorum Isidori, & Ildesonsi, ex Bibliotheca sanctæ Ecclesiæ, scilicet Toletanæ aliàs allegata. Idem etiam habebant libri Flos sanctorum nuncupati, qui vulgari idiomate circumferebantur ante editum librum à Magistro Villegas, quorum vnus à quodam fr. sancti Hieronymi, alij ab alijs longè antea fuerunt editi. Id ipsum Ioannes Trullo Prior sanctæ Christianæ lib. 1. de Ord. canonicorum regularium c. 6. scribit, nixus autoritate Fr. Alphonsi de Orozco in Chronica ord. D. Aug. Nec mirum quod fratres Augustiniani, & Monachi Benedictinenses hunc sanctum adeo illustrem quique in numero suorum habere velint, quemadmodum de stirpe Homeri post illius obitum multæ urbes decertauerunt. Vtraque opinio probabilis videtur, nec in tanta controuersia iudicem volo agere, eligat quisque, quod magis probauerit. hoc solùm aduerto in nomine Abbatis. quod huius monasterij præfecto tribuitur, parum momenti constitui, quandoquidem ante institutum ordinem D. Benedicti, inter eos, qui eremum colebant, iam in usu erat. Sed nec ipse D. Ildesonsus in suo libro de Viris illustribus eiusdem cænobij Præfectum Abbatem vocat, sed Rectorem. multò minus vim facit nomen monachi, quod omnibus communem vitam simul ducentibus commune est, à græco nomine Monos derivatum, quod significat vnum, & est illorum omnium proprium, qui in commune viuentes plures vnum sunt, habentes scilicet cor vnum, & animam vnã, sicut in Actis Apost. legimus. Ita etiam eleganter idè August. in psalmum 132. qui incipit: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum ostendens se, & suos in Congregatione secum viuētes iure, & propriè monachos vocari potuisse. Quare, inquit, nos non appellemus monachos, cum dicat psalmus: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. & alia subiungit, quæ ibi videri possunt, & idem habet in serm. 53. ad fratres in Eremito, qui est de Communi vita Clericorum. Hęc dictus autor, ex quibus cum nõ solùm habeatur, ex constantissima totius Ecclesiæ Toletanæ traditione & illius Breuiario, ac etiam autoribus, qui de vita s. Ildesonsi usque ad tempora Pij V. scripserunt, monasterium Agaliense non monachorum, sed canonicorum regularium extitisse, verum etiam euersio

fundamenti contrariæ assertionis, quod in solo nomine Abbatis, vel monachi constitutum est, cum ante & post exortum D. Benedictum tam canonici regulares, quàm monachi, Abbates habere consueuerint, cum etiam nomen monachi, si vim nominis attendamus, & illius vsus apud grauissimos autores in more positum, æquè conueniat ipsis canonicis regularibus, vt lib. 1. cap. 38. deducimus. mirum sanè videtur, Hispanos, qui tantam vim in suarum Ecclesiarum traditionibus constituunt, antiquissima traditione totius Ecclesiæ Toletanæ inter Ecclesias Hispaniarum facilè principis recepta per annos circiter quingentos, nimirum ab ipsa Ecclesia recuperata, quod accidit ante annum circiter 1080 usque ad Pium V. qui obiit anno 1572. eadem nunc posthabita, contrariam sententiam amplexatos, nullo alio fundamento nixos, nisi quod sanctum Ildesonsum monachum dictum inuenerunt, quod tam infirmum est, vt vix dignum sit in illius infirmitate monstranda laborare. Verum de sancto Ildesonso, & illius instituto sermo forsau redibit.

Ecclesia Valentina olim Episcopalis, nunc Metropolitana canonicorum regularium fuisse conuincitur non solum ex Catalogo Ioannis de Nigraualle, verum etiam ex officio proprio D. Patris Augustini, quod more canonicorum regularium etiam nunc recitatur teste Io. Trullo lib. 1. de Canonicis, cap. 3. num. 3. In Ciuitate Valentia est monasterium canonicarum regul. quod vocatur S. Mariæ de Las Duenas. In Metropoli Valentina est aliud monasterium canonicarum sancti Christophori.

In Vrgelleni Diocesi Prouinciæ Tarraconensis est monasterium s. Vincetij de Cardona. Item aliud monasterium Agerense nuncupatum. Idem aliud monasterium s. Mariæ de Solsona, omnia canonicorum regularium ex libro Taxarum Apostolicarum.

Adde tandem ex Nauarro in Comm. 3. de Regularibus præsertim nu. 17. & 22. plures Ecclesias tum Cathedrales, tum Collegiatas, & monasteria canonicorum regularium in Regnis Aragonum, Castellæ, Nauarræ, & Lusitanæ fuisse, quæ ad sua vsq; tempora per canonicos regulares regebantur, et si illorum nomina non ponat, & quidem alia innumera canonicorum regularium collegia per omnes Hispanias olim extitisse, quæ nunc in collegiatas seculares fuerunt conueria, ostendunt dignitates Abbatum, vel Priorum in eisdem Ecclesijs postea retentæ, quæ certè non nisi ex regularibus ad seculares sunt deriuatæ. neque vllam Ecclesiam reperire licebit, quæ ante annos quadringentos eiusmodi dignitatibus fuerit insignita, quæ non fuerit regularis. Vnde audiendus non est in hoc Doctor Franciscus de Pifa dum lib. 2. Historiæ Toletanæ contra Arnoldum Vuion affirmat consuetum esse apud Hispanos, multos collegiatarum Prælatos, & etiam aliarum Ecclesiarum Parochos Abbates nuncupari: id enim (si de titulo vero agitur, non de vulgi

vulgi nuncupatione) verum non est, nisi de Ecclesijs, quæ ab institutione fuerant Regulares, vt capite statim sequenti ex Codice vetustissimo, in Archiuo s. Crucis Colimbricensis seruato euidenter ostendemus.

Caput trigesimumsecundum.

De Ecclesijs, & Monasterijs Canonico- rum Regularium Prouinciæ Lu- sitaniæ.

I.



IN Regnis Lusitaniæ vetustissimam extitisse propagationem clericorum canonicorum, quos regulares dicimus, & in exordio nascentis Ecclesiæ per B. Iacobi Apostoli discipulos inchoatâ, vetus & cõstans illius prouinciæ est traditio. nam quemadmodum ipse beatissimus Apostolus sanctum Athanasium Cæsaraugustanum, ita beatum Petrum Bracharensem in Lusitania Episcopos ordinauit, quos eisdem legibus, & institutis cum suis presbyteris, & clericis viuere præcepit. Confirmant hanc traditionem Ecclesiæ canonicorum regularium vetustissimæ, quas omnes ante annos quingentos, vel sexcentos sub canonica distinctione, & sub beati Augustini Regula vixisse, antiqua illarum tabularia, & monumenta produnt. Cuiusmodi fuerunt Portugallensis, Bracharensis, quæ in prouincia Lusitana primatum tenet, Colimbricensis, Vlyssiponensis, Lirinensis, & aliæ. Nam Portugallensem Ecclesiam canonicos regulariter, & sub D. Patris Augustini Regula vsque ad annum 1185. habuisse, probat liber vetustus in eius Ecclesiæ Cartophilacijs seruatus, qui Censuale nuncupatur, in quo quidem parte sexta titulo de Diuisionibus inter Episcopum, & capitulum fol. 130. hæc habes: *Post mortem D. Ferdinandi Martini Episcopi Portugallensis, qui obiit era 1223. sexto idus Decembris, fuit electus in Ecclesia Portugallensi Martinus Petri Decanus Bracharensis, & postquam fuit Episcopus factus, instituit in eadem Ecclesia nouiter quatuor dignitates, scilicet Decaniam, Cantoriam, Scholasticam, Thesaurariam. Nondum erant in eadem Ecclesia supradictæ dignitates: sed erant omnes regulares sub regula sancti Augustini, dormientes in vna domo, comedentes in alia, & in claustro conuersantes.*

De Bracharensi verò Metropolitana in eodem libro Ecclesiæ Portugallensis idem habetur: inquit enim, dictum Episcopum diuississe redditus, & prouentus totius Episcopatus, qui ante in communi cum canonicis reperiebantur, in tres partes, quarum duas Episcopo reseruauit, tertiam canonicis dimisit, quemadmodum antea factum fuerat in Ecclesia Bracharensi, quæ est mater Ecclesiæ Portugallensis. Porro in Diœcesi Bracharensi erant tres prioratus canonicorum regularium, quorum

meminit Innocentius Tertius lib. 2. fol. 352. in epistola ad Priores Vimarensem de Costa, & de sancto Tornaco.

De Colimbricensi, quæ est in eadem prouincia Bracharensi, liber foundationis monasterij sanctæ Crucis Colimbricensis de beato Tellone eiusdem Ecclesiæ Archidiacono, & dicti monasterij fundatore sic habet: *Hinc enim anno à Virginis partu millesimo centesimo trigesimo primo suscitauit Deus virum quendam præclarum, vitæq; sanctimonia, ac diuinarum literarum glõria excellentem, qui sanctissimum regularis ordinis canonici institutum in Portugallia funditus euersum, excitauit, & in pristinum statum redegit: fuit autem is nunquam satis laudatus Dominus Tello amplissimæ huius Sedis Colimbricensis Archidiaconus, ibiq; canonice obseruantie regularis professus obseruantissimus, ac illius, quæ dicitur sanctæ Crucis Colimbricensis auctor, & parens &c.*

De Vlyssiponensi, quæ nunc est Metropolitana, idem testatur Ioannes de Nigraualle in Catalogo Ecclesiarum regularium Hispanicarum: similiter de Ecclesia Lirinensi, quæ olim erat simplex collegiata, nunc verò erecta in cathedralem, & etiam ex regulari secularem effectam eiusdem Ecclesiæ vetera monumenta produnt euidenter, vt ex relatione ad me ex illis Regionibus transmissa à Reuerendissimo Generali Colimbricensi accepi.

PRæter supradictas verò Ecclesias cathedrales, & alias, quæ ad meam notitiam non venerunt, alias plurimas collegiatas, & monasteria canonicorum regularium in prouincia Lusitana extitisse, quorum nomina, quin etiam & vestigia funditus perierunt, fidem facit liber vetustus in Archiuo sanctæ Crucis Colimbricensis seruatus, in quo ita legitur: *Era 1394. (fuit is annus à Christi natiuitate 1356. quo tempore in Italia propter bella, & schismata ordo canonicus maxima detrimenta accepit) tanta fuit in Portugalia gentium strages, causa magna sterilitatis, & prouentuum penuriæ, quod ex tribus gentium partibus duæ perierunt, tam breui temporis interuallo, ut iam cæmeteria tot mortuorum cadauera minimè capere potuissent. sed iam in illis, quàm extra in antris, quæ ad hoc fiebant quaternæ, senæ, & quotquot poterant, sepeliebantur. quod malum per totam Iberiam, & Galliciam cursauit: quo tempore Saraceni totam Bethicam, omnia solo æquando, infestauerunt, Catholicis multa mala inferentes, & arcem Calpes expugnauerunt. & ob has strages, & sterilitates istorum tam calamitosorum temporum multa monasteria Ordinis canonicorum regularium extinguebantur, eo quod omnes eorum Religiosi, & penè omnes Parochiani moriebantur, & monasteria deserta extiterunt sine habitatoribus. tunc Episcopi cum Ecclesijs recognoscerent, de prædictis monasterijs Abbates Vicarios, & Curiones prospiciebant: & postea multa illorum in cõmendatijs cõuersa sicut nunc, prob dolor, intuemur. Hæc ille. Ex quibus habes, vnde originem apud Iberos habuerit consuetudo vocandi Abbates capi-*

ta Ecclesiarum collegiatarum secularium, ac etiam Parochos: quia scilicet illæ Ecclesiæ antea fuerant Regulares, in quibus deficientibus ipsis regularibus, instituti fuerunt clerici seculares.

I II. **P**orro quæ adhuc in eadem Prouincia Lusitana supersunt canonicorum monasteria, hæc in duplici sunt differentia. nam Aliqua canonicis destituta, vel ex regularibus collegia clericorum secularium, sunt effecta, vel commendata, vel ad alios Ordines regulares translata, illisq; vnita. Aliqua verò sunt, in quibus canonicum institutum nunc etiam per Dei gratiam viget, & floret. Quæ canonicis regularibus omnino destituta, vel facta sunt secularia, vel ad alios Ordines transferunt, hæc sunt, quæ ex Catalogo ab eodem Reuerendissimo P.D. Antonio à Cruce Generali Colimbricensi ad me nuper transmissis accepi, quem totidem verbis hic reddendum iudicavi.

Primum monasterium de Leca, eo quod iuxta fluuium Leca ædificatum est. nunc Ordinis militaris S. Ioan. Ierosolimitani.

2. Monasterium Aquarum sanctarum eiusdem Ordinis Melitæ, siue sancti Ioannis Ierosolimitani.

3. Monasterium collegiatum sanctæ Mariæ, vulgò Sedofoita iuxta Portugallensem ciuitatem. Habet Abbatem, & canonicos seculares.

4. Monasterium de Baucas. fuit comitatus Marialuz. nunc verò possidet illud Academia Colimbricensis.

5. Monasterium in ciuitate Leirinæ, nunc Sedes Cathedralis canonicorum secularium, erat membrum antiquæ congregationis sanctæ Crucis Colimbricæ.

6. Monasterium sanctæ Crucis de Cortes iuxta Augustobrigam. fertur tempore bellorum, quæ inter Lusitanos, & Iberos olim fuerunt deperditum. nunc verò est monialium.

7. Monasterium s. Martini de Mancellis. nunc Prædicatorum Ord. S. Dominici.

8. Monasterium Sancti Andreæ de Anse de eiusdem instituti. habet Asylum, & Iurisdictionem ciuilem.

9. Monasterium Sancti Ioannis Longorum colium, quod possident nunc RR. Patres Societatis Iesu.

10. Monasterium Dominæ nostræ de Carquere. idem Iesuitæ possident.

11. Monasterium s. Ioannis de Roijs, quod incolunt Iesuitæ.

12. Monasterium de Costa iuxta municipium de Guimaraës, quod tenent fratres Eremitæ s. Hieronymi, & est nobilissimum, & magnis redditibus locuples.

13. Monasterium s. Iacobi Dantas. nunc Abbatia secularis.

14. Monasterium de Freyno.

15. Monasterium de Nordelo. nunc Abbatia secularis, & Camera Episcopi Portugallensis.

16. Monasterium de Baldreu, siue Collis Dei.

nunc commendatitium.

17. Monasterium de Biade.

18. Monasterium Sancti Saluatoris de Balneo olim nobilissimum, ex quo Magnus Alphonsus Henricus I. Lusitanorum Rex primos tres Priores monasterij sancti Vincentij Vlyssipponensis accepit. modò commendatum. Ordinis militiæ I E S V CHRISTI.

19. S. Saluatoris de Ribas.

20. Monasterium de Barbaës Limiæ.

21. Monasterium de Requiam commendatitium.

22. Monasterium s. Mariæ de Rates. commendatitium.

23. Monasterium de Sauto in termino Municipij de Guimaraës.

24. Monasterium s. Christophori de Maphoëz. quod Rex D. Alphòsus Henricus multis redditibus ditauit, erat enim iam tunc temporis Oratorium clericorum.

25. Monasterium Cerzedelli.

26. Monasterium s. Torcati.

27. Monasterium Ville Couæ.

28. Monasterium de Airaës.

29. Monasterium S. Andreæ de Tolloës.

30. Monasterium S. Petri de Ferreira.

31. Monasterium de Reflorijs de Ribadaue.

32. Monasterium s. Vincentij de Sernande Lucanæ Diœcesis, cuius etiam fit mentio in libro taxarum Apostolicarum.

33. Monasterium sancti Iacobi de Fonte Arcada commendatitium.

34. Monasterium de Lobao nunc Ecclesia parochialis. Adde ex libro taxarum Apostolicarum.

35. S. Mariæ de Ismagad Diœcesis Lucensis Prouinciæ Bracharensis, quod puto esse commendatum. & Nota, quod aliud monasterium eiusdem nominis ponitur in Diœcesi Laonensi in eodem libro.

CAetera monasteria, quæ nunc etiam institutum canonicum retinent, omnia ad Illustrissimam s. Crucis Colimbricensis congregationem spectant, quæ sola in Regnis Hispaniarum ex ordine Canonicorum regularium inuenitur, in qua regularia instituta maximè vigent, de qua, quòd inferius ex instituto dicendum sit, ne superflua repetitione tempus, & paginas conteramus, hoc solum Catalogum monasteriorum dictæ congregationis, quàm breuissimè describemus, quæ impræsentiarum obtinet: nam ante reformationem alia plura obtinuisse ex illius monumentis antiquis non obscurè indicatur. Habet congregatio s. Crucis Colimbricensis decem, & nouem, eaque præcipua monasteria. quorum

Primum, quod dignitate cæteris præstat, & est caput dictæ congr. in quo illius Prior, seu Abbas Generalis suam ordinariam residentiam habet, est Regium monasterium s. Crucis in Balneo Suburbano ciuitatis Colimbricæ ex donatione Alphonsi Lusitanæ

fitania primùm Ducis, deinde Regis, Ferdinandi Comitis, & Tarasie Reginae filij acceptū, à Sanctiss. viro Tellone Colimbricēsis Ecclesie tunc regularis Archidiacono, & ceteris socijs anno 1131. fundatum, ex quibus vnus fuit sanctus Theotonius primus eiusdem monasterij Prior conuentualis, alter venerabilis Dominus Odorius eiusdem monasterij Prior claustralis. Hoc monasterium maximis priuilegijs Summorum Pontificum, & Regum Lusitaniae, & aliorum Principum munitum, prædijs, Villis, Castris cum Iurisdictione spiritali, & temporalis donatum, magnos viros sanctitate, & omnigena doctrina illustres protulit, & tanquam amœnissimum omnium virtutum viridarium semper floret: propter quæ apud omnes Lusitanos, & Iberos in summa veneratione habetur.

2. Monasterium est s. Vincentij apud Vlyssiponam ab eodem Rege Alphonso Henrico ad plagam Orientalem dictæ ciuitatis anno 1148. Vlyssipona ab infidelibus erepta fundatum, tum ob hoc præcipuè, quòd in eo B. Antonius, Seraphici Ordinis illustrator, de Padua nuncupatus ordinem, canonicorum regularium s. Augustini professus, duobus annis sua sanctissima conuersatione illud decorauit.

3. Est collegium s. Augustini in ciuitate Colimbricensi nuper fundatum videlicet anno 1593. siue potius ex ipso cœnobio sanctæ Crucis, in quo prius fuerat erectum extra in opportuniorem locum translatum.

V. Quartum monasterium est s. Saluatoris de Ecclesiola nuncupatum, duabus leucis à Portugallensi ciuitate distans, anno 922. fundatum, cuius etiam in libro taxarum Apostolicarum mentio habetur.

5. Est monasterium s. Augustini antea s. Saluatoris vulgò de Serra in cacumine montis iuxta fluuium Durium à Ioanne Tertio Portugallie Rege ædificatum.

6. Est s. Saluatoris de Morcra in Diocesi Portugallensi ante annos sexcentos fundatum, vt ex cartis donationum monasterij illius habetur.

7. Sanctiss. Domine nostræ de Nandino ædificatum inter fluuios Durium, & Minium, & est vetustissimum, de cuius antiquitate constat ante annum 1177.

8. Est sanctissimæ Mariæ de Reslorijs propè fluuium Limiam, & oppidum, quod Pors Limia dicitur. Extant cartæ donationis eidem factæ anno 1124.

9. Sancti Georgij propè ciuitatem Colimbriam iuxta flumen Mundan à quodam Comite Colimbricensi ex voto fundatum, & abundantissimis redditibus dotatum. huius monasterij in libro taxarum Apostolicarum mentio habetur, & est taxatum in ducatis octingentis: quod illius opulentiam monstrat.

10. S. Petri de Floques propè municipium de Arganil Colimbricensis Diocesis.

11. Est s. Petri de Paderne iuxta fluuium Mi-

nium, quod de anno 1141. videtur fuisse monialium. postea de anno 1231. Regularium canonicorum erat.

12. Sanctæ Mariæ de Molia in Diocesi Bracharensi apud municipium, quod dicitur Barca. extant monumenta illius antiquitatis de anno 1141.

13. Monasterium sancti Simeonis de Iunqueira. sunt instrumenta permutationum, quæ illius antiquitatem ante annum Christi 1096. demonstrant.

14. Monasterium s. Stephani de Vilella in Diocesi Portugallensi vetustissimum.

15. Villæ Bonæ Episcopi nuncupatum inter Lamicam, & Durium fluuios fundatum anno 990. à Domino Monione Viegas, & Domino Sefnando Episcopo Portugallensi.

16. Sancti Martini de Cramos situm in Diocesi Bracharensi, in quo anno 1123. Prioratum gerebat Gundisaluis Menendi, ex quo illius antiquitas probatur.

17. Est monasterium s. Michaëlis de Villarinho inter Durium, & Minium in Diocesi Bracharensi circa annum 1074. fundatum ex quadam carta donationis.

18. Sanctæ Mariæ de Oliuejra, quod fundauit Dominus Sefnandus de Hueris anno Domini nostri 1033.

19. Est monasterium sancti Martini propè castrum de Anobrega in Diocesi Bracharensi inter Durium, & Minium situatum, quod fundatum fuit era 1174. idest anno Domini nostri Iesu Christi 1136. ex inscriptione in porricu illius Ecclesie seruata.

Hæc omnia ex Catalogo monasteriorum dictæ congregationis à Reuerendiss. P. D. Antonio à Cruce Generali ad me Romam transmissis per summam sunt accepta. de quibus in eadem congregatione fusius dicemus.

VL
F Verunt etiam in eodem Regno Lusitaniae vetustissima collegia sacrarum Virginum canonicarum, ac in primis in fundatione monasterij sanctæ Crucis Colimbricensis constructum fuit claustrum separatum illustribus, & nobilibus feminis, quæ contēptis mundi illecebris, Deo sub D. Augustini regula seipsas dicabant, sub obedientia Priorum dicti monasterij, quas Domnas vocabant, vt patet ex scheda professionis Domne Monie, quæ talis est: *Ego Monia Martini filia timens Deum, & ultimi diem iudicij trado meipsam Deo, & Colimbricensi monasterio sanctæ Crucis, ac vobis quoque Domino Theotonio eiusdem monasterij Priori, & ceteris canonicis ibidem in perpetuum commorantibus: & offero ibi villam nomine Alma-sum integram iuxta fluuium Mondiu sitam, pro qua ego dedi aliam villam, quæ dicitur Terroso iuxta Durium, &c.* Itemque in veteri libro, quo mortuorum nomina notari solebant, inuenitur Regina Domna Maphaldia sanctæ Crucis Canonica sic notata: *Obijt Domna Maphalda inclita Regi-*

Regina Portugallia Coniux Domini Alphonsi Primi Portugallia Regis, Canonica sanctæ Crucis, nonis Decembris. & filia quædam Regis, nomine Domna Constantia similiter reperitur Canonica. Permanferunt autem dictæ Canonice in eodem monasterio, vsque ad secundam reformationem factam autoritate Apostolica, instante Ioanne Tertio Rege Portugallia, quo tempore ille viuendi modus dictarum Canonissarum fuit abrogatus. Est in Sacello Reliquiarum eiusdem monasterij quædam capsula, in qua ossa vnus ex dictis canonissis seruantur, quæ tum ab antiquis, tum etiam recentioribus in veneratione habetur: licet non de miraculis, sed de monumento solum constet. Erat etiam in sacello IESV intra claustrum eiusdem monasterij Saluatoris Crucifixi Imago vetustissima, quam vnâ dictarum canonissarum alloquutam fuisse, & super petitione iniusta respondisse, nescitis quid petatis, vetus est loci traditio, qua ob illius vetustatem penè consumpta sublata, altera ei similis ob deuotionem, & facti memoriam in eius locum est suffecta, illa vetusta in loco decenti seruata. Præter quas canonicas duo adhuc canonissarum monasteria, vetustissima supersunt, quorum prima fundatio vix inueniri potest, quorum alterum, quod media leuca ab Vlyssipona distat, Chellas vocatur, redditibus, & canonissarum numero abundans. Virginum Vestalium eum locum primitus extitisse, quorundam est sententia, ex quibusdam literis super ædiculæ aditum cælatis hausta, in quo inter Vestales olim Achillem se abscondisse, ne ad bellum Troianum iret, ibique ab Vlysse inuentum, ac ob eam causam nomen Chellas ab Achille eidem loco inditum Historici quidam comminiscuntur, apud quos sit fides. Alterum verò etiam nobilissimum, & vetustissimum intra muros Colimbricenses positum sanctæ Annæ dicitur. Verum istud recens renouatum alium etiam habitum accepit.

Tandem in eodem Regno Lusitaniæ est insigne monasterium canonicorum regularium D. Augustini regulam profitentium ordinis militaris sancti Iacobi de Spata, ac eiusdem Ordinis in Lusitania Metropolis, qui ordo habet etiam monasterium canonissarum propè Vlyssiponam, ad quod nonnisi Domina ex illusterrimis familijs procreatæ admittuntur. Hæc duo monasteria Io. Tertius Portugallia Rex congregationi Colimbricensi per Sedem Apostolicam vniri procurauerat, verum ipso ex hac vita sublato literæ, vnionis iam expeditæ effectum sortitæ non sunt.



Caput trigesimumtertium.

De Propagatione, Ecclesijs, & monasterijs Canonicorum Regularium in Prouincijs Galliarum.



Vis ordinem canonicorum regularium per Beatum Augustinum reformatum primus in prouincias Galliarum inuexerit, quanquam certò decernere, & vt aiunt, digito monstrare non valeam, duo tamen sunt, quorum alterum probabile admodum videtur, alterum autem omnino certum, & constans. quod in hac re probabile, & ferè certum videtur, est, reformationem clericorum à Beato Augustino in Ecclesia Hipponensi inchoatam, ipso adhuc in humanis agente, vel ab eius discipulis, vel ab externis, quibus cum Augustino consuetudo familiaris, causa inquirendarum solutionum grauissimarum quæstionum ad fidem, & religionem spectantium intercedebat, quippe qui ad illum tanquam ad diuinum oraculum in causis grauissimis ex omnibus mundi partibus accurrebant, in alijs quoque prouincijs, præsertim Hispaniarum, & Galliarum fuisse propagatam. Suadet enim hoc in primis necessitudo sanctissimorum virorum Hilarij, & Prosperi cum ipso Beato Augustino, quorum primus se illius filium, & alumnum, & cum fratre, & fratria eidem Augustino valde familiarem fuisse indicat in epistola ad ipsum D. Augustinum, quæ præmittitur libro Diui Augustini de Prædestinatione sanctorum: alter verò licet facie incognitus, tamen per literas Augustino ipsi notissimus, vt illius doctrinæ super omnes alios acerrimus propugnator extitit, vt omnibus patet. Suadent etiam commercia quotidiana, quæ inter Afros præsertim Hipponenses, & Tunetanos, & Gallos Narbonenses, tempore Augustini intercedebant. Nam, & Leporius ex Gallijs discedens, Vtiçæ in Africa Episcopus fuit ordinatus, cui in Pelagianismum lapsò, vt ad sanam fidem reuerteretur, tum Beatus Augustinus, tum in primis Massilienses operam dederunt, quem admodum apud Cassianum in libro de Incarnatione, Gennadium, & alios videre licebit. Sed quod maximè hanc sententiam firmat, ipso Augustino adhuc superstite illius libri præ manibus Gallorum iam plures habebantur, quorum causa Pelagiani, & Semipelagiani magnos tumultus excitabant, pro quibus sedandis, & Catholica Beati Augustini doctrina defendenda, strenuè ijdem Hilarius, & Prosper decertauerunt. quis autem credat, Episcopos, & Presbyteros Galliarum, qui pro fide Catholica tuenda, & explicanda B. Augustini libros tanta diligentia exquirebant, ad compositionem, & cleri reformationem, non

etiam illius vitæ institutum, & regulam pro reformatione clericorum editam ad se deferri, & in suis Ecclesijs plantari, & propagari studuisse? Certè B. Prosper Augustiniani instituti æmulatorem strenuum se ostendit in omnibus libris de Vita contemplatiua, in quibus quæ August. de communi vita clericorum tribus sermonibus scripta reliquit, idem Prosper totidem ferè verbis pro reformatione clericorum Gallicanæ Ecclesiæ notauit.

H. **Q**uod verò in hac re omnino certum est, & in dubium reuocari nequit, est canonicorum regularium institutum sub ipsa tempora D. Augustini non solum in Gallias inuectum, verum etiam per multas Ecclesias Galliarum ampliatur. Nam in Concilio Arelatensi III. quod anno Domini 450. vel circa fuit celebratum sub Leone Primo editus est hic canon: *Providendum necessè est unicuique Episcopo, qualiter canonici viuere debeant, nec non & Monachi secundum ordinem canonicum, vel regularem viuere studeant, ut ait Apostolus, unusquisque in qua uocatione uocatus est in ipsa permaneat.* Qui canon repetitur in Concilio Quarto Arelatensi sub formalibus verbis, cap. sexto, & in Concilio Secundo Turonensi sub Pelagio Primo celebrato cap. vigesimo nominantur canonici, & ne quis dicat, illos fuisse canonicos regulares, legat Concilium quartum Arelatense cap. 8. ubi statuit, vt in monasterijs canonicorum, vel monachorum, vel puellarum non amplius suscipiantur, quàm ratio permittit, & in eodem monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possint. Legat etiam Concilium Tertium Turonense anno 813. celebratum capite vigesimo quarto statuens, vt canonici, & clerici ciuitatum, qui in Episcopijs conuersantur, in claustris habitantes omnes simul in vno dormitorio dormiant, simulque in vno reficiantur refectorio, &c. cap. sequenti ubi statuit: *Simili modo Abbates Monasteriorum, in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc uidesur esse, sollicitè suis prouideant canonicis, ut habeant claustra, & dormitoria, in quibus simul dormiant, simulque reficiantur, horas canonicas custodiant, &c.* Hi enim canones euidenter probant, nomen canonicorum de antiquo tempore ante annum octingentesimum, nonnisi ad designandos clericos regulariter in claustris, & monasterijs, communiterque viuentes usurpatum, omnesque clericos canonicos nuncupatos regulares fuisse, vt vel ipsum nomen canonici absque alia probatione ostendit, quod etiam eleganter Renatus Choppinus in suo monastico titulo tertio, §. decimo quarto notauit, estque textus expressus cum sua glossa in cap. omnibus de Consecrat. distinctione quinta. Hinc etiam deducitur, ab antiquissimo tempore ante Concilium tertium Turonense fuisse in Gallijs, immo, & in tota Ecclesia Dei, canonicos in Monasterijs sub Abbatibus degentes, quin, & illos, qui in monasterijs sub Abbatibus, & in Episcopijs sub Episcopis debebant, eisdem

prorsus regulis vixisse, & consequenter eiusdem instituti extitisse. Vnde habes, quo Abigeos repellas, qui statim atque in aliquo monasterio Abbatem inuenerint, totam familiam ad caulas monachorum abigere volunt. Sed videatur capite trigesimo primo eiusdem Concilij Turonens. quod de canonicorum monasterijs disponit, iunctis ijs, quæ statuta sunt in Concilio Moguntino sub Leone Tertio celebrato capite vigesimo, & vigesimo primo, & in Concilio Meldensi capite quinquagesimo tertio, & quinquagesimo octauo, pro reformatione canonicorum in monasterijs commorantium.

Hoc vnum addiderim, ipsam D. Augustini institutionem, siue potius canonici ordinis restitutionem, tam cito per omnes Galliarum Ecclesias dilatam, vt dixerit venerabilis Petrus Cluniacensis D. Bernardi contemporaneus libro tertio, epistola vigesima octaua olim in omnibus Cathedralibus, & collegiatis fuisse canonicos regulares in communi viuentes. Sed & Archidiaconus in capite Quæsitum, prima, quæstione tertia, testatur, omnes Cathedrales Galliarum antiquitus vocatas fuisse monasteria. tanta quippe deuotione, ac honore ipsi Galliarum Antistites, immo & Principes, ac Reges ipsam canonicam institutionem colebant, præsertim Carolus Magnus, & Ludouicus eius filius, & regni, ac Imperij dignissimus hæres, & successor, vt de ipso Carolo Magno scripserint Ioannes Turpinus in eius vita cap. decimo tertio, & ex illo Vincentius Bellouacensis in Speculo historiali libro vigesimo quarto, capite decimo quarto, illum canonicos, & monachos semper ad mensam suam habere voluisse, & Renatus Choppinus in Monastico lib. 1. tit. 3. §. 6. affirmet, illum Imperiali decreto statuisse, vt omnes Galliarum Cathedrales regerentur per ipsos canonicos regulares, quod decretum inter leges antiquas Regni Galliarum per Carolum Magnum editas cap. 115. dicit contineri. Etsi autem laboriosum valde fuerit singulas Ecclesias, ac monasteria, in quibus olim viguit institutio canonicorum regularium, vel nunc etiam viget, distinctè, ac singillatim cum illarum foundationibus recensere, referam nihilominus pauca de multis, quarum mentio, vel in Prouinciali Romano, vel in libro Taxarum Apostolicarum, vel in libro, qui dicitur Practica Cancellariæ Apostolicæ, vel in libris Historicorum illius Gentis, aut alias apud autores graues fide dignos, & non suspectos habetur, in quibus referendis licet Ordo Prouincialis Romani antiqui ante centum annos in multis fuerit immutatus, tamè ne dum ab vno errore cauere volumus, in multos alios recurramus, eiusdem antiqui Prouincialis ordinem aliquatenus sequemur, singulas Cathedrales sub singulis Metropolitanis referentes, sub quibus constituuntur in eodem Prouinciali relicto tamen in reliquis illius Ordinis, & sequendo Ordinem Alphabeti facilioris doctrinæ gratia, hoc vnum aduertentes, nos in Ecclesijs

III.

clesijs, & monasterijs Galliarum recensendis aliqua numerare, quæ non sunt propriè in regno Galliarum, sed in prouincijs finitimis, vt Sedunensiu, Cathalonix, siue Gotix, & Sabaudix, quod prædictæ Ecclesiæ, vel monasteria sub Metropolitanis Galliarum sint constitutæ. Ecclesiæ, & monasteria prouinciarum Galliarum, quarum notitiam venari licuit, hæc sunt.

IV. **A**lbienfis Cathedralis prouinciæ, id est Metropolis Bituricensis, quæ cum ab antiquo tempore esset regularis, & postea relaxata, tempore Bonifacij Papæ Octau, curante Bernardo eiusdem Ecclesiæ præfule, per canonicos regulares fuit reformata, referente Augustino Ticinensi in Dilucidario Christianarum Religionum fol. 32. pag. prima, eam verò ex regulari factam secularem notat Rebuffus in Praxi Beneficiorum, in titulo, de Ecclesiæ erectione in secularem nu. 8.

Aniciensis Cathedralis eiusdem prouinciæ Bituricensis, sed exempta, cuius Episcopus vtitur pallio. ex proœmio libri Constitutionum Benedicti XII. pro reformatione canonicorum regularium editi, in quo notantur Ecclesiæ Metropolitanæ, vel Cathedralis, quæ tunc temporis regebantur per canonicos regulares. Liber impressus fuit Romæ per Magistrum Stephanum Guillereti de Lunariuilla Tullensis diocesis, quo primùm tempore vsus artis Typographiæ obtinere cœpit. Ex hoc Episcopatu, inquit Ticinensis loco proximè citato, assumptum Clementem Papam Quartum, qui postea illum sub arctiori canonicorum regularium obseruantia reformauit. Et dicit hoc haberi ex Constitutionibus ea de causa editis, quas ille fortè vidit.

Abrincensis Cathedralis prouinciæ Rotomagensis. Huius Ecclesiæ meminit Innocentius III. lib. 2. epistola ad Decanum, & Capitulum Abrincensem fol. 284. In diocesi Abrincensi est monasterium Ordinis canonicorum regularium, quod vocatur montis Maurelli. ex libro taxarum Camere Apostolicæ.

Adurenfis Episcopalis prouinciæ Ausitanæ habebat quatuor monasteria Ordinis canonicorum regularium, de quibus Renatus Choppinus in Monastico lib. 1. tit. 1. §. 17. ita scribit. *In diocesi Adurenfi prouinciæ Ausitanæ sunt quatuor monasteria canonicorum regularium, qui ab annis sexaginta citra facti sunt seculares.*

V. **A**mbianensis Cathedralis antiquitùs erat Regularis, ex Ioanne de Nigraualle in Catalogo Ecclesiarum Regni Gallici Regularium, qui autor est fide dignus, quia fuit Bibliothecarius Apostolicus, & dictum Catalogum ex Archiuis Ecclesiæ Romanæ collegit: & quia in omnibus veridicus inuenitur, hoc excepto, quòd aliquos viros, & etiam Ecclesias refert in Catalogum Canonicorum, qui sunt, vel fuerunt de Ordine monachorum, quippe quia inuenit illos regulares, sed non inuenit cuius Ordinis essent professores, quod semel monuisse sufficiat. In ciuitate verò Ambianensi

est monasterium Abbatiale sancti Martini apud Gemellos Congregationis Victorinæ, vt Auberus Miræus in lib. de Collegijs canonicorum regularium cap. 49. scribit. *Ante altare notatur locus, in quo sanctus Martinus adhuc Cathecumenus, & postea Turonensis Episcopus clamydem suam scidit, & pauperi petenti dedit: fuit enim eo loci olim Urbis porta: quæ omnia volupe nobis fuit ex adiuncta inscriptione discere, cum ante annos aliquot Ambiani essemus.* Secundum etiam reperitur ibi monasterium Ordinis canonicorum regularium, dictum sanctæ Mariæ de Visignolo. Tertium quoque sancti Petri Ambianensis, cuius fuit canonicus S. Domicius Confessor, ex Ioanne de Nigraualle in Catalogo sanctorum Canonici Ordinis, nunc ordinis Præmonstratensis. Horum trium fit mentio in lib. taxarum Camere Apostolicæ. Quartum quod dicitur Spissi campi in diocesi Ambianensi, cuius meminit Innocentius III. lib. 1. fol. 116: in epistola ad N. Episcopum Ambianensem, pro eodem monasterio missa, ita scribens. *Autoritate tibi presentium indulgemus, vt nisi dilectus filius Abbas sancti Martini de Gemellis Canonicos sui Ordinis in domo Spissi campi, quam eius Ecclesiæ Religionis obtentu ad instituendos ibidem sui Ordinis fratres, liberalitate propria concessisti, duxerit statuendos, tu post trinam commonitionem vel eiusdem, vel arctioris Ordinis viros instituendi, appellatione postposita, liberam habeas facultatem.* Quintum est sancti N. de Petro moso eiusdem diocesis, quod fundauit Theobaldus Episcopus Ambianensis, vt habes ex literis Innocentij III. eidem Theobaldo Episcopo directis libro secundo fol. 438.

In Andegauensi Episcopatu prouinciæ Turonensis sunt quatuor eiusdem Ordinis monasteria, ex lib. taxarum Camere Apostolicæ, primum sancti Georgij, secundum monasterium omnium Sanctorum, tertium sanctæ Mariæ de Rota, vel vt alij libri legunt de voto, quartum sancti Ioannis Melinensis, cui est vnitus prioratus sanctæ Mariæ de Failleta eiusdem Ordinis.

Aromatensis Ecclesia Cathedralis prouinciæ Remensis erat canonicorum regularium ex Innocentio III. cap. Sane de Regularibus.

Arelatensem Ecclesiam Metropolitanam ab institutione fuisse Regularem, ostendunt Concilia in ea celebrata, & Canones pro reformatione canonicorum regularium ibidem editi. Cæterum institutum canonicorum regularium in eadem Ecclesia vsque ad Innocentium III. immo vsque ad Alexandrū Sextum, vel continuatum, vel reparatum, ostendunt epistolæ eiusdem Innocentij III. Capitulo Arelatensi directæ, quæ habentur lib. 1. fol. 228. ac etiam Prouinciale Romanum sub Alexandro VI. editum, in quo Ecclesia Arelatensis inter Ecclesias Ordinis sancti Augustini numeratur, quemadmodum etiam in proœmio dicti libri Constitutionum Benedicti XII. & in Catalogo Ioannis de Nigraualle. In diocesi Arelatensi erat prioratus

S. Iacobi de Sanicino eiusdem Ordinis, qui anno 1455. per Calistum Tertium mensæ Episcopali fuit vnitus. decipitur tamen Augustinus Ticinensis, dum inter canonicos regulares illius Ecclesiæ numerat s. Honoratum, s. Hilarium, & s. Cæsarium eiusdem Ecclesiæ Episcopos: illi enim regulares, & dictæ Ecclesiæ Episcopi fuerunt, at nō canonici, sed monachi ex monasterio Lirinensi: non tamen tunc Ordinis D. Benedicti, vt alij perperam scribunt, qui nullum monachum, nisi Benedictinum in Occidente fuisse putant: nam per ea tempora necdum Beatus Benedictus natus fuerat.

VI. **A** Venionensis Ecclesia Metropolitana per s. Rufum Apostolorum discipulum fundata, clericos regulariter viuentes secundum regulam Apostolicam vsque ad annum circiter 1480. semper habuit, vt ex omnibus de eadem Eccl. scribentibus apertè liquet. Immo in Prouinciali Romano, quod postea editum fuit, inter Ecclesias ordinis D. Augustini recensetur. Vide quæ de illius fundatione scribit Renatus Choppinus in Monastico lib. 2. tit. 1 §. 20. Hanc Ecclesiam ex regulari secularem fecit Iulianus de Ruere S. R. E. Cardinalis, & Galliæ Legatus anno 1485. qui postea electus summus Pontifex, vocatus est Iulius Secundus.

Propè ciuitatem Auenionensem fuit monasterium s. Rufi circa annum millesimum ædificatum, à quatuor canonicis cathedralibus, quod fuit caput totius congreg. s. Rufi nuncupatæ, quod circa annum 1200. per Albigenes Hereticos est euersum, & canonici Valentiam commigrarunt.

Augustana Prætoria Cathedralis Prouinciæ Tarantasiensis, quæ ab antiquissimo tempore, & ab institutione regularis extitit, nunc etiam institutum canonicorum regularium retinet, qui super veste nigra, quam more clericorum secularium deferunt, hastam lineam strictam ad latitudinem trium, vel quatuor digitorum in signum regularis professionis omnibus patentem portant. Quæ Ecclesia, vel hoc solo titulo ab omnibus regularibus canonicis digna est venerari, quòd illius fuerit Archidiaconus s. Bernardus, non ille Clareuallensis Abbas, sed canonicus regularis, & multorum signorum patrator, inter quæ illud præcipuum extitit, quod cum in monte Iouis, nunc s. Bernardi, in finibus Allobrogum Sedunensis Diocesis Iouis statuam, in qua Dæmon responsa, & sanitates dare profitebatur, euertisset, & incolas pessima superstitione, & tyrannide liberasset, Dæmonè adiuratum in aspera, & profunda montium loca ablegauit. quam ob causam factum est, vt Dæmon ad pedes D. Bernardi catena ligatus pingatur: licet per errorem, vel imperitiam à nonnullis hoc factum D. Bernardo Abbati Clareuallensi tribuatur. De quo plura videri possunt apud Carolum Nouariensem Episcopum in sua Nouaria libro decimo. Nam hic sanctus vir apud Nouarienses sua pignora relinquit, quæ in Ecclesia Cathedrali in maxima veneratione habentur. Quod autem ad Ecclesiam Augustanam spectat, idem

autor hæc habet de ipso Bernardo scribens: *Atque ea nocte Augustam petijt, vbi à Petro benignè susceptus, habitum quoque Ecclesiæ canonicorum consensu postea accepit, qui vita, regulæque communi, vt pleraque vetera huiusmodi Collegia utebantur. postea sacris initiatus Ecclesiæ, piè, assidueque canonicis horis inseruiuit, donec Petro mortuo magna Cleri, populique voluntate Archidiaconus, licet inuitus, factus est, anno Domini nongentesimo sexagesimo sexto, cum beatus Vrsus, vt quidam scribunt. Urbis esset Episcopus.* Est in ciuitate Augustana monasterium sancto Vrsu nuncupatum, quod Iacobus Philippus Bergomensis libro duodecimo sub anno Domini 985. à Marchionibus Montiferrati fundatum, & canonicis regularibus cum dote duorum milium aureorum annuorum donatum affirmat. Idem confirmat relatio ex Augusta Prætoria nuper transmissa, licet nunc quod ad redditus spectat, illi nunc valdè imminuti sint, & vix ad duo milia nummorum parui ponderis Sabaudia ascendunt. Ecclesia ob multa insignis est, & prima post Cathedrali in toto Episcopatu Augustano, cuius canonici numero duodecim statutis diebus solemnioribus, in Cathedrali cum illius canonicis ad sacra facienda conueniunt, & in publicis processionibus pariter incedunt. Habet Priorem, qui post Episcopum primam dignitatem obtinet, & insignijs Pontificalibus utitur: Licet iam multis abhinc annis non regularis professus, sed secularis, & fiduciarius esse consueuerit. Præfuerunt tamen eidem monasterio plures canonici professi, tum vitæ sanctitate, tum dignitate insignes, & illustres, ex quibus fuit ipse Beatus Vrsus primùm dicti monasterij, quod antea Sancto Petro Apostolo nuncupabatur, postea ipsius ciuitatis Augustanæ Præful in eodem monasterio, siue in eius Ecclesia, cui postea nomen dedit, honorificè tumulatus. propè cuius sepulchrum iacet corpus Beati Galli Episcopi Augustani. Arnulphus quoque Episcopus Augustanus, Petrus de Palatio Episcopus Augustanus, Bonifacius Episcopus Augustanus, qui pro Beato in veneratione habetur, Herluinus Archiepiscopus Tarantasiensis, qui omnes dicti loci Priores extiterunt. Emericus quoque ex canonico dicti monasterij Episcopus Augustanus, qui pro Beato habetur. Ecclesia sancti Vrsi præter illius sacra pignora, multis reliquijs insignibus est dotata, sunt enim in illa, vna de spinis coronæ Dominicæ, Crux parua ex ligno viuificæ Crucis Saluatoris mundi. Item pars Spongiæ, qua Dominus noster felle, & aceto fuit potatus. Item vna de Costis sancti Petri Apostoli, & alias plures thecis argenteis decentissimè custoditæ.

Prioratus sancti Vrsi, qui etiam curam animarum annexam habet, decem & septem Ecclesias parochiales olim subiectas habebat, nunc vix quinque obtinet, quæ per canonicos dictæ Ecclesiæ regi

con-

confueuerunt. Hæc ex relatione nuper transmissa per summam fideliter collegi.

In Diœcesi quoque Augustana in Oppido Veretij est aliud monasterium canonicorum regularium sancti Aegidij nuncupatum, in quo duodecim canonici residere solent, licet bellis nunc satis attritum, vt ex authenticis scripturis Romanæ transmissis didici. Est etiam in finibus Augustanæ Diœcesis, & Tarantasiensis aliud monasterium ab eodem sancto viro Bernardo in honorem Dei, sanctæque illius Genitricis, & Beati Nicolai fundatum, ac dotatum, quod nunc sancti Bernardi dicitur, de quo idem Carolus Nouariensis Episcopus hæc habet: *In alia item montis parte Diœcesis Tarantasiensis columnam esse (scilicet audiuit) cui carbunculus erat impostus, quem illius statuae oculum vocabant, dicebantque per eum linguores hominum a loue longè prospici, & curari. & infra: Atque eo loco ad honorem Dei, eiusque sanctissime Matris, & patroni sui Nicolai Ecclesiam, ac cœnobium instituit, Monachorum, seu Canonicorum, quod quidem primò bonis, qua in sua erant potestate dotauit: deinde etiam Ricchardo Patri, & Bernardo patruo persuasit, vt alia bona largirentur, ex quibus magni hodie quoque sumptus ad canonicorum alimenta, aduenarumque omnium hospitium suppeditantur. Monasterium ab Augusta, qua in Gallias itur, distat ferè iter diei, & nomine sancti Viri appellatur, &c.* Aliud demum est monasterium in eadè Diœcesi canonicorum regularium, quod sancti Bernardi parui ad differentiam alterius, de quo nunc dictum, vocatur, de quo idem Carolus Episcopus ita subiungit: *Cumque alia Ecclesia, & Cœnobium aliud eiusdem nominis sit postea constitutum, primum illud magni nomen acceperit.*

In Aurelianensi Episcopatu Prouinciæ Senonensis sunt duo monasteria ex libro taxarum Cameræ Apostolicæ. primum vocatur sanctæ Mariæ de Balgentiaco, alterum sancti Emirtij.

In Antisiodorensi Episcopatu eiusdem Prouinciæ Senonensis sunt etiam duo monasteria ex eodem libro taxarum Apostolicarum. primum sancti Laurentij de Abbatia. secundum s. Petri Antisiodorensis.

VII. **I**N Bellouacensi Episcopatu est celebris, & antiquissima Præpositura sancti Quintini, de qua Sigibertus, & omnes Historici loquuntur. Fuit enim huius Ecclesiæ Præpositus sanctus Iyo Episcopus Carnotensis, per quem Ordo canonicus in Gallicana Ecclesia relaxatus admodum, & propè collapsus refluuisse perhibetur, & ad pristinam disciplinam restitutus. De antiquitate huius monasterij idem Choppinus lib. 2. tit. 2. §. 1. hæc habet: *Ex consimili Quintiniana Bellouacorum Ecclesiæ exemplo apud Iuonem Carnotensem, quæ communibus stetit Romanorum Antistitum, Regumque Francorum auxilijs, & beneficijjs epistola 280. ad Gotofredum Bellouacensem Episcopum quemadmodum &c. Quo in monasterio*

sancti Quintini, aut Montis Quintiniani Carolus Caluus Gallia Rex Placitum tenuit cum suis Consiliarijs anno 874. ex Aimonij appendice lib. 5. de gestis Francorum cap. 31. Ex quibus videas, istud monasterium esse antiquum ante annos circiter octingentos: neque Diuum Iuonem in eo Canonicam regulam primùm instituisse, sed iam olim institutam reformasse. In eodem Episcopatu videtur esse alia Abbatia sancti Georgij de Boys, cuius idem Rhenatus Choppinus meminit lib. 1. tit. tertio, num. siue §. 16. Item alius Prioratus parochialis sancti Petri de Pemponne, & sancti Martini de Boys, aliàs de la Veronica, apud Bellouacum, cuius idem autor meminit ibid. §. vigesimo primo in Additionibus. Meminit etiam Ioannes de Nigraualle in Catalogo sanctorum canonici Ordinis cuiusdam Abbatia Bellouacensis, cuius fuit Abbas sanctus Marius Confessor.

Bituricensem Ecclesiam Metropolitanam fuisse olim regularium canonicorum, præter Ioannem de Nigraualle fatentur Rebuffus in lib. de Regularibus ad prælaturas nominandis §. ad præmissa, in verbo Priuilegia, & ex illo renatus Choppinus lib. 1. tit. 3. §. 6.

In Diœcesi verò Bituricensi sunt infra scripta monasteria canonicorum. Primum Plenipendense, siue de Pleubendem, quod exstruxit Riccardus secundus Bituricensis Archiepiscopus, & in eo defunctus est anno 1092. Cui monasterio Adalbertus Riccardi successor multa bona est largitus. ex Choppino lib. 2. tit. 3. §. 3. in Additionibus. Secundum est monasterium sancti Ambrosij. Tertium sancti Saturi. Quartum sanctæ Mariæ de Collis. omnium istorum fit mentio in libro taxarum Cameræ Apostolicæ. Quintum sancti Cyrici Exuldensis, de quo idem Choppinus eodem lib. secundo tit. 3. §. 11. refert quandam sententiam Parlamenti Parisiensis ad fauorem capituli dicti monasterij, quæ apud illum videri potest.

Bisuntinam Metropolitanam Prouinciale Romanam inter Ecclesias ordinis sancti Augustini refert. de qua Petrus Damiani in epistola ad Hugonem Archiepiscopum Bisuntinum, quæ legitur inter eius epistolas lib. 3. epist. 8. scribit, vidisse in eadem Ecclesia alterum claustrum, quod dextrum tenebat latus, vbi candidus clericorum cœtus tanquam chorus nitebat Angelicus, qui velut in cœlestis Athenæ gymnasijs sacrarum scripturarum erudiebantur eloquijs, & veræ Philosophiæ solerter incumbabant studijs, seseque sub regularibus exercebant quotidie disciplinis. Subdit ibidem *Nec istud excidit, quia præter istas, duas alias nouiter canonicas vno simul, eodemque tempore construis, vnâ scilicet cum Ecclesia s. Mariæ Magdalene: alteram verò s. ritè teneo cum Ecclesia s. Laurentij.*

Cum autem duas canonicorum regulariter videntium Ecclesias ab eodem Hugone restitutas Beatus Petrus Damianus his verbis narret, al-

Gg iij teram

teram, cuius nomen reticetur s. Pauli, nunc Abbatialem intra eandem ciuitatem fuisse, ex dictæ Ecclesiæ s. Pauli fundatione, & restitutione per Reuerendum adm. Patrem Dominum Ioannem Nardinum illius modernum Priorem collecta, & ad me nuper transmissa, probabile forsan videbitur. Scien dum enim est, præter cathedralem, & alias à beato Petro Damiano memoratas, quasdam alias canonicorum regularium Ecclesias præcipuas fuisse olim in Diocesi Bisuntina, & nunc etiam reperiri, quarum nonnullæ Abbatiali, aliæ Prioratus titulo sunt decoratæ.

Prima Abbatialis est Ecclesia insignis s. Pauli in eadem ciuitate Bisuntina per s. Donatum Bisuntinum præfulem anno Domini 630. sub Regula s. Columbani Abbatis Luxouienfis, cuius precibus eundem s. Donatum Vuandalenus, & Flauia Burgundionum Duces obtinuerat, primitus fundata, deinde post varios casus, & ruinas anno Dom. 1044. per B. Hugonem Bisuntinum Archiepiscopum, qui antea eandem s. Pauli Abbatialem post Albericum Rodulpho Rege iubente, obtinuerat, restituta, collocatis in ea canonicis, quos non amplius sub Abbate, vel præposito, sed sub Decano per fratres eligendo viuere constituit. Constant omnia ex illius testamento, siue ex diplomate institutionis ipsius canonicæ s. Pauli, in quo inter alia sic habet: *Igitur post ordinationem Congregationis Venerabilis Patroni nostri sancti Stephani Protomartyris, quam ex bonis ipsius, quæ quondam malè ablata fuerant, & ex proprio beneficio, necnon ex materna hereditate coadunaueram, diuino prouocatus instinctu, uolui & in sanctæ Dei Genitricis honorem à fundo Ecclesiæ edificare, & canonicorum frequentia pro bonorum exhibitione decorare. Dum autem hæc mecum tacitus reputarem, diu; utrum hoc, aut illud surgendo operi cohereret, consilio haberem, placuit sententiam priorem mutare, nec tamen ab incepto cessare. Abbatia enim s. Pauli olim in eius honore, nunc piissima Virgini Mariæ dicata in meam potestatem uenerat, quam bona memoria prius Abbas dum uixit, Albericus rexerat. Quapropter inquam consulenti potissimum uisum est mihi, ut & quod debebam meæ Mariæ, & que erant in mea potestate bona s. Pauli unirem, unitumq; canonicis ibi Deo, & Matri eius, & beato Apostolo, sanctoq; Anthidio in eadem Ecclesia requiescenti seruiensibus attribuerem. & infra. Rogo obnixè, ne in loco superscripto Abbas ponatur, neque Præpositus ordinetur, quia sapius querunt, quæ sunt propria, negliguntq; fratrum commoda. Decanus ibi constituatur, talis tamen, qui à fratribus eligatur, & qui magis uelit prodesse, quàm præesse. Si quis igitur successorum &c.* Hoc testamentum actum fuit anno 1044. & viginti Episcoporum nominibus subsignatum, quo anno primus canonicorum Decanus nomine Vuirchardus est institutus, perseverauitq; regimen Decanorum in eadem Ecclesia usque ad ann. 1122. postquem annum inuecta est in illam beati Augustini regula, prius enim dicti canonici illam non

habebant, & fortè sub D. Benedicti regula quoquo modo adhuc uiuebant, vel sub aliqua regula ab eodem Archiepiscopo illis præscripta. Hinc inter canonicos exortæ contentiones, quod nonnulli ab arctioris uitæ instituto abhorrent, quæ ann. 1131. per Bisuntinum Archipræsulem ita sunt compositæ, ut canonicis sub B. Augustini regula degentibus Prior præset, cæteris Decanus, & exinde ab illo tempore Decanorum nulla amplius mentio est habita: cum etiam uetisset Innocentius Quartus suo diplomate dato Cluniaci, ne quis, qui beati Augustini Regulam sequi uellet, in beati Pauli cœnobium admitteretur, paulatim defecerunt ibi canonici seculares, & sic tandem in Augustini regulam domus tota consensus, cui primus Abbas præfectus est D. Stephanus de Cicone, qui obiit anno 1258. alijq; Abbates numero tres supra viginti eidem in regimine successerunt, etsi septem posteriores fiduciarij, & non Regulares exiterint. Plura de hoc Abbatiali cœnobio uir eruditissimus Dominus Ioannes Iacobus Chiffletius Patricius Consularis ciuis, & Archiater Bisuntinus in sua antiqua Vefuntione, ex quo ista etiam feruntur excepta.

Conduuntur in dicta Ecclesia corpora Sanctorum Anthidij martyris, & Archiepiscopi Bisuntini sub Honorio, & Theodosio iuniori, Donati, Migetij, Thecnatij. Beati Hugonis, & Vuandaleni Ducis Patris s. Donati.

Manent usque in præsens in eadem Ecclesia canonici regulares sub Priore item regulari, nam Abbas est secularis commendatarius, etsi omnimodam communitatem, & alia regularium instituta non ad unquam seruent, nigris tunicis more clericorum secularium induuntur, super quibus hastam lineam strictissimam deferunt, porro in illorum numerum nonnisi uiri nobiles, vel doctrina clari admittuntur. Eorum Prælati in comitijs prouinciæ, sicut & alij dicti ordinis Abbates locum honorabilem, & votum habere consueuerunt, qui extra clauitrum, rochetrum, cum mozzetta, & desuper pallium, & tonsuram clericalem more Episcoporum deferunt. Ipsi uero canonici in publicis professionibus immediatè post cathedrales incedunt, & habent duo suffragia in electione Archiepiscopi Bisuntini.

Secunda est Abbatialis Ecclesia s. Mariæ de I X. Gollia in oppido Salinarum, quam circa annu Domini 1200. fundauit strenuus, & excellens uir Dominus Gautherus Dominus de Salinis, qui uertur, tria monasteria uno die fundauit, primum de Roserio Ordinis Cisterciensis, secundum s. Mariæ de Gollia, tertium de monte s. Mariæ Ordinis item Cisterciensis. Resident in ea decem canonici regulares sub Abbate fiduciario. huius monasterij in libro Taxarum Apostolicarum mentio habetur.

Tertia est Abbatialis Ecclesia montis Benedicti inter montes altos, & asperos circa annum Domini 1100. erecta seu potius instaurata per illustres uiros Landricum, Amandricum, Hugonem, & Henricum Dominos de Ioulx, & Arfyes, qui totam terram Vallis de Saluegio continentem duas circiter

citer leucas Gallicas in longitudine , & totidem in latitudine cum decimis, varijs iuribus, præstationibus, & iurisdictione temporali obtulerunt. Habet annexam amplam parochiam quatuor millium, & amplius personarum, quæ per canonicos dictæ Ecclesiæ regi consuevit. Pendent etiam ab illa tres Prioratus, scilicet de Valle, de Vllorbio, & de Grandecurtio, primus Abbas nomine Narduinus ab Innocentio Secundo anno 1141. exemptionem obtinuit. Benedictus verò Duodecimus dictæ Ecclesiæ Abbatibus vsu Põtificium concessit. Sunt in ea plures Sanctorum reliquiæ, est etiam Arca lapidea vetustissima quatuor columnis fulta, in qua cuiusdam sancti viri Benedicti nomine corpus dicitur reconditum, quem ferunt ibi loci vitam solitariam agentem, eidem monti Benedicti nomen dedisse. sub ea infantes infirmi positi melius habere consueverunt. Hæc Abbatia per centum ferè annos Abbates habuit fiduciarios, sub quibus in spiritualibus, & temporalibus plurimum fuerat deteriorata. diuino tandem consilio, & pietate serenissimi Archiducis Alberti magno eius emolumento spirituali, & temporalis, Abbatem ex ordine canonicorum regularium professum fortita est Reuerendissimum Dominum Renobertum Cheureton, Sac. Theologiæ Doctorem eruditissimum, & regularis disciplinæ instauratorem zelantissimum, cuius votis vt Deus faueat, obnixè obsecro, quem dictæ Abbatiz restauratorem meritò vocare possumus: Nam ædificia ferè omnia tam in dicta Abbatia, quam in domibus ex ea dependentibus de nouo extruxit, iura vindicauit, redditus auxit, officium nouum Romanum multis libris magno ære comparatis introduxit, disciplinam regularem restituit, & parochiam ei annexam, & vicinis Heluetijs Hæreticis contiguam per absentiam Pastorum à bonis moribus, & verò cultu non nihil errantem, in Religione, & Fide Catholica firmavit.

X. **P** Ræter supradictas verò Abbatias sunt in Bisuntina Diocesi, quatuor Prioratus Conuentuales eiusdem ordinis, qui suos habent Priores canonicos regulares. Primus Lantenenfis. Secundus Matterensis, vterque habens quatuor canonicos. Tertius de Valle, qui tamen habet Priorem fiduciarium, & duos canonicos. Quartus Marodinus, qui habet sex canonicos, sed nuper fuit annexus Ecclesiæ collegiatæ Dolanæ. Sunt etiam plures alij Prioratus Rurales, qui vocantur cellæ dependentes à prædictis duabus Abbatijs sancti Pauli, & montis Benedicti, quæ olim regebantur per canonicos dictorum monasteriorum, sed nunc obtineri cœperunt in Curia Romana.

Meminit tandem alterius canonicæ sancti Martini in oppido Salinarum fundatæ per canonicos sancti Ioannis Bisuntini Innocentius Tertius in epistola ad capitulum s. Ioannis Bisuntini data, quæ habetur lib. 1. fol. 121. in qua inter alia hæc habet. *Inde est, quod cum in Ecclesia s. Martini, quam habetis apud Salinum, iuxta facultates Ecclesiæ canonicorum ordinem velitis instruere, sicut fuit in Au-*

ditorio nostro propositum. Nos vestro proposito grata volumus condescendere voluntate, vobis presenti pagina indulgentes, vt habito assensu venerabilis fratris nostri Bisuntini Archiepiscopi, nullius appellatione, vel contradictione obstanti, laudabile propositum valeatis effectui mancipare.

B Vrdegalensis Metropolitana, cuius fit mentio X I. in cap. Præterea, de præbendis, dum memoratur, quidam Archidiaconus in ea Regulariter professus. in cuius Diocesi est insignis Ecclesia canonicorum regularium in oppido Blauij à Carolo Magno extructa, de qua Ioannes Turpinus, vnde Vincentius Bellouacensis, Antoninus Florétinus, & alij hæc habent in Vita Caroli Magni cap. 29. *Beatum namq; Rolandum super duas mulas tapeto aureo subuectum, pallijs tectum, vsque ad Blaiuum Carolus deferri fecit, & in B. Romani Basilica, quæ olim ipse adificauerat, canonicosq; regulares intromiserat, honorificè sepeliuit, mucronemq; ipsius ad caput, & tubam eburneam ad pedes, scilicet ad decus Christi, & probæ militiæ eius, suspendit. & infra. totam terram, quæ circa Basilicam sancti Romani Blaiuensis miliariorum spatio porrigitur, totumq; oppidum Blaiuense cum cunctis, quæ sibi pertinent, ac etiam mare, quod sub eo est, vsibus eiusdem Ecclesiæ in alodio amore Rolandi dedit, & præcepit canonicis eiusdem loci, ne alicui personæ humana seruitutis officia amplius exhiberent &c.* In eadem Diocesi referuntur alia duo monasteria, videlicet sancti Petri de Bertholio, & sancti Petri de Infula in Medulco. ex lib. Taxarum Cam. Apostolicæ. Meminit etiam Iacobus de Viètriaco canonicorum regularium sanctæ Mariæ Blesensis lib. Historiæ Occidentalis cap. 21. quorum vitam exactam miris laudibus extollit, oppidum autem Blais idem est, quod Blaiuum.

C Habiloniënsis Episcopalis Prouinciæ Lugdu- XII. nensis, quam inter Ecclesias, quæ olim erant canonicorum regularium numerat Petrus sancti Iuliani de Chabilonensibus, & Matisconensibus antiquitatibus, & ex illo Renatus Choppinus lib. 1. tit. 3. num. 6. In Episcopatu Chabilonensi est monasterium sanctæ Mariæ de Mac ex lib. Taxarum Apostolicarum.

In Catalaunensi Episcopatu Prouinciæ Remensis est monasterium omnium Sanctorum, quod Rogerius Secundus Catalaunensis Episcopus fundauit anno 1063. ita Annales Hannoniæ, & ex illis Choppinus lib. 2. tit. 3. §. 3. & Miræus de Collegijs canonicorum regularium c. 40. In eodem Episcopatu sunt alia duo monasteria videlicet sancti Mennini, & sanctæ Mariæ de Virtute, ex libro Taxarum Apostolicarum.

In Carnuteni Episcopatu Prouinciæ Senonensis sunt quinque monasteria canonicorum. Primum sanctæ Mariæ de Burgo medio. Secundum sancti Vincentij in nemore. Tertium sancti Ioannis de Valeia. Quartum sancti Cerauni propè Carnutum. Quintum sanctæ Mariæ de Claro fonte, omnia ex eodem libro Taxarum Apostolicarum.

Gg iij In

In Cenomanensi Episcopatu Prouinciæ Turo-
nensis sunt sex monasteria, ex eodem libro Taxarū
Apostolicarum. primum quod dicitur de bello lo-
co, cuius Abbati scribit D. Bernardus epistola
348. secundum sancti Georgij in nemore, tertium
sanctæ Mariæ de Vadacio, quartum sancti Nicolai
de Oliueto, quintum monasterium fontis Danielis,
sextum sanctæ Catharinæ de Valle, cum duobus
prioratibus sibi vnitis.

Apud Cæsarisburgum monasterium canonico-
rum, quod fundauit Mathildis Imperatrix ex Chro-
nica Normandica sub anno 1116. fol. 1001. in fine

In Claramontensi Episcopatu prouinciæ Bituri-
censis sunt quatuor monasteria, primum dictum de
Cautoin, siue Camptomini, secundum sancti
Amabilis de Rionio, tertium sancti Symphoriani,
hæc tria recensentur in lib. Taxarum, quartum
sancti Ioannis Baptistæ membrum congregationis
sancti Laurentij de Vltio, ex priuilegijs monasterij
sancti Laurentij, & actis capituli Generalis dictæ
congregationis ann. 1342. celebrati.

Apud Compendium est monasterium congrega-
tionis Victorinæ, apud quod nonnulli Galliarum
Reges sepulturam acceperunt, vt ex quodam eius
monasterij canonico, qui ad nos ante annos 25.
nomine Domnus Aegidius transferat, accepi. Est
in oppido Compendij alia insignis Abbatia, cuius
meminit Innocentius Tertius in literis Abbati, &
conuentui Compendiensi directis, in quibus Epi-
scopum Sylanetensem eidem Conseruatorem tri-
buit, & concedit, vt ad illum pro Chrismate, oleo
sancto, consecratione Ecclesiarum, & ordinatione
clericorum eiusdem monasterij accedant. habentur
literæ in 1. lib. fol. 213. nisi sit eadem cum
dicto monasterio congregationis Victorinæ.

Chaigeum Abbatiale cœnobium Ordinis sancti
Augustini, Renatus Choppinus lib. 1. tit. 3. §. 9. in-
quit anno 1514. fuisse reformatum, de quo Rebuf-
fus in praxi beneficiorum, in tit. de forma Vicaria-
tus num. 198. In quo autem Episcopatu, vel prouin-
cia sit constitutum, apud illum quere.

In Episcopatu Corisopitensi prouinciæ Turonē-
sis monasterium s. Mariæ de Doulas ex lib. Taxa-
rum Apostolicarum.

In Episcopatu Constantiensi prouinciæ Rotoma-
gensis sunt duo monasteria, primum s. Mariæ de
Voto, secundum s. Laudi ex lib. Taxarum Apo-
stolicarum.

In Dienfi Episcopatu prouinciæ Viennensis,
vel nunc Ebredunensis, quæ vulgo dicitur Ambrun,
in Delphinatu est prioratus conuentualis s. Mariæ
de Sinardo, cuius Prior interfuit capitulo Gene-
rali congregationis s. Laurentij de Vltio an. 1342.
cum nouem suis canonicis, vt ex actis dicti Capi-
tuli apparet.

XIII. **D**ignensis Episcopalis prouinciæ Ebredunen-
sis in Prouincia erat regularis tempore Ale-
xandri Sexti, vt apparet ex Prouinciali Romano, &
procemio libri Constitutionum Benedicti Duode-
cimi.

In Dolensi Episcopatu prouinciæ Turonensis
monasterium s. Iacuti ex lib. Taxarum.

In Eduensi Episcopatu prouinciæ Lugdunensis
est monasterium s. Mariæ de Ogneo, siue Ognitio
ex eod. lib. Taxarum.

In Ebredunensi Archiepiscopatu vulgo Ambrū
est monasterium s. Mariæ de Brianzona, cum octo
Ecclesijs ad illud spectantibus, membrum congre-
gationis s. Laurentij de Vltio ex priuilegijs dicti
monasterij.

In Eluensi Episcopatu prouinciæ Narbonensis
est monasterium s. Mariæ de Regali ex libro Taxa-
rum.

In Engolismensi Episcopatu prouinciæ Burde-
galensis sunt duo monasteria, primum dictum de
Cella froini, secundum de s. Corona, ex eodem
lib. Taxarum.

In Episcopatu S. Flori, monasterium Piperuicen-
se. ex eodem lib. Taxarum.

In Gaptensi Episcopatu vulgo Gap. olim prouin-
ciæ Aquensis, nunc Ebredunensis, vt Maginus in
Galliæ descriptione obseruat, monasterium sancti
Laurentij belli montis, cuius Prior cum duodecim
canonicis dicto Capitulo Generali congregationis
s. Laurentij de Vltio interfuit, & aliud de Arigio
nuncupatum, quæ sunt membra dictæ congrega-
tionis ex priuilegijs monasterij s. Laurentij.

In Gebennensi Episcopatu prouinciæ Viennē-
sis in Delphinatu sunt quatuor monasteria ex lib.
Taxarum Apostolicarum, primum s. Mariæ de
Abundantia, secundum s. Filiaci, tertium dictum
de Lits, quartum s. Mariæ inter montes, quod est
congregationis s. Rufi ex Catalogo monasterio-
rum s. Rufi relato à Choppino lib. 2. tit. 1. §. 20. in
Additionibus, quæquam in priuilegijs dicatur es-
se in Geneuensi.

Genevensis Episcopalis s. Petri antequam à fide
Catholica ciuitas illa deficeret, vt fieret Synago-
ga, & Sedes Sathanæ, per regulares canonicos te-
nebatur, vt illorum Prouincialium constans est
traditio.

Gerundensis Episcopalis prouinciæ Narbonen-
sis, ex Prouinciali Romano, & procemio libri Cō-
stitutionum Benedicti Duodecimi. In Episcopatu
verò est monasterium s. Mariæ de Villa Bertrandi
ex lib. Taxarum.

Gratianopolitana Episcopalis prouinciæ Vien-
nensis ex dicto procemio constitutionum Benedi-
ctinarum, & ex Prouinciali Romano, illius etiam
vti regularis fit mentio in cap. Per tuas, de voto, &
voti redemptione. de eadem Ioannes de Nigra-
ualle in Catalogo Ecclesiarum Galliarum. In Epi-
scopatu Gratianopolitano est monasterium de Are-
nis, cum viginti Ecclesijs ad illud spectantibus, de
quo in priuilegijs monasterij s. Laurentij de Vltio,
inter cuius membra numeratur.

Hugoniensis Ecclesia in prouinciā Picardiæ, ex
Ioanne de Nigraualle, in eodem Catalogo Eccle-
siarum Galliarum erat canonicorum regularium.

In

XIV. **I**N Lemouicensi Episcopatu prouinciæ Bituricensis sunt quinque monasteria canonicorum. primum s. Galterij Stupeni, siue de Stupeno, secundum s. Petri Stirpenſe, cuius meminit Innocentius Tertius in epistola ad Archiepiscopum Bituricensem, quæ habetur lib. 1. fol. 131. tertium s. Bartholomæi de Beneuento, quartum s. Aniani de Vrsolaco, & Barſolaco. Hæc omnia ex lib. Taxarum, quintum s. Martialis, de quo Renatus Choppinus lib. 1. tit. 3. §. 6. *Canonici inquit s. Martialis Lemouicensis pœnali exemplo territi secularizatione Ecclesiæ s. Martini Turonensis relicto, seculari habitu, se ad monasticam vitam conuerterunt, resie Gaguiño lib. 5. Annalium Francorum.* Aduertendum autem, hunc autorem passim vocare canonicos regulares monachos.

In Lingoniensi Episcopatu prouinciæ Lugdunensis monasterium s. Stephani, & monasterium s. Mariæ de Castiglione ex lib. Taxarum. Ecclesiam Castellionensem ex seculari regularem fecit, s. Bernardus, quod apud illam ab infantia fuerat nutritus, videt in Vita s. Bernardi lib. 1. c. 1.

In Lucionensi Episcopatu prouinciæ Burdegalensis sunt duo monasteria, primum s. Mariæ de Angelis, secundum Fontanellæ nuncupatum, ex eodem lib. Taxarum.

Lugdunensem Metropolitanam Ioannes de Nigraualle inter regulares numerat. In Dioecesi Lugdunensi referuntur hæc monasteria, primum de Belle Ville, secundum s. Reguberti ex lib. Taxarum Apostolicarum, tertium dictum de Platea congregationis s. Rufi ex Catalogo dictæ congregationis. Meminit etiam idem Ioannes de Nigraualle cuiusdam Abbatia Lugdunensis, cuius inquit fuisse Abbates, sanctum Lupicinum, & s. Sequanum canonicos regulares.

Magalonensis Episcopalis prouinciæ Narbonensis fuisse olim canonicorum regularium, conuincitur non solum ex proœmio libri Constitutionum Benedicti XII. sed ex epistola Innocentij III. Episcopo, Archidiacono, & Sacristæ Magalonensibus directæ, quæ habetur lib. 1. pag. 117.

In Monte Pefulano Magalonensis Dioecesis collegium s. Rufi congregationis s. Rufi, cum tribus Ecclesijs ab eo dependentibus, quod fundauit Cardinalis Anglicus, siue Angelicus Grimaldi canonicus regularis dictæ congregationis, vt infra in eadem congregatione dicitur.

In Macloniensi Episcopatu prouinciæ Turonensis sunt tria monasteria ex lib. Taxarum, quorum primum dicitur de Bello loco, secundum Montis fortis, tertium Panis pontis, cum Prioratu s. Bartholomæi sibi vnito.

In Maleacensi Episcopatu prouinciæ Burdegalensis sunt quatuor monasteria, primum s. Petri aureæ Vallis, secundum s. Vincentij de Molio, tertium dictum de Belloforte, quartum de Malo Leone, ex eodem libro Taxarum. sunt in Aquitania,

Meldensis Episcopalis prouinciæ Senonensis ostenditur fuisse ordinis canonicorum regularium ex

Practica Cancellariæ Apostolicæ pag. mihi 126. nã in forma titulorum literarum quæ scribuntur capitulo Ecclesiæ regularis ordinis s. Augustini ponitur Ecclesia Medensis in hunc modum: *Dilectis filijs Capitulo Ecclesiæ Meldensis ordinis s. Augustini:* Vnde constat, in ea institutum canonicorum regularium vsque ad tempora Alexandri Sexti, quibus editus est hic liber extitisse, cæterum in Episcopatu Meldensi recensetur monasteriũ s. Mariæ de Villaco in libro Taxarum. Item s. Saluatoris, cuius Prior fuit constitutus Visitator monasterij s. Crucis Parisiensis vnã cum eius Generali, & duobus socijs referente Choppino lib. 1. tit. 3. §. 26.

Matisconensis Episcopalis prouinciæ Lugdunensis inter eas, quæ ab institutione fuerunt canonicorum regularium notatur à Petro s. Iuliano, de Antiquitibus Matisconensibus, qui dicit, eam sub canonica regula steterisse vsque ad Paulum Quartum, qui eam secularizauit, referente Choppino lib. 1. tit. 1. §. 6.

Narbonensis Metropolitana refertur inter XV. regulares ordinis D. Augustini à Ioanne de Nigraualle, nec mirum, nam de alijs Episcopatibus illius prouinciæ ferè omnibus constat, illos regulares extitisse. In Dioecesi Narbonensi monasterium s. Mariæ de Quadraginta, ex libro Taxarum Apostolicarum.

In Nannentensi Episcopatu prouinciæ Turonensis monasterium s. Mariæ de Burgo propè Pornidium, ex lib. Taxarum.

Nemanensis Episcopalis prouinciæ Narbonensis fuisse canonicorum regularium conuincitur ex c. Ad nostram. de Confirmatione vtili, vel inutili.

In Niuernensi Episcopatu prouinciæ Senonensis est insignis Abbatia s. Martini, eaq; vetustissima, olim tamen Prioratus: nam ante Innocentium II. Frumentius Niuernensis Episcopus multis Ecclesijs illam donauerat, cuius donationem idem Innocentius priuilegio facto 14. calend. Ianuar. ann. 1130. confirmauit, referente Choppino lib. 2. tit. 3. §. 22. in additione, de eadem Miræus de collegijs canonicorum regularium c. 40. qui subdit, ab eadem Abbatia multos Prioratus pendere, quod etiã implicitè notauerat Choppinus.

Niciensis Ecclesia Episcopalis prouinciæ Ebre-dunensis in Prouincia vsque ad nostra tempora, fuit regularis. Verum ab annis duodecim quidam illius Episcopus eam sua autoritate secularizauit: vnde super canonicatum impetratione lites oriuntur, dum idem canonicatus impetratur ab vno tanquam regularis, ab altero tanquam secularis. Eidem Ecclesiæ nunc præest Reuerendissimus Dominus Petrus Franciscus Malletus Vercellensis prius omnibus gradibus Abbatis, Visitatoris, Procuratoris, item & Abbatis Generalis dignissimè per multos annos in congregatione Lateranensi functus.

In Nouiomenſi Episcopatu prouinciæ Remensis sunt duæ Abbatia satis diuites, prout colligitur ex libro Taxarum Apostolicarum, altera s. Mariæ Naumenensis: altera Eligij fontis nuncupata.

XVI. **I**N Parisiensi Episcopatu est Abbatia tum anti-
 quitate, tum Regia munificentia, tum virorum
 sanctitate, & eruditione, ac etiam numero, qui in
 illa floruerunt, inter omnia Occidentis coenobia,
 tam canonicorum, quam monachorum cum primis
 illustris, & caput præclarissimæ Congregationis Vi-
 ctorinæ nuncupatæ, de qua Congregatione, & viris
 præclaris ex illa profectis, quoniam inferius ex insti-
 tuto dicendum erit, nunc ea solum perfunctoriè
 attingam, quæ ad illius foundationem, & antiquita-
 tem spectant. Hanc Abbatiam fundauit Ludouicus
 Galliarum Rex cognomento Crassus iuxta
 murum ciuitatis Parisiensis, in loco Cella veteri nũ-
 cupato circa annum 1113. nam ille triginta circi-
 ter annis regnauit, & anno 1137. obiit, in eadem
 Ecclesia tumulatus, cuius Regio sepulchro sequens
 Epitaphium habetur inscriptum.

*Illustris genitor Lodoici Rex Lodoicus,
 Seruarum Christi vir clemens semper amicus
 Institui fecit pastorem canonicorum
 In cella veteri trans flumen Parisiorum.
 Hanc vir magnanimus almi Victoris amore
 Auro, Reliquijs ornauit, rebus, honore.
 Sancte Dionysi, qui seruas corpus humatum
 Martyr, & Antistes Lodoici solue reatum.*

Conduntur in eadem Ecclesia Reliquiæ B. Tho-
 mæ martyris eiusdem Abbatia Canonici, & Prio-
 ris, qui instar alterius Thomæ Cantuariensis Ar-
 chiepiscopi, & similiter canonici regularis, sed isto
 aliquantò posterioris, pro veritate, & iustitia, & pro
 tuenda Ecclesiæ libertate aduersus intolerabilia
 grauamina, & exactiones Dominorum secularium
 inter brachia Episcopi Parisiënsis à nepotibus Theo-
 baldi Archidiaconi Parisiensis fuit excerebratus
 tempore D. Bernardi Clareuallensis, & Innocen-
 tij II. ad quem spectat epistola eiusdem D. Ber-
 nardi lamentabilis de nece cruenta tanti viri. Ha-
 bet eius sepulchrum sequens inscriptum Epitaphiũ.

*Et lux æterna Thomæ collata Priori,
 Qui meruit martyr iuris amore mori.
 Nouit Bernardus Clareuallensis id ipsum,
 Qui causam scribit, martyrijq; modum.
 Consignata breui clauduntur membra sepulchro,
 Vix tamen acta viri claudis uterque polus.*

In eadem Ecclesia conduntur etiam Reliquiæ
 B. Hilduini primi illius Abbatis, qui apud Parisien-
 ses pro sancto habetur, cum sequenti Epitaphio.

*Hilduinus abiit de castris victor ad aulam
 Idibus Aprilis Rege vocante suo. (tor
 Prima colūna domus, custos gregis, Ordinis au-
 Hoc iacet eterno dignus amore loco.*

Tertius ibi reconditur Beatus Hugo natione Saxo,
 sed à loco professionis, de sancto Victore nũ-
 cupatus, religione, ac doctrina toti orbi notissimus,
 quem non est dubium inter Beatos esse numeran-
 dum, cum de illo scribant Vincentius, & ex illo
 D. Antoninus tit. 18. historia in principio, & alij
 passim, illum ægitudine stomachi laborantem, &
 morti propinquum, & vt sibi sacramentum Eucha-
 ristia afferrent, fratres rogantem, illis quod præ-

stomachi debilitate nullum amplius cibum teneret,
 consilio inuito, sed non salutifero, hostiam non con-
 secratam afferentibus; & Eucharistiam esse simu-
 lantibus, simulationem diuina reuelatione retexis-
 se, illos increpasse, iussisse, vt verum Domini nostri
 IESU CHRISTI Corpus sibi afferrent: eo verò alla-
 to, cum cerneret, se illud sine periculo ob stoma-
 chi debilitatem sumere non posse, ita dixisse: Ascen-
 dat filius ad Patrem, & seruus ad Dominum, qui
 fecit illum. Eo dicto species Eucharistia disparuis-
 se, ac eodem momento illum Domino spiritum
 reddidisse. Cuius sepulchri Epitaphium est huius-
 modi.

*Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo,
 Quam breuis eximium continet vna virũ?
 Dogmate præcipuus, nulliq; secundus in Orbe,
 Claruit ingenio, moribus, ore, stylo.*

Quartus etiam B. Riccardus de sancto Victore,
 cuius scripta toti mundo sunt notissima, in eadem
 Ecclesia tumulatus iacet, eiusdem Hugonis cõtem-
 poraneus, in sepulchro Venerabilis Gualterij Ab-
 batis, & Roberti subprioris positus.

Quintus quoque B. Gaudredus Meldensis Epi-
 scopus, qui obtenta ab Innocentio III. facultate
 cedens Episcopatu, in eadem Abbatia sanctissimo
 sine quieuit.

Sextus B. Riccardus Anglicus, veriùs Scoticus
 alius ab eo, quem proximè recensimus, cuius Epi-
 taphium in ingressu monasterij cernitur æreis cha-
 racteribus in hunc modum inscriptum.

*Tellus quem genuit felici Scotia partu,
 Hunc tegit in gremio Gallica terra suo.*

Sed, & alius eiusdem æui doctor præclarissimus,
 & eiusdem instituti Canonici professor in eadem
 Ecclesia sancti Victoris tumulatus, recensetur à Syl-
 uestro Maurolico in suo libro Mari Oceano nũcu-
 pato Petrus Comestor Historiæ Scholasticæ autor,
 cuius Epitaphium sepulchro appositum sic refert.

*Petrus eram, quæ terra tegit, dictusq; Comestor
 Nunc comedur, viuus docui, nec cesso docere
 Mortuus: vt dicat, qui me videt incineratum,
 Quod sumus, iste fuit, erimus quandoque,
 quod hic est.*

IN eadem ciuitate Parisiensi est alia Abbatia, XVII
 insignis sanctæ Genouefæ ante Eugenium III.
 Collegium canonicorum secularium magni nomi-
 nis, & eruditionis. Caterum anno Christi 1147.
 Eugenio Parisijs existente, canonici regulares sancti
 Victoris in eandem Ecclesiam autoritate Pontificis,
 & Regis Galliarum fuerunt introducti, & seculares
 canonici vitam regularem sunt amplexati. factum
 & causam narrat Surius tom. 2. sub die 6. Aprilis
 in hunc modum. *Paucis deinde elapsis diebus vo-
 luit idem Pontifex in Ecclesia sanctæ Genouefæ my-
 steria diuina peragere: quia Apostolica dicebatur.
 ubi eo ventum est, orta est contentio inter Summi
 Pontificis, & huius Ecclesiæ canonicorum ministros
 adeo, vt ad pugnos res processerit, & non solum Pon-
 tificis ministri, sed etiam ipse Rex Ludouicus, qui il-
 los compercere voluit, à canonicorum illorum famulis*

verbe-

verberatus sit. tanta autem nefaria rei indignitate permosus Pontifex, cum Ludouico Rege tractauit de improborum hominum insolentia dignè castiganda. Visum est autem, in eorum locum alios subrogare homines religiosos, nempe monachos illos, quos nigros vocant: neque tamen Canonicos illos per vim suis præbendis, siue sacerdotijs priuare volebant, erant enim inter eos non pauci nobiles, & literati, sed permittere, ut illis, quoad viuerent, vterentur. Verùm istud Pontificis, & Regis propositum ad aures Abbatis sancti Victoris perlatum est, Pontifici, & Regi valde supplices preces ille obtulit, ut Ordinis S. Augustini professores in eam Ecclesiam introducerentur, multisq; ostendit rationibus, consummates illos facilius ad horum vitam Regularem, quam ad monachorum habitum, & consuetudinem tradendum iri. Pontifex, & Rex his auditis, cum iam exploratam haberent bonam famam illius Abbatis, & fratrum eius, eorumq; institutum præ multis alijs predicari non nescirent, domum quoque sancti Victoris suauè eximia charitatis de se odorem spargere, Abbatis precibus assensere, atque die sequenti electus est in Abbatem Odo Prior homo sanctæ conuersationis, atque totius religionis amator indefatigabilis, adiunctiq; sunt ei duodecim Canonici viri probi, & bonæ estimationis, qui in Ecclesia S. Genouefa commorarentur: atque ex eo tempore in præsens isthic canonicorū S. Augustini institutum in ea Ecclesia conseruatur, ex priuilegio Pontificis Eugenij, & Regis Christianissimè Ludouici. Hæc Surius. Inter canonicos verò, qui B. Augustini institutum in dicta Ecclesia S. Genouefæ illico amplexati fuerunt, vnus extitit Magister Petrus Lombardus Nouariensis noster, Parisiensis postea Episcopus, Theologorum princeps, & magister, qui magister sententiarum nuncupatur. ex Ioanne de Nigraualle Apostolico Bibliothecario in Catalogo Doctorum Canonici Ordinis, Ioanne Philippo Nouariensi in Chronica lib. 5. cap. 14. & Ioanne Baptista Plotio Iureconsulto Nouariense in repetitione, l. si quando, C. vnde vi. & in suo Indice in verbo Nouaria.

Abbas S. Genouefæ habet iurisdictionem temporalem ex sententia Parlamenti Regij Parisiensis, quam refert Renatus Choppinus in 2. lib. Monasticon sæpe cit. tit. 2. §. 15. lata anno 1273. quæ ibi videri potest.

In eadem ciuitate Parisiensi est alia Abbatia canonicorum regularium S. Hilarij, de qua Io. Philip. Nouar. lib. 3. cap. 37. & ante illum Ticinensis in 1. par. Dilucidarij pag. 33. Item in suburbio Parisiensi prioratus S. Lazari eiusdem Ordinis, cuius meminit Aubertus Miræus de Collegijs canonicorum regularium cap. 30. Item in Episcopatu Parisiensi est alia Abbatia S. Mariæ Liuriacensis, cuius fuit Abbas Io. Mauburnus Bruxellensis Theologus clarissimus, & de ordine canonicorum regul. optimè meritus: nam præter Rosetum exercitiorum spiritualium, Defensionem canonici ordinis edidit, sub titulo Venatorij ordinis canonicorum regularium, cuius Molanus in lib. de Sacris Imaginibus, & alij

viri docti, & eruditi meminerunt. In eodem Episcopatu erat alia Abbatia S. Mariæ de Herinale, quæ nunc mensæ Episcopali est vnita, cuius meminit Miræus loco proxime cit. Harum autem duarum postremarum, sicut & duarum primarum in lib. taxarum Cameræ Apostolicæ mentio habetur.

In Petragoricensi Episcopatu prouinciæ Burdegalensis est monasterium S. Mariæ de Cancellata. ex lib. taxarum. In eodem Episcopatu Abbatia de Corona nuncupata, de qua Choppinus lib. 1. tit. 3. num. 8. scribit, fundatam fuisse per quendam virum Religiosum nomine Lambertum anno 1118. cuius est membrum Prioratus cum Cura de la Faye nuncupatus.

Pictauiensis Episcopalis S. Mariæ prouinciæ Burdegalensis à Choppino lib. 1. tit. 1. §. 6. dicitur fuisse olim canonicorum regularium. profert Annales Aquitanos. In Episcopatu verò Pictauiensi multa referuntur monasteria canonicorum in sæpe allegato lib. taxarum. primum sancti Seuerini, cui sunt vniti duo prioratus de Geux, & de Lezaio: secundum de Cella prope Trecas: tertium, sancti Hilarij de Cella, nisi illud idem sit cum secundo: quartum, sanctæ Mariæ de Regali: quintum, sanctæ Mariæ fontis comitis: sextum, sanctæ Crucis de Anglia: septimum, S. Lami de Toarchio: octauum, S. Mariæ de Cella: nonum, S. Petri de Cenephaye Congregationis S. Rufi ex Choppino.

Remensem Ecclesiam Metropolitanam iure XIIIX inter eas, quæ ab institutione fuerunt canonicorum regularium recepit Ioannes de Nigraualle in suo Catalogo, cum illam S. Remigius fundauerit, quem non est dubium, clericum canonicum fuisse, & Ecclesias, quas multas in Gallijs, & in Belgio fundauit, sub disciplina canonica instituisse. Sed & Urbanus II. quem, antequam fieret Abbas monastici ordinis Cluniacensium, regularem prius canonicum fuisse testantur Ciaconius, Onuphrius, Antonius de Butrio in cap. Intelleximus. de ætate, & qualitate. Laërtius Cherubinus in noua compilatione Bullarij Romani, & alij, ipsius Ecclesiæ Remensis canonicus extitit. In ciuitate verò Remensi est insignis Abbatia S. Dionysij cuius etiam fit mentio in lib. taxarum.

In Redonensi Episcopatu prouinciæ Turonensis monasterium S. Petri de Reloio. ex lib. taxarum.

Rotomagensem Metropolitanam sancti Malonis primi illius Ciuitatis Episcopi habuisse olim Conuentum canonicorum regularium, scribit Vitalis Odericus Vticensis lib. 5. Historiæ Normandiæ fol. 558. & post illum Ioannes de Nigraualle in suo Catalogo. In ciuitate verò Rotomagensi est Conuentus canonicorum regularium sanctæ Mariæ Magdalenzæ, qui habet vnitum monasterium canonicarum eiusdem Ordinis, in quo viginti sacre Virgines ad præsens reperiuntur, cum Hospitali etiam adiuncto, quæ omnia sunt sub regimine Abbatis dicti monasterij, vt habui ex scripturis Romam transmissis pro quadam causa, quas ipse vidi.

In.

In Diocesi Rotomagensi est aliud monasterium s. Honorinæ de Graulla, ex quibusdam scripturis in Archiuo s. Mariæ de Pace reperitis.

Sagiensis Episcopalis prouinciæ Rotomagensis tempore Innocentij Tertij erat regularis, ex illius epistola ad Priorem, & fratres Ecclesiæ Sagiensis, quæ habetur in 2. lib. fol. 316.

Salariensis item Ecclesia Episcopalis, cuius prouinciam in Pontificali Romano non inueni. De hac Ecclesia liber Chronicæ Normandiæ ex Bibliotheca Victorina Parisiensis acceptus, & ad calcem librorum Oderici Vitalis Vticensis recens editus, sub anno 1143. ita habet: *Obijt Ioannes Salariensis Episcopus, cui successit Girardus canonicus eiusdem Ecclesiæ, vir iocundus, & admodum literatus. Iste Ioannes rem dignam memoria tempore Regis Henrici fecit, canonicos enim seculares eiusdem Ecclesiæ, regulariter, & secundum s. Augustini institutionem viuere fecit, additis officinis congruentibus, & claustro. Hoc idem Ioannes Luxouiensis auunculus eius, & Gaufridus Carnotensis Episcopi tentare in suis Ecclesijs voluerunt: sed in ipso conatu defecerunt.* Hæc ibi. Reperitur in Burgundia inferiori in Prouincia Bisuntina ciuitas Salinarum vulgo Salins: Verum præter quod nomina omnino non conueniunt, ipsa ciuitas Salinarum Episcopum non habet.

In Sarlatensi Episcopatu prouinciæ Burdegalensis est monasterium sancti Amandi ex libro Taxarum.

In Sedunensi Episcopatu prouinciæ Tarantasiensis est insignis Abbatia s. Mauritij ad radices montis Iouis posita, vulgo Agaunensis nuncupata, quæ notatur in lib. Taxarum Apostolicarum. Cæterum de illius fundatione Choppinus lib. 2. tit. 2. s. 18. hæc scribit: *In Allobrogibus pariter Agaunense monasterium ad radices montis D. Bernardi condidit B. Sigismundus Burgunais Rex Gundebaldi filius, savi Burgundionum Regis circa annum 600. Id quod Sabaudie Chronicis planum fit cap. 157. est Abbatia s. Mauritij nuncupata in Diocesi Sedunensi. Is locus ille est, vbi s. Mauritius cum legione Thebeorum sub Maximiano Cæsare martyrij palmam est assecutus.*

Senonensem Metropolitanam inter Ecclesias ordinis sancti Augustini numerat Ioannes de Nigraulle in Catalogo Ecclesiarum. Porro in Archiepiscopatu Senonensi sunt quinque monasteria canonicorum prout ex lib. Taxarum colligitur, primum sancti Ioannis, secundum sancti Eugenij, tertium sancti Seuerini de Castronantonis, quartum sancti Iacobi de Prouino, quintum sancti Ioannis de Iardo.

In Syluanetensi Episcopatu prouinciæ Remensis Abbatia sanctæ Mariæ de Victoria. de cuius nomine, & fundatione Gaguinus lib. 6. de origine, & gestis Francorum ad finem hæc habet, de sancto Ludouico Rege Galliarum scribens: *Eodem tempore, quo Philippus Ochohem vicit, Ludouicus de Pietauis Victoriam obtinuit, quorum beneficiorum*

gratia Rex, qui in Deum omnia referebat, monasterium, quod Victoriam appellauit, propè Syluanetum edificat, assignatis largissimè annuis prouentibus ijs, qui in eo ministraturi erant canobitis. In eadem Adeleidis Roberti Regis Francorum mater fecit monasterium sancti Frambaldi, in quo posuit duodecim canonicos, referente Choppino lib. 1. tit. 2. s. 17.

In Sylua de Goser nuncupata monasterium canonicorum, quod fundauit Mathildis Imperatrix. ex Chronica Normandica sub anno 1116.

IN Sueffionensi Episcopatu prouinciæ Remensis XIX. propè ciuitatem est Abbatia insignis s. Ioannis in Vineis, de cuius fundatione idem Choppinus lib. 2. tit. 2. s. 20. *Monasterium, inquit, beati Ioannis de Vineis Sueffionum condidit Hugo Castri Theodoricus Dynasta, Regis Philippi Primi auspicijs, anno 1076. rem testante in Aula Manasse Remorum Antistite, & Gotofredo Parisiorum iuri Prefecto Gallie. & in additionibus. Abbatia s. Ioannis de Vineis ex Soisso ns fundata à Domino de Casteau in penitentiam labis Simoniacæ: nam sex Ecclesias parochiales, quibus male usus fuerat, clericis secundum beati Augustini Regulam cedens, vineta, & alia circumquaque eis pro dote canobij tribuit. Quamverò insigniter in eodem cœnobio canonica institutio multis seculis floruerit, illa Cardinalis Iacobi de Vitriaco regularis canonici in lib. Historiæ Occidentalis cap. 21. verba satis indicant, quibus tum illius, tum aliorum paucorum cœnobiorum encomia profequitur in hunc modum. Conuentus siquidem canonicorum regularium sancti Ioannis in Vineis Sueffionensis, & s. Oberti Cameracensis, & s. Mariæ Blesensis, & s. Nicolai de Oegnies, cum quibusdam alijs, quasi pauci racemi consumpta vindemia in virtute Religionis, & feruore Charitatis, & decore honestatis permanserunt: Ascendentes de virtute in virtutem, & odore bonæ vitæ, & sanctæ conuersationis multos allicientes de mundi naufragio ad congregationem suam, tanquam ad securum tranquillitatis portum traxerunt.*

Sed nec illud omittendum, quod Ioannes Philippus Nouariensis lib. 7. cap. 7. testis oculatus refert: *Vidi, inquit, Sueffionensem ciuitatem in Gallia excommunicationi (rectius interdicto) subiactis, diuinus, & non nisi sub silentio diuina mysteria clericos ministrare. In vigilia igitur Assumptionis B. Mariæ Dominus Ioannes Prior canonicorum regularium s. Ioannis in Vineis extra muros eiusdem ciuitatis, assumptis secum tribus canonicis deuotissimis viris, qui nunc omnes defuncti sunt, in monte proximo ciuitati, in loco vbi quondam eremita resederat, ad celebrandum solemnitatem Virginis gloriose secesserunt. Inolinto autem die cantatis Versperis panem, & aquam ore sobrio libauerunt, & Completorio dicto, post orationes deuotas, & longas, membra super nudam humum (desertus enim erat locus, vbi quiescerent) paululum prostrauerunt. Nec mora decentior, Surgunt ad Matutinum, cantant simpliciter, ac deuotè, at vbi ante laudes Prior no-*

nam

nam lectionem ex more finiuit, subito concentus mirabilis insonuit Angelorum, & Responsorium: *Fœlix namque es &c.* altissimis vocibus cantauerunt, quo peracto tantum quatuor ex illa multitudine versum, & Gloria singulariter decantauerunt, multitudine semper respondente. Post repetitionem verò secundam iterato: *Fœlix namque. iuxta morem Gallicum inchoauerunt, & prosequentibus omnibus communiter finierunt: finito autem responsorio factum est silentium Angelorum. Prior autem inchoato: Te Deum laudamus, matutinas cum suis Laudibus perfecerunt, quibus dictis quot singultus, quot lacrymas, quot suspiria in recordatione suauissimi modulaminis ab imò pectoris ediderunt illi quatuor Beatissimi viri, non est nostræ possibilitatis euoluere, vel effari.* Hæc autor, qui tunc Suesione erat, quo tempore ista acciderunt.

In eodem verò Episcopatu Suesionensi sunt alia tria monasteria canonicorum. primum sanctæ Leodegardis: secundum, sancti Medardi: tertium, sancti Crispini, cuius Miræus meminit de Collegijs canonicorum regularium cap. 54. & supra cap. 10. vbi illud numerat inter monasteria Congregationis Aroasiensis. Horum etiam in libris taxarum Apostolicarum mentio habetur.

Seuerensis Episcopalis prouinciæ Ebredunensis in Prouincia erat canonicorum regularium circa annum 1500. ex libro Prouinciali Romano, & ex procemio libri Constitutionum Benedicti XII.

In Sisteriensi Episcopatu vulgo Cisterone prouinciæ Aquensis monasterium, quod Grossiense dicitur. ex libro taxarum.

In loco Soyssi nuncupato prioratus canonicorum regularium, in quo extremum diem clausit B. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, referente Matthæo Parisio in Historia Anglicana sub anno 1240. pag. 730. quem locum dicit à Pontiniaco viginti leucis distare, in qua dioecesi, mihi incompertum.

XX. **T** Arantasiensis Metropolitana. ex Prouinciali Romano, & lib. Constitutionū Benedicti XII supersunt adhuc, qui in ea canonicos regulariter viuentes se vidisse aiunt.

Taruanensis seu Tarmanensis Episcopalis prouinciæ Auxitanæ, ex eisdem Prouinciali Romano, & lib. Constitutionum Benedicti XII. de qua in historia Normandica supra citata sub anno 1185. hæc habes. *Mortuo Venerabili Milone Episcopo Taruanensi electus est Milo eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus canonicus regularis, sicut prædecessor eius fuerat, &c.*

In Tolonensi Episcopatu prouinciæ Arelatensis monasterium Insulæ Arearum. ex Innocentio III. epistola ad Massiliensem, & Agatensem Episcopos. quæ habetur lib. 2. fol. 327.

Tolosana Metropolitana ab antiquissimo tempore vsque ad annum 1500. canonicorum regularium fuisse conuincitur. ex cap. in causa de electione. cap. Præterea. de præbendis, ex Prouinciali Romano. & lib. Constitutionum Benedicti XII. de

qua plura Ticinensis in Dilucidario fol. 32. eam fundauit Carolus Magnus, de quo in Chronica Tolosana scribitur, quòd circa annum 800. in medio ciuitatis Lateritium posuit monasterium, constituens ibi sedem Archiepiscopalem. & multa corpora Sanctorum in ea condidit. In ciuitate verò Tolosana est vetustissimum monasterium sancti Saturnini. Sed & monasterium sancti Romani, in quo S. Dominicus sui Ordinis prima iecit fundamenta, Ordinis canonicorum regularium sub beati Augustini regula viuentium extitisse, conuincitur euidenter ex bulla Honorij III. per quam eundem Ordinem probauit, quæ in Bullario nuper edito legi potest.

Trecensis Episcopalis prouinciæ Senonensis canonicos regulares habuit, quantum ex epistola D. Bernardi ad canonicos Trecenses venari licet. In ciuitate Trecensi sunt duæ Abbatie canonicorum prima sancti Lupi. quæ cum esset antea Præpositura, in Abbatiam fuit erecta anno Domini 1104. Altera S. Martini in Areis, cuius primus Abbas nomine Gulielmus anno 1142. obiit. Ita Miræus lib. cit. cap. 70. ex Nicolao Camuzatio in Promptuario Antiquitatum Trecensium.

In Trecorensi Episcopatu prouinciæ Turonensis monasterium S. Crucis. ex lib. taxarum.

Turonensem Ecclesiam Metropolitanam sub Pelagio Primo, qui vixit anno 560. fuisse Regularem, indicant verba Concilij secundi Turonensis eodè tempore celebrati cap. 20. dum ibi canonicorum Turonensium mentio habetur: tunc enim temporis nomine canonicorum non quiuis clerici, sed soli regulariter viuentes dicebantur, vt supra non semel fuit notatum. Cæterum eam absolutè regularem faciunt Ioannes de Nigraualle in Catalogo, & Ioannes Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 12. in fine dicens: *Scribit quoque Gregorius Turonensis in fine historia Francorum Baudinum Turonis instituisse mensam canonicorum.* In dioecesi verò Turonensi numerantur sequentia monasteria. primum S. Mariæ de Aquauiuua, cui vnitus est prioratus sancti Medardi. secundum S. Mariæ de Gastineta. ex lib. taxarum.

IN Valentino Episcopatu prouinciæ Viennensis XXI. est Illustris Abbatia S. Rufi vetustissima, & caput præclarissimæ olim Congregationis, de cuius fundatione inferius in ipsa Congregatione S. Rufi verba faciemus. In eodem est aliud S. Turci Saone. tertium quoque sancti Bernardi apud Valentiam ex lib. taxarum Apostolicarum. Sed duas etiam alias Ecclesias Conuentuales dictæ Congregationis sancti Rufi fuisse apud Valentiam, alteram foris S. Felicis: alteram intra ciuitatem S. Iacobi, colligitur ex priuilegijs eiusdem Congregationis.

In Viennensi Archiepiscopatu tria monasteria Ordinis S. Augustini referuntur in lib. taxarum. primum sancti Antonij: sed istud est caput Ordinis nuper instituti. secundum S. Petri. tertium S. Andree extra muros.

Vranensis Episcopalis in Comitatu Venusino, &

prouinciæ Auenionensis, nunc etiam est Regularis, de ea Prouinciale Romanum, & liber Constitutionum Benedicti XII.

Vticensis Episcopalis prouinciæ Narbonensis regularis. ex libro Constitutionum Benedicti XII. nam Præpositus Vticensis regularis canonicus literarum Apostolicarum executor est constitutus.

Vngiacensis Abbatia, cuius Abbati scribit Innocentius III. lib. 1. suarum epistolarum pag. 105. & meminit in ea canonicorum, & fratrum dictæ Ecclesiæ.

In Xantonensi Episcopatu prouinciæ Burdegalensis monasterium de Sabuncellis, & monasterium S. Mariæ de Castris ex libro taxarum, quibus addendum monasterium de Perato nuncupatum, pro quo Innocentius III. Episcopo Xantonensi scribit lib. 1. fol. 9. Item prioratus dictus Lampi nouè vnitus monasterio de Corona diocesis Engolismensis eiusdem Ordinis ex lib. taxarum.

Zanzaronensis Metropolitana, cuius mentio habetur in dicto libro Constitutionum Benedicti XII. Verùm in Prouinciali Romano tum vetusto, & manuscripto, tum etiam typis edito, ista Metropolitana sub hoc nomine non inuenitur.

Præter Ecclesias, & Conuentus memoratos, sunt etiam in Gallijs tria capita Congregationum canonicorum regularium. primum est monasterium S. Victoris Parisiensis, cuius Congregatio Augustino Ticinensi referente in Dilucidario fol. 33. triginta Abbatias, octoginta Prioratus, & quadraginta Præposituras, ac etiam multa Collegia canonicarum sub se continebat, quarum maxima pars in Gallijs, quædam verò in Gallobelgica existit: licet modò in Congregatione non uiuant, vt Miræus de Collegijs canonicorum regularium cap. 12. scribit. Secundum est monasterium S. Rufi apud Valentiam, quod habebat 112. Prioratus referente Choppino lib. 2. Monastici tit. 1. S. 20. in additionibus. Ticinensis verò eodem lib. fol. 34. scribit, quingentas Abbatias in varijs partibus seu prouincijs ad normam reformationis S. Rufi fuisse institutas, seu reformatas. Tertium est monasterium S. Laurentij de Vltio in Delphinatu, quod tempore Capituli Gener. suæ Congregationis anno 1342. celebrati 27. prioratus conuentuales cum suis familijs habebat, qui omnes notantur in actis dicti Capituli, & multi ex Prioribus dictorum prioratum Capitulo personaliter interfuerunt, licet nonnulli ex illis in finibus Pedemontium in Italia essent constituti.

Suspicio tamen pleraque dictorum monasteriorum vel iniuria Hæreticorum, vel conditione temporum, quæ nihil sub Sole permanens esse finit, vel incuria Prælatorum, vel tandem auaritia laicorum, nunc canonicis destituta, vel funditus euersa, quod etiam in Italia videmus, ac in alijs prouincijs intueri licebit. Verùm de Ecclesijs, & Monasterijs Gallicarum hæc dixisse sit satis.

Caput trigesimumquartum.

De Propagatione Canonici Ordinis in Hybernia, & de S. Patricio eius insulæ Apostolo, & illius instituto.



Primum Canonici Ordinis in hac I. Insula, quæ priscis Scoria, recentioribus Hybernia, vel Irlandia dicitur, fundatorem fuisse B. Patricium D. Martini Turonensis Episcopi ex sororis filia nepotem, & secundum Hybernensium Episcopum, à Cœlestino Primo Romano Pontifice ordinatum, canonici regulares (nec immeritò) affirmant, præsertim Lateranenses, qui etiam in album Sanctorum sui Ordinis illum referentes, peculiari officio per Sedem Apostolicam probato, quotannis diem eius natalitium venerantur, quam sententiam, quòd nonnullis vel in historia minus versatis, vel oculos non sanos habentibus minus probabilis videatur, priusquam ad vltiora gradum faciamus, non solum probabilem: sed etiam verissimam esse, sequentibus rationibus euidentissimè comprobamus. Et primò quidem B. Patricium canonici instituti non solum propagatorem, verum etiam professorem extitisse, facile intelligent, qui ea legerint, quæ de illius aduentu in Gallias, necnon de clericatu, & habitu regulari à S. Martino Turonensi accepto Gocellinus in eius vita cap. 22. Probus, & alij autores scribunt. *Illum scilicet cum B. Martino Turonensi Episcopo aliquanto tempore demoratum, qui etiam auunculus matris suæ Conquesa fuerat, & quia idem Sanctissimus sacerdotum Carbunculus monachus fuit, cognato suo Patricio monasticum habitum, & eius instituta tradidisse obseruanda, quæ iste deuotè suscepta, actibus respondentibus habitui adornauit, & in eisdem perseuerauit.* Ita enim Gocellinus siue Iocellinus loco proximè citato ad literam scribit. Quis.n. ambigat, B. Martinum illud monasticum institutum nepoti Patricio seruandum tradidisse, cuius ille professor existeret? At verò S. Martini Turonensis monachatum, siue regulare institutum illud idem extitisse cum eo, quod B. Augustinus ex Italia in Africam inuexerat, & in Ecclesia Hipponensi plantauerat, & quo suos clericos Hipponenses instituerat, quodq; cum illis vsque ad obitum eximie obseruauerat, conceptis verbis affirmat Cardinalis Baronius tom. 3. Annalium sub anno 328. num. 22. vbi de monastico instituto clericorum Vercellensium à Beato Eusebio ex Orientali Ecclesia in Occidentalem euectum differens, illudq; miris laudibus extollens subdit: *Quod ipsum præstantissimum vitæ genus S. Martinus Turonensis Episcopus transuexit in Gallias, & S. Augustinus in Africam, qui admirabili connexionem duo hæc, ut dictum est, omnium perfectissima vitæ genera clericorum, & monachorum in unum pariter*

pariter coniungentes, tanquam lucidissimis astris, ut olim martyres tempore persecutionis, Christi Ecclesiam exornauerunt. Ecce tibi, qualis B. Martini monachus fuerit, quem in suam Turonensem Ecclesiam ex Insularibus aduexit, quemque ex illo B. Patricius acceptum, in Ecclesia Hybernensium plantauit, propagauit, & dilatauit, illud inquam, quod B. Eusebius Vercellensis clericis suae cathedralis indidit, quod B. Ambrosius epist. 82. ad Vercellenses, & serm. 69. in Natali B. Eusebij vocat institutum monasticum clericatui adiunctum, quodque B. Augustinus in suam cathedralem Hipponensem introduxit, & ex quo clerici per D. Augustinum reformati Canonici siue Regulares fuerunt postea nuncupati.

Posset haec ratio testimonijs multorum autorum roborari, qui ipsum B. Patricium in Catalogo Sanctorum canonicorum regularium recensent, ut Ioannis de Nigraualle saepe allegato lib. epilogi Chronicarum 13. cap. 18. Volaterrani lib. 21. Antropologiae, Roberti Riccardini in Regulam D. Augustini circa illa verba, & nolite cantare, nisi quod legis esse cantandum, ut Ioannem Trullum, & Augustinum Ticinensem canonicos regulares omittam, ac etiam Gocellinum, quem perperam citat Ioannes Marquez cap. 15. §. 5. dicentem in vita S. Patricij cap. 116. B. Patricium sub D. Augustini regula militasse, vbi nihil tale dicit, sed nec in toto libro. Verum pro omnibus vnus sufficiat Romanus Pontifex Pius V. in Bulla approbationis officiorum Sanctorum Ordinis S. Augustini, quae recitantur in Congregatione Lateranensi, in qua S. Patricium signanter, & nominatim inter sanctos Ordinis canonicorum regularium numerat, & illius historiam, quae legitur in eius officio sub die 16. Martij, similiter probat.

II. **P**orro quod ad alteram eiusdem nostrae assertio- nis partem attinet, ipsum videlicet B. Patricium canonici instituti non solum professorem extitisse, verumetiam apud Hybernos propagatorem, multip- lici argumentatione suadet. & primo quidem ex vetustissima totius Insulae Hybernensium tradi- tione, cuius meminit Vincentius in Speculo Historiali lib. 21. & ex illo S. Antoninus 2. par. tit. 11. cap. 18. in fine, Stanhiurtus quoque, & Matthaeus Parisius, qui historiam Anglicanam ante annos 350. scripsit in Stephano Rege sub anno 1153. pag. 116. editionis Lundinensis, vbi illam hisce verbis refe- rens, haec habet, quae totidem ferè verbis alij auto- res praefati scribunt, de Purgatorio S. Patricij nun- cupato loquentes. *De hoc quoque Purgatorio, & eius origine, quod sequitur, tradunt veteres historia Hybernenses. Magnus Patricius dum in Hybernia verbum Dei predicaret, & multis ibi miraculorum signis coruscaret, bestiales illius patriae homines ter- rore infernalium tormentorum, ac Paradisi amore gaudiorum à mortuis studuit reuocare; sed ipsi pla- no sermone affirmabant, se non conuertendos iri ad Christum, nisi oculata fide prius conspicerent, quae promissit. vnde dum B. Patricius pro salute Popu-*

li in ieiunijs, vigilijs, & orationibus positus Domi- num precaretur propensus, pius Dei Filius apparens ei, duxit eum in locum desertum, & ostendit illi speluncam rotundam, & obscuram intrinsecus, & dixit, quisquis veraciter poenitens, & in fide con- stans hanc speluncam ingressus fuerit spatio vnus diei ac noctis, ab omnibus in ea purgabitur pecca- tis, quibus in tota vita sua Deum offendit: atque eam ingrediens non solum tormenta malorum, sed si in dilectione Dei constanter perseuerauerit, vi- debit & gaudia Beatorum. Sic Domino disponente Beatus Patricius tam pro Domini apparitione, quam pro speluncae ostensione latus sperabat, mise- rum Hyberniae populum se ad fidem Catholicam con- uersurum: & in loco illo confestim Oratorium con- struens, speluncam, quae in Coemeterio est ante fron- tem Ecclesiae circumdedit, & ianuam cum seris appo- suit, ne quis eam sine eius licentia introiret. Cano- nicos Regulares loco illo introduxit, & Priori Eccle- siae clauem custodiendam commisit. Statuens, ut qui- cunque Purgatorium ingredi voluerit, ab Episcopo loci licentiam habeat, & cum literis Episcopi acce- dat ad Priorem, & ab eo instructus Purgatorium in- tret. Multi autem in diebus Patricij Purgatorium introierunt, qui reuersi testati sunt, se tormenta graua pertulisse, & gaudia magna ibidem, & in- narrabilia conspexisse. Haec dictus autor ibidem, & plura alia de visionibus, quas nonnulli dictam speluncam ingressi viderunt, quae cum ex vetustis Hibernensium historijs se accepisse fateatur, con- sentiantque praedicti autores proximè allegati Vin- centius, Antoninus, Stanhiurtus, ac etiam alij, quos refert idem Antoninus in Summa Theologi- ca par. 4. tit. 14. cap. 10. §. 8. vbi de hoc ad lon- gum scribit, sitque apud omnes Hybernenses haec de sancti Patricij Purgatorio traditio tam certa, & constans, quemadmodum à viris illius Insulae fide dignissimis, ac praesertim à Reuerendiss. Domino Ardmachano Archiepiscopo nunc Romae commo- rante accepi, ut de illa nullus sit ambigendi locus, sola sufficere possunt ad Canonici instituti per san- ctum Patricium in Hybernia propagati veritatem demonstrandam.

Nec enim obstat, quod loco citato Vincentius Bellouacensis contra praedictam historiam opponit, illam à multis non recipi, propter illud maximè, quod dicat, animas à Purgatorio liberatas non statim euolare in coelum, sed in paradiso terrestri tanquam in loco quietis intermedio tempore, com- manere, & postea statuto tempore ad patriam per- uenire: nam nullus est ex omnibus, quos de hac re scribentes legere potui, qui dixerit, illud fuisse Purgatorium animarum corpore solutarum, quae à poenis purgatae non statim ad coelum euola- rent: sed inquit, fuisse Purgatorium viuenti- um, qui verè poenitentes illud ingressi, & poe- nas illas atrocissimas siue per veram passionem, siue per imaginariam apprehensionem sustinen- tes, à poenis omnibus pro peccato debitis pur- gabantur, quemadmodum alij infiniti in hac

Hh ij vita

vita degentes pro pœnis illorum peccatis in Purgatorio debitis, hic vel per ieiunia, vel per alia pœnitentiæ opera, vel per Indulgentiarum applicationem satisfaciunt, qui nisi noua peccata admiserint, ex hac vita migrantes ad coelum sine alio Purgatorio statim euolant. Quæ sententia tam probabilis est, & Catholica, vt non possit ab aliquo, nisi in hac parte ignaro, erroris insimulari. Sanè D. Bonauentura in 4. d. 20. par. 1. quæst. vltima in corpore, etsi quæ de dicto Purgatorio sancti Patricij in vniuersum traduntur, fabulosa esse suspicetur, ait tamen D. Patricium impetrasse cuidam, quod puniretur in quodam loco in terra: & ex hoc fabulose ortum, quod ibi esset Purgatorium. Vbi vides sanctum Doctorem non negare, quin potuerit sanctus Patricius pro aliquo impetrare, vt in eo loco purgaretur: sed solùm reiicere fabulam asserentiũ, Purgatorium ibi loci esse, sicut meritò reiicienda est: nam qui de sancti Patricij Purgatorio loquuntur, non dicunt, illud fuisse Purgatorium animarum, in quo illæ in altera vita de lege Dei ordinaria purgantur, sed Purgatorium speciale viuentium, in quo homines in hac vita degentes, & verè pœnitentes, pro pœnis illorum peccatis in alia vita debitis, ex speciali Dei concessione satisfaciunt.

III. **V**erùm præter hanc rationem, ex communi, & constanti totius insulæ traditione desumptã, quæ certè magnum habet robur, ac vires, alia non minoris, sed longè maioris efficacitatis adijcitur: nam cum ex sanctissimis illis religiosis viris per sanctum Patricium institutis, quamplures zelo salutis animarum succensu in Scotiam, Angliam, Gallias, & Germaniam ad Christi Euangelium prædicandum proficiscerentur, statim clericorum canonicorum, quos regulares canonicos dicimus, Monasteria, & Collegia fundabant: nam vt monasteria in regionibus Anglorum, & Scotorum ab illis fundata omittamus, in sequentibus de illis opportuniori loco verba facturi, sanè de Beato Rumoldo Episcopo Dublinensi patria Hybernensi, & Regis Dublinensis filio, qui in Belgio anno 775. Martyr occubuit, Ioannes Molanus in Natalibus sanctorum Belgij sub die prima Iulij, hæc scribit: *Beati Rumoldi opus est monasterium apud Malinas, qui locus quantumuis à Nordmannis esset vastatus, tamen celebris antiquitus fuit, vt connumeretur in portione Caroli, quam de Regno Lotbarij in diuisione cum fratre suo Ludouico facta, accepit. Fuit autem ab initio foundationis non Monachorum, sed Canonicorum monasterium, quomodo in Chronicis Cameracensibus ante annos ferè sexcentos conscriptis nominatur. Qua autem pbrasi canonicorum collegia dici soleant monasteria, in primo libro de canonicis à nobis est explicatum.* Hæc ille, & plura alia, quæ apud illum videri possunt. Eiusdem instituti fuisse monasterium fundatum à sancto Killiano genere Hyberno, & Regio sanguine procreato, in Dicecesi Atrebatensi, in loco Albi-

niaco nuncupato, Chronicon Atrebatensium in hunc modum testatur. *In vico Albiuaco est monasterium Canonicorum, videlicet sancti Killiani, qui Scotus fuisse traditur.* Eiusdem instituti monasterium fundatum à sancto Bertuino Episcopo Hybernensi in Villa Malonia Leodiensis diocesis, notat Aubertus Miræus Bruxellensis canonicus Antuerpiensis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Protonotarius, de Collegijs canonicorum regularium capite vigesimo quinto. Venisse autem sanctum Killianum ex Scotia in Gallias, cum aliquibus socijs, anno sexcentesimo quinquagesimo primo, testatur Sigibertus Gemblacensis in Chronico. De sancto verò Frigidiano Vtoniæ Hybernensium Regis filio, quem Romam venientem Pelagius primus Lucanæ ciuitatis Hetruscorum Episcopum ordinauit, illum in ea Ciuitate monasterium clericorum canonicorum illico fundasse, & cum illis regulariter vsque ad vitæ exitum sanctissimè vixisse, ipsius monasterij tabularia, quod vsque in hanc diem sub Regulari disciplina canonicorum viget, manifestissimè testantur. Quæ cum ita se habeant, quis inficias ibit, istos sanctissimos viros Regularis vitæ institutum, quod in externis regionibus plantabant, in patrio solo, & apud proprios lares antea didicisse? quod cum non ab alio, quàm à sancto Patricio, vel ab eius discipulis discere potuerint, certè non video, qua ratione inficiari possit, Beatum Patricium primum Canonici instituti autorem, & propagatorem in illis Prouincijs extitisse. & profecto cum de eodem Beato viro scribat Antoninus in Summa Historiali, loco supra hoc eodem capite citato, illum trecentas, & sexaginta quinque Ecclesias in Hybernia erexisse, totidemque Episcopos in eis ordinauisse, & presbyterorum tria millia ab eodem consecrata, quis dubitet, sanctum virum Apostolicum in eisdem Ecclesijs primos clericos tales instituere voluisse, quales in primitiua Ecclesia à Beatis Apostolis institutos, qualesuè tunc potissimum temporis in Italia, Hispania, Africa, & in Gallijs solitudine sanctissimorum Episcoporum, præsertim Diui Patris Augustini, floruisse, non solùm aliorum traditione didicerat, verùm etiam oculata fide probauerat Romæ, & in Gallijs sub Martino Turonensi auunculo, & Germano Antisiodorensi Doctore?

IV. **D**enum, quod omnem dubitationem eliminat, certum est, fuisse in Hybernia monasteria canonicorum regularium antiquissima, etiam ante Bedæ Venerabilis tempora, cum ille in 4. lib. Historiæ Gentis Anglorum cap. 4. monasterij in Hybernia sub Regula, & Abbate Canonico existentis hisce formalibus, & conceptis verbis meminerit, dicens: *Ad exemplum Venerabilium Patrum sub Regula, & Abbate Canonico, in magna continentia, & synceritate proprio labore manuum viuunt.* Paris autem certitudinis esse debet, nullum ante illa tempora Canonicam insti-

institutionem in eam insulam inuexisse; præter vnum Hybernensium Apostolum D. Patricium, & quanquam ob illius insulæ à fide Catholica defectionem seu verius ob Catholicorum eiusdem Insulæ tyrannicam, & truculentam nimis interfectionem, & consumptionem, non facillè fuerit eorundem monasteriorum, vel etiam nomina reperire, inueniantur tamen aliqua de multis, quorum vel apud D. Bernardum, vel in libris taxarum Cameræ Apostolicæ, vel apud alios probatos, & fide dignos autores mentio distincta habetur, quæque Canonici instituti apud Hybernenses antiquitatem sufficienter ostendere possunt. Ea verò sunt.

In Ardmacha ciuitate, & totius Regni, siue Insulæ Metropoli S. Patricius monasterium fundauit, in quo postremis vitæ suæ temporibus degebat, orationi, & contemplationi vacans, neque nisi pro causis grauissimis exhibet; vel semel in anno causa Concilij celebrandi. ex Gocellino illius vitæ scriptore cap. 191.

In Diocesi verò Armachana erat monasterium apud Foueam, Purgatorium S. Patricij nuncupatum, cuius Prior clauem dictæ foueæ ex ordinatione ipsius S. Patricij tenebat. ex Vincentio, Matthæo Parisio, S. Antonino, Stanhiurto supra citatis, & alijs. & notandum, quod D. Antoninus sicut etiam alij præfati autores vnanimiter dicunt, illud monasterium fuisse canonicorum regularium, sub Priore, & sub Regula D. Augustini. At ipse D. Antoninus in summa Theologica par. 4. tit. 14. cap. 1. §. 8. dicit fuisse monasterium monachorum. vt videas, autores confunderè nomen monachi, & canonici regularis, quod maximè aduertendum, ad intelligentiam dicendorum. Purgatorium S. Patricij Antonius Maginus in descriptione Hybernæ dicit, in quadam insula certi lacus prope lacum Ernum, ad quindecim milliaria esse constitutum.

In eadem Diocesi erat aliud monasterium canonicorum regularium sanctorum Petri, & Pauli vocatum. ex lib. taxarum Apostolicarum.

In Episcopatu Arefordensi prouinciæ Casellensis monasterium sanctorum Petri, & Pauli. ex eodem lib. taxarum Apostolicarum.

In loco, qui dicitur Chircheam erat Prioratus canonicorum regularium, cuius meminit D. Bernardus in vita S. Malachie. S. Malachias factus Dunensis Episcopus, &c. *Gulielmus*, inquit, *tunc Prior in Chircheam Regularium fratrum, nunc verò monachus, & monachorum pater in Maitros monasterio Ordinis nostri, &c.*

In Clonensi, siue Cluanensi Episcopatu prouinciæ Armachanæ monasterium S. Mariæ de Antro. ex lib. taxarum.

In Dublinensi Metropolitana monasteriū sancti Thomæ martyris. ex eodem lib. taxarum. Item, aliud monasterium sancti Patricij nuncupatum, quod sanctus Laurentius Dublinensis Archiepiscopus cecidit clericis antiquis, qui ad secularitatem

transierant, introductis iterum canonicis regularibus reformauit, & Congregationi de Aroasia vniuit. ex Catalogo monasteriorum dictæ Congregationis, Auberto Miræo de Collegijs canonicorum regularium cap. 10. & ex Surio tom. 6. sub die 14. Nouembris. & tabularijs monasterij Aroasiensis.

Dunensis Episcopalis prouinciæ Armachanæ, per sanctum Malachiam fuit facta Regularis teste D. Bernardo in eius vita S. Malachias factus Dunensis Episcopus, &c. ibi enim dicit, illum factum Dunensem Episcopum confestim curauisse adsciscere ad solatium sibi de filijs suis conuentum regularium clericorum. Nec verum est, quod ait Antonius Yepes, referente Ioanne Marquez de origine fratrum Eremitarum cap. 15. §. 4. illos clericos fuisse monachos Ordinis sancti Benedicti: nam sanctus Malachias nunquam fuit monachus sancti Benedicti, sed clericus, vt statim dicemus: neque Diuus Bernardus nomine regularium clericorum consuevit vocare monachos, sed solum canonicos regulares, quos semper consuevit vocare vel clericos regulares, vel fratres regulares, vel fratres Ordinis D. Augustini, quippe quia tempore D. Bernardi nulli præter canonicos, Ordinis D. Augustini censebantur, vel dicebantur, vt versatis in lib. D. Bernardi satis constat sine alia probatione. & quod excludit omnem dubitationem; in antiquis tabularijs monasterij Aroasiensis notatum reperitur, sanctum Malachiam illac in Hyberniam redeuntem instituta, & habitum canonicorum Aroasiensium accepta in Hyberniam transtulisse, & in Episcopatibus Hybernensibus à clericis obseruari præcepisse. Vnde habes clericos Ecclesiarum Hybernensium, quæ sancto Malachie erant subiectæ, omnes regulares extitisse.

In Laoménensi Episcopatu prouinciæ Casellensis monasterium de Forgio. ex eodem libro taxarum.

In Lismorensi, & Vuaterfordensi vnitæ prouinciæ Casellensis monasterium sancti Brogani de Motalia. Item monasterium dictum de Melansil. Item aliud monasterium insulæ sancti Melansidis ex lib. taxarum.

In Midensi Episcopatu prouinciæ Armachanæ monasterium sanctæ Mariæ de Cærlis. Item aliud sanctæ Mariæ de Truno, ex eodem lib. taxarum. In eodem monasterium dictum de Portu Patrum, aliàs de Portu puro, cuius fit mentio in eodem lib. taxarum. & de isto monasterio tempore persecutionis impijssimæ Iezabelis, siue Elizabethæ venerunt ad nostram Congregationem Lateranensem nonnulli, inter quos Don Ioannes, qui apud nos sanctissimè per multos annos fuit conuersatus.

In Archiepiscopatu Tuamensi monasterium sanctæ Mariæ de Conca nuncupatum. ex lib. taxarum Apostolicarum.

Sancti Iacobi Varriense Cœnobium in Hybernia canonicorum regularium Gêruasio Abbati ex Congregatione Aroasiense sese reformandum tradidisse,

didisse, produnt tabularia vetustissima dictæ Congregationis.

Prope ciuitatem Vuaterfordensem monasterium sanctæ Catharinæ. ex literis cuiusdam collationis eiusdem monasterij nuper factæ in Curia Romana, sub titulo monasterij Ordinis canonicorum Regularium.

In Ossariensi dioecesi prope Oppidum Kilcheni monasterium sub titulo prioratus de Kels nuncupatum, obtinet nunc Comes de Ormon ex Regia concessione. constat ex chirographo concessionis.

In eodem Oppido Kilcheni monasterium sancti Iohannis. eius bona nunc à Ciuibus sunt occupata ex Regia concessione, vt ex Registris eiusdem Ciuitatis habetur.

In Childariensi Episcopatu Prioratus de Conalmor. ex collatione dicti Prioratus nuper facta in Curia Romana sub titulo monasterij Ordinis sancti Augustini.

Monasterium Benchoriense à S. Malachia restitutum, cum alijs ab illo exstructis, antequam Archiepiscopus Armachanus creatus ad monasterium Clareuallis accessisset, non est dubium fuisse monasteria canonicorum, non monachorum, quidquid nonnulli inficientur; id enim apertè colligitur ex illius vita per S. Bernardum descripta: primò, quia constat ipsum Malachiam, & Imarium eius magistrum, cuius iussu ille monasterium Benchoriense restituit, non monachos, sed clericos fuisse: secundò, quia D. Bernardus religiosos illius monasterij nunquam vocauit monachos, sed solum fratres, quo nomine consuevit vocare clericos regulares: tertio, quia in S. Erat tunc temporis &c. apertè dicit, quod antequam Malachias ad D. Bernardum accederet, quod accidit, postquam fuit ordinatus Archiepiscopus Armachanus, Hybernenses licet à diebus antiquis monachorum nomen audiuisent, monachos nondum viderant. ergo illa monasteria non erant monachorum: sed clericorum.

Caput trigesimum quintum.

Dubia nonnulla contra ea, quæ superiori capite de Canonico Diui Patricij instituto dicta fuerunt, proponuntur, & soluentur.

I.



Duersus ea, quæ de Canonico Diui Patricij instituto superiori capite docuimus, dubium oritur ex antiquis scriptoribus, Beda, Probo, Mumbratio, Mariano Scoto, Gocellino, & alijs, qui ante annos quadringentos de illius vita, & rebus gestis scripserunt. illi enim omnes monachum eum faciunt, &

monachorum autorem, non clericum, nec clericorum canonicorum institutorem, vt legentibus eorum libros absque vlla prorsus hæsitacione patebit: prædictis vero autoribus magis credendum est, quàm recentioribus, qui illum referunt in Catalogum canonicorum regularium, quibus veterum scriptorum nullus adtipulatur.

Respondeo, Bedam, Probum, Gocellinum, & ceteros antiquos vitæ S. Patricij scriptores omnes monachos fuisse; ac proinde non mirum, quod ad monasticum ordinem dignificandum, quem Regularem, & Regularium institutorem deprehenderant, in Catalogum monachorum retulerint, nomine monachorum iuxta latam significationem vtentes, secundum quam etiam regulares clericos comprehendit. Vel clarius respondendo dicendum est, nomen monachi duobus modis à scribentibus vsurpatum. vno modo secundum strictam significationem, & acceptionem, quatenus certum genus personæ regularis significat, quæ à clericis canonicis siue regularibus contradistinguitur: Altero modo secundum latam acceptionem, secundum quam omnia genera personarum regularium, siue quos propriè monachos dicimus, siue etiam canonicos regulares, complectitur: hoc enim secundo modo acceptum nomen monachorum in vsu frequentissimum tum veterum, tum etiam recentiorum autorum venire consueuisse, ostendimus lib. 1. cap. 38. multis testimonijs Doctorum. Immo verò si sedulo rem inspiciamus, tam frequens est hic vsus nominis monachorum iuxta hanc secundam acceptionem, vt vix vllum autorem reperias, qui iuxta illam eodem nomine non vtatur. Ecce tibi in subiecta materia, D. Antoninus, qui in summa Historiali dixerat B. Patricium apud speluncam Purgatorium nuncupatam, constituisse monasterium canonicorum regularium Ordinis S. Augustini, tamen in Summa Theologica 4. par. tit. 14. cap. 10. S. 8. dicit constituisse ibi Monachos.

Matthæus quoque Parisius sancti Albani monachus in Historia Anglicana in Henrico III. sub anno 1240. pag. 730. editionis Lundinensis, obitum sancti Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi narrans inquit: *Obijt autem apud Soys domum canonicorum regularium, & dum adhuc sospes ibi viueret, & crederent monachi, quod ab alijs recederet, ait Prior loci, qui fuit ei specialissimus. Domine vt quid recedis? &c.* Vide obsecro quomodo passim, & familiariter autores hoc nomine monachi regulares canonicos accipiant. Eodem igitur modo dicendum est, nominibus monachi, vel monachorum vsos antiquiores vitæ B. Patricij scriptores, quatenus scilicet canonicos regulares, siue clericos regulariter viuentes comprehendunt, nec vim ponendam esse in vocabulis, cum rem ipsam teneamus. ad verò ne me de meo constringere ad Canonici Ordinis dignitatem amplificandam existimes, lege imprimis Venerabilem Bedam Historiæ Anglicanæ lib. 3. capite vigesimo sexto de sanctis Episcopis, & sacerdotibus ex Hyber-

Hybernia in Angliam profectis, de illorū vitæ continentia, paupertate, doctrina, & monasterijs per illos institutis multa præclara, & mirabilia scribentē, quæ in tota ferè historia prosequitur, quosq; semper nomine monachorum appellare consuevit, ybi sic tandem concludit: *Tota enim fuit sollicitudo Doctoribus illis Deo seruiendi, non seculo, tota cura cordis excolendi, non ventris. Vnde & in magna erat veneratione temporibus illis religionis habitus, itaut ubicunque clericus aliquis, aut monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur.* & infra. *Nam neque alia ipsi sacerdotibus, aut clericis vicis aduendi, quam prædicandi, baptizandi, infirmos visitandi, & ut breuiter dicam, animas curandi causa fuit, qui in tantum erant ab omni auaritiæ peste castigati, ut nec territoria, ac possessiones ad construenda monasteria, nisi à potestatibus seculi coacti acciperent, quæ consuetudo per omnia aliquantò post hæc tempora in Ecclesijs Nordanimbrorum seruata est.* Et ad omnes dubietatis nebulas discutiendas, lege deinceps D. Bernardum in vita S. Malachix, illius reditum ex vrbe Roma in Hyberniam describentem, & ad monasterium Clareuallis diuertentis, & rogantis, vt quosdam illius socios, quos apud D. Bernardum relinquebat, in disciplinis monasticis instrueret, & sic instructi monachorum instituta antea in Hybernia inuisa in eam insulam inferrent: *Qui reuertens, inquit, per Clareuallē, suam nobis largitus est benedictionem, & alta suspiria trahens, quod nō liceret sibi pro suo desiderio remanere, vos, inquit, interim pro me oro, vt retineatis, qui à vobis discant, quod nos postmodum doceant, & infert: erunt nobis in semen, & in semine isto benedicentur gentes, & illæ gentes, quæ à diebus antiquis monachi quidem nomen audierunt, monachum non viderunt. & dimissis quatuor à latere suo abiit, qui probati, & digni inuenti, monachi facti sunt.* &c. Vide igitur obsecro, an viri illi Religiosi per sanctum Patricium, & illius discipulos in Hybernia instituti monachi à clericis canonicis cōtradistincti extiterint: quandoquidem vsque ad tempora sancti Malachix Hybernenses, licet ab antiquo nomen monachorum audiuisent, monachos tamen necdum viderant. Erat ergo monachus B. Patricius, erant monachi religiosi ab eodem viro Apostolico in Ecclesijs Hybernensium instituti: sed non tales, quales nonnulli contendunt, à clericis regulariter viuentibus distincti, Verum tales erant, qualis sanctus Eusebius Vercellensis, qualis Hilarius Pictauiensis, Martinus Turonensis, qualis Athanasius Alexandrinus, & Augustinus Hipponensis, quales tandem erant illorum clerici ab ipsis reformati, & cum illis in eorum Ecclesijs regulariter viuentes, & vota monachorum cum officijs clericalibus iungentes, vt D. Ambrosius locis sæpe citatis ex epist. 82. ad Vercellenses, & ser. 69. ac nouissimè Cardinalis Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis in August. & in cēsura sermonum ad Eremitas, cū alijs pluribus lib. superiori relatis verissimè dixerunt.

II. Secundum Dubium. Canonici Regulares præsertim Lateranenses affirmant, sanctum Patricium Romam adolescentem profectum, in Ecclesia Lateranensi canonicorum regularium institutum suscepisse sub Cœlestino Primo. Verum hanc illorum historiam apocrypham, & falsam esse duoeuidenter conuincunt, & primùm quidem, quod Sanctus Patricius adolescens non Romam, sed in Gallias profectus fuit, ibique à sanctis Martino Turonensi auunculo, & Germano Antifiodorensi tum sacris ordinibus initiatus, tum regularibus institutis & sacris literis imbutus, sub quorum disciplina cum spatio trium, & viginti annorum mansisset, postea Germano Episcopo, & magistro consulente, Romam veniens, à B. Papa Cœlestino Primo Episcopus Hybernensium fuit consecratus. Ita in eius vita Iocellinus cap. 24. & duobus sequentibus, Probus, & alij, qui vitam huius sancti viri literis mandauerunt, non ergo adolescens Romam veniens in Ecclesia Lateranensi sub Papa Cœlestino vitæ regularis institutum suscepit. Secundum conuincitur eidem historia ex officijs sacris congregationis Lateranensis, quæ ab illius canonicis quotannis recitari solent, nam in historia sancti Gelasij Papæ illi dicunt, B. Gelasium Valerij filium, & sancti Augustini discipulum, cum nonnullis socijs ex Africa pulsus, Neapolim primum, & Romam exinde sub Leone I. Pontifice venisse, & ab eo in Ecclesia Lateranensi locatum, canonicum ibi ordinem iuxta D. Patris nostri Augustini regulam, & saluberrima instituta instaurare cœpisse. Verum Cœlestinus I. ante Leonis Primi Pontificatum octo circiter annis iam obierat. non igitur sub Cœlestino Primo sanctus Patricius institutum canonicorum regularium D. Augustini suscepit, neque ipsius B. Augustini regulam inde accipere potuit, vt in Hyberniam portaret.

Respondeo, de tempore aduentus B. Patricij ad Urbem Romanam, quemadmodū de illius ætate, ac cæteris multis ad illius vitam spectantibus varias esse scribentium opiniones. Nam Marianus Scotus, siue Hybernensis in eius vita inquit, illum anno sexto decimo venditum fuisse, & sex annis vixisse in seruitute in Romanis partibus, & sexaginta annis in Hybernia prædicasse, & annis duobus super nonaginta vitam produxisse. iuxta cuius sententiam consequens est illum anno ætatis vigesimo secundo redemptum, vel manumissum, liberum vixisse saltem decem annis in partibus Romanis, ibique literarum studijs, & Ecclesiasticis institutis eam operam dedisse, ob quam apud Summum Pontificem, & totam Curiam Romanam eam sibi famam sanctitatis, & eruditionis compararet, vt tantò munere, quale illud Hybernensium Apostolatus erat, ab omnibus dignus iudicaretur. Hanc sententiam securus est autor Historiæ, quam Canonici regulares Lateranenses quotannis in officijs diuinis recitare solent, asserentes illum post captiuitatem in Ecclesia Lateranensi tum sacris literis imbutum, tum etiam Eccle-

fiasticis institutis eruditū, & in regulari disciplina optimè institutum: neque enim obstat, quod B. Augustini regulam primus Gelasius sub Leone Primo ex Africa in ipsam Ecclesiam Lateranensem inuenerit, quia ipsa Ecclesia Lateranensis à prima illius institutione, & fundatione regularis fuerat, vt supra cap. 11. dictum fuit: Nec Gelasius canonicorum institutum in ea primus plantauit, sed solum relaxatum introducta B. Augustini regula, instaurauit. Nec Lateranenses in officio sancti Patricij, in quo illum in Ecclesia Lateranensi canonicorum regularium institutum amplexum affirmant, sub Cœlestino I. Regulæ B. Augustini vllatenus meminerunt. Neque inde sequitur, illum inter sanctos canonici ordinis immeritò à nobis recenseri, cum ipsi B. Augustinum eiusdem ordinis reformatorem, non autem primum autorem verissimè dicamus, sicut non sequitur, non esse inter sanctos ordinis canonicorum regularium numerandos, Beatos Anianum Marci Euangelistæ discipulum, Arhanasium Alexandrinum, Eusebium Vercellensem, Gaudentium Nouariensem, Iacobum Bergomensium Archidiaconum, & martyrem, Hilarium Pictauiensem, Martinum Turonensem sanctissimos Episcopos, & alios innumeros propter hoc, quòd sub D. Augustini regula non vixerunt.

Alij verò ex quibus sunt Gocellinus in vita sancti Patricij, & Probus, quorum sententiam probare videtur Cardinalis Baronius tom. 5. sub anno 431. num. 188. è contra affirmant, eundem Patricium sexdecim annorum à Pyratibus raptum, in Hyberniam deportatum, & Milconi cuidam venditum, sex annos in seruitute durissima, & vilissima, porcos scilicet pascendo, transegisse: postea diuino miraculo à seruitute redemptum, in Britanniam ad patrios lares primum repedasse, inde verò Angelo monente, in Gallias transfretasse, & ad sanctum Martinum Turonensem Episcopum illius auunculum iuisse, ac ab illo clericum ordinatum, quadriennium sub eius institutione transegisse. Inde à sancto Germano Antisiodorensi Episcopo sacris literis imbutum: vocatum verò ad Hybernorum conuersionem, non prius illuc se contulisse, quàm Romam ad Cœlestinum Papam accessisset, accepturus ab Apostolica Sede ad eius gentis cōuersionem Apostolatam. Adhæret ex parte Sigibertus in Chronico sub anno 432. quo tempore scribit, illum à Cœlestino I. Scotorum Episcopum ordinatum, Harum autem opinionum vtra verior sit, Deus nouit, nobis hoc sufficiat, siue priorem, siue posteriorem sequamur, euacuari penitus dubium allatum, cum suis rationibus. nam siue in Ecclesia Lateranensi, siue in Gallijs sub S. Martino Turonensi fuerit regulariter institutus, nihil refert, cum huius, & illius Ecclesiæ idem prorsus esset institutum. Neque dicimus, illum ordinis canonicorum regularium Diui Augustini professorem extitisse, quòd sub eius regula per illum scripta militauerit, quamquam etiam id verum esse potuerit, supposita veritate eorum, quæ supra dicta sunt de instituto Beati

Augustini ipso adhuc superstitere, in Ecclesijs Galliarum propagato: sed quia idem prorsus erat institutum, quod in Ecclesia Lateranen. per B. Syluestrum, & in Africana per B. Augustinum, & in Turonensi per B. Martinum fuerat plantatum.

Dices. Si Beatus Patricius sub sancti Augustini regula non militauit, cur ergo asserunt canonici regulares, & alij quidam, illum sancti Augustini regulam in Hyberniam detulisse, & monasterium canonicorum regularium ordinis sancti Augustini apud locum sancti Patricij purgatorium nuncupatum, instituisse? Vnde enim illam accepit? nam quo tempore ille à sancto Cœlestino Pontifice ordinatus apud Hybernos profectus est, sancti Augustini regula ad Romanam urbem nec dum fuerat delata.

Respondeo. Si non Romæ, potuisse tamen ex Ecclesijs Galliarum, per quas in Hyberniam contendens transijt, & in quibus valdè probabile videtur ipsam Diui Augustini regulam, sicut etiam alios eius libros iam tunc temporis fuisse diuulgatam, illam accipere. Vel dicendum, ipsum sanctum Patricium eandem regulam Romæ accepisse, non quo primum tempore fuit Scotorum Episcopus ordinatus, sed quando post annos triginta Angelo monente, vt Gocellinus, capite 166. scribit, iterū ad sedem Apoitolicam repedauit.

Tertium dubium mouet Ioannes Marquez ordinis Eremitarum in suo libro de Origine Fratrum Eremitarum cap. 15. §. 5. quo in loco etiam concedat, sanctum Patricium sancti Augustini regulam in Hyberniam detulisse, eiusque professorem extitisse, & sub eadem regula innumera religiosorum monasteria erexisse, contendit tamen, illum non clericum canonicum, sed eremitam, & Eremitici ordinis sancti Augustini in ea Insula propagatorem extitisse. & licet fundamenta, quibus ad hoc adstruendum mouetur, satis leuia sint, ne tamen ex indutria dissimulata videantur, breuissimè adducemus, & resoluemus. Est igitur tertium dubium huiusmodi, Beatus Patricius baculum, & cucullam deferre consuevit: & baculi quidem meminit Diuus Bernardus in vita sancti Malachia in illis verbis: *Porro Nigellus videns, sibi imminere, fugam tulit secum insignia quedam edis illius, textum scilicet Euangeliorum, qui fuit Beati Patricij, baculumq. auro tectum, gemmis preciosissimis adornatum, quem nominat baculum Iesu, &c.* Cucullæ verò apertè meminit Gocellinus in vita sancti Patricij cap. 4. scribens: *Maris namque profluuium implendo: totum locum consuetum, & spatium occupauit, sed solum locum illum, in quo cuculla S. Patricij detinebatur, intactum dimisit.*

Respondeo, neque baculum illum D. Patricij neque cucullam, cuius Iocellinus meminit, cum baculo, & cuculla eremitarum ordinis S. Augustini aliquid cōmune prorsus habuisse. Nam quod ad baculum attinet, ille non erat baculus, quæ eremita Augustinensis, non ex institutione S. Augustini, vt ipsi aiunt, sed ex Gregorij IX. præcepto, in Eleemo-

III.

synarum petitione deferebāt, à quo se dispēfari sub Alexandro IV. supplicauerunt, & obrinuerunt, vt lib. 1. notauimus, sed baculus miraculosus inftar alterius virgæ Moſis à Ieſu Chriſto Seruatore noſtro beato Patricio donatus, cum quo multa mirabilia eſt operatus, quique baculus Ieſu dicebatur: & poſt beati Patricij obitum inter ſacras, & pretioſiſſimas ſancti viri reliquias vſque ad tempora S. Malachiz, de quo D. Bernardus loquitur, in Eccleſia Hybernienſium ſeruabatur, ſcribit de iſto baculo Ieſu Goccellinus cap. 24. quem vide. Cuculla verò ſ. Patricij qualis fuerit, & quam proportionem cū cuculla Eremitarum Auguſtinenſium habuerit, idem Goccellinus cap. 185. non autem quarto, vel oſtauo, vt Marquez inquit, qui ſe Goccellini librum minime vidiffe prodit, his verbis patenter explicauit: *ſuper cætera*, inquit, *indumenta cuculla candida amiciebatur, vt ipſe habitus forma, & colore Monachatus ſui ſpeciem, & candidatum humilitatis, & innocentie repreſentare videretur. vnde & Monachi in Hybernia ſancti Patricij ſequendo veſtigia, per multa temporum volumina habitu ſimplici cõtenti erāt, quem ouium miniſtrabat lana, qualibet extrinſeca tinctura remota.* Hæc ſancti Patricij erat cuculla, veſtis ſcilicet alba, quam ſupra cætera indumenta ferre conſueuerat pro pallio, vel birro, quam pro temporum, & locorum opportunitate deponebat, ſicut qui deponunt pallium, vel birrum, vt idem Goccellinus loco à Marquez allegato, non ex cap. 4. ſed centeſimo vndecimo ſcribit, cum ait: *Quodam tempore nauigatione neceſſaria completa ſanctus Patricius cū ſuis viris Religioſis applicuit, & egreſſus ad aridam fertuſito caſu cucullam ſuam in littore reliquit &c.* Quæ quam couenientiam habeant cū cuculla nigra Eremitarum Auguſtinenſium zona coriacea præcincta, quam publicè incedentes nūquam dimittere poſſunt, prudentes dijudicent, ſed ad pleniorẽ huius difficultatis ſolutionem, aduertendum, ne in ſcirpo nodum quæramus, cucullam duobus modis poſſe accipi, vno modo ſtriecta quadam ſignificatione pro habitu monachorum proprio, & eſſentiali, quem illi nunquam dimittunt, quemq; Concilia, & Sacri Canones clericis, ſiue ſecularibus, ſiue etiam regularibus interdicit in Concilio Auiſgrani ſub Ludouico Pio celebrato c. 125. & in cap. Mandamus 19. quæſt. 3. Alio modo lata acceptione pro ſuperiori veſte externa, quæ vicem pallij, vel birri gerit, & eius loco deferri conſueuit, non ſolum à monachis, verum etiam à clericis, & laicis, & non ſolum Chriſtianis, ſed etiam paganis. Sciendum enim eſt, antiquos, quòd illud capitis tegumentum, quod birretum nunc dicimus, in vſu non haberent, in veſtibus ſuperioribus aliquid deferre conſueuiſſe, quo cum oporteret, ipſum caput tegerent, à quo tegumento iuxta variam illius formam vel ampliorem, vel ſtriectiorem ipſæ etiam veſtes variũ nomen fortiebantur, aut birrorum, aut cuculliarum: cucullion enim, à quo cuculla dicitur, capitis tegumentum proprie illud eſt, quod etiam collum tegit, & ambit. hinc deductum

vt omnes veſtes ſuperiores, & externæ, huiusmodi tegumentum habentes, lata quadam ſignificatione cuculliarum nomine vocentur, vnde etiam n fit, vt canonici regulares præſertim Italici veſtem exteriorẽ cum eiſmodi operimento deferentes, à quibusdam cucullari, & monachi dicantur. Nec deſinit etiam ex ipſiſmet canonicis regularibus, præſertim inter Hiſpanos, qui dicant canonicos Italicos eiſmodi habitum aſſumentes, ad monachatum tranſiſſe, vt videri poteſt apud Ioannem Trullum lib. 1. de ordine canonicorum regularium cap. 11. Quamquam ſic aſſerentes errore maniſteſſimo hallucinentur, tũ quòd cū cappa, quam Italici cappuccio, ſiue cucullo deferunt, non nuper fuerit ab illis excogitata, ſed ſit habitus antiquus canonicorum, vt in Clementina 1. de electione, in verbo Habitũs notatur, tum quòd eadem cappa non ſit proprie cuculla monachica, quæ clericis interdicitur, ſed habitus accidentalis extrinſecus, non ſolum monachis, ſed etiam clericis, & laicis antiquitus communis. nam quod huiusmodi habitum terrent clerici, habes ex Vita ſ. Germani Epilcopi Antiochodorenſis, deſcripta per ſ. Antoninum 2. par. tit. 11. cap. 17. S. 1. vbi dicit: *Indumentum eius ſemper cuculla, & tunica, nec hyeme adiectio, nec aſtate leuamen eſt admiſſum, quod vtrunque tandũ in vſu fuit, niſi forte tonatum eſt, donec attritione nimia ſolueretur.* Quod verò etiam laici ſiue Chriſtiani, ſiue pagani cuculis vterentur, habes ex Codice Theodoſiano lib. 14. tit. 10. l. 1. vbi hæc leguntur: *Seruos ſanè omnium, quorum tamen dominos ſolicitudine conſtat militia non teneri, aut birris vti permiſſimus, aut cucullis.* Sed & Cato de re ruſtica cap. 2. ait, cucullam, ſiue cucullionem (idem nanq; ſunt) genus veſtis ruſticanz, ac vilis fuiſſe, qua illi ad iniuriam æris pellendam tegebantur. & hæc cauſa extitit, meo iudicio, quod vſus cuculliarum apud ſolos monachos, qui vilioribus, & humilioribus indumentis ex humilitate vtuntur, fuerit retentus, cum tamen olim etiam nonnulli clerici, & ſanctiſſimi Epilcopi illas in vſu haberent.

Quartum dubium. Beatus Patricius Angelo **IV.** iubente ex Hybernia in Gallias tranſiuit, vbi ſancti Germani diſcipulus fuit, qui non canonicus regularis, ſed frater Eremita extitit, vt ex habitu illius à ſ. Antonino deſcripto apparet: erat enim illius habitus eremiticus, & ei, quem ſ. Fulgentius gerebat, omnino ſimilis, nimirum cuculla, & tunica cingulo præcincta, quod nec etiam dormiturus ſoluebat. poſtea eodem Angelo monente, ad quosdam Eremitas peruenit, & cum illis oſto annis manſit. Hæc omnia ex Probo illius vitæ autore ita ſcribente: *Eſ fugiens inde peruenit ad Martinum Epilcopum Turonenſem, & quatuor annis manſit cum eo, & tonſo capite ordinatus eſt ab eo in clericum, & tenuit lectionem, & doctrinam ab eo: peracto verò quadriennio apparuit ei Angelus Domini, & dixit illi, Vade ad plebem Dei, id eſt ad Eremitas, & manſit cum Eremitis oſto annis.* Subdit Ioannes Marquez probabile admodum ſibi videri illos fuiſſe Ere-

se Eremitas Insulæ Lirinensis, qui sub D. Augustini regula degebant, vt probabile putat Antonius Yepes.

Respondeo, in hoc dubio multa verè dubia, immo & falsa complicari. Primò quòd ad Probi historiam attinet, illa non ab omnibus recipitur, & in aliquibus falsa esse conuincitur apertissimè, vt cum dicit sanctum Patricium non à Cœlestino Primo, neque à sancto Germano Antifiodorensi; sed ab Amatore ipsius Germani prædecessore, ac ordinatore fuisse Scotorum Episcopum ordinatum. Secundò, quòd ait sanctum Germanum fuisse eremitam Augustinensem, falsum est tum in se, tum ad hominem, secundum se, quia sanctus Germanus splendidissimis ortus natalibus, & in artibus liberalibus apprime eruditus, cum ciuitatis Antifiodorensis præfectura fungeretur, repente à sancto Amatore ciuitatis Episcopo, Dei nutu, & inspiratione apprehensus, clericus, sacerdos, & Episcopus fuit ordinatus, nec ante Episcopatum, nec postea, vitam monasticam, aut eremiticam professus fuit. & hæc ex eodem Antonino loco proximè citato patet. Ad hominem verò, quia idem Marquez cap. 6. S. 4. de Beato Augustino verba faciens, contendit Episcopum nulli regulari instituto seipsum posse subijcere, & in eo præcedentia vota religionis penitus extinguere. Quare cum constet, sanctum Germanum ante Episcopatum eremitam, aut monachum nullatenus fuisse, nec post Episcopatum, siue in Episcopatu vitæ monasticæ potuit seipsum subijcere, neque verum est, eundem fuisse D. Germani, & B. Fulgentij habitum, cum Beatus Fulgentius nunquam legatur cucullam induisse. neque D. Germani cuculla habitus monasticus proprius, & essentialis extitit, sed vestis superior externa, qua ille ob humilitatem, quòd vilior esset, pro birro, vel pro pallio utebatur. Tertiò falsum, & fabulosum omnino est, eremitas illos, ad quos Diuus Patricius postea iuit, Insulæ Lirinensis incolas fuisse, vel Lirinenses sub Beati Augustini regula militasse, nam quo tempore Beatus Martinus in vitis agebat, qui sanctum Patricium ordinauit, Insula Lirinensis nondum habitabatur, primusque illius loci incola fuit sanctus Honoratus, qui cum Beato Hilario fugatis serpentibus eum locum tenuit, & monasterium ibi fundauit, non sub regula D. Augustini, sed sub regula à se præscripta, de qua re plura ex instituto lib. 1. sunt notata, ad quem lectores beneuolos remitto, qui verò fuerint illi eremitæ, ad quos sanctus Patricius, Angelo monente, profectus fuit, data opera Iocellinus cap. 24. hisce verbis aperit: *Sedit animo sancti Patricij sedem petere sancti Petri, in petra fundali, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ canonicis institutis uberius imbui, cupiens autoritate Apostolica iter, & actus suos roborari. Cum autem quod corde conceperat, enodasset sancto Germano, approbavit sanctum ipsius propositum sanctus Germanus, adiungens ei Christi seruum Sergetium presbyterum itineris socium, laboris solatium, sanctæ conuersationis testem ido-*

neum. Profectus verò diuino instinctu, seu reuelatione Angelica ad quendam in quadam Insula Tyrreni maris degentem secessit, solitaria vite, opinionis optimæ, magni meriti virum, nomine ac opere Iustum. Cumque post sanctam saluationem salutaria verba conferrent, dedit idem vir Dei Patricio Baculum, quem se suscepisse asseruit de manu Domini Iesu sibi apparentis, ipsi conferendum. Erant etiam in eadem Insula quidam alij viri ab habitaculo illius solitarij semoti, quorum quidam iuuenes videbantur, alij senes decrepiti, cum quibus cum conseruisset Patricius colloquium, didicit ab eis, senissimos esse filios illorum iuuenum. cumque admirans sanctus Patricius inquisiisset euentum tam grandis miraculi, respondentes dixerunt ei, nos à pueritia, Domino miserante, misericordia operibus fuimus iugiter intenti, ostiumque nostrum patuit omni viatori, pro Christi nomine victualia, siue hospitium petenti; quadam nocte quendam peregrinum in manu baculum habentem hospitio collegimus, & secundum posse nostrum omnem ei humanitatem exhibuimus. Mane igitur factus nos benedixit, & ait: Ego sum Iesus Christus, cuius hæcenus membris ministrastis, quem hac nocte in propria suscepistis persona. Deinde baculum, quem manu gestabat, dedit viro Dei spiritali Patri nostro, precipiens illi, vt illum seruaret, & cuidam peregrino nomine Patricio post multos dies ad se venturo tribueret. Hæc dicens ascendit in cælum, nosque permansimus in eodem statu iuuenilis decoris, & vigoris, quo tunc fuimus, vsque in diem hodiernum. Filij verò nostri, qui tunc erant paruuli, iam vt cernis, facti sunt decrepiti. Sanctus verò Patricius Deo gratias agens cum viro Dei diebus aliquot mansit, ac eius exemplo magis, ac magis in Deum proficiens, ei tandem vale factò cum baculo Iesu proficiscetur, quo proposuit. Hæc ille, ex quibus habes, quinam illi Eremitæ essent, an Augustinenses, qui Augustino seniores erant, an in Insula Lirinensi, quæ per ea tempora à serpentibus tota obsidebatur. Habes etiam, vnde sanctus Patricius baculum illum mirabilem habuerit, qui baculus Iesu dicebatur, & apud Hybernos in tanta veneratione habebatur.

Quintum dubium. Iocellinus in vita sancti Patricij cap. 17. apertè scribit, Beatum Patricium eremitas in Hybernia instituisse: *Nulla, inquit, eremus, nullus penè terræ angulus, aut locus in insula tam remotus, qui perfectis monachis, aut monialibus non repletetur, &c.* Quodque magis dubium confirmat, refert Riccardus Stanhiurtus in vita Sancti Patricij pag. 71. inuentum Chyrogaphum in monasterio Glastonensi huius, qui sequitur tenoris: *In nomine Domini nostri Iesu Christi. Ego Patricius humilis seruunculus Dei anno Incarnationis eiusdem 433. in Hyberniam à sanctissimo Papa Cælestino legatus Dei gratia Hybernicos ad fidem veritatis conuerti, & cum eos in fide Catholica solidassem, tandem in Britanniam sum reuersus ad Insulam Aualonia, & ibi duodecim fra-*

tres

tres inueni eremiticam vitam ducentes, & cum inueni eos humiles, ac quietos, elegi potius cum illis abiectus esse, quam in regalibus curijs habitare: sicque licet inuitum in pastorem me præsulerunt.

Respondeo ex verbis Gocellini citatis, quæ ille habet nō c. 17. sed 174. nihil pro institutione Eremit. concludi. quot enim fuerunt, & sunt nunc etiam canonicorum monasteria in locis solitarijs, & ab hominum conuersatione longè remotissimis? nihilominus mea sententia hæc est, virum illum Apostolicum more primitiuæ Ecclesiæ duos in Hybernia regularium ordines instituisse, alterum clericorum, alterum monachorum, qui laicorum nascentis Ecclesiæ vitam, & institutum tenerent. & primis quidem regulam ipsam Apostolicam præsertim à B. Augustino conquadratam, & in scriptis redactam, seruandam dedisse: secundis verò ipsum Patricium regulam ex Actis Apostolicis, vel sententijs sanctorum Patrum, aut etiam ex ipsamet Augustini regula depromptam præscripsisse. Id namque Venerabilis Beda in Vita sancti Patricij notauit, dicens: *Monachorum plebibus intererat, regulamq; quam tenerent, Spiritu sancto repletus condidit.* Consentit Gocellinus loco proximè citato ex cap. 174. vbi de monachis per sanctum Patricium in Hybernia constitutis verba faciens subdit: *Viuebant enim secundum regulam à S. Patricio illis præfixam, mundi contemptu, celestium appetitu, sancta mortificatione carnis, ac abdicatione voluntatis propria, pares Aegyptijs Monachis, merito, atque numero, ita ut exteras atque longinquas regiones illustrarent verbo, ac religionis exemplo.* Vbi vides iuxta Gocellini sententiam, beatum Patricium in religiosis Hybernenfibus instituendis, morem primitiuæ Ecclesiæ, & præsertim à D. Marco in Ecclesia Alexandrina seruatum, de quo supra cap. 4. satis dictum fuit imitari voluisse. Porro autem quod ad Chyrographum in Glastonensi monasterio inuentum spectat, illud in primis monendum, apud Stanhiurtum pag. 71. à Marquez allegata minimè reperiri, sed nec alibi, quantum in eodem libro, raptim tamen peruoluto, videre concessum fuit. Sed siue apud illum, siue apud alios reperiatur, non nisi falsum, apocryphum, & ab aliquo impostore confictum, facile videbunt, qui sancti Patricij vitam à supradictis autoribus descriptam legerint. ille enim non in Britannia, vel inter eremitas insulæ Aualoniæ, illorum Prioratum gerens, sed in Hybernia Archiepiscopus sancto fine decedens in ciuitate Dunensi Deo specialiter disponente, religioso, & solemniter tumulatus est, vbi sanctissima illius pignora infinitis miraculis per multa secula coruscauerunt. Et profectò quis adeò desipiat, vt credat, virum Apostolicum, ad quem totius Hyberniæ sollicitudo ex dispensatione Sedis Apostolicæ spectabat, vt illius Apostolum, & Ecclesiæ Hybernicæ primatem per sedem Apostolicam ordinatum, tanti gregis cura posthabita, ad Insulam Aualoniam inter eremitas confugere voluisse, ad duo-

decim eremitarum præfecturam gerendam? quod etiam si efficere in animo ei sedisset, tamen absque speciali Sedis Apostolicæ dispensatione minimè licebat. Sed puto, nec meus me animus fallit, huiuschyrographi autorem ei similem esse, qui fingit B. Augustinum suorum clericorum, & ciuium consuetudinem pertæsum, relicta propria Ecclesia tempore quadragesimali, & Paschali in eremum ad quosdam suos eremitas se recepisse, sermone 5. ad fratres in Eremo. de quo supra libro 1. cap. 31. dictum fuit.

PER hæc verò ad alia multa responderi potest, VI. quæ idem Marquez eodem loco ad probandum, Beatum Patricium suos Eremitas Augustinenses in Hyberniam inuexisse, & propagasse, longo discursu inculcat, de duobus monachis ex Scotia tempore Caroli Magni in Gallias transmigrantibus, & ab eodem receptis, & ad fundandas scholas Parisienses, & Papienses ab eodem Carolo destinatis: de instituto item ss. Columbæ: & Colubani, & Galli Colubani discipuli, in quibus multa à veritate aliena comminiscitur, vt quod Carolus Magnus ipsos Augustinenses monachos maximo gaudio complecteretur, & pari beneuolentia prosequeretur. quæ si de Eremitis Augustinensibus intelligi velit commenta esse hominis, sibi, ac suis blandientis, nullus non videt, qui in historijs Conciliorum Aquisgrani, & Moguntini, ac Turonensis legerit, tempore Caroli Magni, ac etiam longè post illum, nullos in Gallijs fuisse monachos sub s. Augustini, sed omnes sub D. Benedicti regula institutos. Quare absolutè, & sine hæsitacione dicendum est, vel illos monachos ex Hybernia in Gallias profectos, regulares canonicos fuisse, aut certè monachos, nō Eremitas Augustinianos, sed per Diuum Patricium sub regula ab ipso eis tradita institutos, quod etiam de sanctis Columba, & Columbano, & aliis multis in Angliam, Gallias, Belgium, & Alemaniam profectis valdè probabiliter dici potest. Vel tādē dicendum Congelū, Columbam, & Columbanum, & alios sanctos viros monachos proprii instituti per illos excogitati, & per Episcopos, in quorum Diocesibus degabant, probati, autores, & professores extitisse. neque enim in ea sumus opinione, veriùs autem errore illorum, qui putant, nullos alios fuisse in Occidente monachos, præter Benedictinos. quid enim prohibebat? eo præsertim tempore, quo tum in Italia, tum etiam in Gallijs, Hispanijs, & Hybernia monachi fuisse memorantur, antequam D. Benedictus nasceretur.

VNUS superest Malachias Hyberniæ Archiepiscopus, quem non solum Regulæ Diui Augustini professorem, verum etiam eremitici instituti alumnus idem Marquez obtrudere conatur, quod in eius Vita dicat Bernardus, illum sub Imario in quadam cella vitam eremiticam diutius egisse. sed in hoc quoque à scopo veritatis illum aberrare plurimum intelligent, qui eiusdem sancti Malachiae vitam legerint ab eodem Diuo Bernardo scriptam, & à

VII.

& à sancto Antonino tit. 17. cap. 2. abbreviatam . ibi namque quis, & qualis Imarius ille fuerit declarans, sub cuius disciplina Beatus Malachias vitam solitariam ducebat, ita scribit: *Erat autem in Ciuitate Ardamacha, in qua nutritus est Malachias, vir sanctus, & austerè admodum vitæ, qui cellam habens intra Ecclesiam, Deo seruiebat, ieiunijs, & obsecrationibus vacans die, ac nocte. Ad hunc se contulit Malachias, ab eo formam vitæ accepturus: seditque ipse solitarius, sed infra paucos dies habuit imitatores non paucos exemplo sui prouocatos, tandem ordinatus est sacerdos anno ætatis suæ 25.* Ecce quis, & qualis sanctus ille Imarius fuerit, ad quæ Malachias vitæ formam accepturus iuit. non Eremita, non in syluis, non in solitudine viuens, sed in ciuitate, ac in cella intra Ecclesiam constituta, quales olim erant, & nunc sunt cellæ, in quibus clerici canonici apud Ecclesias, & intra Vrbes sub Regulæ canonicæ distinctione vitam solitariam lectiõibus, meditationibus, & orationibus traducunt. ibi sedes B. Malachias solitarius habuit infra paucos dies imitatores non paucos, qui illius exemplo excitati ad Ecclesiam conuolabant, & illud vitæ genus assumebant, quod & beatus Bernardus Clareuallensis in suo ad Religionem ingressu fecisse legitur, quem triginta iuuenes nobiles ad monasterium fuerunt secuti: non autem quod pater Monachorum effectus statim fuerit, vel quod monasterium instituerit, vel monachos tunc regendos superserit, vt Marquez asserit. Postea verò quam sacerdos an. ætat. suæ 25. fuit ordinatus, & Episcopus vices illi suas commisit, vt munus illi commissum dignè exercere valeret, ad quendam Episcopum sanctitatis nomine celebrem contendit, ac monasterium Benchoriense reparandum postea assumpsit: nec tamèn monachus factus est. Demùm ad episcopalis dignitatis gratiam euectus, confessum, inquit, Bernardus more suo curauit adsciscere ad solatium sibi de filijs suis conuentum regularium clericorum. quæ cum scribat Bernardus, qui Malachiam vidit, & dicat, illum de more suo ascuiffe sibi ex filijs suis conuentum regularium clericorum, omnem suspicionem eliminat, & in meridiana luce monstrat, illum ante Episcopatum non cum eremitis in solitudine, sed in ciuitate cum clericis regularibus regulariter vixisse. Denique ipse Diuus Bernardus, qui eius vitam optimè perspectam habuit, & scripsit, nunquam illum inter monachos, sed semper in ordine clericorum reposuit, vnde in libro vitæ ipsius beati Malachia dixit, rarò talem inter clericos inueniri. quem tamen non est dubium inter monachos repositurum, si ille verè monachus fuisset. quam sententiam cum vniuersalis Hybernensium traditio confirmet, quæ illum beati Augustini Regulæ professorem facit, quod idem Marquez eodem cap. 5. 4. liberè confitetur, perspicuum est, beatum Malachiam clericum canonicum, non autem Eremitam Augustinensem extitisse, adeo vt superfluum sit contendere hanc veritatem pluribus illustrare.

Caput trigesimum sextum.

De Ecclesijs, & monasterijs Canonico- rum Regularium in Regno Scoto- rum consistentibus.



DE propagatione canonicorum I. regularium in Prouincia, siue in Regno Scotorum verba facturus, ne legentes ob locorum synonimiam labantur in errores, vnum ante omnia necessariò monendum existimaui, duas nimirum prouincias longa maris intercapedine seiunctas nomen Scotiæ olim habuisse, quarum altera ea est, quam nunc Scotiam dicimus. Borealis nimirum Albionis, siue Britannia, siue Anglicanæ insulæ portio, quæ ab Australi Duedo, ac Solueo fluminibus secernitur, quam terram Pictorum, siue Albaniam nuncupare veteres scriptores consueuerunt. Altera verò cum Hybernia eadem est, quam nunc Irlandiam dicimus, de qua duobus proximè præcedentibus capitibus sermo est habitus. nam Hyberniam Scotiam olim vocatam, testes sunt ex priscais autoribus, D. Prosperus Aquitanus lib. contra collatorem cap. 41. scribens, Palladium à Papa Coelestino Scotorum Episcopum ordinatum, quod ipsum repetit in Chronico in consulatu Dionysij, & Florentij, & iterum in consulatu Bassi, & Antiochi, Beda tum in Vita sancti Patricij, tum in historia Gentis Anglorum cap. 1. ad finem sic dicens: *Hybernia longitudine, & latitudine sui status, & salubritate, ac serenitate aerum multum Britannia præstat, & post pauca. Hæc autem propriè patria Scotorum est.* Probus quoque, & Marianus Scotus, & Gocellinus, qui sancti Patricij vitam scripserunt, vel de eius Apostolatu ad Hybernos sunt locuti, omnes sine hæsitacione ad Scotos illum missum dixerant. Consentit Sigibertus in Chronico sub anno 432. scribens: *Cælestinus Papa ad Scotos in Christum credentes Palladium mittit primum Episcopum, post quem ad eosdem ab eodem Cælestino missus est s. Patricius, genere Brito, filius Conches sororis sancti Martini Turonensis.* & postea sub anno 491. *Sanctus Patricius secundus Hybernia Archiepiscopus anno ætatis suæ 122. in Christo quieuit.* Ex recentioribus verò Giraldus Cambrensis in descriptione Hyberniæ distinctione tertia cap. decimo sexto, ita inquit: *Hic quoque notandum videtur, prædicto Nello Hybernia Monarchiam obtinente, sex filios Muredi Regis Vlonia in classe non modica Boreales Britannia partes occupasse, vnde & gens ab ijs propagata, & specificato vocabulo Scotia vocata vsque in hodiernum, Angulum illum inhabitant.* Ad stipulatur Baronius tum in notis ad Martyrologium sub die decima septima Martij, tum in Annalibus tomo quinto sub anno 431. num. 188. & tomo sexto sub

sub anno 491. n. 20. vt breuitati consulentes alios omittamus.

Porro alteram Albionis partem septentrionalem non solum à modernis, verum etiam à plerisque, vetustissimis autoribus vsu frequenti Scotiam nuncupatam, multis testimonijs collatis ostendit eruditissimus Iureconsultus Thomas Dempsterus Scotus, & Baro de Muresck in apparatu ad Historiam Scoticam libro 1. capite 3. ad quem ne in re notissima probanda superflue laboremus, legentes remitto.

II. **C**Vi verò istud nomen Scotiæ primitus obrigerit, an Hyberniæ, an illi Britannia parti, quæ Scotia nunc dicitur, controversia est non leuis inter scribentes, de qua Venerabilis Beda loco proxime citato ex historia Gentis Anglorum libro primo capite primo ita scribit: *Est autem Hybernia insula omnium post Britanniam maxima, ad Occidentem quidem Britannia sita, sed sicut contra Aquilonem ea breuior; ita in meridiem se trans illius fines plurimum protendens usque contra Hispania Septentrionalia, quamuis magno equore interiascente peruenit. ad hanc ergo usque peruenientes nauigio Picti, ut diximus, petierunt in ea sibi quoque sedes, & habitationem donari. Respondabant Scoti, quia non ambos eos caperet insula sed possumus, inquit, salubre consilium vobis stare, quid agere valeatis. Nouimus insulam aliam esse non procul à nostra contra ortum Solis, quam sæpe lucidis diebus de longe aspicere solemus, hanc adire se vultis, habitabilem vobis facere valeatis: & si qui resisterint, nobis auxiliarijs usemini. Itaque petentes Britanniam Picti, habitare per Septentrionales insula partes ceperunt, nam Austriam Britones occupauerant. Cumque uxores Picti non habentes petierunt à Scotis, ea solum conditione dare consenserunt, ut ubi res veniret in dubium magis de feminea Regi profapia, quam de masculina Regem sibi eligerent, quod usque hodie apud Pictos constat esse seruatum. Procedente hoc tempore Britannia post Britones, & Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit, qui Duce Reuda de Hybernia progressi, vel amicitia, vel ferro sibi inter eos sedes, quas hæcenus habent, vindicauerunt.* Hæc Beda, cui Giraldu Cambrensis loco proxime citato ad stipulatur, necnon Henricus Huntigdoniensis historia Anglicanae lib. 1. pag. mihi 300. eisdem penè verbis.

Cæterum contrariam sententiam, quod nomen Scotorum ex Britonibus Septentrionalibus ad Hybernos transferit, non è contra ab Hybernis ad Britones, siue ad Pictos, primosque originarios, & veros Scotos, non Hybernos, sed Boreales Britannos extitisse, idem Thomas Dempsterus proxime allegatus pluribus contendit. Mihi verò cum ex iam dictis de nomine Scotiæ, & quid eo nomine nunc temporis passim intelligant scribentes, satis constet. nedum huius difficultatis attigisse sit satis: nunc enim nomine Scotiæ non amplius Hyberniam, ex vsu loquendi, accipimus, sed eam totam Britannia insula partem, quæ ad Septen-

trionem vergens tum à modernis, tum etiam vetustis autoribus probatis Regnū Scotiæ nuncupatur.

III. **P**orro quod ad præsens institutum nunc attinet, quis in hoc regno canonici ordinis primus fuerit propagator, si vera sunt, quæ de Aidano, & Columba, & alijs Episcopis, Doctoribus, & sanctissimis viris ex Hybernia in Septentrionalem Angliam profectis, de Euangelio Pictis prædicato, & de Gente Pictorum ad fidem Catholicam conuersa, de Ecclesijs in eo Regno institutis, monasterijs erectis, & propagatis idem Venerabilis Beda lib. tertio eiusdem historiae cap. tertio, quarto, & sequentibus vsque ad finem scribit, mihi certissimum est, paulò post Beati Patricij obitum in regno Scotorum ipsum ordinem Canonicum fuisse propagatum, scilicet circa annum quingentesimum quinquagesimum quintum, de qua re idem Venerabilis Beda lib. tertio cap. quarto in hunc modum scribit: *Siquidem anno Incarnationis Dominice quingentesimo quinquagesimo quinto, quo tempore gubernaculum Romani Imperij post Iustinianum Iustinus minor accepit, venit de Hybernia presbyter, & Abbas habitu, & vita Monachi insignis nomine Columba Britanniam, predicaturus verbum Dei prouincijs Septentrionalium Pictorum, hoc est eis, quæ arduis, atque horrentibus montium iugis ab Australibus eorum sunt regionibus sequestrata, &c.* Et multa alia ibidem prosequitur, quæ breuitati consulens omitto, quod apud ipsum Bedam legi possint. neque aliquem mouere debet, Venerabilem Bedam ipsum Columbam, & alios Episcopos, & Doctores ex Hybernia, quam ibi vocat Scotiam, in Angliam tum Australem, tum Septentrionalem traicientes, Monachos, non clericos appellare, cum ex superius allegatis tum primo tum hoc, secundo libro, satis constet, sub nomine monachorum ipsos clericos canonicos comprehensos, idque ex ipsomet Beda eodem libro capite vigesimo sexto, & lib. 4. cap. 4. cuius verba semel, & iterum recitauimus, manifestissime teneamus, & quod caput est, cum ipsa monasteria à sancto Columba fundata inter collegia ordinis canonicorum regularium referantur ab Historicis, qui monasteriorum Scoticorum fundationes literis mandauerunt.

IV. **I**N Regno Scotiæ fuit præcipuum, ac inter cætera canonicorum regularium collegia, cum primis illustre, quod s. Andree nuncupabatur, quod primò in Cathedrali erectum Sixtus IV. Archiepiscopali dignitate auxit anno primo sui Pontificatus, subiectis illi suffraganeis Episcopis Glasquenensi, Dunkeldensi, Aberdonensi, Muranensi, Brechinensi, Dumblanensi, Rosensensi, Karenensi, Candidæ casæ, Lismorensi, Sordorensi, & Insulensi. Perseueravit in Ecclesia s. Andree disciplina, & institutio canonicorum regularium vsque ad tempora Alexandri VI. vt ex Prouinciali Romano habetur, de qua Ticinensis in Dilucidario: *Archiepiscopus inquit, vniuersitatis S. Andree in Scotia. cuius Prior precedit quoscumque Abbates aliorum vrb. in toto*

illo regno Scotia, & sub illo Episcopatu sua quinquaginta duo Prioratus canonicorum regularium: Cuius Ticinensis dictum probat in suo apparatu ad Historiam Scoticam libro primo, capite decimo quinto eruditissimus Thomas Dempsterus illius regni Gentilis. *Octuagesimum secundum (scilicet monasterium) Sancti Andreae in Fife ordinis sancti Augustini fundavit, inquit, Rex Alexander Primus. Hector Boeth. lib. 17. pag. 348. Huius Prioras solum Comitiarum regni conuentu omnes Abbates praecedebant, non modo ex veteri prerogativa, sed & sententia Iacobi Primi Regis, contendente Abbate de Calco, ut est in Scotichronico lib. 6. cap. 49. notat diligens autor Augustinus de nouis Ticinensis in progressu canonicorum regularium pag. 49. ut inde appareat Scotichronicum non fuisse peregrinis ignotum, nam & ille & Vusion notant.*

Sed & aliorum multorum collegiorum nostri ordinis inter Scotos olim consistentium idem autor ibi loci meminit, quae totidem verbis ab illo accepta, hic reddenda putamus, omittis tamen collegijs Praemonstratensium, etsi inter monasteria canonicorum regularium illa etiam numerentur. Sunt autem sequentia.

Monasterium nuncupatum Ieduoed in Clydesdale, quod ordini sancti Augustini fundavit sanctus Dauid Rex. Historici vocant Iedburgum. Hector Boeth. lib. 12. pag. 264. hoc cum viginti millibus Anglorum Comes Surreus impiissime Iacobi Quinti tempore expilauit, & deuastauit, nec loci reuerentia rapaces militum manus coeruit, clades illa contigit anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio, Ioannes Leslaeus libro nono, nomen a fluuio syluam interluente habet. quare melius Ieduoed, quam Iedburg: sic enim Scotichronicon habet lib. 10. cap. 40.

V. **M**onasterium S. Crucis vulgò Halyrudhouus in Laudonia propè Regiam Edimburgum in Sylua condita, vbi die festo sancti Dauid Rex Venatus à ceruo percussus, dum eornu comprehendere, Crucis imaginem, non cerui cornu vidit, eodemque loco coenobium magnificentissimum erexit, & D. Augustini canonicis concessit, vt narrat illius loci Martyrologium. Hector Boeth Descriptione Scotiae. Annus foundationis millesimus centesimus decimus tertius. Meminit Clemens Tertius apud Rogerum Houedenum diligentem, sed in rebus regum nostrorum mendacem scriptorem par. 2. pag. 369. Primus Abbas sanctus Aluinus, sancti Dauidis Regis confessor. Meminit eiusdem Abbatiae noster Ticinensis: verum non à Rege Dauid, sed à Rege Gulielmo fundatum scribit. Sed autori Scotico, & de Scotiis agenti maior fides adhibenda.

Monasterium, quod dicitur Campus Kennethi, vulgò Cambus Kinneth propè Stirlingū, ordini D. Aug. idem Rex fundavit. Hector Boeth. ibid. nobile, morte, & sepultura Iacobi III. Regis. Leslaeus lib. 8.

Monasterium Insulae missarum in Stratherne ordini s. Aug. fundavit Gilbertus Comes Strather-

nia, vt in carta originaria continetur. Boeth. lib. 14.

Monasterium Emonia Insulae ordini s. Augustini fundavit Rex Alexander Primus cognomento Ferox. Hoc historijs asseruandis, ac publicis Regni monumentis reponendis dicatum. Hector Boeth. Scotiae descriptione.

Monasterium Sconae in Gauurea ordini s. Augustini fundavit Rex Alexander Primus, & sanctae Trinitati, & sancto Michaëli dicavit, cuius meminit Bulla Papae Clementis III. apud Rogerum Houedenum par. 2. Historiae pag. 369. Hic lapis fuit fatalis coronandis Scotiae Regibus, à regni principio veneratione summa habitus. Hector Boeth. lib. 12. pag. 264. lapidi ex Aegypto, vt fabulantur, allato hi versiculi inerant.

*Ni fallis fatum, Scoti quocumque locatum
Inuenient lapidem, regnare teventur ibidem.*

Monasterium Insulae Mahomo canonicorum, vt puto, regularium.

Monasterium Orneley in Insulis ordini sancti Augustini fundavit sanctus Columba. Leslaeus. Hic s. Buonis cognomento Bardi corpus, & opera religiosa cura asseruabantur.

Monasterium Insulae s. Mariae in Galuueia ordinis s. Augustini. Cella s. Crucis multis reliquijs nobilitatur.

Monasterium Insulae sancti Colmoci ordini sancti Augustini fundavit Mordachus Comes de Monteth.

Monasterium Maij in Insula ordinis s. Augustini Cella sancti Andree s. Adriano Martyri sacrum. Hector Boeth. lib. 10. pag. 206. multorum martyrum à Danis caesorum corporibus foelix.

Monasterium Insulae de Lauin ordinis s. Augustini, Cella etiam s. Andree s. Philano dicata, ad quem creberrimi tota insula concursus, & piorum peregrinatio posterioribus etiam temporibus, custodiae Mariae Reginae durissima.

Monasterium Restennot in Augusta Abbatia, vt puto, ordinis s. Augustini Cella de Ieduoed, sed de hoc delibero.

Monasterium Monimusk in Mar ordini s. Augustini, fundavit Episcopus sancti Andree.

Monasterium Loethay in Mar Ordinis sancti Augustini. Cella Sconae.

Monasterium Insulae Lonae ordinis s. Augustini, qui ferunt Rochetum, ait Polychronicon. Fundator sanctus Columba, vt aiunt. quis dotavit, non reperio. Haec omnia habentur ex Thoma Dempstero.

Monasterium insulae s. Columbae in Episcopatu Dunkeldensi ordinis sancti Augustini, ex libro taxarum Cameræ Apostolicae.

Monasterium dicti Scouner in Episcopatu Glasguensi Provinciae sancti Andree ordinis sancti Augustini ex libro taxarum.

Monasterium dictum de Pituenne Prioratus in Archiepiscopatu sancti Andree ordinis sancti Augustini, liber taxarum Apostolicarum. In eodem Archiepiscopatu alia non pauca collegia canonicorum

Regu-

Regularium tempore Innocentij Tertij Pontificis fuisse, illius literæ ad Episcopum s. Andreæ datæ indicant, quas lib. 1. pag. 280. videre potes.

Caput trigesimumseptimum.

De Ecclesijs, & Monasterijs Ordinis
Canonicorum Regularium
Anglicanis.

I.



Vtor est Iocellinus monachus in Vita sancti Patricij cap. 167. Beatum illum virum secundo Roma in Hyberniam reuertetem in suo regressu per aliquod temporis spatium in Britannia, quæ illius natalis fuit patria, moratum, monasteria multa fundasse, & alia à Paganis destructa per eum reparata, monachorum lacris conuentibus secundum formam religionis, quam eis præfixerat annuentibus repleuisse. Sed & Venerabilis Beda locis proximo capite notatis, ac in primis lib. 3. cap. 3. de Episcopis, & alijs sacris Doctoribus ab Osualdo Rege Anglorum ex Scotia siue Hybernia in Angliam ascitis differens, huc in modum exorditur: *Idem ergo Osuald mox vbi Regnum suscepit, desiderans totam, cui præesse cepit, gentem fidei Christianæ gratia imbui, cuius experimenta permaxima in expugnandis barbaris iam ceperat, misit ad maiores natu Scotorum, inter quos exulans, ipse baptismatis sacramenta cum ijs qui secum erant, militibus consecutus erat, petens, ut sibi mitteretur antistes, cuius doctrina, ac ministerio gens, quam regebat Anglorum, Dominice fidei, & dona disceret, & susciperet sacramenta. Neque aliquando tardius, quod petebat, impetrauit. Accepit namque Pontificem Aidanum, summa mansuetudinis, ac pietatis, & moderaminis virum, habentemque zelum Dei, quamuis non plene secundum scientiam, & infra. Veniente igitur ad se Episcopo, Rex locum sedis Episcopalis in Insula Lindisfarnensi, vbi ipse petebat, tribuit. & infra: Exinde cepere plures per dies de Scotorum regione venire in Britanniam, atque in illis Anglorum Prouincijs, quibus regnauit Osuald, magna deuotione verbum fidei prædicare, & credentibus gratiam baptismi, quicumque erant sacerdotali gradu præditi, ministrare. Construebantur ergo Ecclesie per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere Regio possessiones, & territoria ad instituenda monasteria, imbiebantur præceptoribus Scotis paruuli Anglorum, una cum maioribus studijs, & obseruatione disciplina regularis: nam monachi erant maxime, qui ad predicandum venerant, monachus ipse Episcopus Eudanus de Insula, quæ vocatur Hu, destinatus, &c. Et alia plura in toto libro, & sequentibus profectur. Ex quibus clarè liquet, in Occiduis sal-*

tem Anglorum Prouincijs Hyberniam aspicientibus, canonicam institutionem tum per sanctum Patricium, qui in ea Britannia regione natus fuerat, tum per illius discipulos post eius obitum longè ante D. Augustini in Angliam aduentum, fuisse plantatam, & multis erectis monasterijs latè propagatam.

II. **C**Aeterum de Beato ipso Augustino Anglorum Apostolo, quem Magnus Gregorius ad illarum gentium illuminationem, & conuersionem delegauit, certo certius est, per illum in omnibus Anglorum Ecclesijs, & Prouincijs clericos more Apostolico regulariter viuentes, quales illi nascentis Ecclesiæ extiterant, fuisse mandato Apostolico institutos. Extat enim de hac institutione canonicorum regularium in Ecclesijs Anglorum ipsius magni Gregorij mandatum in Responsionibus ad quæstiones per prædictum Augustinum propositas, quod in hoc sensu, & ad hoc ipsum institutum refert Gratianus in cap. Quia tua fraternitas, duodecima, quæstione prima: *Quia, inquit, tua fraternitas monasterij regulis erudita seorsum non debet fieri à clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ autore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conuersionem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex eis, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, si qui verò sunt clerici extra sacros ordines &c.*

Nec audiendi, qui hæc non de regularibus clericis, siue canonicis, sed monachis ordinis Diui Benedicti intelligenda contendunt, quos ab Augustino Monacho in cathedralibus Anglicanis pro clericis institutos aiunt exemplo Cantuariensis Metropolitanæ, Vuigorniensis, & Vintoniensis, & aliarum quarundam cathedralium adducti, quas ab illarum institutione non canonicorum regularium, sed monachorum Benedictinensium fuisse putant. Primò quia sic dicentibus tum ipse Gratianus alioqui monachus: & partium monasticarum acerrimus propugnator aduersatur, qui non de monachis, sed de clericis magnum Gregorium locutum arbitrat. & textus ipse de clericis, non de monachis loquitur. & semel, si de monachis, non de clericis intelligendus est, perperam eo loci, vbi de solis clericis agitur, ab ipso Gratiano est allegatus. tum etiam Summus Pontifex Eugenius Quartus in Bulla, per quam Canonicos regulares sacrosanctæ Lateranensi Basilicæ vti originarios eiusdem Ecclesiæ clericos restituit, in qua D. Gregorij sententiam non de monachis, sed de ipsis clericis sic interpretatur: *Huius profecto sacri ordinis, & sancti propositi post sanctos Apostolos primum in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri discipulus fuit institutor, & conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus Episcopus diuinis regulis, & doctrina decorauit, & sanctæ memorie Urbanus insignis Martyr, & sanctissimus Pontifex Generalis Decreti ordine reformauit, & Beatissimus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo velut plan-*

tationem sacram in commisso sibi populo præcepit institui, & in Occidentis finibus ampliavit.

III. **S**ecundò quia decipiuntur manifestè, qui putant, monachos Vuintonienses, aut Vuigorniensis, aut etiam Cantuarienses, aut demum quosuis alios in dictis Ecclesijs ab initio constitutos. nam habeo testes ex iisdem monachis, quos proferam, & quibus probem, clericos regulares in dictis Ecclesijs, excepta Cantuariensi, vsque ad annum circiter millesimum fletisse: ac subiinde soluta paulatim disciplina canonica, eosdem vel appetitu vitæ laxioris, vel astu circumuentos quorundam monachorum illarum Ecclesiarum Antistitum loco pulsos, vt monachi subintroducerentur. in primis enim id vlroneus fatetur. Gulielmus Malbesburienfis de Regibus Anglorum libro secundo, capite octauo, pagina mihi quinquagesima sexta, vbi de Osualdo Odonis Cantuariensis Episcopi nepote, & Vuigornensi primùm Episcopo, deinde Eboracensi Archiepiscopo, ex monasterio Floriacensi assumpto, nec non de illius zelo in monachismo ampliando differens, hæc prodit: *Nam easdem terens orbitas, monachorum regulam iure suo ampliavit, sedem Episcopalem Vuigornensem clericis non vi pulsus, sed arte sancta circumuentis, repleuit monachis regularibus. Expulerat ante regali iussione Ethelualdus Episcopus clericos de Vuintonia, qui cum data à Rege sibi optione, vt aut regulariter viuerent, aut loco cederent, magisque vitam mollem elegissent, tunc tota insula incertis vagabantur sedibus. & infra eodem capite pagina quinquagesima octaua, narrationem geitorum Regis Edgari profecutus, subdit ex nomine ipsius Regis: Ego Edgarus totius Albionis Basileus, nec non maritimarum, seu insularum Regum circumhabitantium, adeo vt nullius progenitorum meorum subiectione, largistua Dei gratia suppetente, sublimatus, quid imperij mei potissimum Regi Regum dono darem, tanti memor honoris, solertius sepe tractaui. Pig igitur fauorix deuotionis peruigili mea studiisati sperna subito insinuauit, quæque in regno meo instaurare monasteria, quæ velut musciui scindulis, cariosisque tabulis tigno tenus visibiliter diruta sic, quod maius est, intus à seruitio Dei fermè vacua, fuerant neglecta idiotis nempe clericis eiectis, nulli regularis religionis disciplina subiectis, plurimis in locis sanctioris seriei, scilicet, monachici habitus, præfeci pastores, ad ruinosam quæque templorū reinteigranda. Euectus est Edgarus ad Regnum anno humanæ salutis 960. cuius auctoritate nonnullis quidem sanctissimis monachis in regimine præcipuarum Ecclesiarum constitutis, antiquis clericis, quòd nullum amplius canonice disciplinæ vestigium teneret, ex illorum monasterijs eiectis, monachi subintroierunt. Consentit per omnia Henricus Hutingdoniensis Archid. libro primo pagina mihi 356. ita de eodem Rege Edgario scribens: *Edgari pacifici anno quinto Ethelualdus venerabilis feliciter Episcopatum Vincerstrense suscepit. hic secundo Episcopatus sui anno quosdam ca-**

*nonicos in veteri monasterio Vincerstrense degemes, & ordinem suum pigre, & negligenter seruantes eiecit, & Monachos imposuit, quæ Ecclesia temporibus nostris loco auulsa est, quia nimis coniuncta erat matri Ecclesie, quæ sedes est Episcopi. consensu igitur Episcopi, & Abbatis monasterij extra muros urbis fundata est. Et ne putes, hunc Episcopum Ethelualdum de solo monasterio cathedrali contiguo, non de ipsa cathedrali canonicos eiectisse, vt monachos introduceret, lege supra memoratum Gulielmum Malbesburiensem lib. secundo de Episcopis Anglicanis Vuintoniensis Ecclesie, hæc dicentem in Episcopo Ethelnodo: *Clerici Episcopatus sunt, & alterius Ecclesie, quæ iuxta erat, quæ nouum monasterium vocabant, data optione, vt aut vitam mutarent, aut loco cederent, molliorem partem eligentes, exturbati sunt, monachis introductis. & infra de monasterio eidem Cathedrali contiguo, de quo proximè dictum est: *Est, inquit, in eadem ciuitate monasterium, quod quondam Rex Elfredus mente conceperat, & Eduardus filius edificauerat, & in eo canonicos posuerat, Grimbaldus quondam monacho Flandrense suadente, qui ibi magna gloria humatus sanctus predicatur, & creditur. Sed B. M. Ethelualdus canonicis expulsis, monachos posuit, præficiens eis Abbatem Edgarum nomine, de quo superius dixi. Ad huius monasterij officinas insituendas sufficiens terre spatium ab Episcopo Benesulfo, & canonicis illius temporis mercatus supradictus Rex, ad unumquemque pedem Marcam auri publico pondere pensitauit, & erant ambæ Ecclesie sic vicina parietibus contiguis, vt voces canentium alia obstreperent alijs. Vnde tum propter hoc, tum propter cætera infelix liuor plurimas effodiebat causas, quibus non modicas inuicem exculperent offensas. quapropter nuper canobium extra urbem translatum sanctius colitur, & liberius insignitur.***

IV. **V**erùm ne dum audis, Regem Edgarum canonicis ex antiquis Ecclesijs, & monasterijs pellendis, & in eorum locum monachis subrogandis tam impensè deditum, existimes illum sua sponte, & non potius monachorum suasionem, ac stimulis eam prouinciam suscepisse, audi quæso te lector, quæ Rogerus Houedenus in suis Annalibus sub anno 963. de eodem Ethelualdo Vuintoniensi Episcopo, & ipsius Regis Edgari intimo consiliario notauit: *Anno, inquit, 963. S. Ethelualdus Venerabilis Abbas à Beato Dunstano educatus, mortuo Bricelmo Episcopatum Vuintoniensis Ecclesie suscepit, & eodem anno infu Regis expulsis clericis, vetus monasterium cum monachis instituit. Hic namque Regem, cuius eximius erat Consiliarius, ad hoc maximè prouocauit, vt clericos à monasterijs expelleret, & monachos, sanctimonialesque in eis collocaret. Quos verò tumultus idem clerici ex prædictis antiquis monasterijs pulsati excitarint, idem Houedenus in Annalibus parte 1. sub anno 975. immo ipsemet Guliel-*

Gulielmus Malbesburiensis lib. 1. de Regibus Anglicanis c. 9. & lib. 1. de Episcopis Anglicanis in Lamphranco referunt, qui apud illos legi possunt.

Non dissimilem casum tulerunt clerici cathedralis Schireburnenses eodem Gulielmo referente lib. 1. de Episcopis Schireburnensibus in Vuilfrino, qui in sede Episcopali constitutus, confestim eiecit clericos monachos instituit: *Ne, inquit, in tanta contemporaneorum Episcoporum sedulitate dormire videretur.* Sed & clerici Rosenses eodem modo, licet ex dissimili causa, è cathedrali eiecit, & eorum loco monachi subrogati, sub Lamphranco Cantuariensi Archiepiscopo memorantur ab eodem Gulielmo lib. 1. de Archiepiscopis Cantuariensibus in Lamphranco.

V. **H**inc planè vides, ante annum 960. in omnibus cathedralibus Anglicanis, ac in eis præsertim, quas Monachi postea tenuerunt, non monachos D. Benedicti, sed clericos regulariter iuxta morem nascentis Ecclesiæ viuentes, per Diuum Augustinum Anglorum Episcopum fuisse constitutus, ut perperam, & contra veritatem historię scripserit Odericus Vitalis monachus Vticensis lib. 4. suæ Historię Ecclesiasticæ sub anno 1070. pag. mihi 516. Augustinum, & Laurentium, aliosq; primos prædicatores Anglorum, quòd monachi essent, in Episcopis suis monachos vice canonicorum, quod vix in alijs terris inuenitur, piè constituisse. contrarium enim verissimum est, nimirum clericos regulariter viuentes per prædictos viros Apostolicos ordinatione Apostolica, in Ecclesijs Anglicanis primùm fuisse institutos: ipsis verò cedentibus, vel deficientibus, aut etiam vi pulsatis, & arte circumuentis, subintroisse monachos. vnam excipio Cantuariensem Metropolitanam, in qua post sancti Augustini decessum Laurentium illius successorem, Bonifacio Romano Pontifice permittente, & speciali rescripto ad instantiam Ethelberti Anglorum Regis concedente, monachos posuisse, idem Gulielmus Malbesburiensis de Episcopis Anglicanis lib. 1. pag. 208. scribit. quanquam de hoc non satis adhuc constet, cum non desint eodem autore ibi loci paulò superiùs, nimirum pagina 203. referente, qui affirmant, Elfricum Secundum à Dunstano Archiepiscopo monachos in eadem Ecclesia, pulsatis clericis, posuisse, quæ res hanc veritatem non solum non infirmat, sed potius euidentissimè confirmat, si aduertamus, specialem dispensationè, & concessionè arguere, generalem iuris dispositionè contrarium iubere. Præter quod illud etiam non omittendum, licet Laurentius, siue alius quispiam in Ecclesia Cantuariensi conuentum monachorum statuerit, non tamen eiecit clericos, sed quod etiam in alijs Ecclesijs præcipuis factū didicimus, & superiùs monuimus, vnà cum conuentu monachorum stetit collegium canonicorum, quod ne monstrum ex frigido cerebro confictum infimules, lege in primis ordinationem Archiepiscopi Dunstani ab eodem autore eodem libro, pagina ducentesima prima, relatam,

necnon quæ de beati Thomæ Cantuariensis Archidiaconatu, de illius martyrio, de clericis fores templi claudere conantibus, & qui eidem martyrio aderant, ab omnibus Historicis passim traduntur. & ad omnem dubitationem excludendam, vide literas Alexandri Tertij Romani Pontificis Archiepiscopo Cantuariensi directas pro quodam canonico in eadem Ecclesia instituendo, seu pro præbenda eidem iam instituto assignanda, quæ referuntur in Decretali Gregoriano cap. Relatum de Præbendis, in hunc modum: *Relatum est. & infra. Quoniam igitur dignum est, ut postquam magister I. in Ecclesia tua canonicus est institutus, & à te habuit in promissis de conferenda sibi prima præbenda, cum in Ecclesia ipsa vacaret, ut debeat præbendæ integritate gaudere, mandamus, quatenus si idem I. in Ecclesia tua est canonicè institutus, & in choro, & capitulo, & in alijs, quorum usus est communis, potestatem sicut canonicus habet, ei præbendam, si qua nunc vacat, vel cum ibi primò vacauerit, secundum promissionem tuam concedas liberaliter, & assignes: quia non est congruum, ut præbenda careat, qui in canonicum noscitur esse receptus.* Hæc Alexander Papa, quæ de monachis verificari omnino nequeunt, qui nec canonici erant, nec tales in literis Apostolicis vnquam dicti sunt, nec præbendas habebant, quippe qui communiter sine proprio, ex solemniprofessione, viuere debebant, nec ab Episcopo instituebantur, nec ad Archiepiscopum collatio beneficiorum illorum spectabat.

IN hoc igitur Regno Anglorum omnes Eccle- VI. siæ cathedrales saltem ante annum nongentesimum sexagesimum fuerunt canonicorum regularium, ut ex supra allegatis patet. paulatim verò dissoluta disciplina regulari, quædam illarum ad statum omnino secularem transferunt: quædam verò per monachos ordinis Diui Benedicti, curantibus nonnullis sanctissimis Episcopis ex eodem ordine assumptis, fuerunt reformatae, qui in eisdem per multa annorum curricula perseverauerunt, ut etiam ex Pontificali Romano colligi potest. De Metropolitana Eboracensi legitur in Vita sancti Guidberti, quod per Egbertum Eboracensem Archiepiscopum in Ecclesia Metropolitana s. Petri in canonicum ordinatus, in conuentu illo tam strictè per biennium regularibus disciplinis se mancipauit, quod omnibus fratribus perfectè, & regulariter viuentibus forma, & exemplar factus fuit, & postea in Abbatem electus. extant literæ Alexandri III. ad Archiepiscopum Eboracensem, cui mandat, ut in suo monasterio regulares regularem habitum deferant, quæ referuntur in Breviario Extrauagantium Præpositi Papiensis.

De Ecclesijs Vuigorniensis, Vuintoriensis, Schireburnensis, & Rossensis habes ex supra dictis. De Lindisfarnesi vide Venerabilem Bedam libro tertio capite quarto Historię Anglorum, & Gulielmum libro tertio de Episc. Anglicanis Lindisfarnensibus præsertim pag. ducentesima septuagesima sexta.

De Episcopis Candidæ casæ eundem in eodem lib. De Dorcestrensi, & Lincolnensi vide Matthæum Parisium sub anno 1241. vbi de sedis translatione, & secularizatione pluribus edisserit, & Guliellum Malbesburiensem lib. 4. de Episcopis Dorcestrensi- bus. De Conuentrensi, in qua cum monachis erāt canonici, vide eundem Matthæum Parisium sub anno 1239. plura scribentem.

Sed præter Ecclesias cathedrales fuisse ante annum 960. per omnes prouincias Anglorum monasteria canonicorum, quæ pulsis clericis sub Rege Edgardo data fuerunt monachis, Rogerus Houedenus 1. par. Historiæ pag. 426. his verbis attestatur. *Anno 969. Rex Anglorum pacificus Edgarus sancto Dunstano Dorbennensis, & B. Osualdo Vuigorniensis, & S. Ethelualdo Vuintoniensis Ecclesia Episcopis præcepit, ut expulsis clericis in maioribus monasterijs per Merciam constructis, monachos collocarent. unde S. Osualdus sui voti compos effectus clericos Vuigorniensis Ecclesia monachalem habitum suscipere recusantes de monasterio expulit, &c.* Quorum autem nomina, vel foundationes siue ante prædictum Edgaram, siue postea factæ ad meam notitiam deueniunt, notatis autoribus, ex quibus fideliter sunt collecta subiicio. Ea verò sunt

VII. Primum monasterium S. Gregorij apud Cantuariam. de isto Guliellus in Lanfranco. *Extra Cantuariam urbem in Aquilonari parte lapideas domos omnibus egenis, in Occidentali parte regia valetudine fluentibus ligneas locauit. Canonicis etiam apud S. Gregorium regularibus institutis, qui ijs diuina facerent officia, diuisis pro varietate sexuum habitationibus, sumptibusq; prouisis.* Priori sancti Gregorij scribit Innocentius III. lib. 1. pag. 17.

Secundum in ciuitate Vuintoniensi prope cathedralem ab Eduardo Rege Elfredi filio canonicis fundatum, sed pulsis clericis ab Ethelualdo Episcopo monachis collatum. de quo supra. Guliell. lib. 2. de Episcopis Vuintoniensibus in Ethelualdo.

Tertium S. Etheldridæ in Insula, siue in Episcopatu Eliensi, primum monialium, postea clericorū. deinde pulsus clericis monachorum. Idem Guliellus in Episcopis Eliensibus lib. 4.

Quartum Oxerfordense prius sanctimonialium à sanctissima virgine Fridesuida Regia stirpe genita fundatum, postea tempore Engelredi igne consumptum, sed mox Regis poenitentia purgatum restitutum, & possessionibus auctum, & clericis datum, qui tempore succedente cum liberius uiuerent, tandem locus à Rogero Salisberienfi Episcopo Guimūdo excellentis literaturæ, & non aspernandæ Religionis canonico datus, qui non inoperosè commisso insudans muneri, multos ibi canonicos regulariter victuros exhibuit. Guliell. lib. 4. de Episcopis Dorcestrensi- bus, & Lincolnensibus.

Quintum S. Petri Excestrense, de quo idem Guliellus lib. 2. de Episcopis Cridiensibus in Lefrico. *Hic Lefricus electis sanctimonialibus à monasterio sancti Petri Episcopatum, & canonicos statuit, qui contra morem Anglorum ad fermam Lotharingorū*

uno triclinio comederent, uno cubiculo accubarent. transmissa est huiusmodi regula ad posteros, quamuis pro luxu temporum nonnulla iam ex parte deciderit. habentq; clerici Oeconomum ab Episcopo constitutum, qui eis dietim necessaria victui, annuatim amictui commoda suggerat. Hi ut vidēs, cathedrales erāt. Porro quod ait Guliellus, eam viuendi formam contra formam, & morem Anglorum introductā, non de prima viuendi forma à S. Augustino præscripta intelligas, sed de relaxata.

Sextum monasterium Christi ciuitatis Londinē-**VIII.** sis. De hoc Matth. Parisius sub anno 1107. pag. 84. editionis Londinensis. *Normannus Prior fundauit Ecclesiam Christi Londinensis sub Ordineq; sancti Augustini canonicos collocauit.* Addit ibidem obiisse Mauritium Episcopum Londinensem, qui Ecclesiam sancti Pauli fundauit.

Septimum sanctæ Crucis Valatinæ vulgo de Valtam in Episcopatu Londinensi, antea Collegiū secularium clericorum. Sed cum Henricus Secundus Rex de nece sancti Thomæ Cantuariensis diffamatus in expiationē propriæ famæ, & sancti Martyris honorem de fundando monasterio in honorem ipsius Martyris cogitasset, ac etiam votum fecisset, parcere volens proprijs sumptibus, exactis clericis secularibus, in eo canonicos regulares statuit, ratus sancto Martyri pergratum futurum, si illius habitum honestasset. Polidorus Virgilius Historiæ Anglicanæ lib. 13. sub anno 1178. Matthæus Parisius sub anno 1177. pag. 176. qui dicit autoritate Summi Pontificis eiectos seculares clericos, & regulares introductos in Vigilia Pentecostes Rege procurante Henrico, & præsentem, & eadem die Redulphum Ciscestrensem canonicum de manu Londinensis Episcopi curam Ecclesiæ prædictæ suscepisse, ipsi tanquam Diæcesano de canonica subiectione seruanda verbis se obligasse, & fratribus cum eo introductis Priorem ab eodē Episcopo designatum, & in sua sede solemniter collocatum. Dedicata est Ecclesia anno 1242. Regio priuilegio munita 1252. quæ omnia apud eundem Matthæum Parisiensem sub annis eisdem vide. Confirmata, & aucta priuilegia per Innocentium III. quæ habes lib. 1. suarum epistolarum multis in locis.

Octauum S. Mariæ de Maritonia à ciuitate Londinensi septimo ferè milliario distans, de cuius fundatione Polidorus Virgilius lib. 16. sub anno 1227. *Monasterium de Maritonia, quod distat à Londino septem miliaribus, fundatum à Gilberto principe Normanno, qui cum Guliello primo in Angliā traiecerat.* Traiecit autem Guliellus primus in Angliam anno circiter 1060. ut ex fastis Regum Anglicorum habes. Claruit hoc Cœnobium educatione S. Thomæ Cantuariensis Episcopi, & martyris sub Roberto Priore. Geruasius Dorobennensis autor Quadriloqui lib. 1. c. 4. Raphaël Olinschend. pag. 407.

Nonum Abbatia S. Mariæ apud Legecestriam. **IX.** neminit illius Matthæus Parisius sub anno 1234. his verbis: *Stephanus verò de Legraue in Ecclesia*

Ecclesia sanctæ Mariæ in Abbatia canonicorum apud Legecestriã delisit, & qui prius à clericatu ad militiam per arrogantiam confugerat, ad clericatus officium reuersus, coronam, quam reliquerat inconsulto Episcopo, reuocauit.

Decimum. Prioratus apud S. Albanum dicec-
sis Herefordensis meminit idem Matthæus sub an-
no 1248. casum lugubrem eius loci Prioris referēs,
qui dum frumenti confertum aggerem, quem, vt
inquit, vulgariter rassum appellamus, venalem æsti-
maret, agger ille nutans, & inordinatè compositus,
subito corruit super eum, & antequam garbæ glo-
meratæ super ipsum dissipari possent, memoratus
Prior homo quidem simplex, & substantiæ tenuis,
miserabiliter suffocatus expirauit.

Vndecimum S. Bartholomæi Londinensis. refert
de hoc cœnobio præfatus autor sub anno 1250.
quod cum Archiepiscopus Cantuariensis Londinū
profectus, vt eius ciuitatis clericos tam seculares,
quàm regulares visitaret, à cathedralibus repulsam
habuisset. *In crastino ira adhuc tumidus, & lori-
ca, vt perhibent, qui viderunt, in tulus venit ad prio-
ratum S. Bartholomæi, vt ibi Canonicos visitaret,
cui aduentanti, & Ecclesiam intranti occurrit Sub-
prior cum solemnitate, multorum accensione cereo-
rum, & sonitu campanarum. Erant autem in Cap-
pis Chorealibus valdè pretiosis, quarum preciosissimã
habuit Subprior memoratus, de quo sibi exhibitio ho-
more non multum curauit Archiepiscopus, dixitque,
se illuc venisse, vt visitaret Canonicos, &c.* & tra-
gediam satis flebilem ibi loci prosequitur: nam cū
vnus canonicorum, omnium nomine, Archiepisco-
po respondisset, ipsos Episcopum peritum, & pru-
dentem habere, ad quem spectabat, si opus esset, il-
los visitare, & quod nec debebant, nec volebant in
contemptum eiusdem Episcopi ab alijs visitari, idē
Archiepiscopus ira succensus in Subpriorem irruit,
& suæ conditionis oblitus, ipsum sanctum virum,
religiosum, & sacerdotem in medio Ecclesiæ exi-
stentem pugno impiè in faciem, & in pectus percuf-
sit, & in caput impulit truculenter. & alia multa,
quæ ob reuerentiam dignitatis Archiepiscopalis re-
ticenda existimo. Subdit, idem Archiepiscopum
cum alijs canonicis regularibus sanctæ Trinitatis
agere voluisse, & alia multa, quæ apud illum videri
possunt.

Duodecimum. Abbatia S. Mariæ de Crokestuna,
in qua Rex Ioannes anno 1216. naturæ debitū
soluit, cuius rei euentum idem Parisius sub eodem
anno 1216. sic refert. *Veruntamen summo inde
diluculo licet cum labore recedens (scilicet Rex Io-
annes) ad Castellum de Lafort hospitaturus perre-
xit, vbi maxima corporis pragrauatus molestia, in
crastino vix ad Castellum de Neuere equo vehente
peruenit: quo in loco inualescente morbo, ab Abbate
de Crokestuna consiliū Confessionis, & Eucharistiæ
suscepit. & infra. Abbas igitur Canonicorum Cro-
kestonia peritissimus in medicinis, qui Medicus Re-
gis tunc temporis existerat, facta anatomia de cor-
pore Regis, &c. moriturus domui de Crokestuna*

decem librarum terram contulit opulentam.

Decimum tertium de Neuuenhá. meminit eius-
dem dictus Matthæus Parisius sub anno 1252. pag.
1145. & cuiusdam Vuillelmi de Bellocampo eiusdē
monasterij persecutoris. *Qui didicerat ex uxore
sua, inquit, uxorius enim erat, religiosos plusquam
milites impugnare, dum iam per spatium duodenne
Canonicos de Neuuenbam incessanter fatigarat, du-
rus existens, & petrinus, quibus patronus debuit
existere.*

Decimum quartum de Neuburgo iuxta sylvā, X.
quæ dicitur Cucullina. Eius Priori, & cano-
nicis scribit Innocentius III. lib. 2. fol. 329. con-
firmans eis Ecclesiam de Houingham iuxta conces-
sionem C. prædecessoris sui. Habuit viros præcla-
ros, & eruditos, quorum meminerunt Pitius de
Scriptoribus Anglicanis, & Matthæus Parisius sub
anno 1254. & 1256. nimirum Ioannem canonicū,
eiusdem monasterij Priorem, & Henrico tertio Re-
gi mirificè charum, qui à canonicis Carleolensi-
bus, vt eum Episcopum eligerent, vrgentissimis pre-
cibus postulauit, nec obtinuit, & Gulielmum co-
gnomento Paruum, qui floruit circa annum 1200.
ex eodem Pitio.

Decimum quintum Romeniense, fundatum an-
no 1258. à Domino Ioanne Marsel Beuerleia Præ-
posito, qui vt præfatus Matthæus Parisius sub eo-
dem anno 1258. pag. 1294. scribit: *Cum esset Do-
mini Regis clericus, & consiliarius specialis, vir
prudens, & circumspectus, ac diues, prudenter consti-
derans, quoniam Regis gratia non est hereditaria,
vel prosperitas mundi semper duratura, vnã do-
mum Religiosorum scilicet canonicorum regularium
fundauit, & gratanter locupletauit iuxta Romeniam
ad duo miliaria supra mare, & illam canonicis in-
staurauit.*

16. *Exemplo Petri Chaceport, qui quondam do-
mum eiusdem Ordinis paucis retro actis diebus piè,
ac feliciter fundauerat, informatus, vt sic per
bona temporalia transeuntes non amitterent æ-
terna.*

Decimum septimum S. Trinitatis Londinense.
Habuit virum insignem Riccardum Londinensem,
qui multis libris editis claruit anno Domini 1200.
teste Ioanne Pitio de Scriptoribus Anglicanis, vbi
& Catalogum operum illius scribit. Meminit eius-
dem monasterij Matthæus Parisius tum sub anno
1250. tum sub anno 1256.

Decimum octauum Chiechense, ex quo ad Can-
tuariensem Archiepiscopatum assumptus est Gu-
lielmus anno Domini 1123. Odericus Vitalis mo-
nachus Vticensis lib. 12. Ecclesiasticæ Historiæ sub
eodem anno, vel sub 1120. pag. 873. vbi hæc ha-
bet. *Tandem anno ab Incarnatione Domini 1123.
indictione 1. Radulfus Archiepiscopus 13. Kalend.
Novemb. Cantuarie obiit. cui Gulielmus Corbulien-
sis canonicus regularis post aliquot annos successit.
Ecce antiquus mos pro inuidia, qua clerici contra
monachos vrebantur, deprauatus fuit: Augustinus
enim monachus, qui primus in Anglia Euangelium*

præcauit &c. Angli monachos, quia per eos ad Dei conuersi sunt, indefinenter diligentes, honorauerunt, ipsiq; clerici reuerenter, & benignè sibi monachos præferri gauisi sunt. Nunc autem mores, & leges mutata sunt, & clerici ut monachos confitent, aut conculcent, clericos extollunt. Vide quæso Lector, quàm benè cum D. Gregorio hic monachus concordet: nam S. Gregorius Augustino Anglorum Episcopo mandauit, in omnibus Ecclesijs Anglorum regulares canonicos institui, qui eas vsque ad annum circiter millesimum tenuerunt, eo tempore, vel paulò ante quidam monachi, Edgardo Rege fauente, in sedibus Episcopalibus Cantuariensi, Vuigornienfi, & Vintonienfi semel constituti, non de vno monacho ad Episcopatum promouendo, sed de omnibus canonicis ex antiquis illorum Ecclesijs, & monasterijs turbandis statim agere, Regem stimulare, impellere pro viribus certatim studuerunt, nec ab inceptis, donec optatis potirentur, desistere voluerunt. Hic verò Monachus pro vno canonico regulari in Archiepiscopum Cantuariensem suffecto, omnes Anglos inuidentiæ, & veterum legum, & morum perturbatores, quin & monachorum conculcatores, accusare non veretur.

XI. **D**ecimum nonū Abbatiale S. Olytæ de Chuc. habet insigne priuilegium Innocentij III. lib. primo epistolarum fol. 126.

Vigesimum S. Osualdi in diœcesi Glocestrensi. de eius fundatione, & antiquitate Gulielmus Malbesburiensis lib. 4. de Episcopis Vuigorniensibus pag. 283. Priori, & Canonicis S. Osualdi scripsit Innocentius III. lib. 2. fol. 327. quibus ad exemplar C. prædecessoris sui quatuor Ecclesias confirmat.

Vigesimum primum Gisburnense in Occiduis Angliæ finibus, hospitio S. Malachiæ Hybernorum Archiepiscopi decoratum, vt inquit D. Bernardus in vita eiusdem S. Malachiæ S. Percunctatus ad finem. *In ipso, inquit, introitu Angliæ diuertit ad Ecclesiam Gisburnensem, ubi habitant viri Religiosi Canonicam degentes vitam ab antiquo familiares ei pro sua religiofitate, & honestate.*

Vigesimum secundum S. Mariæ de Brigdlintona in diœcesi Eboracensi multorum bonorum hominū sanctitate, & doctrina illustrium Seminarium: nam ex hoc monasterio prodierunt in primis Achardus eius cœnobij primum canonicus, postea S. Victoris Parisiensis Abbas, ac deinde Episcopus Abrincensis, qui multa sui præclari ingenij monumenta reliquit, apud Ioannem Pitium de Scriptoribus Anglicanis. Creatus est autem Episcopus Abrincensis anno 1162. ex continuatore Sigiberti sub eodem anno, & ex historia Normandica fol. 997. sub 1160. Georgius Riplarius vir ingenij perspicacis, Poëta, Rethor, Mathematicus insignis, & omnium scientiarum peritissimus, qui arctioris vitæ desiderio ad Carmelitas, Pontificis dispensatione, concessit. hic inter alia sui ingenij monumenta, quæ idem Pitius recenset, scripsit vitam S. Ioannis Brigdlintoni lib. 1. Gregorius quoque Hortumbrensis mu-

ficus peritissimus, & Chori præcentor, sed & in sacris literis apprimè versatus, quemadmodum illius scripta indicant, quorum meminit idem Pitius, ac demum sanctus Ioannes de Brigdlintona nuncupatus, & illius monasterij Abbas, vir eximia tum eruditionis, tum sanctitatis, qui in suis contemplationibus exthases mirabiles patiens, arcanas visiones habuisse perhibetur, & de futuris reuelationes, quibus homines terreni, à vitijs reuocabat, qui tandem multis sanctitatis indicijs euidentissimis relictis, anno 1379. sub Riccardo secundo ad cœlestem patriam migravit, in Sanctorum numerum relatus. Scripserunt eius vitam Georgius, siue Ioannes Riplarius eius monasterij primum Canonicus, postea Carmelita, & ex Italis Augustinus noster Ticinensis, sed diminutam, & cum errorum admixtione, vt qui veras historias Anglicanas non habuit, inter quos ille notandus, quod sub anno 1412. illius obitum reponit.

Vigesimum tertium Effibiense in occiduis Angliæ regionibus. Meminit Pitius de Scriptoribus Anglicanis in Alexandro Effibiensis monasterij Priore Chronographo, quem virum magnæ integritatis, & lectionis commendat, cuiusque multa præclara ingenij monumenta in Catalogo Scriptorum Anglicorum refert, atq; illum floruisse circa annum 1220.

Vigesimum quartum Oxoniense S. Augustini, cuius inter alios alumnus, & professus extitit Alexander cognomento Necham, qui multa commentaria in varios libros diuinarum Scripturarum elaborauit, quorum meminerunt Sixtus Senensis in Bibliotheca, & Pitius de Scriptoribus Anglicanis, floruit autem anno 1215. quo tempore ipse monasterij Abbas est renunciatus.

Vigesimum quintum Langtoniense apud Claudiocestriam, cui præfuit insignis Abbas nomine Clemens Claudiocestrensis circa annum 1170. Pitius tradente in eodem libro, in quo varia eiusdè viri scripta numerat, necnon Gulielmus Langtoniensis ab eodem monasterio, cuius Abbatiam moderatus est, ita cognominatus, & inter Scriptorum Anglicanos ab eodem Pitio relatus sub an. 1230.

Vigesimum sextum Leicestrense item Abbatiale, cui præfuit Gilbertus Foliotus, vir prudens, & insigniter doctus primum eiusdem monasterij Abbas, postea Herefordensis, deinde Londinensis Episcopus, & semel, omni laude dignus, hoc excepto, quod Henrico II. Regi contra D. Thomam Cantuariensem Episcopum, adhæsit, & scripsit pro causa Regis ad Alexandrum Tertium, & alia, quæ refert Pitius libro sæpe memorato. vixit circa annum 1177. Philippus item Repingtonus in eodem monasterio literis claruit anno 1410.

Vigesimum septimum Oxoniense de Osnei nuncupatum, cuius fuisse Canonicos Gualterum Bakerum, qui scripsit historiam de Vita, & morte Regis Eduardi II. & claruit anno 1320. necnon Thomam Vuiccium, qui scripsit historiam rerum Anglicarum à principio Regni Gulielmi primi vsque ad Eduar-

Eduardum primum, & Catalogum Abbarum sui monasterij, & floruit circa annum 1290. testatur in eodem lib. Pitfio.

Vigesimum octauum Lisburnense, quod B. Brius in Ciuitate Eboracensi ad Thesim fluuium ædificauit, ex eodem Pitfio.

Vigesimum nonum Chrichellacense apud oppidum Valsinghamum Comitatus Norfolcensis, præfuit huic monasterio Richardus Crickefladensis, vir sanctitatis opinione, & singulari doctrina celebris, prout illius scripta testantur à Pitfio notata, qui ait illum floruisse circa ann. 1310.

Trigesimum sancti Augustini Græcoladense, id est, in oppido Græcolada nuncupato, cuius meminit idem Pitfius in Roberto Canuto, qui floruit anno 1170. quem eiusdem monasterij collegio adscribit.

Trigesimum primum s. Fridisuidæ apud Oxoniam. Prioratus, cuius fuit Prior idem Robertus Canutus, eodem Pitfio ibi loci referente.

Trigesimum secundum Plintoniense in Deuonia, cuius canonicus fuit Robertus Plintonus à loco, in quo regulam canonicam fuerat professus, ita cognominatus, qui postea ad Archidiaconatum Tornesi, euectus, seruens, & frequens verbi Dei ad populum prædicator euasit. Claruit circa annum 1320. ex Pitfio.

Trigesimum tertium Vuarotrense apud Castrum Cago Diocesis Eboracensis ex eodem Pitfio, qui Stephanum Etonum eius monasterij canonicum post Lælandum multis commendat, quem circa annum 1320. floruisse commemorat.

Trigesimum quartum Oltiey nuncupatum ordinis s. Augustini in Diocesi Cantuariensi, ex libro Taxarum Apostolicarum.

Trigesimum quintum Prioratus de Nollstad, siue de Holttat Eboracensis Diocesis, Huius Priori, & canonicis scribit Innocentius Tertius lib. 2. pag. 327. confirmans eis quatuor Ecclesias à B. Eboracensi Archiepiscopo eidem monasterio vnitas.

Trigesimum sextum sancti Andreæ Cistrotone in Eliense, siue potius Vellense Diocesi, per Regem Henricum Tertium monasterio sancti Andreæ apud Insubres vnitum, quod Cardinalis Gualla de Bicherijs canonicis regularibus ex pecunijs sibi ab eodem Henrico Tertio collatis in expiationem necis beati Thomæ martyris fundauit, & dotauit. vnionem probauit Summus Pontifex. meminit dictæ vnionis, & confirmationis Gregorius Nonus in priuilegio, quod Abbati s. Andreæ Vercellensi, & eius canonicis concessit anno 1227. & sui Pontificatus primo. Suspicio istud non fuisse collegium formatum.

Etsi verò supradictorum monasteriorum nō omnes foundationes teneamus, verò nihilominus cōsentaneum est, pleraq; illorum fuisse vetustissima saltem ante annos quingentos: nam circa annum 1069. monasteria canonicorum in Anglia renouata, Odeticus Vitalis Vticensis lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ fol. 517. adnotauit.

Demum non omittendum, quod notat Pitfius pag. 252. ex Lælando, Gilbertum quemdam natione Anglum, patria Lincolnensem, ex oppido Sempingam, parentibus ex equestri ordine progenitum, diuinæ gloriæ, sanctæq; religionis zelatorem feruentissimum, cum beati Augustini Regulam inter canonicos paulatim neglectum iri animaduertisset, nec tam accuratè obseruari, quemadmodum ipse cupierat, anno Domini 1148. quandam ordinis canonici reformationem aggressum, cuius reformationis cultores à fundatore Gilbertini sunt vocati: eiusq; laboribus Deum ita benedixisse, hominiq; tā longam vitam tribuisse, vt ipse adhuc in viuis agens, viderit in tredecim monasterijs à se institutis monachos septingentos, & sanctimoniales plus minus mille centum.

Cum supradicta ex varijs autoribus hinc inde conquisita in vnum collegissem, peruenit ad manus meas volumen Historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ, Autore Nicolao Harpsfeldio Archidiacono Cantuariensi recens editum, cum adiuncto Catalogo monasteriorum, & sacrarum ædium tempore Henrici Regis Angliæ Octaui in Anglia existentium, opera Ioānis Speed Scriptoris Anglici collecto. ex quo sequentem monasteriorum canonici ordinis partialem Catalogum colligendum curauit, totidē verbis ab ipsomet autore depromptum. Circa quem notandum, ipsos canonicos regulares non vno, sed multiplici nomine in eodem Catalogo notari: nam aliquando vocantur canonici regulares, aliquando canonici Augustiniani, aliquando canonici albi, quādoq; nigri, quod duplici habitu in Anglia, sicut etiam in Gallijs, Germania, & alijs prouincijs idem canonici vterentur, aliqui albo, aliqui nigro. sed nihil interest: omnes enim canonicos regulares, non seculares extitisse, duplex nota declarat. Prima titulus monasterij, vel Prioratus locis inditus. Secunda quod quando Autor canonicorum secularium meminit, conceptis verbis seculares exprimit, Notantur autem ipsa monasteria secundum ordinem Ciuitatum, vel Episcopatum, in quibus consistebant, hoc pacto videlicet.

In Comitatu Bedfordiæ, vulgo Bedford-Shire.

Busshemedi, aliàs Bissemedi. Fundator. Hugo de bello campo, & Rogerius frater eius. Prioratus. canonici Augustiniani.

Caldeuuellæ Titulus. Ioannis Baptistæ. Fundator Dominicus Latimers, alij Ioan. de Byddyfley. Prioratus. canonici Augustiniani.

Chickfandiæ Tituli s. Mariæ. Fundator Paganus de bello campo. Prioratus Virginum. canonicæ albæ.

Dunslablij Tituli s. Petri. Fundator Henricus primus Rex. Prioratus. canonici nigri.

Neuenhamiæ. Fundatrix vxor Pagani de Beauchamp. nomine Roisia. Prioratus. canonici Augustiniani.

In Comitatu Berberia, vulgo Barke-Sbire.

Bislehami nunc Bishami, Tituli Christi, & B. Virginis. Fundator Gulielmus montis acuti primus Comes Salisburienfis A. 13. Eduuardi III. Regis monasterium. canonici.

*In Comitatu Buckinghamie, vulgo Buckin-
gham sbire.*

Lauedeni, tituli s. Mariæ, Fundator Ioannes de Bedon. monasterium. albi canonici.

Luffeldij tituli s. Mariæ, Fundator Robertus Comes Leicestræ. monasterium. albi canonici.

Missendeni tituli s. Mariæ. Fundator D'Oiles, siue Doily. monasterium. nigri canonici.

Noteleyæ tituli s. Mariæ. Fundator VValterus Giffard Comes Buckinghamiæ anno Domini 1112. monasterium. nigri canonici.

Paretrendani Prioratus. nigri canonici.

In Comitatu Cantabrigia, vulgo Cambridge-sbire.

Cantabrigiæ. Prioratus. Canonici.

In Comitatu Cantabrigia Collegia.

Barnywelliæ tituli s. Andree s. Aegidij. Fundator Paganus Peverell Vexillifer Roberti Ducis Normanniæ in bello sacro tempore Henrici primi Regis. Prioratus. nigri canonici.

S. Emundi. Fundator Canus Rex. Prioratus. albi canonici.

Fordhami. Fundator Henricus Den vel Deuu. Prioratus. Gilbertini fratres.

Marmoundij. Prioratus. Canonici.

Sunaueseye. Fundator Alanus la Zouch frater Rohaim Vice Comitum minoris Britannia. nigri canonici.

In Comitatu Cantia, vulgo Kent.

Beighami tituli s. Mariæ. Fundatores Maiores Thomæ Sakuile, alij Robertus Normham Eques. Prioratus. albi canonici.

Bellantoni, vel Bilsingtoni tituli s. Mariæ. Fundator Ioannes Maunfell. Prepositus Beuerlacensis pro Henrico III. Rege, & Eleonora eius vxore. Prioratus. nigri Canonici.

Bradefokiæ tituli s. Radegundis. Fundator Hugo primus Abbas. monasterium. albi canonici.

Iuxta Cantuariam tituli s. Gregorij, vel s. Georgij. Fundator Louufranus ibidem Archiepiscopus. Prioratus. nigri canonici.

Combeuelliæ tituli s. Mariæ Magdalene. monasterium. nigri canonici.

Haltbridgiæ. Fundator Henricus I. dedit pro Gulielmo patre quidquid. Robertus Brus dederat Ecclesiæ de Etteburgh, & fratribus ibidem regu-

laribus. Hospitium pauperum.

Landoni tituli s. Thomæ martyris. monasterium nigri canonici.

Leedesia tituli s. Nicolai. Fundator Robertus Creuecuer. Prioratus. nigri canonici Augustiniani.

Lesnesiæ ad Thamisiu tituli s. Augustini, vel s. Thomæ martyris. Fundator Riccardus de Lucie summus Angliæ Iusticiarius anno Domini 1179. Prioratus. nigri canonici.

Rochestræ tituli s. Andree. Fundator Gundulfus Episcopus Normannus anno Domini 1080. monasterium. nigri canonici.

Tunbridgæ tituli s. Mariæ Magdalene. Fundator Riccardus Clare Comes Glocetria. Prioratus. nigri canonici.

In Carliolo, vulgo Carlioli.

Carlioli in Cumberlandia tituli s. Mariæ. Fundator Domini Regis progenitor. Prioratus. de quo dictum est supra.

In Comitatu Cestria, vulgo Chesbire.

Birkehadæ tituli s. Iacobi. Fundator Comitum Derbiæ antecessor. monasterium. canonici nigri.

Cestriæ tituli s. Mariæ, Fundator Domini Regis progenitor. monasterium. nigri canonici.

In Comitatu Cornubia, vulgo Cornuall.

Bodmini tituli s. Petri. Fundator primus Athelstanus Rex, inde Gulielmus VVaruuaft Exceltriæ Episcopus, & confirmatum à Ioanne Rege. monasterium. nigri canonici.

Bouatia s. Petroei. Fundator Rex Athelstanus. monasterium. nigri canonici.

Launcestoni tituli s. Stephani. Fundator Reginaldus Comes Cornuallia anno Domini 1150. monasterium. nigri canonici Augustiniani.

In Comitatu Derbia, vulgo Darby-sbire.

Bello-Capite tituli s. Thomæ. Fundator Robertus filius Ranulphi Domini de Alfreton ibidem canonicus. monasterium.

Derbiæ tituli s. Iacobi. Fundator Domini Regis progenitor. Cella. nigri canonici.

Derelegiæ, vel Darleighiæ tituli B. Mariæ. monasterium. nigri canonici.

Repingdoni, alias Repdoni tituli s. Mariæ. Fundator Domini Regis progenitor, alij Aimerus de Valentia, & Randolphus Comes Cestriæ. monasterium. nigri canonici.

In Comitatu Deuonia, vulgo Deuan-sbire.

Berdlesthoni Prioratus. nigri canonici.

Cluix tit. s. Mariæ Magdalene. Fundator Almarus Comes Cornubia. monasterium. nigri canonici.

Cuicha

Cuichæ tituli s. Andree . monasterium . nigri monachi .

Hartlandiæ tituli s. Necani martyris . Fundatrix Gitba vxor Gooduini , Riccardus Pictauiensis Archidiaconus , & Gaufridus de Dinan senior , & Oliuerius eius frater benefactores . monasterium . nigri canonici .

Plimptoni tituli s. Petri s. Pauli . Fundator Balduuinus de Reduers Comes Deuoniæ , & Dominus de Infula tempore Henrici III. Regis . Prioratus . nigri canonici Augustiniani .

Tauistockiæ tituli s. Mariæ , s. Burienæ , Fundator Ordolphus filius Ordgari Comes Deuoniæ anno Domini 961. monasterium . nigri monachi Augustiniani .

Torræ tituli s. Saluatoris . Fundator Gulielmus de Brieuuer . monasterium . albi canonici Augustiniani .

Eboraci vulgo Yorke-shire .

Beuerleyæ Ecclesia Collegiata tituli s. Ioannis . Fundator Ioannes Eboracensis Archiepiscopus , & restaurator Athelstanus Rex anno 629. primùm monachi , postea canonici .

Bridlingtoni tituli s. Mariæ . Fundator Gualterus de Gaunt , & Iordanus Paganell . circa Regnum Conquestoris . monasterium . canonici regulares .

Draxiæ , Fundator Gulielmus Painel antecessor Marmaduci Constabilis . Prioratus . canonici .

Eboraci tituli s. Trinitatis . Fundator Domus canonicorum à Conquestore euersa , sed à Radulpho Painel restaurata pro monachis . monasterium . nigri monachi .

Kirkehami Fundator Vualterus Espec . anno Domini 1122. Augustiniani . vide sup .

Mertoni , vel Martoni . Fundatrix Catharina de Broumère . Prioratus .

Neuburgi . Fundator Robertus Mouubray anno Domini 1127. Prioratus . canonici Augustiniani .

Nostelli tituli s. Osuualdi . Fundator primùm Robertus Lacy Comes Lincolnæ postea reedificauit A. Henrico I. Regi à sacra confessione . monasterium . canonici .

Sempringhamiæ tituli s. Gilberri , & s. Mariæ Vuotton . Fundator s. Gilbertus auctor ordinis , & Agnes de Chester . monasterium . Gilbertini .

Vuarteri tituli s. Iacobi . Fundator Galfridus Trusbut Eques , & Gulielmus Rosse de Hamela circa tempora Henrici I. Regis . Prioratus . nigri canonici Augustiniani .

Vuattoni . Fundator Eustachius Fitz Ioanis Monoculi , regnante Stephano . monasterium . albi canonici . & moniales .

Vuychamæ , Fundatores Regis maiores . monasterium . albi canonici . & moniales .

In Essexia vulgo Essex .

Chichæ tituli s. Petri , s. Osithæ . Fundator Ric-

cardus Episcopus Londinensis anno Domini 1120. monasterium . nigri canonici .

Celcestræ tituli s. Ioannis Baptistæ . Fundator Eudo Dapifer Henrici I. monasterium . nigri canonici .

Dummouæ tituli s. Mariæ . Fundatrix Inga nobilis Domina anno Domini 1111. Prioratus . nigri canonici .

Gingæ attestone . Prioratus . nigri canonici .

S. Osithæ . Fundator Riccardus Episcopus Londinensis anno Domini 1520. monasterium . canonici regulares .

Stratford Langthornæ , tituli s. Mariæ . Fundator Gulielmus Mountfitchet primùm . deinde Riccardus II. Rex anno Regni 20. monasterium .

In Comitatu Glocestria vulgo Gloucester-shire .

Brunfeldiæ . Prioratus . canonici .

Cirencestræ tituli s. Mariæ . Fundatores primùm Saxones , inde Henricus I. Rex . monasterium . nigri canonici .

Glocestriæ . Fundator Athelstanus Rex . canonici Augustiniani .

Iuxta Glocestriam , tituli s. Osuualdi , Fundatrix Egelfleda filia Elfredi Regis prima fundatrix anno Domini 910. Prioratus . nigri canonici . alij fratres Prædicatores .

Lanthoniæ prope Glocestriam tituli s. Mariæ . Fundator Milo Comes Herefordiæ . Prioratus . nigri canonici Augustiniani .

In Comitatu Hamptonia vulgo Hamp-shire .

Bromeræ tituli s. Trinitatis s. Mariæ s. Michaelis . Fundator Balduinus Comes de Reduerijs , & Deuoniæ . Prioratus . nigri canonici .

Mottisfonte tituli s. Trinitatis . Fundatores Ranulphus Flammardus Episcopus Dunelmensis , Riccardus de Riparijs Comes Deuoniæ , & Gulielmus de Bruere tempore Gulielmi Rufi . Prioratus . nigri canonici , vel Augustiniani de Berton .

Iuxta Southamptoniam tituli s. Dionysij . Fundator Riccardus I. Rex dictus Cor-leonis anno 1179. Prioratus . nigri canonici .

Southuikæ tituli s. Mariæ . Fundatores Gulielmus Pontlarge siue Pont-le-arch , & Gulielmus Danys Normanni . Item Gulielmus de Pontey benefactor . Prioratus . canonici regulares .

In Comitatu Hertfordia , vulgo Hertford-shire .

Mirdiallæ tituli s. Mariæ . Prioratus . nigri canonici .

Vuymondleyæ . Fundator Riccardus Argenten . Prioratus . canonici .

In Comitatu Hūtingdonia vulgo Huntingdon-shire .

Huntingdoniæ tituli s. Mariæ . Fundator Eustachius

chius Louetot. Prioratus. nigri canonici Augustiniani.

Stoneleyæ, Fundator Mandeuuill. Comes Essexiæ. Prioratus. nigri canonici Augustiniani.

In Comitatu Lecestria, vulgo Leiceſter-shire.

Bredoni Cella annexa D. Osuualdi. Fundator Domini Regis progenitor, alij Almarus Comes Cornubiæ. monasterium. nigri canonici.

Calæ. Prioratus. nigri canonici.

Laundæ. Fundator Riccardus Bassac diocesis Lincolnienſis. monasterium. nigri canonici.

Vuereuerdoni. monasterium. nigri canonici.

In Comitatu Lincolnia, vulgo Lincolne-shire.

Aluinghami tituli s. Mariæ. Fundator Antonius de Bec. Episcopus Dunelmensis, & Patriarcha Ierosolimitanus. Prioratus. albi canonici, & moniales Gilbertinæ.

Bolingtoni tituli s. Mariæ. monasterium. albi canonici, & moniales Gilbertinæ.

Brunnæ. nigri canonici.

Cateleyæ, vel Catlini tituli s. Mariæ. Fundator Ioannes Spaule Armiger. monasterium. albi canonici, & moniales Gilbertinæ.

Elshamæ. Fundator Gulielmus Dyue. Prioratus. nigri canonici.

Grimmesbiæ tituli s. Augustini, & s. Toloff. Fundator Domini Regis progenitor. nigri canonici.

Hauerholmæ tituli s. Mariæ. Fundator Alexander. Episcopus Lincolnienſis. monasterium. albi canonici, & moniales Gilbertinæ.

Lincolnæ Episcopatus tituli s. Mariæ. monasterium. canonici seculares.

Iuxta Lincolniam tituli s. Catharinæ. Fundator Robertus de Caneto Episcopus Lincolnienſis. Prioratus. Gilbertini.

Neuvvhouſiæ tituli s. Martialis. Fundator Petrus de Gaulia. albi canonici, & prima domus ordinis Præmonstratensium in Anglia.

Nevvnersbiæ, vel Nun-ormesbiæ. Prioratus. albi canonici, & virgines Gilbertinæ.

Nevvſtediæ iuxta Stanfordiam. monasterium. Gilbertini.

Notani, vel Noctoni Parke tituli s. Mariæ Magdalena. Fundator Robertus Darcie. monasterium. nigri canonici.

Nun-cottoni tituli s. Mariæ. Prioratus. albi canonici, & moniales Oxeneyſiæ. nigri canonici.

Sempringhamiæ tituli s. Gilberti. Fundator s. Gilbertus fundator dicti ordinis. monasterium. albi canonici, & moniales Gilbertinæ.

Sixleyæ tituli s. Mariæ. albi canonici, & moniales.

Stixvoldæ, vel Stixvellæ tituli s. Mariæ. Fundatrix Lucia prima Comitissa de Percha. monasterium. albi canonici, & moniales.

Suwinſheda in Hollandia tituli s. Mariæ. Fun-

dator Robertus Grilleus miles. monasterium. albi canonici.

Sixhillæ. Prioratus. Gilbertini.

Toringtoni tituli s. Mariæ. Fundator Gulielmus de Arundel. nigri canonici.

Torkeseiæ. Prioratus. nigri canonici.

Tupholmæ tituli s. Mariæ. Fundator Alanus Neüll. monasterium. albi canonici.

In Middleſexia, vulgo Middleſex, Londini intra mœnia.

In Gay-spurlane Elſing Spitthle. Fundator Gulielmus Elſing Ciuis Londinenſis anno Domini 1329. anno 3. Eduuardi III. Hospitium pauperum. canonici regulares. alij centum cæci.

Iuxta Aldgate Ecclesia Christi tituli s. Trinitatis. Fundatrix Mathildis vxor Henrici I. Regis anno Domini 1108. Prioratus. nigri canonici, vel canonici regulares.

Londini extra mœnia in ſuburbys.

VVeſtmonaſterij iuxta Charing Croſſe Cella annexa Dominae noſtræ de Runciualle in Nauarra tituli s. Mariæ. Fundatrix anno 15. Eduuardi Quarti.

In Fleete-ſtreet tituli s. Bartholomæi. Fundator Henricus Rex Angliæ primus fundauit eccleſiã, poſtea Raherus primus ibidem Prior anno Domini 1102. monasterium. nigri, vel regulares canonici.

Extra Biſhopsgate nouum hospitale tituli Beatæ Mariæ. Fundator VValterus Brune, & Roſia vxor eius anno Domini 1235. Prioratus. canonici regulares.

Norfolciæ vulgo Norfolkæ.

Bokenhamiæ, aliàs Bukkenhamiæ tituli s. Iacobi. Prioratus. nigri canonici.

Budhamiæ tituli s. Mariæ. nigri canonici.

Hemptoni, vel Homptoni tituli Dominae noſtræ, & s. Stephani. Fundator Riccardus VVarde hic canonibus. Prioratus.

Mamoundæ, Virgines moniales Gilbertinæ.

Peneneyæ, & VVormegayæ tituli s. Mariæ Magdalena. Fundator Reginaldus de VVarenna. monasterium. nigri canonici.

Shuldehamiæ tituli s. Crucis, & s. Mariæ. Prioratus. moniales albæ Gilbertinæ.

Thetfordiæ tituli s. Mariæ, & s. Ioannis. Fundator Rogerus Bigod Comes Norfolkicæ. Prioratus. nigri canonici.

VVeſtarcæ tituli s. Mariæ, & omnium Sanctorum. Prioratus. nigri canonici.

VVeſtderehamæ. monasterium. albi canonici.

VVirhamiæ tituli D. VVineyulli. Prioratus. nigri canonici de Martiali.

In Comitatu Northamptonie vulgo Northampton-shire.

Cachumi tituli s. Petri s. Pauli. Fundatores Gulielmus Knovvles, Hugo Avvrefey miles. Prioratus. nigri canonici.

Northamptonie tituli s. Iacobi. monasterium. nigri canonici.

S. Daudidis tituli s. Trinitatis, & s. Mariæ. Prioratus. nigri canonici.

In Comitatu Nottinghamie vulgo Nottingham-shire.

Thurgattoni tituli s. Petri. Fundator Radulphus Denicour, confirmavit Rex. Prioratus. nigri canon.

VVelbecke tituli s. Iacobi. Fundatores antecessor Episcopi Eliensis Thomas de Cukenay, vel Cokeney. monasterium. nigri canonici.

VVorkefopæ tituli s. Mariæ de Radford. Fundatores Gulielmus Louero, & antecessores Comitis Salopiæ. monasterium. nigri canonici.

In Comitatu Oxoniensi vulgo Oxford-shire.

Brockeleæ tituli s. Mariæ. Prioratus. nigri canonici.

Dorcestriæ tituli ss. Petri, & Pauli. Fundator Birinus Apostolus VVest-Saxonum, & mox Nicolaus Huntercombe hæres Gulielmi Huntercombe. monasterium. nigri canonici.

Nortoni. Fundator Domini Regis progenitor, Reginaldus Comes Bononiensis dedit iugera centum, & octo cum dimidio Riccardus Sergeaux. Prioratus. nigri canonici.

Oxonij tituli s. Fridesvvidæ. Fundatrix Fridesvvida filia Algari, restauravit Ethelredus Rex, & Domini Regis progenitores. Prioratus. moniales, inde nigri canonici.

Oxonij tituli s. Mariæ Osneyensis. Fundator Robertus filius nigelli fratris Roberty D'oily Normanni anno Domini 1129. monasterium. nigri canonici.

Collegia Oxonij.

Saucombæ tituli s. Mariæ. Prioratus. nigri canonici.

VVroxtoni tituli s. Mariæ. Fundator magister Michaël Bylet pro Hermæo Bylet patre suo, & confirmavit Rex Ioannes. Prioratus. canonici.

In Comitatu Salopiæ vulgo Shrop-shire.

Haughmondia tituli s. Mariæ, & s. Ioan. Evangelistæ. Fundator Gulielmus Fitz-Alane. monasterium. albi canonici.

Lyleshulli. Fundator Beaumeisorum familia. monasterium. nigri canonici.

VVigmoriz. Fundator Hugo de mortuo-marino anno Domini 1172. monasterium. albi canonici.

In Comitatu Somersesensi vulgo Somerset-shire.

Bristolij tituli s. Augustini. Fundator Rex Henricus II. & Dominus Kobertus filius Hardingi filij Regis Dennemarchiæ, Henricus VIII. Rex mutavit in Ecclesiam Cathedralis. monasterium. nigri canonici Victorini.

Keynshamiæ tituli s. Mariæ. Fundator Gulielmus Dux Glocestriæ. monasterium. nigri canonici.

VVellijs vulgo VVels tituli s. Ioannis Baptista, vel s. Andreæ. Fundator Rex Ina, Ecclesiam, & Collegium extruxit Rex Kinevvolphus, amplis donavit possessionibus anno 776. Rex Eduvardus senior, Episcopalem sedem constituit Robertus, & Iocellinus Episcopi, & Radulphus Salopiensis. monasterium. seculares canonici. quos ex regularibus seculares factos monstrat nomen monasterij.

In Comitatu Staffordiæ vulgo Stafford-shire.

Lichfeildæ Ecclesia Cathedralis. Fundator Osvinus Rex Northumbriæ, Episcopalem sedem constituit, Adrianus verò Papa Archiepiscopalem. Grisæi fratres, & postea canonici.

Staffordiæ tituli s. Thomæ martyris. Fundatores Radulphus Comes Staffordiæ, & Riccardus Episcopus Cestrensis. Prioratus. nigri canonici, & Augustiniani.

Stonæ tituli s. Vvolphadi. Fundator Radulphus Comes Staffordiæ. Prioratus. nigri canonici.

Trenthæ. Fundator Radulphus Comes Cestriæ. Prioratus. canonici.

Suffolciæ vulgo Suffolke.

Brisetæ tituli s. Leonardi. Prioratus. nigri canonici.

Burleyæ tituli s. Mariæ. Fundator Radulphus de Glanuill. Prioratus. nigri canonici.

Heringfletæ tituli s. Olavij. Fundator Rogerus filius Osberti. monasterium. canonici regulares.

Ipsvici tituli s. Trinitatis. Fundatores Norman, & Ioannes de Oxenford. Prioratus. nigri canonici.

Ipsvici tituli ss. Petri, & Pauli. Fundator Cardinalis VVolfæus. Sed ante eum Thomas de Lacy, & Alicia vxor ipsius. monasterium. nigri canonici.

Surreiæ vulgo Surrey.

Martoni tit. s. Mariæ. Fundator Rex Henricus I. anno Domini 1117. Prioratus. nigri canonici.

Southvarkia tituli s. Mariæ Virginis de Ouerey. Fundatrix primum Suuethena nobilis foemina, deinde puella nomine Maria, & tandem posuit canonicis in collegium Gulielmus Pont del Arche anno 1016. monasterium. nigri canonici.

Suffexiæ vulgo Suffex.

Hastingsiæ tituli s. Trinitatis. Fundator Ioannes K k Pelham

Pelham Miles, quando possessiones eorum maris inundatio submerferat. Prioratus. nigri canonici.

Michelhamia tituli S. Mariæ Magdalena. Prioratus. nigri canonici Augustiniani.

Occehamia tit. S. Laurétij. Prioratus. albi canon.

Tortingi tituli s. Mariæ Magdalena. Prioratus. nigri canonici.

In Comitatu VVaruicbiae vulgo VVaruick-shire.

Kenelvorthæ. Fundator Galfridus Clinton à cubiculis Henrici I. Regis. monasterium. nigri canonici.

Studeleyæ. Prioratus. nigri canonici.

VVarvichia. Fundator Petrus de Mountford. Prioratus. canonici nigri.

In Comitatu VVigornia vulgo VVorcestre-shire.

Elnecestræ. Prioratus. nigri canonici.

In Comitatu VVilbonienfi vulgo VVilt-shire.

Bromhoræ, vel Bromoriæ tituli S. Mariæ, & S. Michaëlis. Fundator Balduinus Comes de Riwers, & Deuoniæ. Prioratus. canonici nigri.

Brioptunæ tituli s. Mariæ Magdalena. Prioratus. canonici nigri.

Edorosiæ. Fundatores Henricus II. & postea Henricus III. Reges. Prioratus. canonici nigri.

Marleburgi tituli s. Margaritæ. Fundator Edmundus Comes Cornubiæ. Prioratus. canonici.

Caput trigefimumoctauum.

De antiquis, & recentioribus Canonico-
rum Regularium Ecclesijs, & Mona-
sterijs in Belgio consistentibus.

I. **D**E Fridelino, Chiliano, Bertuino, Rumoldo, Sicinensis, Albinacensis, Maloniensis, & Mecliniâsis Collegiorum primis fundatoribus, & alijs sanctissimis viris, beati Patricij Hybernensium Apostoli discipulis, ferunt dictarum Ecclesiarum tabularia, & Chronica vetustissima, quæ referunt Ioannes Molanus, Aubertus Miræus, & alij recentiores, eos ad Euangelium Christi prædicandum in Gallias, & in Belgium profectos, multa ibi monasteria canonicorum erexisse, clericisque probatissimis repleuisse, ac in eisdem sine sanctissimo tandem quiescisse. Quam ob causam non deerunt forsan, qui primam canonicorum regularium apud Belgas fundationem in prædictos D. Patricij discipulos referendam putent. Verum longè antiquiorem euincunt Cathedrales per B. Remigium circa annum 470. sub regula canonica in eisdem Prouincijs institutæ, de quibus

mox dicemus, vt ea, quæ de B. Materno Petri Apostoli discipulo primo illarum Gentiû Apostolo, necnon de Ecclesijs per illum institutis à nonnullis traduntur, omittamus, ne ipsam canonici Ordinis originem antiquiorem, quam par sit, expiscari velle videamur.

Ecclesias Cathedrales, & monasteria canonicorum regularium ab antiquis, vel etiam nostris temporibus in Belgio existentia, quæ autor Chronica Cameracensis sexcentis fere annis antiquior, necnon etiam Chronica Capituli, seu congregationis Vindesimensis, Heriberti Rosueydi è Societate Iesu Theologi opera, & diligentia nunc primum in lucem editæ, Ioannes quoque Molanus Theologus Louanienfis, & Aubertus Miræus canonicus Antuerpiensis S. R. E. Protonotarius, ambo de Ordine canonico optimè meriti præbuerunt, hic fideliter, & totidem ferè verbis ab illis accepta, ordine tamen alphabetico, non quidem iuxta seriem Prouincialis Romani, quod ob nouam multarum Cathedralium accessionem, & erectionem, totum pene est immutatum, sed iuxta nomina locorum, in quibus ipsa monasteria reperiuntur, describam.

Attrebatensis metropolitana in Artesia S. Mariæ nuncupata à prima fundatione fuit regularis. fundator S. Vedastus siue S. Remigius Remensium Archiepiscopus sub Rege Clodoueo. Chronicon Cameracense, siue Attrebatense anno 1040. ad Gerardum primum Cameracensem, & Attrebatensem tunc vnitatum Archiepiscopum lib. 1. ex nomine S. Remigij in suo testamento. *Ecclesia, inquit, Attrebatensis, cui Deo auctore, Vedastum fratrem meum charissimum Episcopum consecraui, ex dono iam dicti Principis, scilicet Ludouici, quem de sacro fonte suscepi, villas duas in stipendijs clericorum delegaui, hortos videlicet, & Sabusetum.* Eos autem clericos fuisse, quos posteri canonicos regulares vocauerunt, conuincit nomen monasterij, cuius in eodem Chronico Molano lib. 1. de Canonicis cap. 12. tradente, mentio habetur. De hac Molanus ibid. & in Natalibus SS. Belgij sub die 6. Febr. pag. mihi 30. Miræus de Collegijs canonic. secul. c. 10. Porro quod addit Molanus, ex vsitata quorundam locutione omnia canonica collegia olim dicta esse monasteria, falsum omnino est, & ex alio falso principio deductum, quod ab antiquo tempore non essent canonici regulares, sed illos ex dissolutione veterum canonicorum ortos, contrario modo re se habente, quod canonici, qui nunc seculares dicuntur, ex dissoluta veterum canonicorum regularium disciplina exorti sunt, vt superius ostensum fuit.

Albinacense S. Chilianj cœnobium in territorio Attrebatensi. De hoc Molanus ex historia à canonicis in monte s. Eligij accepta, & ex Chronico Attrebatensi. *Albinaci in territorio Attrebatensi S. Chilianj Episcopi, & Cōfessoris, qui in Hybernia Regia sanguine procreatus cum sese intra humilitatis lineam cohiberet, & multarum virtutum decore polleteret, à Prouincia illius Clero, & populo ad Episcopatum est electus, & post multa, legitur in Chronico Attrebatensi,*

in uico Albiniaco est monasterium canonicorum sancti videlicet Cibiliani, qui Scatus fuisse traditur. Hæc, & alia Molanus in Natalibus sub die 13. Nouembris, ex quo Miræus de Collegijs canonicorum regularium cap. 23.

Aroasiensis Abbatia sancti Nicolai in agro Attrebatensi uetustissima, & inter omnes illius Prouinciae olim præclarissima, quæ congregationis octo, & viginti Abbatialium cœnobiorum erat caput, anno Domini 1097. per Cononem, qui postea fuit S. R. Ecclesie Cardinalis, & Heldermarum viros religiosissimos fundata, de cuius fundatione Miræus de Collegijs Regularium, cap. 46. & nos infra in congregatione Aroasie dicemus.

II. **S**ancti Andreae iuxta Ariam Audomarensis diocesis Prioratus Conuentualis, ex quo Prioratu assumptus est Venerabilis, & Reuerendissimus Abbas nomine frater Ioannes, qui nunc Abbatiali monasterio sanctorum Amandi, & Bertiliae Marcolensis in agro Attrebatensi præsidet, ut ex illiusmet literis ante paucos menses accepi.

Arnhemense, siue monasterium fontis B. Mariæ apud Arnhemum Geldriae oppidum, diocesis nunc Ruremundensis, olim Ultraiectensis, congregationis Illustrissimæ Vuindesimensis nuncupatæ, fundatum per Venerabiles sacerdotes Dominum Florentium Radeuini, Dominum Ioannem de Gronde, D. Ioannem de Brinkerinc, & alios dictæ congregationis Patres anno Domini 1392. concedentibus Illustrissimo Principe Vuillhelmo Duce Iuliaensi, & Geldrensi, necnon Archiepiscopo Traiectensi. Chronicon Capituli Vuindesimensis lib. 1. cap. 37.

Amsterlodamense S. Ioannis Euangelistæ prope Amsterlodamum, nunc in Heglo prope Halgmaria Hollandia oppidum diocesis Harlemensis, eiusdem congregat. Vuindesimensis, quod anno 1394. puto fundatū, ex eodē Chronico Vuindesimensi cap. 38.

Armesfordense Beatæ Mariæ in Bircket prope Amersfordiam, nunc Curia B. Mariæ in Amersfordia diocesis Ultraiectensis, eiusdem congregationis. Miræus de Colleg. Regul. cap. 13. in Catalogo congregationis Vuindesimensis.

In Amersfordia oppido diocesis Ultraiectensis monasterium S. Ioannis Baptistæ congregationis Vuindesimensis, de quo Miræus de Collegijs Regularium cap. 55.

Aningense monasterium Beatæ Mariæ in Frisia, olim diocesis Ultraiectensis, eiusdem congregationis Vuindesimensis. Miræus in Catalogo dictæ congregationis.

Andainum monasterium S. Huberti à S. Beregiso Abbate in sylua Arduenna fundatum, & à fonte Andaina contiguo, cognominatum. de hoc Molanus in Natalibus ad 2. Octobris. *Verisimile est autem ex primæua institutione utraque fuisse clericos, siue canonicos Regulam professos. de Vulcando enim scribitur, quod pro canonicis ad sanctum Hubertum, Benedictinos instituerit, cum illi à sua regula degenerassent. & alibi legitur, quod sanctus*

Beregisy Abbas clericos suos, & disciplinis instruxerit regularibus, atque in spiritualibus, & temporalibus promouerit: nam & donationem vinearum Treuiris à Grimberto Comite anno 5. Theodoricus Regis cum multis alijs obtinuit. Vide alia ibid.

Albengense monasterium S. Antonij Confessoris in Albengen in Tuenta diocesis olim Ultraiectensis, congregationis Vuindesimensis, Miræus in Catalogo dictæ congregationis.

BApalma monasterium in Artesia sic nuncupatū. III. meminit illius Miræus de Collegijs regular. cap. 69. aliud de hoc non vidi.

Berg monasterium S. Petri sic vocatum, & in pago Malo prope fluuiū Bure diocesis Ultraiectensis à S. Hungero Ultraiectensi Episcopo ex concessione Lotharij Imperatoris fuit fundatum circa annum 856. ex Molano in Natalibus die 22. Decembris.

De Bello loco monasteriū congregationis Aroasiensis, & Abbatia primæ classis sanctæ Mariæ nuncupata, quam à monasterio sancti Ioannis iuxta Chocques initium habuisse, scribit idem Miræus in Catalogo Abbatiarum dictæ congregationis Aroasiensis, de Collegijs Regular. cap. 10.

Bornhemianum uetustum monasterium in Flandria finibus, haud longè à fluuio Scaldi olim situm, fuit canonicorum regularium Abbatiale Cœnobiū, à Vuennemano Castellano Gandauense, & Manasse Cameracense Episcopo anno 1101. constructum, quod postea Abbate, & canonicis tradentibus, Diui Benedicti regulam accepit. Miræus de Collegijs Regular. cap. 51.

Boloniensis Abbatia S. Mariæ congregationis Aroasiensis anno 1159. fundata, ab Henrico VIII. Anglorum Rege Apostata anno 1554. funditus est euersa. Miræus de Collegijs regular. cap. 10. & 77.

Boloniense aliud Abbatiale Cœnobiū sancti Vlmari eiusdem congregationis Aroasiensis. idem Henricus Anglorum Rex euertit. ex Miræo loco proxime allegato.

Brugense monasterium sancti Bartholomæi in suburbio fundatum, & à loco ubi quercuum erat numerosa multitudo, Quercetum nuncupatum, anno 1050. est fundatum. ex Meyero in Annalibus Flandriae. Aduocati sunt autem ad illud regendū, canonici ex monasterio s. Marci, siue s. Nicolai in pratis, ex quo habes utriusque monasterij laudabilem antiquitatem. erat Abbatia congregationis Aroasiensis, cuius fundationem, & progressum longius prosequitur Miræus cap. 33. ad quæ remitto.

Brugense aliud s. Mariæ Collegium. meminit illius Miræus de Collegijs regular. cap. 69.

Bruxellense s. Iacobi in monte Palatino, vulgo Cauuemberch, iuxta palatium Principis, Præpositura. Præpositus utitur mitra, & Pontificalibus. Miræus de Collegijs regul. cap. 55.

Bethlehemiticum Beatæ Mariæ in oppido Zuuelis, olim diocesis Ultraiectensis, nunc Dauentienis, congregationis Vuindesimensis. Chronicon eiusdem congregationis lib. 1. cap. 45. Miræus in Catalogo.

Bethleheemicū aliud S. Mariæ apud Louanium dictæ congregationis, ijdem autores.

Apud Brielam Hollandiæ oppidum monasterium S. Elizabethæ, diocesis Ultraiectensis, & congregationis Vuindesimensis. Miræus in eodem catalogo.

Prope Bomeliā Geldriæ oppidum diocesis Syluiducensis monasterium, stagnum B. Petri Apostoli nuncupatum, congregationis Vuindesimensis. ibid. Miræus.

IV. **C** Ameracensis metropolitana S. Mariæ regularis à sua institutione exitit, nati monasterij canonicorum in ea degentium autor dicti Chronici Cameracensis meminit non semel. Quod etiam Ioannes Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 12. hîsce verbis attestatur. *Extant ad Gerardum primum Cameracensem, atque Attrebatensem coniunctarum tunc temporis sedium Episcopum Chronica, circa annum Domini quinquagesimum supra millesimum conscripta, in quibus sub illo Episcopo nominantur monasteria canonicorum Cameraci, Attrebat, utrunque in primaria Basilica ad honorem B. Mariæ fundauit S. Vedastus Glodouei Regis Christiani primi huius nominis Catechista.* Miræus de Collegijs canonicorum secularium cap. 8.

Cameracensis S. Auberti Abbatia templū olim fuit B. Petro Apostolo sacrum. ferunt in eo clericos seculares à B. Auberto primitus institutos. his verò tempore procedente canonicos regulares congregationis Lateranensis substitutos, referente Miræo de Collegijs Regular. cap. 37. vbi scribit, Libertum XXXII. Cameraci Episcopum seculares canonicos in ordinem redactos S. Augustini regulæ subdidisse anno 1066. Horum canonicorum præclarissimum elogium scribit Iacobus de Vitriaco Cardinalis in Historia Occidentali cap. 21. Quare autem Lateranenses canonici vocentur, puto ex Apostolica concessione, & priuilegiorum communicatione, quæ ijdem amplissima obtinent, vt accipi ex quodam eius Collegij canonico, qui proxima ætate cum sacra loca veneraturus venisset, in reditu apud Papiam in nostro S. Petri in cælo aureo corpore solutus, ad patriam cœlestem, vt piè creditur, migravit. Cæterum isti canonici violaceis tunicis, ac pileis vtuntur, & sub regularis disciplinæ obseruantia non ignauiter perseuerant. Cum autem dicat Molanus in Natalibus sub die 13. Decembris S. Aubertum discipulos Landelinum Abbatem Crispinij, & alios viros Apostolicos ex Scotia illuc aduentantes habuisse, probabilius est illum in dicta Ecclesia clericos regulariter viuentes iuxta morem Episcoporum, & aliorum virorum Apostolicorum illius temporis ab initio constituisse, sed illis deficientibus, præsertim quòd anno 996. Ecclesia tota igne fuisset consumpta, seculares canonicos successisse.

Cantipratanum monasterium canonicorum regularium, quod erat olim congregationis S. Victoris Parisiensis, fundauit Rogerius 44. Cameracensis Episcopus circa annum Domini 1185. qui adeo

canonicorum regularium D. Augustini ordinem amauit, vt anno 1190. naturæ debitum persoluens, in Regulari habitu sepeliri voluerit. fuerat hoc monasterium non longè à muris ciuitatis Cameracensis constitutum. Verum Cantipratanum monasterium per bella vastato, canonici non procul ab Hallis Hannoniæ oppido sedes locauerunt. Miræus de Collegijs Regul. cap. 81.

Apud castrum Lenense in diocesi Attrebatensi monasterium canonicorum, de quo autor Chronici Cameracensis lib. 2. cap. 22. *Apud Castrum Lenense habetur quoque monasterium canonicorum vbi sanctus Vulganus requiescit, qui Scotus traditur existisse. Distat autem Lensum quatuor horarum itinere ab Attrebato.* Molanus in Natalibus ad diem 2. Nouembris. Miræus de Collegijs canonic. secularium cap. 69. vnde puto nunc factum collegium clericorum secularium.

Castletanum S. Petri monasterium titulo Præposituræ crexit Robertus Friso Flandriæ Comes, cum aduersus Richildem, eiusq; filium Armelfum, & contra Galliarum Regem iuxta Castletum in die Cathedralis S. Petri victoriam obtinuisset, in quo & canonicos constituit anno Domini 1071. ibiq; sepultus est in Crypta anno 1073. Miræus de Collegijs secular. cap. 81. ex Ioanne Iperio Abbate Bertinensi. Addens huius monasterij Præpositum fuisse Langicrucium, qui de canonicis scripsit.

Castellionense monasterium, Abbatia congregationis de Aroasia, habuit originem à monasterio S. Mariæ in nemore eiusdem congregationis. Miræus de Collegijs Regul. cap. 10.

Cisoniensis Abbatia S. Calisti congregationis de Aroasia apud insulas Flandriæ oppidū à S. Euerardo Comite Cisoniense fundata anno 838. ad quam ille S. Calisti Papæ, & martyris corpus Romæ acceptum anno 855. attulit, teste Molano in Natalibus ad 14. Octobris. Miræus de Collegijs Regul. cap. 10. 21. & 69. ait autem canonicos seculares locum prius tenuisse, ac postea regulares introductos autore Hermanno Insulensi viro nobili anni 1129. primumq; Abbatem fuisse Anselmum Remis ad S. Dionysium antea canonicum ex Meyerò: sed verius est, eosdem canonicos regulares eo anno restitutos propter ea, quæ de S. Euerardo scribit Molanus in Natalibus ad diem 6. Decemb.

Chocquensis Abbatia apud Bethunum Artesiæ oppidum congregationis Aroasiensis fuerat olim collegium canonicorum secularium, quos anno 1120. regulares fecit B. Ioannes Morinensis Episcopus. Dotem auxerunt postea Gulielmus, Balduinus, Daniel, & Robertus Bethuniæ Domini Miræus de Colleg. Regul. cap. 10. & 58.

Caluiacensis Abbatia S. Eligij fontis congregationis Aroasiensis in oppido Caluiaco, quod Gallicè dicitur Chanij. Miræ. in catalogo.

A Claro Fagero monasterium Abbatiale eiusdem congregationis Aroasiensis. Miræus loco cit.

A Castriijs monasterium Abbatiale dictæ congregationis S. Mariæ nuncupatum Miræus ibid.

Cam-

• Campus Beatæ Mariæ prope Ezingheni diœcesis Bremensis in Frisia Orientali congregationis Vuindesimensis, Miræus in catalogo dictæ congregationis.

• Apud Condarum oppidum diœcesis Cameracensis monasterium Beatæ Mariæ, de quo autor chronici Cameracensis lib. 2. cap. 42. *Apud villem, inquit, Condatum quondam Regalis, & diues fuit Abbatia puellarum in honore S. Mariæ Virginis, deinde præ inopia paucorum monasterium extitit Canoniorum, ubi sanctus Vualpurgus transfurfo feliciter huius vitæ stadio, in pace quieuit, multis annis clarus miraculis. Scotus hic erat natione.* Molanus in Natalibus ad primum Octobris, & ad diem 11. Octobris, vbi dicit, sanctum Brunonem Archiepiscopum Coloniensem canonicos Cōdati locauisse, quorum tunc magna erat in Ecclesia dignitas, propter regularem disciplinam, & studium iuuandi plebem. Miræus de Colleg. secul. cap. 16.

V. **A**bbatia de Daucourt in diœcesi Attrebatensi fundata ab Odone pio sacerdote anno 1101. in honorem Deiparæ, cui Lambertus Attrebatensis Episcopus facultatem dederat, socios colligendi, qui illius etiam dotem auxit. Miræus de Colleg. regular. cap. 50.

• Dauentriensis Cathedralis à Philippo II. collato eidem monasterio canonicorum regularium Blocooster apud Zuuollam transinsulanæ prouinciæ oppidum nuncupato, est dotata. ex Miræo de Colleg. secul. cap. 101.

• Dononiense S. Martini monasterium ad Scaldim ædificauerunt parentes sanctæ Reginæ neptis Pipini Regis, de qua Molanus ad primum Iulij ex officijs Dononiensibus. *Ædificauerunt etiam parentes harum virginum ad Scaldim fluuium in loco, qui Dononium dicitur, Cœnobium ad honorem Dei Genitricis, itemq; Ecclesiam in honorem S. Martini, vbi numerosum sanctimonialium numerum, cui Beata Regemfridis filia præfuit, & clericorum Gregem instituerunt, redditibus, & prædijs decenter ad seruitutem Dei largitis.* Est locus apud Valencenas in sinibus diœcesis Attrebatensis, quam eo loci Scaldis terminat.

• Dulcis vallis Abbatiam iuxta Midelburgum Flandriæ oppidum congregationis Aroasiensis fundatam anno 1215. sumptis initijs ex monasterio Brugenfi S. Bartholomæi, testatur ex Meyero Miræus in catalogo dictæ congregationis, scilicet de Colleg. Regul. cap. 10.

• Dodeuilla monasterium Abbatiale eiusdem congregationis. ex eodem Miræo.

• Apud Dordracum Hollandiæ oppidum monasterium S. Saluatoris in Eemstheym congregationis Vuindesimensis, quem pius vir Reynaldus Munembode ciuis Dordracensis fundauit, & dotauit anno 1382. Chronicon Vuindesim. lib. 1. cap. 37. Miræus in catalogo eiusdem congregationis.

• In Dumo prope Endouiam Brabantia oppidum monasterium B. Mariæ, nunc in ciuitate Siluiduense fundatum anno 1419. congregationis Vuin-

desimensis. idem Miræus loco citato.

• Fanopiensis Abbatia S. Christophori congregationis de Aroasia apud Insulas Flandriæ oppidum fundata anno 1039. ex Miræo in catalogo.

• Apud Furnas Flandriæ oppidum anno 1091. inceptum est monasterium, cui nomen Euersham, super fluuio Isara iuxta Stauelam Vualberto canonico Casletensi ibi altare D. Petri ad ipsum offerente, quod & Gerardus Morinorum Episcopus libertate donauit. Ita Meyerus in Annalibus Flandriæ. Alij canonicum istum vocant Vualterum, Auctum est postea monasterium mirificè, ac dotatum à Roberto Ierosolimitano Flandriæ Comite, eiusq; matris Gertrude. Miræus de Colleg. Regul. cap. 42.

• Flonensis Abbatia canonicorum regularium ad Mosam diœcesis Leodiensis. Miræus de Colleg. Regul. cap. 55.

G Andau monasterium S. Bauonis fundauit S. VI.

Amandus Traiectensis Episcopus opibus eiusdem S. Bauonis, ibiq; clericos regulariter viuentes posuit. quibus, quod licentius viuerent, amotis, postea D. Benedicti monachi sunt iussu, qui ibi locum tenuerunt vsque ad annum 1535. quo tempore Paulus III. amotis monachis canonicos seculares introduxit. Vide Molanum in Natalibus ad primum Octobris, & Miræum de Colleg. secul. cap. 124.

• Ibidem monasterium B. Mariæ in Mello prope ciuitatem, congregationis Vuindesimensis Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 45. Miræus in catalogo.

• Apud Goch in Geldria monasterium B. Mariæ in Goesdonk diœcesis Ruremond. congregationis Vuindesimensis. Chronicon, & Miræus.

• Groningensis Ecclesia Cathedralis fuit erecta anno 1568. & pro dote fuerunt illi attributa duo monasteria canonicorum regularium, quorum alterum dicitur Ezense, alterum verò Vitteuirumense. Miræus de Colleg. secul. cap. 126.

• Guatinense monasterium à viro religioso Odfredo constructum fuit, in quo clericos Apostolicæ vitæ canonem sectantes posuit, vt in historia S. Donatiani legitur. Molanus lib. 1. de canonicis cap. 4. nescio an hoc sit idem cum monasterio apud Vuatanas, de quo infra dicemus.

• Harlemensis Ecclesia Cathedralis in Hollandia constituta est ex monasterio canonicorum regularium de Heylo nuncupato prope Alcmariam. Miræus de Colleg. secul. cap. 128.

• Ibidem monasterium congregationis Vuindesimensis, quod Visitationis B. Mariæ dicitur, quod fundauit Venerabilis Dei sacerdos Dominus Hugo Golsmit circa annum 1406. Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 39. Miræus in Catalogo.

• Prope Herentaliam Barbantia oppidum monasterium congregationis Vuindesimensis, quod thronus B. Mariæ dicitur, huius Prior fuit Venerabilis Doctor Ioannes Latomus, cuius opera circumferuntur typis edita. meminit illius Aubertus Miræus de Collegijs Regularium capite trigesimo tertio.

& supra cap. 13. in Catalogo congregationis Vuindesimensis.

Henniensis B. Mariæ Abbatia congregationis Aroasiensis alias S. Martini de Henniaco. Miræus de Colleg. Regul. cap. 10.

Hortus Beatæ Mariæ in diœcesi Traiectensi in loco campestri, & mari propinquo fundatus per beatum Fridericum in villa Hallum progenitum, de quo Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij ad diem septimum Martij hæc habet. *Porro Fridericus mortua matre pro eius refrigerio seipsum Christo, & B. Mariæ obtulit, contestans se deinceps secundum Regulam D. Augustini viuere uelle, ut anima matris in pace requiescat. Die itaque sequenti Traiectum uadis, ab Episcopo habitu induitur canonico, & licentiam accipit monasterium clericorum construendi, inde ad insulam B. Mariæ domum Ordinis Præmonstratensis diuersis, ubi sanctos mores stibundo pectore hausit, domum reuersus, in loco campestri, & mari vicino monasterium construxit, quod Hortum B. Mariæ nuncupauit, in quo præcipue pauperes recepit, quod eos uideret à nouella Griseorum, seu Cisterciensium in Frisia plantatione non recipi. & multa de uiris præclaris eiusdem monasterij, & de fundatore ibidem sepulto prosequitur.*

Apud Huyum oppidum Leodiensis diœcesis monasterium Abbatiale fundatum à Venerabili Petro sacerdote, & eremita, qui Ierosolimam deuotionis, & orationis causa profectus, cum oppressione Christianorum non sine multis lachrymis uidisset, pro Simeone Ierosolimorum Patriarcha ad Romanum Pontificem, & Principes Christianos in Europa degentes legatione functus, omnes Occidentales ad recuperationem sanctæ Ciuitatis incitauit, quod & re ipsa, Deo fauente, perfecerunt. Hic cum Urbem foeliciter recuperatam uidisset, in Belgium reuersus, in Suburbio Huyensi monasterium canonicorum fundauit, sumptibus præsertim Cononis Comitis montis Acuti, & Lamberti Comitis Clarimontis, in quo & Prior obiit circa annum 1115. quod postea Abbatiali titulo fuit donatum per Episcopum Leodiensem. Molanus in Natalibus die 15. Julij. Miræus in Colleg. Regul. cap. 53.

VII. Griuatense monasterium Ordinis S. Augustini in diœcesi Attrebatensi. liber taxarum.

Infulenses Canonici Cathedrales à prima illius Ecclesiæ fundatione fuerunt Regulares. Constat ex instrumeto fundationis, & dotationis Balduni Flandriæ Comitis, qui dictam Ecclesiam fundauit anno 1035. in quo de communi Vita Clericorum primitus ibi degentium mentio habetur. de quo Molanus in Natalibus sub die primo Februarij, & ex eo Miræus de Collegijs secularium cap. 73.

Iprensensem Ecclesiam nunc Cathedralem B. Ioannes Morinorum Episcopus in honorem S. Martini fundauit circa annum 1101. in qua canonicos regulariter viuentes posuit, ex Molano in Natalibus sub die 27. Ianuarij. Miræus in Collegijs regulariũ cap. 44. & in Collegijs canonicorum secularium cap. 125.

Apud Laubium oppidum diœcesis Cameracensis in monte monasterium Sanctorum Vrsuari, & Ermini circa tempora Pipini Regis Francorum fundatum, nimirum circiter annum 700. de quo Molanus in Natalibus ad 18. Aprilis ex Chronico Cameracensi scribit, vnde hic locus in Chronicis ad Gerardum Cameracensem Episcopum scriptis, clarius nominatur monasterium sanctorum Vrsuari, & Ermini canonicæ congregationis.

Leodiensis Ecclesia Metropolitana à primæua institutione habuit clericos regulariter viuentes, Molanus lib. 1. de canonicis cap. 3. eius fundationem nonnulli in beatum Hubertum referunt, qui non solum Metropolitanæ sancti Lamberti, sed ipsius etiam ciuitatis Leodiensis autor fuit. Miræus de Collegijs secularium cap. 21. cum eo anno 709. corpus B. Lamberti cum sede Episcopali ex Traiecto transtulisset. Notgerus verò eiusdem ciuitatis Episcopus, prout legitur in tabula quadam existente in Ecclesia D. Ioannis Euangelistæ Leodiensis, monasterium beati Lamberti in melius, quam antea fuerat, immutauit: Ecclesia enim, quam beatus Hubertus ædificauit, ad lapsum declinauerat, hac diruta, templum sexaginta canonicorum iuxta magnificentiam dilatati cordis sui exaltauit, claustris ditioribus decorauit, claustrum, & domorum ædificia renouauit. illud porro memoriæ posterorum commendandum, quod cap. 21. de Collegijs secularium notat Miræus, cum Innocentius Papa huius nominis II. Leodium cum beato Bernardo Clareuallensi Abbate iuisset, resedisse in ea Basilica sancti Lamberti, Regum filios nouem, Ducum quatuordecim, Comitum triginta, inferioris ordinis nobilium Canonicos septem, omnes numero sexaginta, quorum nomina leguntur in tabula ad latus aræ maioris in templo D. Lamberti suspensa.

Leodij monasterium sancti Petri fundauit idem beatus Hubertus anno 714. & opulenter dotauit, quod à Normannis vastatum, instaurauit Richarius Leodiensis Episcopus anno 935. Aegidius Bucherius in Chronico, & ex eo Miræus loco proximè citato. De regularitate Ecclesiæ Leodiensis adest irrefragabile testimonium Vuazonis 23. eiusdem Ecclesiæ Episcopi ex Præposito assumpti, ad fratrem Ioannem dictæ Ecclesiæ Præpositum. quam refert Mauburnus in Venatorio libro secundo pagina septima cap. 40. fuit autem Vuazo Episcopus anno 1040.

Ibidem anno 960. Eraclius post Baldricum Episcopus Leodiensium factus duo in vrbe Laodiensi monasteria construxit ad titulum sancti Pauli, & ad titulum sancti Martini Episcopi. Sigibertus in Chronico. Porro in dictis monasterijs canonicos institutos, monstrat historia Notgeri Episcopi, quæ sic habet. *Ecclesiam sancti Pauli à fenestris supra consumauit, & bonia adiectis, ubi viginti tantum erant Canonici, triginta perfecit.* Miræus de Collegijs secularium cap. 55. & 58. ex Sigiberto, & Aegidio Bucherio.

In

In eadem ciuitate Leodiensi anno 972. idem Notgerus coenobium sancti Ioannis Euangelistae in Insula fundauit, in quo triginta canonicos constituit. Sigibertus in Chronico, Aegidius Bucherius in Chronico. Miræus de collegijs secularium cap. 59.

In eadem ciuitate anno 979. idem Notgerus Ecclesiam sub inuocatione sanctae Crucis cum claustro pro quindecim fratribus canonicis instituit, & dotauit. Miræus, ibid. cap. 60.

In eadem ciuitate anno 987. idem Notgerus Nardo Maioris Ecclesiae custode administrante, condidit Ecclesiam in honorem B. Martyris Dionysij, in qua primum viginti, postea decem additis, triginta canonicos instituit. Miræus ibid. cap. 61. ex Ortelio, & Aegidio Bucherio. factus est autem Notgerus Leodiensium Episcopus anno 971. & obiit anno 1007.

In eadem ciuitate Baldricus Secundus Ecclesiam s. Bartholomaei in Leodio dedicauit, quam Godescalcus Praepositus maioris Ecclesiae aedificauit, & duodecim fratres ibi instituit, & suis alodijs dotauit. dicitur quod sanctus Vibertus martyr ibi quiescit. Molanus in natalibus ad diem 22. Octobris.

In eadem Ciuitate monasterium beatae Elizabeth. bonorum puerorum congregationis Vuindesimensis. Miræus de collegijs regularium cap. 13. in Catalogo.

Apud eandem ciuitatem secundo lapide Abbatia sancti Aegidij canonicorum regularium. meminit Miræus de collegijs regularium cap. 55. ad finem, aliud non vidi.

VIII. **A** pud Liram oppidum Diocesis Antuerpiensis monasterium canonicorum, de quo Autor chronicae Cameracensis: *Non procul à Maclinis est monasterium canonicorum, quod ex proprijs praedijs vir Dei Gummarus illustris laicus struxit, ibique sepultus diem Resurrectionis expectat.* Fuit autem Gummarus Pipino Caroli Magni genitori valde charus, cuius acta scribunt Theobaldus apud Surium sub die 11. Octobris, & Molanus in Natalibus eodem die, qui dicit, eundem Gummarum ibi sepultum. Addit Miræus, Carolum Magnum dotem Ecclesiae auxisse, canonicosq; ibid. instituisse, de collegijs secularium cap. 92.

Loe in Flandria insignis praepositura, siue Abbatia anno 1050. fundata, ad quam dimidia pars oppidi spectat. Miræus de collegijs regularium c. 35.

Louanij praeposituram sanctae Gertrudis, cum prius esset simplex facellum, Henricus primus Dux Lotharingiae, & Brabantiae anno 1206. in monasterium erexit canonicorum regularium, Abbatiali postea titulo insignitam. Est autem monasterium magnis fabricis exornatum. ad quod non nisi nobili genere nati admittuntur. ex Miræo de collegijs regularium cap. 85.

In eadem ciuitate est collegium eruditissimorum, & probatissimorum hominum sancti Martini, quod nunc tenent canonici congregationis Vuindesimensis, quibus de anno 1447. ipsi Martinenses canoni-

ci fuerunt vniti. floruit in eo coenobio Martinus Lipsius Iusti Lipsij Patruus circa annum 1550. Miræus in Vita Iusti Lipsij.

Apud eandem ciuitatem monasterium sanctae Mariae de Berthelem congregationis Vuindesimensis. Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 45. Miræus in Catalogo. Hoc monasterium erat prius canonicorum regularium praepositura, quod cum alijs sex monasterijs reformationem Capituli Vuindesimensis libentissime suscepit, & illius se congregationi copulauit anno 1413. Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 40.

Apud Leouardiam in loco, qui dicitur Bergum, Diocesis olim Ultraiectensis, nunc Leouardensis, monasterium sancti Nicolai eiusdem congregationis Vuindesimensis. Idem autores.

Ludingehercanum siue Ludingasense s. Martini monasterium in Frisia fundatum est anno 1157. Primus eius loci Abbas. Vviboldus à Godefrido Ultraiectensi Episcopo constitutus. Ex hoc monasterio prodijt monasterium Virginum in Seluert, & Oegecloster. Ludingehercani Abbates fuerunt numero septem, & viginti, quibus successerunt post reformationem Priores titulo Abbatis omisso: nam istud monasterium ante annum 1430. per canonicos congregationis Vuindesimensis fuit reformatum. Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 44. Miræus de collegijs regularium cap. 75.

Luthosanum sancti Badilonis monasterium in Villa Luthosa Diocesis Cameracensis s. Amandus fundauit. de quo Autor Chronici Cameracensis apud Molanum in Natalibus ad diem octauum Octobris: *Monasterium, inquit, canonicorum in honore Apostolorum Petri, & Pauli in vico, qui dicitur Luthosa, quod construxit beatus Amandus, & est diues Abbatia, ubi vir Dei venerabilis Badilo requiescit.* Fuit autem sanctus Badilo eius monasterij Abbas ex Molano ibid. De eodem monasterio Molanus lib. 1. de canonicis cap. 12. Miræus de collegijs secularium cap. 70.

IX. **M** Areoli apud Attrebatum Abbatia vetustissima sanctorum Amandi, & Bertiliae congregationis Aroasiensis, de qua in Chronico Cameracensi lib. 2. haec habentur, referente Miræo de collegijs regularium cap. 25. *Est etiam in vico Maracolo, alias Mareolo Monasterium canonicorum, ubi sancta Bertilia quiescit, quae hoc ipsum suum praedium sanctae Mariae (scilicet Cathedrali Attrebatensi tunc regulari) tradidit.* Subdit verò idem Miræus. Vixerunt autem in Mareolo canonici olim seculares, quos ob liberiores vitam anno 1144. amouit Aluifius Episcopus Attrebatensis. Regulares substituit, & Balduinum Baliolanum, qui Furnij in Ecclesia sancti Nicolai cum laude praefuerat, ipsis praefecit, quod non de prima canonicorum regularium ibi loci institutiones, sed de restitutione arbitror intelligendum, cum sancta Bertilia Ecclesiam, & praedium, in quo in honorem sancti Amandi Ecclesiam erexerat, canonicis regularibus, non secularibus testamento legauerit. Vide Molanum

in natalibus ad diem 3. Ianuarij. Præst. nunc eidem Abbatiæ R. Ioan. antea Prior monasterij sancti Andree Diocesis Audomarenfis, qui multa sollicitudine eidem quoad spiritualia, & temporalia, instaurandæ operam strenuam impendit.

Maricolis apud Sambram B. Humbertus sancti Amandi contemporaneus, & peregrinationis illius ad urbem Romanam comes, extruxit cœnobium, in quo triginta clericos constituit. Molanus in Natalibus ad 25. Maij.

Meclinenfis Ecclesiæ cathedralis in Brabantia per sanctum Rumoldum Dublinensem Episcopum circa annum 775. est fundata, & in ea clerici canonici ab institutione constituti, teste Molano apud Niræum de Collegijs secularium capite septuagesimo quarto, ita scribente: *Beati Rumoldi opus est monasterium apud Malinas. & infra. Fuit autem ab initio foundationis non monachorum, sed canonicorum monasterium, quomodo in Chronicis Cameracensibus ante annos ferè sexcentis conscriptis nominatur.* Consentit Autor eiusdem Chronicæ, sic scribens: *Apud Macblinas est Monasterium canonicorum, ubi quiescit pretiosus Martyr Dei Rumoldus, genere Scotus, qui vitam eremiticam ducens inibi martyrizatus est. Hoc autem monasterium ab antiquitate constructum, regalibus emolumentis maxime augmentatum.* Cœterum dictum monasterium in collegiatam secularem, ac deinde in Metropolitanam, Philippo Secundo Hispaniarum Rege postulante, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono per Paulum Quartum Pontificem est erectum. Obijt autem sanctus Rumoldus martyr ann. 775. in die festo s. Io. Baptiste.

Apud Morinos Monasterium sancti Fregandi canonissarum secularium, olim canonicorum regularium à sancto Amando fundatum, ubi sanctus Fredegandus sacerdos Hybernensis quiescit. Molanus in Natalibus ad 17. Iulij.

Morinensis Ecclesiæ cathedralis ab institutione fuit regularis, vt patet ex vetustissimis illius Ecclesiæ monumentis, quæ recenset Molanus lib. 1. de canonicis cap. 3. quorum vnum præcipuum est, quod in ipsis scripturis Morinenses canonici vocabantur fratres.

In Morinensi Diocesi monasterium Sanctorum Petri, & Pauli Vuasnasense, & monasterium sancti Io. Euangelistæ de Dondiauilla ex lib. taxarum Apostolicarum.

Mons s. Aeligij vetus, & insignis est Abbatia canonicorum Diocesis Attrebatensis, cuius etiam in lib. taxarum Apost. mentio habetur. Fundator exitit s. Vindicianus Cameracensis, & Attrebatensis tunc vnitarum Ecclesiarum Episcopus circa annu 678. quem Miræus dicit ibi constituisse canonicos seculares, quos B. Lietbertus Episc. cum vitæ essent liberioris, ann. 1068. ad regularem vitam amplectendam permouit, primusq; Abbas ibi constitutus fuit Ioan. qui cum annis 40. præfuisset, viuere desijt. an. 1108. Ita Miræus de collegijs regularium c. 38. verum puto, canonicos à s. Vindiciano primum in-

stitutos regulares, non seculares fuisse. nullus enim per illa tempora canonicus secularis dicebatur: sed nec per aliquot annos postea id aliquem autorem probatū vsurpasse inuenitur. quare Lietbertus canonicorū reg. ibi loci restitutor fuit, nō aut institutor.

Hi canonici colore violaceo sub Rochetto vtuntur. Mons Petri monasterium canonicorum exitit in quodam mōre apud Ruremūdum à sanctis Plechelmo natione Scoto, & Candida eadē prius Episc. & Vuirone item Scoto illuc profectis ædificatum, teste Molano in Natalibus ad diē 8. Maij & 15. Iulij: inquit. n. illis Roma in patriā reuertētib; Pipinū Regē tūc Ducē Francorū, comperta illorū sanctitate, locum à turbis remotum, tribuisse, in quo Oratoriū Virginis Mariæ consecratum est, & monasterium s. Petri præclaro opere, ibiq; Pachelmum, & s. Vuironem foelicissimo tandem fine quieuisse, intra oratorium B. Virginis tumulatos. sed subdit postea, illorū reliquias cum collegio canonicorū intra ciuitatem Ruremundū trāslatas. vbi vides, illud monasteriū non monachorū, sed canonicorū exitisse.

In Montensi Ecclesiā post vastationem Normanorū s. Bruno Archiepiscopus Coloniensis posuit canonicos regulares, quorum tunc magna erat in Ecclesiā dignitas, propter regularem disciplinam, & studium iuuandi plebem. Molanus in Natalibus ad 11. Octobris ex Rogerio in Chronicis Hannoniæ, Sigiberto, & alijs.

Apud Monresem ciuitatem in Villa dicta Castri loco autor Chronicæ Cameracensis ponit monasterium s. Germani canonicorum: *In Villa, inquit, Castri loco duo monasteria vnum puellarum, alteram canonicorum s. Germani.* Miræus de Collegijs canonicorum secularium c. 47. dicit, esse illud idem, quod nunc est seculare collegium s. Germani.

Apud Messenas anno 1065. Adela filia Roberti Regis, & coniux Balduini Pij Flandriæ Comitis instituit collegium canonicorum, & monasteriū puellarum Benedictinarum, vbi etiam sacrum velamen marito orbata accepit. Molanus in Natal. ad. 3. Iulij.

Mons s. Agnetis apud Zuuollam monasterium congreg. Vuindesimensis à nonnullis Gerardi magni discipulis fuit fundatum circa an. 1395. in magna quidem humilitate, & paupertate spiritus. foelix plantatio, quæ tam vberes in vinea Domini fructus protulit, & Deo adiuuante, in dies profert: ex hoc enim sanctissimorum certè canonicorum collegio viri probitate, & doctrina spectatissimi prodierunt, Thomas ille Venerabilis de Kempis nuncupatus, cuius ingenium, & pietatem illius opera toti mundo notissima testantur. Io. item de Kempis eius frater natu maior, cuius vitā texuit Ioan. Buschius dictæ congreg. canonicus, & alij quos recenset idem Thomas de Kempis in Chronico dicti monasterij, quod nuper edendum curauit R. admodum Pater Heribertus Rosuueydus è Societate Iesu. Addit Ioan. Trithemius de Viris illustribus Germaniæ sub anno 1495. Ioannem Bruxellensem cognomento Mauburnum, quem dicit fuisse canonicum in monasterio D. Agnetis apud Zuuollam.

Apud

X. **A** pud Namirofi oppidum diocesis Leodiensis est Abbatia vetustissima, quæ dicitur Malonia, vbi corpus s. Berruini Episcopi Hyberni, & eiusdem monasterij fundatoris quiescit, de quo ita Molanus in Natalibus ad ij. Nouembris. *In Malonia sancti Berruini Episcopi, & Confessoris, qui de Hybernia insula veniens in saltum, qui vulgo appellatur Marlingia, condidit Oratorium in supradicta villa Malonia super Sambram in honorem semper Virginis Mariæ, vbi diu Deo militans cursum suum feliciter implerit. Fuerat in Angliâ educatus in monasterio, cui nomen est Orbellum, & in eiusdem parochia Episcopum, vacante sede, assumptus. & infra quiescit prope Namurcum, in ditione tamen, & diocesi Leodiensî, in monasterio canonicorum sive clericorum veteris inscripti S. Augustini, quod Malonia dicitur, vbi diu Domino militauit.* De hoc Sigibertus sub anno 651.

In Nassonia oppido diocesis Leodiensis monasterium s. Mononis martyris natione Scoti, & discipuli sancti Ioannis Agni Episcopi Ultraiectensis, cui ob fidem Catholicam mactato, Pipinus Rex decimas obtulit, quas habet inter Letiam, & Vream: Sanctus verò Ioannes Agnus clericorum regulariū Conuentum ibi instituit. est locus in sylua Arduenna sub ditione Abbatia s. Huberti, de quo supra dictum fuit in monasterio Andaino. ex Molano in Natalibus ad diem 18. Octobris, & Miræo de Collegijs secularium cap. 80.

Apud Niuellam in Brabantia diocesis Namurcensis monasterium, quod dicitur Buscum Domini Isaac congregationis Vuindesimensis, fuit fundatū anno 1416. floret in eo disciplina canonica. Miræus in catalogo, Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 4.

Nouiomagi monasterium B. Mariæ congregationis Vuindesimensis diocesis Ruremundensis in Geldria. Miræus, & Chronicon Vuindesimense.

In Nouiemensi ciuitate monasterium s. Eligij satis locuples. illius meminit liber taxarum Apostolicarum, necnon Molanus in Natalibus ad diē 10. Septembris, vbi dicit, ad illud fuisse translatas reliquias s. Eunuchi Episcopi, & olim s. Lupi monasterium fuisse vocatum. Cæterum in lib. taxarū Apostolicarum dicitur monasterium s. Eligij fontis.

In Oegnies oppido Brabantia diocesis Cameracensis insigne Cœnobium canonicorum s. Nicolai, à quibusdam s. Mariæ de Oegnies nuncupatum, à sanctissima foemina ibidem degente, cuius vitam longo sermone descripsit Iacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis, & eiusdem monasterij canonicus regularis, qui eidem B. Mariæ à sacris Confessionibus inferuiebat. Meminit eiusdem monasterij laudabiliter idem Iacobus de Vitriaco in Historia Occidentali cap. 21. Fundator tam præclari Collegij fuit Aegidius de Vuallecuria anno 1192. Claruerunt in eo monasterio Doctores Theologi dictus Iacobus de Vitriaco, & Ioannes de Nuiigella, & alij, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Scribunt plura Franciscus Moscus in Catalogo Antistitum.

Ogniaccensium, & ex illo Miræus de Collegijs Regularium cap. 82.

Radensis Abbatia celebris, & antiqua canonicorum regulariū, diocesis Leodiensis, territorij Limburgensis, à Ducibus Limburgensibus extructa, & dotata, habens sub se octo parochias, & tria monasteria canonicarum.

In Riouailla, siue Guisseauilla monasterium Abbatiale s. Mariæ in nemore congregationis Aroastensis. Miræus de Collegijs Regular. cap. 10.

Rodense collegium canonicorum in Brabantia olim fuisse monasterium clericorum regularium, sententia est veterum Scriptorū, quos recenset Molanus in Natalibus ad diem 27. Nouembris. deceptus tamen, & decipiens, dum putat vetusta canonicorum claustra non propriè monasteria vocata.

In Romefuaël Zelandiæ oppido diocesis Middelbulgensis monasterium B. Mariæ congregationis Vuindesimensis. Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 45. Miræus in Catalogo.

Rotnacense canonicorum monasterium fundauit s. Amandus Episcopus in honorem sanctorū Apostolorum Petri, & Pauli, testibus Chronographo Cameracensi, & Iacobo Guisio, referente Miræo de Collegijs secularium cap. 13. est locus in Comitatu Flandriæ in diocesi Meclinensi.

Ruremundæ monasterium B. Hieronymi congregationis Vuindesimensis, nunc Collegium Societatis Iesu, sed bona tenent canonici cathedrales. Miræus ibid.

Rubæ Vallis monasterium congregationis Vuindesimensis s. Pauli nuncupatum apud Bruxellas. Hoc monasterium anno 1413. cum sex alijs in Brabantia consistentibus, Capitulo seu congregationi Vuindesimensi sese vniuit. Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 40.

Rosæ Vallis monasterium B. Mariæ congregationis Vuindesimensis in Hasca oppido Frisiæ Orientalis, olim diocesis Ultraiectensis. Chronicon lib. 1. cap. 45. Miræus in Catalogo.

S Archinij in Hasbania monasterium s. Trudo- XI. nis, nunc vt puto collegium canonicorum secularium. Molanus in Natalibus ad diem secundam Octobris.

In Syluiducensi ciuitate Prioratus canonicorum regularium Diuina nuncupatus. Miræus de Collegijs secularium cap. 94.

In Syluiducensi territorio apud Turnhautū municipium alius Prioratus Corsen douca appellatus. Miræus ibid. est congregationis Vuindesimensis. ex eodem in Collegijs Regularium cap. 13.

Apud Sonegias in Hannonia monasterium sancti Vincentij in quo s. Bruno Coloniensis Episcopus amotis monachis, insigne collegium canonicorum erexit, ijsq; constitutiones iuxta regulam sancti Augustini præscripsit, templo & claustro reparatis. Iacobus Guisius in Chronicis Hannoniæ. Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 12. & in Natalibus ad diem 14. Iulij, vbi dicit, hanc institutionem canonicorum factam anno 965. nunc cum Miræus referat

referat illud cap. 45. inter collegia secularium, puto factumulare, sicut alia innumera. . .
Ad septem fontes, monasterium beatae Mariae congregationis Vuindesimensis in territorio Bru-xellensi eidem congregationi unitum. anno 1413 Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 40. . .

Traiectensem Ecclesiam cathedralē sancti Seruatij fundauit sanctus Monulphus, qui ex Gregorius Turonensis attestatur, magnum templū Traiectensē honorem sancti Seruatij construxit, composuit, et ornauit, in quod multo studio, et uoluntate transfatum corpus magnis uirtutibus pollet. Clericorū Deuotissime ibidem instituit, quos mirus semper seruat dum canonicos instituta. id. omnibus uirtute. . .
Molanus in Natalibus ad diem 6. Julij. meminit etiam eiusdem monasterij canonicorum sancti Seruatij Traiectensis lib. 1. de canonicis c. 12. Hinc uideas, illius antiquitatem, cum sanctus Monulphus anno 609. ad celestem gloriam fuerit translatus. De eodem Mirus in collegijs secularium c. 12. Formacensis cathedralis fuit regularis ex Ioanne Molano lib. 1. de canonicis cap. 39. . .

Tornaci, Abbatiale cōnobiū sancti Martii alias sancti Nicolai de Pratis, quod Ogerus canonicus regularis montis sancti Eligij apud Attrebatres fundauit anno 1125. postea canonicis in Agum ubi vicinū migrantibus cōnobiū in Pratis est extructum, quod cum anno 1566. ab impijs Caluicnitis esset uastatum, canonici iterum in Nibem se receperunt. Mirus de collegijs regularium cap. 69. numeratur inter Abbatias Araustales. . .

Troacini monasterium sancti Basili ad s. Aman-do Gandauensium Apostolo fundatum, cum à Normannis esset dirutum, Balduinus caluus reedificauit, & dictum est alterum monasterium in Troncinio, sed canonicis, qui regularem, & monasticam nomine dignam uitam abiecerant, successerunt canonici Præmonstratenses anno 1138. numeratur inter Abbatias Diocesis Grandensis. Molanus in Natalibus ad 14. Julij. . .

In Thabor, propè Sncam Fria Occidentalis oppidum, monasterium sancti Saluatoris congregationis Vuindesimensis, circa annum 1406. fundatum per strenuum militem Ierosolimitanum nomine Dominum Reuenieum. Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 39. . .

Tungrensem Ecclesiam à sua fundatione regularem fuisse, illud euidē demonstrat, quod sedes Archiepiscopalis Ultraiectensis, & Leodiensis, quas omnes regulares fuisse perspicuum est, antea Tungris erat, ut notat Mirus de collegijs secularium c. 4. . .

Tungris monasterium Passionis Christi, & beatae Virginis congregationis Vuindesimensis fundatum anno 1420. est in Diocesi Leodiensi. . .

XII. **V**ltraiectensem sancti Martini Metropolitanam inter Ecclesias, ab illarum institutione regulares, numerat Molanus lib. 1. de canonicis cap. 3. & 12. probant hoc innumera priuilegia, & scripta, uetustissima donationum Regum, Principum, & aliorum magnatum concessa eidem Ecclesiae sancti

Martini, & monachis uel canonicis, sicut fratribus in ea seruientibus, omnibus enim predictis nominibus uocatur clericus dicte Ecclesiae uel eidem priuilegijs. Ut uidetur est in priuilegio Pipini Regis, & filij magni Caroli, quod refertur à Miris de collegijs secularium cap. 20. . . hinc etiam uideatur, ut uis illis temporibus eosdem fuisse canonicos regulares, ut monachos, contra illos, quantam atque aliquant, monachum uocari deprehendimus, à cōtinenti regularium clericorum excludendū uolunt. De Ecclesia sancti Martini Ultraiectensis alia plura Molanus, & Mirus uocis citatis postuenerunt beatus uita, & Gulielmum Eda, de Episcopis. Ultraiectensibus, ac etiam ipse Molanus in Natalibus ad diem 5. Julij, ubi haec inter alia notanda scribit. *Reuerentissimus sancti Athalarij in urbe parisiensi quondam Traiectin. antiquo, uel potius antiqua monasteria sancti Saluatoris: hodie enim est canonicorum collegium, uix uillas habens monasterij reliquias, praeter nomen, & multas diuitias, quas peperit quidem monastio pietatis, sed plerisque locis, uia uisum suffocauit. Fundator huius monasterij fuit sanctus Vitalis, librorum Episcopus, ex Molano in Natalibus ad diem 7. Nouembrii, qui cum sancto Swiberto ex Eboracensi Ecclesia, in qua canonica institutionis habuimus, & formam didicerant, Ultraiectum ueniens, statim in fundo Basilicæ sancti Thomae Apostoli propè castrum Traiectense, canonicorum cōnobiū consecrauit, Ecclesiam in honorem sancti Martini, ita Marcelinus Traiectensis canonicus in Vita sancti Swiberti cap. 13. plura de hac re Mauburnus, in Venatorio lib. 2. par. 7. cap. 39. . .*

In eadem ciuitate erat alterum monasterium sancti Saluatoris parisi antiquitatis, & parati munificentia, priuilegijs Regum, & Principum munitum, & opibus affluenter ditatum, testere eodem Molano de canonicis lib. 1. cap. 3. & 12. . .

In eadem ciuitate monasterium beatae Mariae, & duodecim Apostolorum, quod ad regulares dicitur congregationis Vuindesimensis. Mirus in Catalogo, & cap. 55. Verum Ecclesia Ultraiectensis, cum suis monasterijs, sub potestate Hæreticorum nunc manet, manentibus tamen monasterijs, ut ex uiris fide dignis accepi. . .

Ulmecum monasterium in Meclinia à sancto Rummoldo fundatum, ita dictum, quod inter ymos esset extructum, de quo Molanus in Natalibus sub die 1. Julij, de hoc uerba fecimus supra in Ecclesia Mediniensi. . .

Apud Vuatanas Flandriae oppidū monasterium titulo Praepositurae fundatum in honorem B. Mariae, à Roberto Flandriae Comite, ex Miris de collegijs regularium cap. 39. sed puto idem esse cum Guatinnensi, de quo dictum est supra, quanquam illius dicatur Fundator quidam nomine Odefridus: potuit enim eadem fundatio duobus, diuersa ratione tribui, alteri tanquam largitori dotis, ac fundi: alteri tanquam Antistiti, maxime quod in fundatione dicte praepositurae utriusque habita sit mentio à Meyero in Annalibus Flandriae. . .

In Vnolcort oppido Diocesis Cameracensis, Vindicianus Cameracensis, & Attrebatensis Episcopus monasterium consecrauit ad laudem Dei, & venerationem sancti Petri, ibique clericos, & sanctimoniales constituit. Molanus in Natalibus ad diem 11. Martij.

In Vilica non procul ab oppido Bona ducatus Bergensis sanctus Megengofus Geldriae praefectus condidit monasterium canonicorum, & canonissarum, vbi & sepultus est anno suae praefecturae 28. Molanus in Natalibus ad diem 19. Decembris.

Valencianis in Hannonia in Ecclesia sancti Ioannis Baptistae anno Domini 1112. Sanson Archiepiscopus Remensis amotis clericis secularibus, constituit canonicos regulares, euocato ex monasterio sanctorum Crispi, & Crispiniani Gilberto canonico, & primo eiusdem sancti Ioannis Abbate ordinato. Miraeus de collegijs regularibus c. 54. Istud monasterium adhuc floret.

Varnestonense monasterium sancti Petri Abbatia olim congregationis Aroasiae. Miraeus de collegijs regularium cap. 10.

In Vosago Abbatia sanctae Mariae, & sancti Huberti eiusdem congregationis Aroasiensis. idem. Miraeus.

Vallis Viridis monasterium beatae Mariae apud Bruxellas fertur a nonnullis fuisse olim caput, aut certe membrum amplae satis congregationis Vallis Viridis nuncupatae, quae multis monasterijs canonicorum, & canonissarum per Belgium, Gallias, Italiam, & Siciliam fuit dilatata, si vera sunt, quae de eadem congregatione Syluester Maurolicus in sua Historia, mare Oceanum vocata, scribit. Verum puto illum sine fundamento id scripsisse. Est nunc membrum congregationis Vuindesimense, cui circa annum millesimum quadragesimum decimum tertium, eius loci canonici cum alijs sex monasterijs sese iunxerunt. Habuit hoc monasterium insignem pietate virum primum. Priorem nomine Ioannem Rusbrochium, qui multa egregie, & diuino plane spiritu scripta edidit Germano idioma, sed a Laurentio Surio in Latinum versa, quod forsitan in causa extitit, vt Sixtus Senensis in Bibliotheca, vbi mirifice illum laudauit, inter monachos Cathusianos eundem censuerit. Obijt anno salutis 1381. cum vixisset in monasterio annis viginti octo, praeter hunc, alium habuit eruditissimum canonicum, & aliquando Subpriorem, quem laudat Trithemius in lib. de viris illustribus Germaniae, nomine Ioannem de Schonhonia, qui claruit circa annum 1420. tempore Concilij Constantiensis. de vtroque vide Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 40. Fundatur anno 1349. ex Miraeo in lib. de tribus congregationibus nuper edito.

Vallis Angelorum monasterium beatae Mariae in Leydendorp in Hollandia Diocesis olim Ultraiectensis, congregationis Vuindesimense. Chronicon lib. 1. cap. 39. vbi ponit foundationem illius sub anno 1400.

Vallis Pacis monasterium congregationis Vuin-

desimense in Diocesi Ultraiectensi, nunc monasterium sancti Ioannis in Amersfordia, fundatum per quendam venerabilem Dominum Vuernboldum de Buschoep, fuit circa annum 1417. eidem congregationi incorporatum, idem Chronicon cap. 40.

Vallis beatae Mariae monasterium prope Aldernardum Flandriae oppidum Diocesis Tornacensis, congregationis Vuindesimense. idem Chronicon cap. 45.

Vallis beatae Elizabeth prope Ruremundam monasterium eiusdem congregationis, idem Chronicon, & Miraeus de collegijs regularium cap. 13.

Vuindesimense monasterium s. Mariae apud Zuuollam in prouincia Transinsulana, & Diocesi Dauentriae caput praeclearissimae congregationis, quae centum & viginti per superiorem, & inferiorem Germaniam olim monasteria complectebatur: hodieque non mediocriter floret, anno 1387. fuit fundatum, de cuius foundatione inferius in ipsa congregatione Vuindesimensi fusius dicemus.

Zunebecanum monasterium Abbatiale s. Mariae congregationis Aroasiensis anno 1578. per tumultus bellicos est euersum. Miraeus de collegijs regularium cap. 10.

Zuuollis monasterium beatae Mariae congregationis Vuindesimense, Miraeus in collegijs regularium cap. 55.

Praeter praedicta canonicorum collegia, quorum licet aliqua ex regularibus ad secularitatem transferint, alia ab Haereticis fuerint euersa, maior tamen pars sub disciplina canonica nunc etiam viget. reperitur in Belgio pleraque collegia canonicorum regularium, quae quoniam vel ad congregationem Vuindesimensem, vel ad Victorinam spectant, in Catalogis dictarum congregationum referentur, Collegia vero canonicorum secularium, quae multa etiam in Germania tum inferiori, tum superiori visuntur, ex regularibus per relaxationem fere omnia sunt profecta: sicuti etiam ex canonicis regularibus eodem plane modo seculares canonici sunt exorti.

Caput trigessimum nonum.

De Propagatione Canonicorum Regularium, & eorum Ecclesiarum, & Monasterijs in Prouincijs Alemanniae.



Daris antiquitatis existere propagatione canonici ordinis in prouincijs vastissimis Alemanniae, monstrant praeter Concilia Prouincialia Noguaria, Aquisgrani, & Vuormaciae pro illius reformatione edita, Ecclesiarum regularium, & monasteriorum earundem prouinciarum fundationes vetustissimae ex quibus vt pauca, quae ex Bruschio, & Auentino, licet damnata apud nos nominis autoribus, ac etiam ex Trithemio, Miraeo, & alijs catholicis collegimus eodem

eadem ordine in precedenti capite seruato recensamus, sunt imprimis.

Aquisgrani cathedralis, quam sub inuocatione sanctæ Dei Genitricis magnificentia regali, & suo autore digna fundauit Carolus Magnus. de qua Molanus in Natalibus ad diem 28. Ianuarij hæc habet: *Dicta est autem Aquisgranensis Ecclesia à maioribus monasterium sanctæ Maria, eo quod viginti clerici à sancto Carolo Magno instituti regulariter, & canonicè in ea vixerint, sub obedientia, in communi, intra claustrum, simul manducantes, & dormientes, iuxta statuta Concilij Moguntiensis sub Carolo Magno celebrati. sed hoc suauè iugum sibi, ut Moguntini, & pleriq; alij, excusserunt sub Osbone Tertio, & Nodgero Episcopo suo, qui regulares clericos viginti conuerterunt in viginti octo clericos proprietarios, quoniam id temporum illorum malitiam exigere iudicabant.* Hæc Molanus ibi. quæ cum alijs multis tum apud dictum autorem, tum apud Miræum de collegijs secularium cap. 30. legi possunt.

Propè eandem ciuitatem sanctus Henricus fundauit conuentum canonicorum sancti Adalberti, quod modò est in ciuitate. Molanus in Natalibus ad diem 13. Iulij.

Aquisgrani nunc floret monasterium sancti Ioannis Baptistæ congregationis Vuindesimensis, de quo Miræus cap. 13. de collegijs regularium in Catalogo.

Augustæ Vuindelicorum in Sueuia præpositura insignis sanctæ Crucis nuncupata, cuius Præpositus Miræus, Pedito, & alijs Pontificalibus vititur in factis. De fudatione huius præposituræ Gaspar Brutschius de monasterijs Germaniæ fol. 111. pag. 1. ita scribit: *Sanctæ Crucis Augustanum cœnobium instituit, & ordinis canonicorum regularium s. Augustini ex Hamelbergo, ubi antea situm fuerat, in Augustam Vuindelicam translatum ann. Domini 1144. per Episcopum Augustanum Vdeschalcum Comitem à Thebenneenboe. primum huius cœnobij intra Augustana Urbis Mania fundatorem, quod primum à Marsallis de Biberach in Mutterhofen pago inchoatum, mox inde à Courado Anstite Augustano Comite Lutzelnsenio in Hamelbergum montem Augustana Urbis vicinum, & inde tandem iterum, ut prius dictum ab Vdeschalco in orbem translatum est.* Subdit ibidem Catalogum Præpositorum, qui loco præfuerunt vsque ad sua tempora, vnam, & viginti. Regit nunc eandem præposituram Reuerendissimus Pater, & Dominus frater Ioannes S. R. E. Proto-notarius, qui canonicæ disciplinæ ad primæuum statum instaurandæ propensissimus desudat, cuius votis rogo Deum optimum fauere.

In eadem Augustana ciuitate est alia præpositura canonicorum regularium s. Georgij, de qua hæc habet idem Brutschius fol. 119. pag. 1. *Sancti Georgij monasterium, quod est intra muros Urbis Augustanae orituris canonicorum regularium s. Augustini fundatum legitur ann. Christi 1135. absolutum verò anno 1142 à Vualtero Comite Palatino Tubingensi,*

& Episcopo Augustano, eiusq; canonicis in honorem s. Georgij martyris. Huic monasterio præfuerunt ad hoc vsque seculum bi sequentes Domini Præpositi & c. prosequitur Catalogum Præpositorum vsque ad annum 1547. num. 25. quem breuitati consulens, omittere compellor.

Argentinensem cathedralem in Alfatia Ioannes de Nigraualle refert in Catalogum Ecclesiarum Germaniæ, quæ ab illarum institutione fuerunt regulares. Porro in Ciuitate Argentina fuit monasterium canonicorum vetustissimum s. Thomæ martyri, & Germanorum Apostolo nuncupatum, quod dicebatur s. Thomæ Scotorum à Scotis, qui illud olim tenebant. Hoc monasterium queritur Renatus Choppinus in monastico lib. 1. tit. 3. per quemdam Episcopum Argentinensem ex canonicis regularibus translatum ad seculares anno Christi 830. vt hinc etiam videas antiquitatem canonicorum regularium inter Scotos, illosq; ex Scotia in Germaniam deriuatos.

In Ciuitate Argentina monasterium dictum in Scucheia ordinis s. Augustini, ex lib. Taxarum Apostolicarum.

B Ambergensem Episcopalem inter collegia canonicorum regularium refert Miræus de collegijs regularium cap. 69. in fine. Hanc fundauit sanctus Henricus cum sancta Cunegunde illius coniuge, quam Imperiali munificentia ab illis dotatâ, redditus, quos nunc possidet, sine alio teste docent. Erectæ est Ecclesia sub inuocatione sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. Addit verò Mauburnus in Venatorio lib. 1. cap. 9. B. Henricum cum Cunegunda vxore præter Ecclesiam Bambergensem alia plura cœnobija canonicorum regularium erexisse. In eadem ciuitate præter dictam cathedralem, aliam erexit idem Imperator Ecclesiam sub inuocatione Prothomartyris Stephani, paruo quidem staturæ, sed maiori opera, in qua regulares clericos constituit, ad quam dedicandam Benedictum Papam venire rogauit, teste Baronio tomo vndecimo sub anno millesimo decimo quinto in principio.

In eadem ciuitate est collegium præpotens sanctæ Virginum Canonissarum regularium sancti Theodori, quod primum Michelsfeldi in colle sancti Nicolai fuerat fundatum anno millesimo centesimo trigesimo quinto, sed postea Bambergam anno millesimo centesimo quinquagesimo translatum ibique in honorem sancti Theodori fundatum à Gertrude Palatina Conradi Marchionis Misnensis filia, quæ defuncto marito hoc ipsum cœnobium ingressa, per aliquot annos eidem monasterio præfuit, & sanctissimè vixit. ex Miræo de collegijs regularium cap. 67.

Basileæ cathedralis olim regularis. ex Ioanne de Nigraualle in Catalogo. In Ciuitate Basileæ monasterium s. Leonardi congregationis Vuindesimensis, de quo Miræus in Catalogo dictæ congregationis. Bergensis Ecclesia Cathedralis canonicorum regularium Ioannes de Nigraualle in Catalogo.

In Badersholm oppido Holfatiz diocesis Bremenfis monasterium B. Mariæ cōgregationis Vuindesimensis. Miræus loco cit.

Bernfridese monasterium in Bauaria ad stagnum Vuirmsee fundauit in honorem sancti Martini Episcopi Comes Otho de Vallay cum coniuge Adlhajde. ex Ioanne Auentino. huius confirmatio facta est à Calisto Secundo anno 1120. Secunda ab Eugenio Tertio. Ita Miræus de Collegijs regularium cap. 57. ex Auentino lib. 5. & Bruschio in Chronologia monasteriorum Germaniæ. puto errasse Typographum, dum pro Calisto Secundo, ponit Ioannem XXII.

Berchtolgadense cœnobium sancti Ioannis Baptistæ in Bauaria canonicis Augustinianis an. 1108. fundauerunt, & dotauerunt Beringerus, & Cuno Comites de Sultzpach, cum ipsorum matre Irmo-garda. Auentinus in Annalibus lib. 5. & alibi. Miræus de Collegijs regularibus cap. 52. est in agro Salisburgensi.

Beurenfis Præpositura Ordinis canonicorum regularium in diocesi Constantiensi. ex Miræo de Collegijs regul. cap. 56. ad finem.

Apud Bredeuoert oppidum diocesis Monasteriensis cœnobium B. Mariæ in Nazareth congregationis Vuindesimensis. Miræus in catalogo.

Brandeburgensis metropolitana numeratur inter Ecclesias olim canonicorum regularium in proœmio libri constitutionum Benedicti XII. pro reformatione ordinis canonicorum regularium.

Beyhartingense monasterium vulgo Beyharting in superiori Vindelicia, siue Bauaria fundauerunt nobilis matrona Iudith, & frater eius Meginotzus sodalibus Augustinianis consecratum à Romano Episcopo Gurcensi iussu Conradi Archiepiscopi Salspurgensis anno 1130. quod postea per Rodolphum, & Ludouicum, qui fuit Imperator, & Stephanum iuniorem Bauariæ Duces maximis priuilegijs fuit munitum. Miræus de Collegijs regularium cap. 62. ex Auentino, qui dicit, Augustiniani monachis esse fundatum.

In Bircling oppido diocesis Herbipolensis monasterium B. Mariæ congregationis Vuindesimensis. Miræus in catalogo dictæ congregationis.

In diocesi Brixinensi Comitatus Tirolis monasterium Vartobergense nuncupatum, cuius fuit Præpositus Nicolaus de Cusa, qui postea fuit sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vt ipsemet fate-tur in epistola, quam præmisit ad librum de filiatione Dei Conrado confratri eiusdem Vartober-gensis monasterij canonico directa.

In Bloemenberch oppido diocesis Padebornensis monasterium Corporis Christi congregationis Vuindesimensis. Miræus in catalogo dictæ congregationis.

In Bodihen oppido eiusdem diocesis Padebornensis monasterium sancti Meynulphi, eiusdem congregationis Vuindesimensis. ex eodem Catalogo.

In Bodighen prope Ziberch in Ducatu Mon-

tensi diocesis Coloniensis monasterium, quod dicitur mons B. Mariæ eiusdem congregationis. ex dicto catalogo.

In Bucaugia siue Buchouia Canonissarum, siue Monialium nobilium, ac antiquo stemmate, maiorumq; imaginibus conspicuarum, ab omni tamen voto immunium, ac prorsus liberarum Collegium fundatum legitur in honorem sanctorum Cornelij, & Cypriani à D. Adelinde Hildebrandi potentissimi Sueuorum Ducis filia, Hildegardis Regina, & Campidonensis fundatrixis sorore, Comitissæ vero Ottonis à Kesselburg in Blanchina valle circa Riberacum habitantis relicta vidua, qua ibi sepulta est sub Carolo Magno. Id primum fuit Monialium Augustiniane professionis Cœnobium. Ita Bruschius fol. 17. pag. 2. quæ si vera sunt, verum etiam esse conuincitur, seculares apud Germanos canonissas ex regularibus per relaxationem ortas, sicut canonicos seculares ex regularibus, quidquid dicat in hoc Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 15.

Brundensis cathedralis refertur à Nigraualle inter Ecclesias olim regulares. verum in qua prouincia sit constituta, non reperi.

Coloniensis Ecclesia metropolitana à sancto III. Materno Beati Petri Apostoli discipulo suam foundationem accepisse gloriatur. Eam verò non solum regularem extitisse, sed vsque ad Philippum Episcopum quadragesimumquartum Regularia instituta tenuisse, tradit Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 14. vbi ponit rescriptum Ecclesiæ Coloniensis ad canonicos Traiectenses. cum enim in Ecclesia Traiectensi, aut rectius Vltraiectensi feruor Regularis disciplinæ relaxaretur, & Godebaldus Episcopus cœpisset primam Præbendam Decano maioris Ecclesiæ conferre, quibusdam renitentibus, Ecclesia Coloniensis, quam super ea consuluerant, in hunc modum respondit. *Domini, ac fratribus nostris sanctæ Traiectensis Ecclesiæ, tam maioribus, quàm minoribus salutem, vt Præpositura, Decania, vel aliqua claustralis obedientia pro beneficio habeatur, vel beneficium nominetur, Ecclesia nostra consuetudo non patitur.* addit ibid. Molanus vnum valde notandum, cum sub Philippo quadragesimo quarto disciplina Regularis in Ecclesia Coloniensi relaxaretur, canonicos nonnullos, qui in Regulari obseruantia manere voluerunt, Nuffiense monasterium condidisse, quod si verum est, conuincitur falsum esse, quod idem Molanus supra non vno in loco in gratiam canonicorum secularium scribit, sensus verborum antiquorum Conciliorum distorquens, canonicos cathedralium, licet regulariter, & communiter viuerent, non tamen fuisse verè Regulares, cum votorum emissionem: quod præterquam ex multis alijs capitibus falsissimum esse constat, ex hoc etiam euidenter conuincitur, quia Colonienses nonnulli, vt propositum vitæ Regularis alijs deficientibus tenerent, monasterium Nuffiense crexerunt: nam qui in Nuffiensi viuebant verè

Regulares erant cum votorum emissionē. quo verò tempore Nuffienses suam congregationem inchoauerint, videtur id circa annum millesimum centesimum septuagesimum contigisse: nam per ea tempora Philippus 44. Ecclesie Colonienſi præfuit. Cæterum de vera canonicorum Colonienſium regularitate, de omnimoda proprietatis abdicatione, de obedientia clauſtrali, de clauſtro, & officinis, de regula D. Auguſtini à Colonienſibus ſeruata, & alijs id genus teſtatur Vuazo Leodienſis Præpoſitus in quadam epiſtola, quam refert Mauburnus in venatorio libro 2. par. 5. cap. 30. vbi alia plura refert, & Innocentius Tertius in cap. Poſtulaſtis. de clerico excommunicato, ſcribens Decano, & Priori Colonienſi.

Habuit verò Eccleſia Colonienſis quamplures viros ſanctitate, & doctrina inſignes, & illuſtres, ex quibus vnus extitit Aquilinus dictæ Eccleſiæ canonicus, qui Mediolani ab Arrianis conſoſius martyr occubuit. Puto autem non ſolùm Cathedralē, ſed etiam alias Eccleſias Colonienſes olim regulares fuiſſe, & reſcriptum illud ſupra memoratum non de conſuetudine ſolius cathedralis, ſed totius Eccleſiæ Colonienſis intelligendum eſſe.

Eſt in eadem ciuitate monaſterium canonicorū, & canoniſſarum reformatum ſ. Cæcilie nuncupatū. ex Miræo de colle. regularium cap. 93. item tria collegia canoniſſarum regularium ſ. Auguſtini videlicet ſ. Maximini, ſ. Michaëlis, & ſ. Mariæ Magdalenæ. ex eodem autore ibid. cum alijs quatuor ſ. Nicolai, ſ. Reinoldi, in Maiori Nazareth, & ſancti Iacobi Maioris ad agnellum in muro Caſtrenſi, quas ibi, & capite præcedenti vocat moniales Auguſtinianas, & numerat cum canoniſſis: nescio autem an ſint inſtituti canonici, an eremitarum.

In eadem ciuitate Colonienſi anno 1423. opera Arnoldi Schillingi ciuis Colonienſis ex ſacello factum eſt monaſterium, quod dicitur ad Corpus Chriſti, traditumque canonicis regularibus capituli Vuindeſimienſis. Occaſionem præbuit miraculum, quod circa venerabile Sacramentum contigit, fuſe commemoratum à Bredenbachio lib. 1. cap. 8. Sacrarum collationum. Miræus de colleg. regularium cap. 92.

Confluentia locus eſt, vbi Moſella Renum inſluit ibi loci Hecto, qui ex Abbate monaſterij cuiuſdam Mediolanenſis factus fuerat Archiep. Treuerenſis, anno 847. à ſancto Materno in ſomnijs admonitus, fundauit monaſterium canonicorum regulariū, in quod corpus ſancti Caſtoris de Cardona transferens collocauit: ſed canonici ſancti Caſtoris ante plures annos regulam abiecerunt. Trithemius in hiſtoria Hirſaugica ſub anno 847. & 957. & ex illo Molanus lib. 1. de canonicis cap. 14.

Apud Confluentiam, quæ eſt oppidum Diœceſis Treuerenſis, monaſterium Beatæ Mariæ in Inſula congregationis Vuindeſimienſis. Miræus in catalogo.

Conſtantia eſt vetus, & inſignis Abbatia canonicorum regularium de Cruetzlingen, ſiue de

Cruetlingen. de qua in lib. 1. Conſtitutionū Cœcilij Conſtantienſis fol. 135. ita ſtatuitur: *vt Abbas canonicorum regularium de Cruetzlingen, & canonici dicti monaſterij in Proceſſionibus, & actibus publicis præcederent Abbatem, & monachos ordinis D. Benedicti monaſterij euſdem ciuitatis, quod dicitur Petri Domus, &c.* Hæc Abbatia erat olim caput multorum monaſteriorum canonici ordinis, vt in Bulla Innocentij VIII. infra cap. 71. relata legitur. Sunt etiam in Diœceſi Conſtantienſi quinque præpoſituræ canonicorum regularium, & duæ canoniſſarum, de quibus ſub ſuis proprijs nominibus dicimus. ex Ioanne Piſtorio in Chronico Conſtantienſi. Eſt etiam in diœceſi Conſtantienſi monaſterium B. Mariæ loci eremitarum ordinis ſancti Patris Auguſtini. ex lib. taxarum Apoſtolicarum.

Chichgetenſe monaſterium in diœceſi Vuormatiensi erat ſanctimonialium, quibus peſtilentia conſumptis, Fridericus II. Vuormatiæ Episcopus anno 1440. illud repurgatum, & reſtauratum canonicis regularibus incolendum tradidit. Miræus de collegijs regularium capite nonagesimo ſexto.

Chiemſenſe monaſterium in Prouincia Salisburgenſi duplex eſt, aliud canonicorum, aliud verò canoniſſarum. Monaſterium canonicorum prius pro monachis Diui Benedicti fundatum fuerat: verum pro illo Abbatia Luxouienſi monachis commutata, dictum monaſterium canonicis regularibus fuit donatum. Eſt vetus Abbatia ſancti Saluatoris nuncupata, vt conſtat ex antiquo diplomate Regis Arnulphi dato Ratisbonæ anno 891. de qua ſic Hundius ex Auentino ſcribit: *In Norico Conradus Iuuania Episcopus, & Abenſpergenſi familia oriundus Chiminum templum olim à Teſſalono ſecundo Duce Bauaria D. Benedicto conditum ab Vgris ad egeſtatem redactum, monachis Auguſtinianis tradidit &c. hoc eſt canonicis regularibus ſancti Auguſtini.* Ita Hundius. Vide Miræum de collegijs regularium cap. 26.

Chiemſenſe verò canoniſſarum fundauit Teſſalo Rex, & dotauit, cuius priuilegium roborauit Hæricus Quartus Imperator ſuo diplomate dato anno 1077. Ratisbonæ.

In Cluſa oppido Diœceſis Treuerenſis monaſterium B. Mariæ Congregationis Vuindeſimienſis Miræus in catalogo.

DAniæ Regnum habuiſſe olim multa monaſteria canonicorum regularium Benedictus XII. in Bulla Generalis reformationis euſdem ordinis in cap. de Capitulis Prouincialibus aperte fatetur. Primum qui in Regno Danorum monaſteria canonicorum, & monachorum erexit, & redditibus locupletauit, Choppinus in monaſtico lib. 2. ti. 2. n. 18 fatetur fuiſſe Canutū Regē Danorū ex Saxone Grammatico in Hiſtoria Danorū. Cæterū inter Eccleſias canonicorū regulæ huius regni erat olim cath. Roſkildenſis, ad quam reliquiæ ſancti Lucij I. Papæ, & martiris ſunt tranſlatæ, referente Ioanne Mauburno

IV.

burno in venatorio canonici ordinis lib. 2. par. 4. cap. 24.

Diesense monasterium varias habuit fundationes, ruinas, & reparationes. primus fundator fuit Rathardus canonicus Augustanus, & frater Attonis Comitum de Andechs, & Episcopi Augustani, qui monasterium sancti Georgij martyris fundavit prope oppidum Diessen in Bauaria dioecesis, ut puto, Augustanæ circa annum 840. quod à quodam Arnaldo vastatum anno 1013. fuit instauratum per quendam Adheleimum, & Adalricum fratres. postea cum Cunegunda Comitissa filia Othonis primi Imperatoris fundasset Ecclesiam B. Stephani, & in ea tres canonicos regulares posuisset, Hartucius Præpositus s. Georgij annuente Episcopo Augustano cum suo conuentu propter maiorem commoditatem ad Ecclesiam sancti Stephani migravit. plura de hoc monasterio videri possunt apud Miræum de collegijs regularium cap. 22. quæ ex Auentino, & Hundio collegit.

Diethramzellense apud Isaram in Bauaria monasterium sancti Martini Abbatiale fundavit quidam Otho cum Socio Berengero, & venerabili sacerdote Diethramo anno Domini 1099. fundationem, & dotationem Paschalis II. anno 1107. suo diplomate firmavit. Vide Miræum de collegijs regularium cap. 47.

In Daelem oppido dioecesis Padebornensis monasterium s. Petri congregationis Vuindesimensis. catalogus dictæ congr.

Euerbardica clusa vulgo Eberharts Clausen in Diacesi Treuerensi pulcherrimum coenobium canonicorum regularium s. Augustini tribus lapidibus à Treuerensi versus Hunnorum terga, vel præsidia situm ex elemosynis utriusque sexus fidelium certatim undequaque ad S. Virginem ex omnibus prouincijs concurrentium hoc modo emeruisse ibidem legitur. Erat anno Domini 1440. laboriosus quidam, rusticæque, & vitæ, & artis homo simplex Euerbardus nomine, ex pago Esch oriundus, agricola, vinitor, & sector straminum in usum, & pastum iumentorum, virginitatis, ac pudicitie summus amator, qui ob deuotionem, quam à pueris conceperat maximam erga matrem Domini Beatam Virginem Mariam, stipitem quendam in loco isto tunc temporis deserto terræ infixit, & in eo superius excauato Imaginem tristissimæ, ac dolorosissimæ matris in gremio extinctum habentis filium collocavit. Is postea à gloriosa Virgine admonitus, & coactus, domunculam paruam eidem edificauit, & sublato stipite illam ipsam adhuc eo loci presentem, suoque pretio Treueri prius emptam in priori muro domuncule reposuit, ubi cum miracula plurima fierent, & oblationes innumera quotide accederent, & hominibus religionis ergo cateruatum venientibus, mox his oblationibus adiutus Euerbardus, sacellum paulò grandius fabricauit: & postea circa idem sacellum Basilicam in longitudine 26. & in latitudine 12. passus habentem fundavit, & edificauit in anno Lubilao, quo mox factus est maximus omnis generis hominum concursus. Hanc Basilicam

Reuerendissimus Dominus Iacobus de Sirgk Archiepiscopus Treuerensis centesimus presentibus Prælatibus plurimis in die Annunciationis B. Virginis Maria anno Domini 1449. solemniter dedicauit Euerbardo aut an. Dom. 1451. in pace quiescente, consentientibus, & id desiderantibus Dominis fundi, in primis verò Domino Godefrido de Esch ordo canonicorum regularium sancti Augustini introductus est, anno Domini 1456. Hi nouum chorum edificauerunt, & anno Domini 1474. dedicari fecerunt, Structuras etiam utriusque ambitus, & multorum edificiorum erexerunt, & basilicam maiorem, quæ hodie visitur, antiqua deiecta, ac destructa ad summum compleuerunt, cuius dedicatio facta est anno Domini 1502. Hæc Bruschius folio quinto pagina prima; qui etiam prosequitur Priores, qui ibi fuerunt vsque ad annum 1542. puto esse congregationis Vuindesimensis.

In Euuich prope Attendoren dioecesis Coloniensis monasterium s. Saluatoris congregationis Vuindesimensis. ex catalogo dictæ congr.

FRanchenthaël, quod nunc est oppidum munitionissimum, apud Vuormatiam, prius erat monasterium canonicorum regularium, de quo Trithemius in historia Hirsaugica sub anno 1135. ista scriptis mandauit: *His etiam temporibus, videlicet anno Domini millesimo centesimo trigesimo quinto Buggo Vuormatiensis Ecclesie Reuerendissimus Episcopus monasterium Franchenthaël non longè à Vuormatia fundauit, in quo fratres in communi sub sancti Augustini regula viuentes collocauit, quibus Ecclesia de corporis necessarijs copiosè prouidit. Cœnobium quoque sanctimonialium eiusdem religionis iuxta præfatum monasterium Franchenthaël constituit, in quo multitudinem virginum Christo in castitate famulantium, prouisis necessarijs posuit. Verùm post annos ferme trecentos, viginti sex tempore Reynardi Vuormatiensis Episcopi, cum de consensu eius fratres regulares de Vuindesheim partium inferiorum ipsum cœnobium Franchenthaël ad reformandum suscepissent, & titulum Abbatialem, quo antea semper insignitum fuerat, extinxerunt, etiam cœnobium foeminarum prædictum expulsis monialibus monasterio fratrum coniunxerunt. Hæc Trithemius. Verùm istud monasterium, in quo canonica disciplina summoperè florebat, paucis abhinc annis factum est habitatio omnis spiritus immundi, cum Caluinitæ, ex Belgio profugi illud permittente Comite Palatino Rheni occupauerunt, & pulsos canonicos in oppidum, & in arcem erexerunt.*

Friburgi in Heluetijs Præpositura omnium sanctorum dioecesis Constantiensis. Io. Pistorius in Chronico Constantiensi edito Francoforti. Miræus de collegijs regul. cap. 56.

Apud Halberstadium monasterium s. Pancratij in Hamersleue congr. Vuindesimensis. catalogus dictæ congr.

Hamburgensis Metropolitana à sua fundatione fuit regularis, & in ciuitate, ac etiam Dioecesi

multa canonicorum monasteria fundavit Vuanus Episcopus temporibus Henrici Primi Imperatoris, qui fuit sanctus, vel quæ antea ædificata, ad normam vitæ regularis reformavit, teste Alberto Crantio in sua Metropoli lib. 4. cap. 1. claustrum canonicorum Hamburgensium meminisse etiam Molanus in Natalibus ad diem 3. Februarij in vita sancti Ansharij.

Herdeuille oppido Diœcesis Argentinenfis monasterium S. Christinæ congregationis Vuindesimensis. Catalogus dictæ congregationis.

In Hegene oppido Comitatus Leingen Diœcesis Vuormaticensis monasterium sancti Petri Apostoli congregationis Vuindesimensis. catalogus dictæ congr.

In Hertzehagen apud Fræcofordiam Diœcesis Moguntinæ monasterium B. Mariæ dictæ congr. ex eodem catalogo.

Herbreidingum cœnobium canonicorum regularium ad Fuiolum Brentianum Augustanæ Diœcesis in honorem S. Dionysij fundatum anno Domini 1144 à potentissimo Sueuorum Principe Hfriderico Barbarossa, qui tandem ad imperij dignitatem, ac cœnomen euectus est. Habuit hoc cœnobium semper ad hæc usque nostra tempora gubernatores Præpositos, quorum talis extat, etsi non omnino integer Catalogus primus Amandus &c. Ita Bruschius de monasterijs Germaniæ fol. 2. pag. 2. qui Catalogum Præpositorum deducit vsque ad annum 1548.

Heyne monasterium apud Vuormatiam in Dumetis fundavit circa annum 1135. Eunuchus Comes de Lingen in honorem Principis Apostolorum, & multis bonis, & redditibus sublimauit. cuius Ecclesiam sæpe dictus Episcopus Buggo, in cuius Diœcesi monasterium est constructum, anno Domini 1141. consecrauit, & Harburgum primum Præpositum ordinauit, qui vitam canonicorum regularium primus ibidem instituit. Trithemius in Hirsaugica ad annum 1135. & in Chronica Spanhemensi sub anno 1137. Floruit in hoc cœnobio Rutgerus Vernay, cuius elogium idem scripsit Trithemius de Viris illustribus Germaniæ, ac etiam in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Hildefimæ in Saxonia temporibus s. Henrici Imperatoris erat monasterium, cuius canonicus scripsit vitam sancti Godehardi Episcopi. Molanus in Natalibus ad diem 25. Martij.

Apud Heldesimensem ciuitatem, in loco, qui dicitur Zulta, monasterium peruetustum s. Bartolomæi, postea congregationi Vuindesimensi unitum. catal. dictæ congr.

In Hildesimensi Diœcesi Præpositura Bosariensis, cui præfectus fuit sanctus Benno Episcopus Misnensis. ex illius vita, & ex Bulla canonizationis illius, qui sanctus vixit temporibus Leonis Noni & Henrici III. Imperatoris.

In Hissa prope Sarburch Diœcesis Metensis monasterium s. Laurentij d. congr. ex eodem catalogo.

V I. **I** Ntzchofensis Præpositura canonicarum regul. s. August. Diœcesis Constantiensis. Io. Pistorius

in chronico Constantiensi. Item Villæ Diœcesis Argentinenfis anno 1137. Conradus canonicus Argentinenfis condidit collegium canonicorum regularium. Miræus de collegijs Reg. cap. 45.

Magdeburgensis Ecclesia metropolitana in Saxonia fuit olim regularis, ex Ioanne de Nigraualle in catalogo. eius foundationem scribit Miræus in collegijs secularium cap. 54.

Maguntina Metropolitana ipsa quoque vsque ad annum saltem circiter 1000. regularis mansit, ex Gaspere Bruschio in 1. tomo Epitome de Ecclesijs Germaniæ, in Episcopatu Spirensi, & Trithemio in Historia Hirsaugica, sub an. 977. quorū verba infra hoc eodem cap. referemus, & notat etiam Ioannes Molanus lib. 1. de canonicis cap. 14.

Apud Marbach Alsatia oppidum Diœcesis Argentinenfis anno 1094. quidam vir pius nomine Mænegoldus Monasterium canonicorum regularium D. Augustini condidit auxilio, & opibus viri nobilis Burchardi à Gebelsuiler, seq. iisdem aggregauit, vt in vita Othonis 43. Episcopi Argentinenfis, & lib. de Episcopis Argentinenfis Franciscus Guilimanus testatur.

In eodem oppido monasterium s. Irenæi martyris congr. Vuindesimensis. Verum Miræus in catalogo dictæ congr. ponit oppidum Marbach in Diœcesi Basileæ ad Rhenum fluuium ex opposito oppidi Brisgoiæ. quare vel sunt duo eiusdem nominis oppida, vel decipitur alter horum autorum, cum vnus illud ponat in Diœcesi Argentinenfi, alter in Basileensi, vel translatum est de vna ad alteram Diœcesim.

Mathichouia in Bauaria, vbi quodam Regum Bauariæ Prætorium fuisse vetusta indicant diplomata, Io. Cuchler cum Catharina coniuge collegiū Mystis, id est canonicis Augustinianis instituit circa annum 1413. Miræus de coll. secularium cap. 117. ex Io. Auentino in Annalibus.

Mercheshusen in Hassia Diœcesis Maguntinæ monasterium s. Io. Baptistæ congr. Vuindesimensis. ex catal. dictæ congr.

Metensis cathedralis in Lotaringia Prouinciæ Treuerensis olim canonicos regulariter viuentes habuit, quibus s. Godegrandus eiusdem ciuitatis Episcopus regulam scripsit, & seruandam tradidit circa annum 765. Verum canonicis sub Vualone Episcopo, sicut pleræq; aliæ Ecclesiæ regulam abiecerūt, & facti sunt re, & nomine, & cōuersatione seculares, & proprietarij. Molanus in natalib. ad diem 6. Martij ex lib. de vita B. Godegrandi, & ex centuria 8. c. 10. & ante illū Io. Mauburnus in Venatorio canonici ord. lib. 2. par. 5. cap. 30. ex Chronicis Metensibus.

In Episcopatu Metensi sunt duæ amplissimæ Abbatia, quarum altera dicitur s. Clementis extra muros ciuitatis Metensis: altera s. Petri Montis, ambæ ordinis s. Augustini. ex lib. taxarum Camerae Apostolicæ.

In Metensi Diœcesi videtur fuisse monasterium canonicorum regularium ordinis sancti Augustini sancti

sancti Antonij nuncupatum, nam in practica Cancellariæ Apostolicæ typis edita sub Alexandro VI. scribitur cuidam Ioanni Andreæ canonico s. Antonij ordinis s. Augustini Metensis Diocesis, nisi fortè fuerit canonicus ordinis s. Antonij Viennensis: nam & illi dicuntur ordinis sancti Augustini.

Maria Lapidis monasterium canonissarum regularium sancti Augustini sic nominatum ad fluium Altmulam sive Almonum prope Aychstadium, quod anno 1470. à Gulielmo Episcopo Aychstetensi inchoatum piorum hominum elemosynis postea auctum, & adiutum fuit. Canonissæ proprio labore manuum visitari, ut plurimum. Bruschius de Monasterijs Germaniæ fol. 102. pag. 2.

Monasteriensis cathedralis à prima fundatione ex ipsomet illius nomine regularis fuisse conuincitur, nam ut Bussmecherius autor est, monasterium tertia erat Episcopalis Ecclesia, quam crexit Carolus magnus in Meditullio regionis Mimingrode dicto loco, qui postea ab insigni ibi fudato monasterio monasteriū fuit denominatū. Ordinavitq; ibi Episcopum Ludgerum natione Frisium fratrem Hildegriini Episcopi Halberstadenfis. Huius successor Hermanus dedicauit, & consecrauit Ecclesiam, & monasterium trans aquas in titulum, & honorem Virginis Mariæ, quod breui monasterium ita excreuit, adeoque factum est celebre, ut nomen dederit ciuitati, & Episcopo. Quod autem addit Canisius, id monasterium datum sanctimonialibus, parum probabilitatis habet: nunquam enim fuit consuetudo ponendi sanctimoniales in cathedralibus. Sed tantum clericos, sed quod illam tenerent canonici regulares, expressè testatur Crantius lib. 3. suæ Metropolis cap. 15. dicens: *Vuiliboldus enim nonus Episcopus primitus fratribus fructum in temporalibus fecit. post quem Rododimus successit, qui canonicos regulares ex veteri cathedrali Ecclesia cum libris, & ctenodijs transulit, unde & tunc terræ motus factus fuit.*

Apud Molembeake oppidum Diocesis Mindensis monasterium sancti Dionysij congregationis Vuindesimensis. ex catalogo dictæ congregationis.

Montis Sereni monasterium ordinis S. Augustini Diocesis Magdeburgensis. ex lib. taxarum Apostolicarum.

Montis Fagorum monasterium B. Mariæ Diocesis Constantiensis congreg. Vuindesimensis. ex catalogo dictæ congr.

Monsterlingéle canonissarum regularium D. Augustini Præpositura Diocesis Constantiensis. Ioannes Pistorius in Chronico Constantiensi.

VII. **N**emetenses canonicos malo exemplo quorundam aliorum cathedralium factos ex regularibus seculares, meritò queritur Gaspar Bruschius lib. 1. de Episcopatibus Germaniæ: *Sub Balderico, inquit, XXII. Episcopo Spirensi canonici Nemetum, quemadmodum etiam Vuormatienses, & Maguntini monastica vite professione abiecta, seculares fieri, seorsum habitare, ac propria habere, & an-*

nuos prouentus inter se distribuere cœperunt.

Neunbircbium monasterium canonicorum regularium s. Augustini abest ab Alba augia cœnobio Benedictino in Norimberga Diocesis Bambergensis duobus breuibus miliaribus, quod circa annum Christi 1302. Leopoldus Episcopus Bambergensis vigesimus, & Comes de Gruntlach fundauit, & dotauit, ac in eo sepultus fuit anno 1305. Habuit insignes benefactores Burggrauium Noricorum, & Fredericum Marchionem Brandeburgensem, qui dederunt eius monasterij cœnobitis potestatem syluæ Norimbergensis, abest monasterium tribus lapidibus à Norimberga. Hæc ex Bruschio fol. 4. pag. 1. vbi etiam catalogum præpositorum dicti monasterij describit quem vique ad annum 1546. perducit.

In Noerthoern in Vuestfalia Diocesis Monasteriensis monasterium sanctæ Mariæ congregationis Vuindesimensis. ex catalogo dictæ congregationis.

Nussense monasterium in Diocesi, & territorio Coloniensi circa tempora Philippi 44. Archiepiscopi à nonnullis Coloniensibus canonicis fundatum fuit: cum enim sub illo Antistite Colonienses canonici à regulari obseruantia ad vitam secularem se transulissent, nonnulli eorum in regulari obseruatione permanere volentes, in loco qui dicitur Nussia monasterium erexerunt, ac ibi sese sub disciplina regulari continuerunt. ex Molano lib. 1. de Canonicis cap. 14. Viguit autem in dicto monasterio canonicum institutum adeò, ut breui monasterium in congregationem duodecim collegiorum excreuerit: quæ collegia cum sua uolentiam bonæ famæ, & sanctitatis canonicorum regularium congregationis Vuindesimensis perfentissent, in eorum societatem transierunt anno Domini 1430. & sic ex duabus congregationibus effecti sunt vna congregatio. Ita Chronicon Vuindesimense lib. 1. cap. 44.

Olemburgense sanctæ Mariæ vulgò Montis oliuarum cœnobium in Diocesi Basileæ fundatum fuit anno 1197. à quadam Comitissa, cuius Præpositus habet vsum Pontificalium, & vorum in Comitij Prouinciæ, ut à Reuerendiss. D. Petro Madero illius Præposito commendatario, & vtriusque signaturæ referendario accepi.

Oeningensis Præpositura Decanatus Stuelnin VIII. Diocesis Constantiensis ordinis sancti Augustini canonicorum regularium, habens sub se moniales eiusdem ordinis. ex Ioan. Pistorio in Chronico Constantiensi. videtur esse eadem cum illa de, qua Bruschius fol. 96. pag. 2. ita scribit: *Oeningum cœnobium peruetustum in dextera Rbeni supra Steynium Negomæ oppidum situm, olim Benedictina professionis monachorum, postea verò canonicorum regularium s. Augustini fundatum legitur ab eiusdem nominis Comitibus, quorum stirps defecit anno 1430. Fundatorem Cunonem vocant Comitsem Oeningensem.* Subdit eiusdem monasterij Præpositos vique ad annum 1540. quo anno inquit incorporatur totum cœnobium mensæ Episcopali

Constantiensi ab Antistite Ioanne à Vuezà Sicambro Archiepiscopo Lundenſi, & Episcopo Rotſchildenſi.

Otingenſe collegium in Bauaria propè ciuitatem Otingen Diœceſis Salſpurgenſis, quod Miræus de collegijs ſecularium cap. 28. numerat inter collegia canonicorum ſecularium, à Carolo magno fuerat fundatum, & dotatum pro canonicis regularibus anno 776. vt illemet teſtatur.

IX. **P**adebornenſis cathedralis Prouinciæ Maguntinæ habuit canonicos regulares vſque ad annum 1254. ſicut teſtatur Bruſchius in Epitome Episcopatum Germaniæ in Bernardo XXI. Episcopo, ſic dicens: *Bernardus Quartus huius nominis paſſus eſt, vt canonici Padebornenſes obſeruantiam regularem, quæ hæcenus viguerat, mutarent in ſecularium canonicorum ſtatum. Obijt anno 1254.*

Patauienſis, ſiue Paſſauienſis Eccleſia cathedralis etiam ipſa olim erat regularis. ex Ioanne de Nigraualle, in eadem ciuitate Paſſauienſi, quæ eſt in Bauaria: *Monasterium ſancti Nicolai Ailmannus Episcopus Patauia auxilio Agnetis Auguſte, & Henrici Neoburgenſis intra mœnia vrbis Aurelianiſiue Auguſtinianiſi myſtis exſiruxit circa annũ. 1050* Ita Auentinus in Annalibus, literæ tamen foundationis habent annum 1074. de hoc Miræus de collegijs regularium cap. 34.

In eadem ciuitate Patauienſe Vtilo Dux an. 739. monasterium ſacrarum Virginum canoniſſarum conſtruxit, quod ſanctus Henricus Romanorum Rex ob preces coniugis Cunegundæ, & Hezelini fratris magnis prædijs, & ſyluis tributis dotauit. Vide Miræum de collegijs canonicorum regularium cap. 17.

Paringenſe monasterium in Diœceſi Ratiſbonæ fundauerunt Conradus, Henricus, & Gebardus canonicus maioris Eccl. Ratiſbonenſis. fratres, & Comites de Raning, & Rotemburg, vt teſtatur diploma foundationis Henrici Episcopi Ratiſbonenſis circa annum 1142. nam Henricus Comes vnus de fundatoribus eodem anno obiit, in dicto monasterio ſepultus. Miræus de Collegijs regularium cap. 71.

Pragam canonicos regulares introduxiſſe Carolus Quartus Imperatorẽ ſcribit Renatus Choppius in monaſtico lib. 2. tit. 2. §. 18. ex Dubrauiſio in Hiſtoria Bohemiæ lib. 17. vbi dicit, Othocarium Bohemiæ Principem de Bela Hunnorum partu triumpho, erexiſſe in hoſtilibus manubijs monasterium elatum, ac ſplendidum, quod Regiam Coronam adtitulauit ſub anno 1270. & deinde Carolus Quartus canonicos regulares Pragam acciuiſſe. Vbi vides ex ſerie verborum, illos fuiſſe canonicos ex cœnobio Regiæ coronæ accitos. quod vbi loci eſſet, mihi non eſt compertum.

Peilbergenſe monasterium ad Soysam in Bauaria aliàs Peijrbergenſe, vel Beurbergenſe ſub inuocatione s. Petri fundatum eſt anno Domini 1100. per Othonem illuſtrem virum de Caſtro Iringi, & à fratribus, & coniuge. foundationem probauit, &

firmavit Caliſtus ſecundus anno 1121. Priuilegio Laterani dato. Hæc cum alijs ex Hundio, Miræus de collegijs regularium cap. 49.

Pildenreutenſe monasterium, ſiue vt Bruſchius ſcribit, Pildenreutum canoniſſarum regularium S. Auguſtini in nemore Norimbergæ nõ procul à Latomijs initium habuit circa an. 1340. Ludouico III. Bauaro Imperante, à quinque pijs ſororibus, quæ cum ab Imperatore locum ad cœnobiolum in nemore conſtruendum precibus obtinuiffent, Imperator loci designandi gratia in nemus è Norimberga egreſſus, cantu quodam ſuauiſſimo audito, & imagine Crucis altæ quercui imminente viſa, locum coelitus designatum intellexit, & primus ſecuri arborem excidendam, ibi loci monasterium ædificandum notauit. Mox Conradus magnus Norimbergenſis Patricius, qui cum Imperatore aderat, prædium optimum, quod in ipſa vicinia habebat, futuræ congregationi perpetuum donum dedit. tandem cum certam regulam non haberent, an. 1378. ſubdidere ſe Rabano Aſtetenſi Episcopo, qui miſſo ad eas quodam canonico ex ſancti Vuillibaldi collegio nomine Burchardo de Pleynefeld eas canonicas s. Aug. Regulares designauit, & Præpoſitâ illis præfecit in die s. Thomæ Apoſtoli anno 1379. ex Bruſchio fol. 100. pag. 1. vbi etiam habes catalogum Præpoſitarum vſque ad annum 1548. Vide etiam Miræum de collegijs regularium cap. 89.

Polingenſe monasterium vulgo Poling in Bauaria vetuſtiſſimam habet foundationem. quæ reſertur ad Lanfridum, Vualdamum, & Elilandum fratres Comites ab Antorf, & Soysa ante annum 788. Verum varias ſuſtinuit preſſuras. ferunt primum pro Virginibus ſanctimonialibus extructum poſtea per Vngaros anno 973. vaſtatum, deinde reſtitutum, & à s. Henrico Imperatore priuilegio munitum. ſed in priuilegio, quod Miræus c. 20. de collegijs regularium recitat, non moniales, ſed fratres in dicto monasterio degentes nominantur. Auentinus ſcribit in Annalibus: *Poling, & Schleedorf ab Vngaris aſſliguntur, amotis illis fratribus myſta D. Aurelij Auguſtini nominantur.* Nihilominus ſubdit Miræus, Giſlam Imperatricem, quæ obiit circa annum 1041. Moniales ex illo loco eieciſſe, & canonicos ſubſtituiſſe. vtcunque ſit, canonicos regulares vſque in hodiernum, locum tenent.

Pompurgenſe in Bauaria fundauerunt Adelevida filia Canonis Comitum de Meglin, ac Irmogardæ cum marito Berengario, filijs Berengerio, & Conrado à Sulzpaeb (oppidum id Noriſcorum eſt) Dynaſtis ad conſuentes Train, & Aſiſſe Pampurg, vbi bumati perhibentur Collegium Auguſtinianiſi. Ita Auentinus lib. 5. Annalium, qui etiam libro 7. ponit Pampurg olim arcem fuiſſe in Boiaria Noriſcorum ad radices Curuanæ montis, & conſuentes Azali, atque Train ſtram, nunc in collegium Auguſtinianorum Myſtarum commutatam.

X. **R**atiſbonenſis cathedralis canonicos regulariter viuentes olim habebat, quos à regularibus inſtitutis relaxatos s. Vuolphangus Episcopus

pus ad normam vitæ regularis reformauit : quod etiam cum canonicis Treuerensibus egerat, cū eius Ecclesiæ esset Decanus . Ita Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 12. & 14. ex Surio in vita S. Vuolphangi, quam habet ad diem 31. Octobris cap. 7. & 20.

In eadem ciuitate Ratisbonæ circa annum 1135. Gebardus Ratisbonensis canonicus ædificauit monasterium S. Magni canonicis regularibus in suburbio ciuitatis vltra pontem, cui Rex Conradus anno 1138. suburbium ipsum donauit, & Hartuuecus secundus Episcopus plurima priuilegia, & etiam Ecclesiam in Saler contulit circa annum 1156. & 1161. De eodem Auentinus lib. 6. Annalium. Conradus, inquit, Henricus, Gebardus mystra Reginoburgensis fratres germani in Raning, & Rosemburg Comites, cum matre Matsfelda Paning, & D. Magnum ad confluentes Danubij, & Rbeni in aduersa Reginoburgi ripa monachis Augustinianis dedicant . Ita Hundius in metropoli Salisburgensi, & ex illo Miræus de Collegijs Regul. cap. 68. ex quibus habes, eisdem fuisse fundatores huius, & Paringensis monasterij. de quo dictum est supra.

Raitembuchense monasterium in Bauaria fundauit Guelpho primus Dux Bauariæ huius nominis, & filius Guelphonis, qui fundauit aliud monasterium in Altorph circa annum Christi 1185. qui princeps cum postea ad terram sanctam cum multis socijs profectus esset, in suo reditu obiit in insula Cypri, & socij peregrinationis perfidia Alexij Græcorum Imperatoris, aut interfecti, aut viui Saracenis traditi, ex quibus Thiemo Archiepiscopus Salisburgensis apud Corozaim martyrio est affectus . Miræus de Collegijs regul. cap. 76.

Rauersbergense monasterium congregat. Vuindesimensis in dioecesi Maguntina, ex Catalogo dictæ congregationis .

Repdorpbum, siue Repdorpbense canonicorum regularium S. Augustini Cœnobium præclarum, & elegans ad Altmulam, seu Almonum fluuium supra Aychstadium post ipsam arcem Episcopalem, in longe amœnissima valle situm, fundatum, ac extrui cœpit est anno Domini 1156. sub Episcopo Aychstetensi Domino Conrado à Morspech Friderici Imperatoris præcipuo, & gratissimo Consiliario, ab Imperatrice Domina Beatrice Burgundionum Ducissa Friderici Barbarossæ secunda coniuge, quæ pagum Repdorpbensem dono dabat Episcopo ad extruendum monasterium . Episcopus Conradus sibi in eo sepulturam adhuc viuus ordinauit, in quam mortuus depositus est anno Domini 1171. Cubat in eadem Ecclesia Repdorpbensis media fere sub insigni, ac sublimi marmore Illustris Dominus Gebardus vltimus Comes Hirsberg maximus, & Cœnobij huius, & totius Episcopatus Aychstetensis, cui totum Comitatum Hirsbergensem legauit moriens, benefactor . Habuit hoc Cœnobium initio sui omnes monachos fere genere nobiles, quorum gubernator erat Præpositus . Hi cū tandem a virtute maiorum degenerassent, Episcopus Aychstadianus Dominus Ioannes de Quercun substitutus melioribus, obseruantiam regularem introduxit

anno Domini 1458. sumpta occasione apud Cesarorum Horti Cœnobium, in quo fuerat dum ad Vuormatiensia Comitata sui temporis accessisset, cuius loci disciplina captus, mox domum reuersus, ex hac ipsa præpositura sua S. Augustini Prioratum fecit . Ita Bruschius de monasterijs Germaniæ fol. 102. pag. 2. vbi etiam subnectit numerum Priorum ab ipsa reformatione vsque ad sua tempora . Nunc est monasterium congregationis Vuindesimensis, vt patet ex Catalogo dictæ congregationis, & puto per illos de Vuindesem dictum monasterium anno 1458. fuisse reformatum . Vide etiam Miræum cap. 74.

Reicherpergensis monasterium S. Michaëlis in Bauaria ad Oenum supra Passauiam, siue Patauiam fundauit Bernardus Comes de Reicherperg cum Dietpurga coniuge sorore Gebardi Archiepiscopi Salisburgensis, de qua fundatione sic Hundius in metropoli Salisburgensi ex Auentino in lib. 10. Rapfodiæ . Anno Domini 1084. Reicherperg Castro Vuernerus præpotens Boius super flumine Ozno Patauiensis diœcesis, uxor eius Dietpurga soror Gebardi Archiepiscopi Salisburgensis, is post mortem unici filij, & uxoris, cum oriretur lis eo viuo inter agnatos eius de hereditate, castrum demolitur, D. Michaëli templum dedicat, Canonicis regularibus attribuit . Post Albinus filius Arbonis fratris huius Vueneri viuente patruæ sacerdotes pellit, prædium occupat, Vuernerus in tutelam præsentis Gebardo Archiepiscopo Salisburgensi tradit, pauloq; post obiit 3. Nonas Octobris, ad arcem sanctæ Crucis cum filio & uxore sepultus . Miræus de Collegijs Regular. cap. 41.

Apud Rychenberg oppidum diœcesis Hildesimensis in Saxonia monasterium B. Mariæ congregationis Vuindesimensis . ex Catalogo dictæ congregationis .

In Riederem loco diœcesis Constantiensis Præpositura canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini . Ioannes Pistorius in Chronico .

Ranshouiense monasterium sancti Pancratij in Bauaria vetustissimam habet fundationem, quam profectur Miræus cap. 38. Verum ex illius discursu ante annum 1100. videtur fuisse Ecclesia sacerdotum secularium . Cæterum circa illud tempus euocatos inquit ad illud canonicos Augustinianos, quibus Henricus Octauus Dux Bauariæ parochiã, & templum D. Pancratij tradidit, contuberniumq; inchoauit, eiusq; religionis sacratis uiris, & foeminis dicauit : nam ibi sacratarum foeminarum cœnobium fuisse testantur pleraque vestigia, & monumenta, quæ ibi extant in libris, instrumentis, templo, & monasterio, maxime Occidentem versus . non plures tamen, quàm sex receptæ sunt, quarum vna erat Præposita . Ita Conradus Primus D. Pancratij Præpositus, & ex illo Hundius in metropoli Salisburgensi .

Rorense monasterium sanctæ Mariæ in inferiori Bauaria in Vico Rorenfi fundatum est anno 1133. per magnum filium Rudperti Comitem Alensbergensem . Miræus de Collegijs regul. cap. 65.

XI. **S**alisburgensis metropolitana institutum canonicorum regularium vsque ad annum circiter 1500. retinuit, vt habes ex Pontificali Romano sub Pontificatu Alexandri Sexti edito, in quo ipsa Ecclesia Salisburgensis refertur inter Ecclesias, quæ tunc erant ordinis D. Augustini, quod etiam notatum est in lib. constitutionum Benedicti XII. Romæ per illa tempora, vt puto, edito, quandoquidem annus impressionis in eo non est notatus.

In Sangallensi oppido Helueticorum Vuernerus trigesimus primus Abbas Sangallensis anno 1128. à Lothario Imperatore confirmatus ante muros Sangallenses fundauit, & suis sumptibus Germaniæ fundauit canonicis Augustinianis Seemannus nobilis Bauarus Archidiaconus Ratisbonensis circa annum 1260. Miræus cap. 87.

Schlirense monasterium, quod est ad lacum nomine Schlirs inter Oenum, & Magualdum flumina ad radices Alpium situm, Benedictinis monachis prius traditur fundatum: verum cum per Vngaros esset vastatum, Henricus Dux Bauriæ ex familia sancti Leopoldi illud anno 1140. cum alijs restauratum, canonicis regularibus tradidit, vt ex Auentino, & Hundio. Miræus cap. 18. notauit.

Subense monasterium in Bauria inferiori dicitur fundatum ab Engelberto III. huius nominis Charinthiæ Duce, ex familia Comitum Ortembergensium, vnâ cum coniuge sua Vita Comitissa de Sultpach. vt notat Miræus cap. 61. ex Auentino. videtur esse in diocesi Patauiensi.

In Suuauenheim loco diocesis Moguntinæ monasterium B. Mariæ congregationis Vuindesimensis. ex Catalogo dictæ congregationis.

XII. **T**reuerensis Ecclesia metropolitana ab institutione fuit regularis, in qua circa annum 957. Henricus Archiepiscopus, qui Ruthgero successerat, canonicam disciplinam instaurauit, extructis officinis, & claustro circa Ecclesiam sancti Petri. *Hæc est maior Ecclesia Treuerensis (inquit Trithemius in Hirsaugica sub anno 967.) in qua hoc tempore sicut in cæteris antiquis Ecclesijs canonici secundum regulam eis præscriptam in communi vivebant, vnâ habentes mensam, vnâ bursam, vnumque commune dormitorium, sicut hodie inter nos iuxta normam nobis prepositam conuersamur.* tamen paulo post ijdem canonici abiecta regula, ad seculares transierunt, eodem Trithemio attestante, & in hunc modum scribente in præcitata Historia Hirsaugica sub anno 977. *Anno isto moritur Theodoricus Archiepiscopus Treuerensis, sub quo canonici maioris Ecclesiæ ibidem abiecta regulari vitâ, quam huc vsque in eadem Ecclesia maiores eorum continuauerunt, deserunt esse regulares, & facti sunt nomine, & re & conuersatione seculares. Quorum exemplo malo canonici quoque sancti Paulini Treuerenses, sancti Castoris in Confluentia, Moguntinenses, Vuormatienses, Spirenses, & complurium aliarum Ecclesiarum, diuersis quidem temporibus, sed vno impietatis spiritu, regularis vitæ communitatem abiecerunt.* Hæc ille. ex quibus habes, vsque ad illa tempora,

antiquas Ecclesias Germanorum omnes regulares extitisse. Florebat maximè in eadem Ecclesia institutum canonicum sub Regula D. Augustini circa tempora Abrunculi 46. Archiepiscopi. vide Mauburnum in Venatorio lib. 2. p. 5. cap. 30.

In eadem ciuitate Treuerensi erat collegium regulare s. Paulini, quod postea exemplo malo Ecclesiæ maioris ad secularitatem transiuit, vt ex dictis patet.

In eadem Ciuitate, vel Diocesi monasterium Vallis Brundi. ex lib. taxarum Apostolicarum.

In Tullensi diocesi prouinciæ Treuerensis sunt duo monasteria canonicorum regularium. ex lib. taxarum, quorum vnum dicitur Calmonstratense: alterum de Lunariuilla, cuius etiam fit mentio in lib. constitutionum Benedicti XII. In eadem diocesi est monasterium sancti Petri vulgo de Saymō, quod à Dominis Canonissis Armomoricensibus, vulgo de Caremon ante annos quingentos legitur fundatum, vt ex relatione virorum eius loci fide dignorum accepi.

Truttenbusanum monasterium Ordinis canonicorum regularium sancti Augustini ad pedem altissimi montis sanctæ Ottiliæ in Alsatia ad Volagum per amæno loco situm, fundatum est in honorem B. Virginis Mariæ, ac sancti Nicolai Episcopi sub Lucio eius nominis tertio Pontifice Maximo, Imperatore verò Friderico Barbarossa Sueuiæ, & Alsatiæ Duce, potentissimiq; sanctæ Ottiliæ Coenobij aduocato anno Domini 1181. à Domina Herarda insigni, ac deuotissima Abbatisa, in Altitona, sive sanctæ Ottiliæ monasterio, & à Domino Gunthero germano fratre prædictæ Abbatisæ nobilissimo viro. Bruschius fol. 153. pag. 1. prædictum vero monasterium per canonicos Vuindesimenses fuit reformatum, extrui curauit Præpositurâ sancti Leonardi, quæ erat regularium aliquot canonicorum habitatio, ac coenobium, quod tamen Abbatis Cunonis tempore iterum propter bellicos tumultus postea euersum est, cum florisset annis 350. annui redditus sunt Sangallum translati. Postea euersum est penitus vnanimi S.P.Q. Sangallensis sententia anno Christi 1530. Gaspar Bruschius fol. 116. pag. 2.

Idem ex arce Ittigensi monialium coenobium. fecit, & collegium duodecim canonicorum regularium. ita Bruschius fol. 116. pag. 2.

In Sangallensi ditione in loco dicto Thurgouia Præpositura sancti Alexandri, in qua manebant duodecim canonici tempore Gerardi 24. Abbatis Sangallensis. ex eodem Bruschio fol. 115.

In Sambeco oppido diocesis Ratisponensis monasterium sancti Georgij martyris congregationis Vuindesimensis. ex Catalogo dictæ congregationis.

Schamhaptense monasterium supra vicum Altmanstain diocesis Ratisponensis fundauit nobilis matrona Gertrudis vidua Bertholdi, cū filia Luitgarda circa annum Domini 1130. quam fundationem confirmauit, & auxit dote Henricus Episcopus Ratisponensis, meminit dicti Bertholdi Auentinus

tinus

tinus lib. 6. Annalium Miræus de collegijs regularium cap. 63.

Schlehdorfense monasterium in Bauaria superiore antiquam habet foundationem à Comitibus ab Altorf, & Layfa, sub Vtilone Duce Bauariæ, sed Auentinus relatus à Miræo de collegijs regularium cap. 29. dicit: *Schlehdorf, & Poing, post Vngarorum deuastationem receperunt regulam sancti Augustini: nam ab initio erant ordinis Diui Benedicti.*

Secanis, quæ Insula est in Rheno sita, erat Secingense cœnobium, à sancto Fridelino Scotorum, & Hybernæ Regis filio, qui Philosophiæ studijs præclare impurus, & Ecclesiasticæ vitæ in primis studiosus peregrinati statuit plantandæ religionis, & propagandi Christianismi causa, fundatum anno 495. confirmatumq; à Rege Galliarum Clodoueo, ferunt illum in Gallias ad sanctum Hilarium Pictauiensem iuisse, & inter illius monachos vixisse, & sanctum Hilariū à terra leuasse, & Clodoueo adiuuante, magnificum ibi cœnobium erexisse. Deinde in Belgium profectum apud Mosellam in honorem sancti Hilarij aliud monasterium erexisse, & aliud etiam eiusdem nominis in Vosagi montis cacuminibus fundasse: aliud item Argentiæ: inde per Burgundiones ad Curiam Rhetorum venientem, aliud ibi monasterium Diui Hilarij fundasse: tandem in Augiam Secingensem reuersum in Insula Sicania cœnobium instituisse, quod modo factum est collegium clericorum secularium, vbi solent esse octo canonice, & octo canonici. Hæc ex Miræo de collegijs secularium cap. 7. vbi alia multa habet. Verum ex dictis colligitur sanctum Fridelinum ex primis s. Patricij discipulis fuisse, cum s. ipse Patricius illius ferè tempora æquauerit. Quod autem dicitur illum ad s. Hilarium iuisse, puto de Ecclesia, vel de cadauere, vel de monasterio s. Hilarij intelligendum, non de ipso s. Hilario Episcopo, & in viuis agente, quomodo enim, qui anno 495. Secingensis monasterij iecit fundamenta, s. Hilarij discipulus esse potuit, qui plenus dierum obiit circa annum 369. cuiusque discipulus fuit beatus Martinus s. Patricij ex filia sororis auunculus, vt Baronius tom. 4. sub anno 369. num. 23. & alij notant? vt cunque sit, cum constet beati Hilarij, & etiam beati Patricij monachos eosdem fuisse cum illis, qui clerici regulariter viuentes nunc dicuntur, constat monasteria per beatum Fridelinum fundata clericorum extitisse.

Spirensis cathedralis etiam ipsa ante annum circiter millesimum erat regularis, ex Trithemio in Hirsaugia sub anno 977. Molano lib. 1. de clericis cap. 14.

Sigebergensis Ecclesia cathedralis in Prouincia Bremensi cuius fuit canonicus regularis sanctus Meinardus Liuoniæ Apostolus. ex Arnolde Abbate Lubecensi in Chron. Slauorum libro septimo cap. octauo, & nono. Martino Baronio in Vita sancti Meinardi nuper edita Crauoniæ anno millesimo sexcentesimo decimo. Huic Meinardo scri-

bit Innocentius Tertius in cap. Deus qui, de Vita, & honest. clericorum, de eodem Baronius tomo duodecimo Annal. sub anno millesimo centesimo octuagesimo sexto post medium.

Propè Seghemberch in Holfatia Diocesis Lubecensis monasterium B. Mariæ, & Ioannis Euangelistæ congregationis Vuindesimensis, ex Catalogo dictæ congregationis.

Semenshaufense monasterium in Pago Rodani inferioris vt apparet ex Catalogo monasteriorum dictæ congregationis. Cæterum Comites, seu nobiles de Lanspergio, vt pote ab illorum atauis fundatum illud nunc sibi vendicarunt.

Turicense monasterium sancti Martini Diocesis Constantiensis congregationis Vuindesimensis. ex Catalogo dictæ congregationis.

Vuirdunenses clerici ante octingentos annos regulares erant, & in monasterio degentes, vt notat Molanus, de monasterio Vuirdunensi verba faciens lib. 1. de clericis cap. quarto & 11. quanquam ita rem componere videatur, vt illi regularem, & communem quidem vitam in monasterio tenerent, sine tamen vlla votorum emissionem, quod quam à veritate alienum sit, superius indicauimus. differt autem Ecclesia Vuirdunensis à monasterio Vuerdæ fundato, de quo idem Molanus in Natalibus ad diem primum, & secundum Martij: nam, primi idem Molanus fundatorem facit beatum Ludgerum primum Episcopum monasteriensem: alterius verò sanctum Luitbertum, cuius vitam sub die prima Martij describit: constat autem hoc secundum fuisse monasterium clericorum, ex illius Præposito sancto Vuilleico, qui vt Molanus die secunda Martij notat, conuentus nouellæ Traiectensis Ecclesiæ canonicus extitit, quam regularem fuisse superiori capite iam probauimus, est in diocesi Coloniensi.

Viennæ Austriæ est præpositura clericorum XIII. regularium sanctæ Dorotheæ, cuius Præpositus in sacris vtitur Pontificalibus, vt à viris illius ciuitatis religiosi, & fide dignis accepi.

Apud eandem ciuitatem, in diocesi tamen Passauiensi, seu Patauiensi est insignis præpositura sanctæ Mariæ, nunc sancti Leopoldi ab illius fundatore nuncupata. fundauit enim illam sanctus Leopoldus Austriæ Dux cognomento Pius octauo ab inclita Viennensi Vrbe lapide, Ottone Pontifici primum Principis rogatu, lapidem iacente, quam secularibus clericis cum largo censu principio donatam, quod illi incurius, quam par esset, rem agerent, Augustinianis monachis resignauit, atque vt id fixum, & ratum perpetuo foret, ab Innocentio Secundo diplomata, quibus pleno ore Leopoldus laudatur, & honoris ergo beati Petri filius vocatur, impetrauit. Ista ferè ad verbum, Miræus de collegijs regularibus capite septuagesimo tertio.

Sunt etiam in Prouincijs Austriæ, Stiriz, & Carinthiæ sex aliæ clericorum monasteria præcipua, vt ex relatione virorum fide dignorum didici.

dici. Verum, quod illorum nomina, & fundationes nullo authentico documento, licet multo labore ex illorum Præpositis conquisita, hæcenus habere potuerim, nihil de illis scribendum iudicauit.

Vuittembergæ Saxoniz oppido diocesis Hildesimensis monasterium beatæ Mariæ congregationis Vuindesimensis, ex Catalogo dictæ congregationis.

In Vden oppido Ducatus Cliuiz diocesis Colonienfis monasterium sancti Spiritus eiusdem congregationis. ex dicto Catalogo.

In Volckerdinchkufen oppido diocesis Paderbornensis monasterium sancti Ioannis Baptistæ eiusdem congregationis. ex dicto Catalogo.

Valdsense monasterium est præpositura canonicorum regularium in Sueuia intra Moenia oppidi Vualtzenfis ad amplum lacum, vnde monasterio, & oppido nomen deductum, fundata. Primus illius fundator fuit Fridericus Secundus Sueuorum Princeps, qui postea fuit Romanorum Imperator, qui eius fundamenta iecit anno millesimo centesimo octuagesimo primo, de quo Imperatore, & illius coronatione, & dictæ præposituræ fundatione Bruschius fol. centesimo septuagesimo octauo pagina secunda, & ex illo Miræus cap. septuagesimo nono.

Vuerarnense in Bauaria fundauit circa annum millesimum centesimum trigessimum tertium Sigebotho Comes de Falckstain, & Neuburg, vt patet ex diplomate fundationis, quod tale est: *In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis notum sit omnibus Christi fidelibus, quod ego Sigebotho Dei gratia aliquando Comes in honorem Domini Iesu Christi, eiusque perpetuæ Virginis Matris Mariæ, necnon omnium Sanctorum pro remedio animæ meæ, & quondam coniugis meæ Adlbaid, nostrorumque filiorum Sigepothonis, & Gertrudis, omniumque parentum nostrorum partem hereditatis meæ concedentibus nostris propinquis ad construendam in honorem Principum Apostolorum Petri, & Pauli vinariam cellam contradidi, in qua Deo opitulante canonicos sub Regula beati Augustini communem vitam proficentes locare disposui. singula autem ad subleuandam necessitatem eorum delegata in carta presenti subscripsi, & rata testium adstipulatione infra positorum corroborauit.*

XIV. **V**lma in Bauaria sancti Michaëlis Archangeli Vuegensis cænobium ordinis, & instituti regularium canonicorum sancti Augustini, quod nunc tertio loco intra ipsa Ciuitatis Vlmensis moenia situm est in monte Vrbi vicino, & hodie adhuc sancti Michaëlis tituli accolis noto primum cæpit anno 1183. indictione secunda, imperante Friderico Barbarossa, Romane verò cathedræ Presidente Lucio Tertio Pontifice Maximo, ad Episcopatum autem Constantiensem, & Abbatiam Augiensem sedente Duchelmo, fundatum, ac constructum a nobili, ac generoso viro Vuitigono Comite de Albenglese, &

eius coniuge Domina Berta, in hoc ipso cænobio quiescentibus, & sub honorifico tumulo humulatis. Hæc Bruschius fol. 127. pag. 2. vbi Catalogum Præpositorum deducit.

Vuettensibus monasterium Marchionatus Burgoniensis in Sueuia ad Camlacium amnem medio itinere inter Vlmam, & Augustam situm ordinis canonicorum regularium sancti Augustini fundatum est anno Christi 982. à Conrado equite aurato, & Vuernbero fratribus Comitibus de Rochenstem, & Domina Gertrude eorum matre: petijt enim tantum agri à filijs ad exstruendum locum sacrum, quantum ipsa vnus dies spatio aratro posset circumscribere, quod cum à filijs faceret impetrasset, ipsa miraculose paruitatis, & leuitatis aratrum adorans, id spatium, quod hodie adhuc isti cænobio paret obsequians, & aratrum in sinu gestans circumscripsisse, & obtinuisse legitur. Bruschius de monasterijs Germaniz fol. 180. pag. 1.

Vuormatiensem cathedralem olim Vuangionum nuncupatum vsque ad annum circiter millesimum sub regulari districtione mansisse, habes ex Trithe-mio in Hirsaugica ad annum 977. cuius verba superius sunt relata. Adstipulatur Bruschius in primo libro de Episcopis Germaniz sub Baldrico Vigesimo secundo Episcopo Spirensi, cuius verba supra sunt recitata. In Ciuitate Vuormatiæ est monasterium, quod dicitur Hortus Beatæ Mariæ, congregationis Vuindesimensis ex Catalogo dictæ congregationis.

Vndestorfense monasterium ad Gelonum fluuium in Bauaria anno millesimo centesimo vigesimo sexto, regnante Lothario nobilis vir Otho Palatinus Comes de Vuitlsbach maior, Pater Othonis postea Ducis Bauariæ ædificare coepit in honorem Dei Omnipotentis, beatæ Mariæ Virginis, necnon sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. Anno autem millesimo centesimo trigesimo primo, ab Innocentio Secundo confirmationem impetrauit, cuius Bulla extat, in qua etiam sancit, vt nullus per violentiam, sed per fratres secundum regulam beati Augustini Præpositus liberè eligeretur, ac constitueretur. Prædictus Otho de Vndestorf suum prædium Vndestorf, tradidit monasterio, quam traditionem confirmauit Lotharius anno millesimo ducentesimo trigesimo, puto esse errorem Librarij, & legendum millesimo centesimo trigesimo. Ita Miræus de collegijs regularium cap. sexagesimo. Videtur esse idem cum monasterio Vndisdorfensi, de quo scribit Bruschius fol. centesimo quinquagesimo septimo pagina secunda, nam nomina monasterij, & fundatoris conueniunt. verum discordant primò circa locum, quia Bruschius suum cænobium Vndisdorfense constituit ad Vilsam amnem in Norico situm: Miræus verò ad Gelonum Fluuium. Secundò quia Bruschius illius fundationem refert ad tempora Friderici Barbarossæ, qui impetrauit vsque ad annum 1190. verum Miræus longè anteriorem facit, & ponit sub anno millesimo centesimo vigesimo sexto.

Sancti

Sancti Zenonis Cœnobium in Norico fundauit Cōradus Archiepiscopus Salisburgensis nepos Babonis Comitis Abenspergensis, apud Reichenhall in Norico, canonicis regularibus S. Augustini, primumq; ibi Præpositum Lenzonem ordinauit, qui Conradus obiit anno 1147. postquam Ecclesiam Salisburgensem annis 46. laudabiliter rexisset. Ita Miræus cap. 72. ex Auentino lib. 6.

In Zindelfingen oppido diœcesis Constantiensis monasterium s. Martini congregationis Vuindesimensis. ex Catalogo dictæ congregationis.

Omittimus monasteria prouinciarum Morauia, & Silesia, necnon Regnorum Noruegia, & Suetia, de quibus cum monasterijs Regni Polonia in sequenti capite dicemus.

Caput quadragesimum.

De Monasterijs Canonicoꝝ existentibus in Prouincijs Morauia, & Silesia, necnon in Regnis Polonia, Suetia, & Noruegia.

I. **P**rouincias Morauia, & Silesia, licet sint verè in finibus Alemanica, & inter illius prouincias numeranda, cum Polonia regno coniungimus, tum ob vicinratè: sunt enim intermedia quædam regiones Sarmatiam Europæam, siue Poloniam ab Alemania diuidentes: tum quod maior illarum pars quoad spiritualia Archiepiscopatu Gnetznési subijci videatur.

In Morauia ciuitate Olomutiési est insignis Præpositura omnium Sanctoꝝ, cuius Præpositus utitur insignijs Pontificalibus. Hæc Præpositura fundata est ab ipsismet canonicis regularibus ex ruinis cuiusdam alterius monasterij Langstronensis nuncupati, & ab hæreticis vastati paulo ante Alexandrum Sextum in Ecclesia, quam à cathedralibus canonicis obtinuerunt, à Ioanne Vuaridinensi Episcopo antea instaurata. Monasterium ipsi regulares canonici seu Ioannes Stiacoka primus loci Præpositus erexerunt proprijs sumptibus sine alicuius molestia, vel graamine, quod Rex Vladislaus suo priuilegio muniuit, & sub protectione Regia suscepit. Constant omnia ex cartha priuilegij eiusdem Vladislai facta in ciuitate Olomutij anno 1510. cuius hæc sunt verba. *Præterea cum peculiariter firmus erga templum sub titulo omnium Sanctoꝝ, & monasterium Olomutij summo templo proximum affecti, quod Reuerendissimus Ioannes quondam Vuaridinensis ex fundamento refeci, & adificari curauit, illud prouisione ampliavit, necnon Reuerendiss. Ioannes Stiacoka ibidem apud omnes Sanctos Præpositus primus Venerabilem Conuentum impensis suis absque molestia, & sollicitudine aliorum hominum monasterium fundauit, & templo adunxit, prouidit,*

ampliavit, & buc vsque illud augeri non sine magna victus, & alimentorum extenuatione, & laudabiliter Dei cultus continuari ab incolentibus religiosissimè præmittitur, &c.

Porro huic monasterio sic erecto adiunxerunt se alia quædam canonicorum monasteria, in eadem prouincia consistentia, ex quibus, quæ ex literis ad nostrum Procuratorem Generalem Romam transmissis collegi, sunt Præpositura Fulnecensis, cui nunc præsidet R. P. Dominus Thomas Silerus, & Præpositura Sterabergensis, siue Stambergensis, quam moderatur R. P. Dominus Matthias Farecius, & alia quædam, quibus in vnam congregationem vnitis Alexander Sextus titulum, & priuilegia canonicorum regularium Lateranensium concessa, & concedenda indulgit, & illos ab omnimoda iurisdictione Ordinatioꝝ eximit, & sub immediata Sedis Apostolicæ protectione recepit, & ego dicta priuilegia hic Romæ vidi.

In oppido Glatz erat antiquum Cœnobium, ex quo accepti canonici, qui Cracouia Casimiria in monasterio Corporis Christi anno 1405. primitus sunt constituti. ex historia foundationis dicti monasterij: sed timeo ne recentibus ruinis bellorum sit ab Hæreticis euersum.

In Silesia diœcesi Vratislaviensi reperio notatam Abbatiam sanctæ Mariæ de Sagano congregationis Aroasiensis, cuius Abbas nomine Alardus scriptus est in Calendario defunctorum dictæ congregationis. ex Miræo de Collegijs Regularium cap. 10. hoc puto esse idem cum monasterio item Abbatiali sanctæ Mariæ in eadem diœcesi, fortassis etiam ciuitate, fundato anno 1134. à nobili viro Petro de Dara. Comite in Slertyn. ex quadam relatione, quam ex Polonia nuper transmissam accepi.

IN Regno Polonia vsque ad tempora Benedicti I. Papæ XII. parum videtur propagatus ordo canonicorum regularium, quandoquidem in bulla generalis reformationis in cap. de Capitulis prouincialibus, vbi omnium prouinciarum meminit, in quibus tunc regulares canonici degebant nulla, huius regni mentio videtur habita. Cæterum fuisse tunc temporis, & longè ante illud in varijs illius vetustissimi regni prouincijs canonicos regulares, conuincunt monasteria in eodem regno ab antiquo tempore fundata, nam in regno Polonia.

Prima Ecclesia Culmensis cathedralis prouinciæ Rigenis à sua prima institutione fuerat regularis, vt habetur in vita beatæ Iuthæ viduæ Prutenæ, & Oblatissæ eiusdem Ecclesiæ, quæ cum apparitionibus miraculosis obiit 5. Maij, in eadem Ecclesia Culmensi sepulta anno 1263. Extrat eius vita descripta idioma Polonico ad finem libelli vitæ beati Stanislai canonici regularis, ex monasterio Corporis Christi Casimiria: eam paucis ab hinc annis in latinum vertit Martinus Baronius, quæ impressa est Cracouia anno 1610. Ex monasterijs verò extra Ecclesias cathedrales sunt.

Secundum Tremesnensis Abbatia, fundata est anno 965. à Miescko primo Principe Christiano huius

huius nominis ex relatione, quam licet concisam transmisit R. P. D. Christophorus Lomiroski regularis ad monasterium Corporis Christi Casimiriae canonicus.

Tertium Abbatia Teruencensis Beatæ Mariæ in Mastouia, quod habet sub se nouem monasteria, licet illorum nomina non acceperim.

Quartum sanctissimi Corporis Christi Casimiriae prope Cracouiam fundatum per Casimirum II. Regem Poloniae anno 1347. ex occasione miraculose inuentionis diuini sacramenti Eucharistiæ, ablati, & proiecti cum delatorio æreo in Paludē Motta iuxta villam Vauel, quod monasterium cum præfatus Rex testamento regularibus canonicis legasset, Vladislaus Secundus dictus Jagello Lituanus fundator Academiae Cracouiensis ex oppido Glatz diocesis Pragensis introduxit anno 1405. in crastino Annunciationis Beatæ Virginis, cum solemnitate omnium processionum Cracouiae, & præsentia multorum Senatorum Regni. Floruit in hoc monasterio beatus Stanislaus dicti loci canonicus, & Subprior, cuius sanctitatem declarauerunt miracula, quæ post illius mortem, quæ contigit an. 1489. tertia die Maii, sunt secuta, ex quibus primo statim anno 173. per presbyteros dicti monasterij sunt notata, & in Cartophilacijs seruata, quæ cum alijs vulgari idiomate Polonico, vnà cum vita eiusdem beati Viri de licentia Illustriss. & Reuerendiss. Domini Bernardi Episcopi, & S. R. E. Cardinalis typis sunt mandata. Eius virtus in releuandis ægrotis maximè manifestatur. Hi canonici veste alba, & Rochetto, & Almucio coloris violacei in Ecclesia vtuntur cum birreto clericali. porro ex hoc monasterio alia multa cœnobia originem acceperunt.

III. Quintum Bichoniense in Russia, quod Excellentissimus D. Ioannes Carolus exercituum Regni Generalis, & Lithuaniae Dux strenuissimus inchoauit anno 1618. & magnificè perficiendum ex testamento legauit, annexum monasterio Corporis Christi Casimiriae.

Sextum ad montem Silicensem in Lithuania, quod nuper Illustrissimus, & strenuus vir D. Nicolaus Vuoltchi Castellanus Vuitebstensis fundauit aduocatis ex monasterio Casimiriae quatuordecim canonicis.

Septimum Beatæ Mariæ prope fluuium Iasonis diocesis Caminensis, quod est congregationis Vuindesimensis. ex Catalogo monasteriorum dictæ congregationis in fine.

Octauum sancti Aegidij Cledauorense in diocesi Gnesnensi. ex libro taxarum Camerae Apostolicæ.

Præter hæc sunt alia monasteria, quæ cum prædictis sunt numero viginti, vt ex relatione prædicti R. Patris Christophori Lomiroski habui, quorum canonici generalem vnionem in vnum corpus congregationis sub vno capite, vt audio percipiunt, & forsitan tractant: quorum pium desiderium Deum adiuuando prosequi obnixius obsecro. mihi enim ex tot monasteriorum ruinis, quas hætenus didici,

firmissime suadeo, hanc vnicam post superuicium auxilium relictam nobis viam, quæ modo supersunt monasteria sub canonica districtione seruandi, quæ præcisa, omnia tandem ruere necessarium erit.

Sunt præterea in regno Poloniae multa monasteria certi Ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, sanctæ Mariæ de Metri, siue de Penitentia beatorum martyrum nuncupati, qui habent vnum Generalem, cui obedientiam præstant, ex quo ordine fuit Beatus Michaël Lituanus quatuor mortuorum suscitator mirificus. de quo ordine plura in libello sanctorum Poloniae edito Cracouiae 1610.

Floruerunt in hoc regno in primis Beatus Meynardus Episcopus de Segeberg canonicus regularis, & primus Liouoniae Apostolus, qui obiit Rigæ anno 1205. miraculis clarus, in Ecclesia maiori sepultus, cuius vita idiomate Polonico descripta, cum vita Beati Stanislai canonici Casimiriae, item regularis, & Beatæ Iutæ Prutenæ Oblatissæ nuper in latinum versa, edita est Cracouiae, scilicet anno 1610. huic scribit Innocentius III. in cap. Deus qui, de vita, & honestate clericorum. Sed & alij canonici regulares eidem prouinciæ Liouoniae ad fidem Christi adducendam impensissime operam dederunt, quorum meminit Innocentius III. in epistola ad dictum Episcopum Liouoniae data, cuius fragmentum habetur in Decretali dicto cap. Deus qui, de vita, & honestate clericorum. Vnde verosimilimum est, illos viros Apostolicos cum Euangelio, & fide Christi multa etiam canonicorum regularium Seminaria plantasse: etsi ob locorum distantiam illorum nomina hic non teneamus. Beatus quoque Iuo Episcopus Cracouiensis pater sancti Iacinti sancti Dominici discipuli, qui Parisijs habitum canonicorum regularium assumpsit. Sanctus etiam Adalbertus Pragensis primùm, deinde Gnesnensis Episcopus, & martyr, & alij, de quibus in Catalogo dicemus.

In Regnis etiam Suetiæ, & Noruegiæ, & Pannoniæ fuisse temporibus Benedicti XII. quamplura canonicorum Cœnobia, illa eius verba indicant, per quæ de Capitulis prouincialibus in singulis prouincijs celebrandis disponit, cum inquit: *Prouincia Strigoniensis, Calocensis, & Gneznensis cum Episcopatu Caminensi pro vna, scilicet prouincia. & infra: Regna Dacia, Noruegia, & Suetia pro vna prouincia deputantur.* Cæterùm propter bellicas vastationes, & Religionum immutationes, puto dicta monasteria in dictis Regnis cum fide Catholica interiisse.



Caput quadragesimum primum.

De institutione, & propagatione Canoniorum Regularium in Imperio Orientali.

I. **A**ntiquissimus Pontifex Benedictus huius nominis XII. cuius zelo, & pietati totus ordo canoniorum Regularium tantum debet, quantum nulli Romano Pontifici unquam magis, in Bulla reformationis eiusdem ordinis cap. de celebrandis Capitulis provincialibus ad finem, provincias singulas dicti ordinis distinguens, ita subiungit: *Vt autem de Prouincijs in quibus dicta provincialia Capitula fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum bestetur, quamlibet prouinciam, quoad huiusmodi provincialia celebranda Capitula, prout sequitur, limitamus.* & infra: *Prouincia Thebana, Cretensis, Atheniensis, Patracensis, Corinthiensis, & Neopatriensis cum toto Patriarchatu Constantinopolitano pro una. Regnum Cypri pro una.* & infra: *Patriarchatus Aquilegensis, & Gradensis, cum Prouincijs Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Antibarensi pro una &c.* Ex istis verbis liquet, canonicos Regulares etiam secundum institutum per B. Augustinum reformatum (de eo namque praedictus Pontifex in suis literis praecipue loquitur) non solum in Ecclesia Occidentali, sed etiam per prouincias Imperij Orientalis latissime fuisse ampliatum, & licet Deus iustus Iudex, qui dedit cultoribus suis regiones gentium, & labores populorum in possessionem, ut custodirent iustificationes eius, & legem eius requirerent, peccatis nostris id iustissime poscentibus, posuerit terram fructiferam in saluginem a malitia inhabitantium in ea, & Isaiae vaticinium illud impleuerit. *Pastores non requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiae, & replebuntur domus eorum draconibus, habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi, ulula in domibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis.* Quo fit, ut catalogum Ecclesiarum, & Monasteriorum in prouincijs Orientalibus olim consistentium hic describere minimè possimus. Referemus nihilominus nonnullas, quas vel ex textibus Sacrorum Canonum, vel ex literis Summorum Pontificum, vel aliàs ex probatis autoribus licuit nobis expiscari.

II. **A**C in primis Sacrosancta Patriarchalis Ierosolimitana princeps prouinciarum, & dominatrix Gentium, Christi Saluatoris hominum secundum carnem patria electa, in qua pedes Domini steterunt, cui primò praefectus est Iacobus frater Domini, a prima institutione sub ipsismet Sanctissimis Apostolis clericos regulariter viuentes cum emissionem votorum habuit: si vera, & non conficta sunt, quae Gratianus in Decreto cap. Dilectissimis

12. quæst. 1. ex Clemente Primo Romano Pontifice in epistola quinta ad Iacobum fratrem Domini recenset. Nec dubium, quin vsque ad Constantini magni tempora iidem Regulares Clerici in ipsa Ecclesia Ierosolimitana perseverauerint, cum scribat Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ supra cap. 5, à nobis relatus, institutum vitæ Regularis à D. Marco in Ecclesia Alexandrina plantatum in omnibus Ecclesijs vsque ad sua tempora durauisse. Hinc strenuissimus ille Aufrasionum princeps, & sacri belli Ierosolimitani Dux Gotifredus Vrbe Ierosolima ex infidelium manibus erepta, & repurgata, ad primam illius Ecclesiæ institutionem aspiciens, clericos canonicos secundum B. Augustini Regulam viuentes tum in ipsa Patriarchali, tum in alijs Ecclesijs Ierosolimitanis, & aliarum Ciuitatum suffraganeis statim reponendos curauit, sic attestante Iacobo de Vitriaco S. R. Ecclesiæ Cardinali Aconensi Episcopo, & pro Romano Pontifice in eadem Ecclesia Ierosolimitana legatione functo, qui illius, & aliarum Ecclesiarum Orientalium statum, quem testis oculatus viderat, literis commendauit, in proprio libro de hac ipsa re conscripto sub titulo Historiæ Orientalis cap. praesertim 58. ubi de Patriarcha Ierosolimitano, Abbatibus, & Prioribus sub illo constitutis hæc scribit. *Patriarchalis siquidem Ecclesia, quæ est Domini Sepulchri sub monte Caluario canonicos habet Regulares secundum habitum, & Regulam Beati Augustini viuentes. habent autem Priorem, ad quem cum dictis canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui est illis loco Abbatis. In Ecclesijs autem templi Domini, & montis Sion, & montis Oliueti sunt Abbates, & canonici secundum Regulam praedictam B. Augustini Domino ministrantes.* Eadem ferè verba vidisse, ac legisse in Codice vetustissimo Bibliothecæ montis Sion sub anno 1479. testatur Cambius de Bossis nobilis Mediolanensis secundum carnem, sed studio, & profectu Sanctæ Religionis longè nobilior, cuius testimonium, quod integrum refert Ioannes Philippus Nouariensis noster in Chronica lib. 3. cap. 14. libet hic loci ad futurorum memoriam integrum etiam adnotare. *Ego, inquit, Dominus Cambius de Bossis Mediolanensis Canonicus Regularis sancti Augustini cum venissem in anno Domini 1479. Ierusalem Saluatoris nostri, nostraque salutis adoraturus monumenta, de Montis Sion Bibliotheca venit ad manus meas libellus ipsa vetustate venerandus, cui titulus erat de Redemptione, & Captione terre Sanctæ, de quo hac ipsa, quæ scripsi, decerpenda putavi. Habet Ierosolimitanus Patriarcha quosdam suffraganeos sibi nullo mediante subiectos, id est Bethlemitanum, & Hebronensem, & Liddensem. fuit autem Ecclesia Bethlemitica Prioratus Canoniorum Regularium vsque ad tempora Balduini primi Regis Latinorum in Ierusalem. Rex verò propter loci dignitatem, & Dominicæ Natiuitatis præcellentiam, eam dignitate Cathedrali sublimauit, constituens in ea Episcopum à mandato, & voluntate bonæ*

memoria Paschalis Papæ, qui Aſcalonem eidem, immediatè ſubiecit. Similiter Hebronensis Eccleſia, quæ prius fuerat Prioratus propter loci dignitatem, in quo ſepulti ſunt Adam, & Eua, Abraham, Isaac, & Iacob cum Sara, & Rebecca, in ſpelunca duplici, propter reuerentiam ſeruatorum, Dei ad Episcopalem ſublimata eſt dignitatem. Habet inſuper prædictus Patriarcha Abbates, & Priores ſibi ſubiectos, inſignia Pontificalia baculos, & mitras, annulos, & ſandalia ex privilegio dignitatis habentes, Domino Patriarcha in miniſterio reuerenter aſſiſtentes. Patriarchalis ſiquidem Eccleſia Domini Sepulchri ſub monte Caluario Canonicos habet regulares ſecundum regulam, & habitum beati Auguſtini viuentes. Habent autem Priorem, ad quem cum prædictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui eſt eis loco Abbatis. In Eccleſiis autem templi Domini, & montis Sion, & montis Oliueti ſunt Abbates, & Canonici Regulares ſecundum Regulam beati Auguſtini Domino ſeruientes. Hæc ille. Ex quibus vides, quæ ſcribit Iacobus de Vitriaco in ſua Hiſtoria de canonicis regularibus Ieroſolimitanis, totidem verbis in illo libro vetuſtiſſimo Bibliothecæ montis Sion reperiri. eundem autem librum in dicta Bibliotheca nunc etiam ſeruari teſtatur, qui nuper Romam Ieroſolimis reuerſus eſt R. admodum, & linguarum peritiſſimus Pater Fr. Thomas Nouariensis ex ordine D. Franciſci Regularis obſeruantia, qui multis annis ibidem ſui monaſterij gubernator, ſive Guardianus fuit. & hinc etiam collige, non ſolum poſt ereptam ab Inſidelibus urbem Ieroſolimam, ſed longè antea fuiſſe canonicos regulares in Palæſtina ſub beati Auguſtini regula viuentes, cum dicat Iacobus de Vitriaco, ante Balduinum, qui regnum obtinuit ſtatim poſt Ieroſolimam recuperatam, Eccleſias Bethlehemiticam, & Hebronensem fuiſſe Prioratus Canoniorum Regularium.

III. **P**orro quia non ſolius Patriarchalis, verum etiam aliarum Eccleſiarum canonicorum Regularium ciuitatis Ieroſolimitanæ, & aliorum locorum adiacentium apud prædictos autores mentio habetur, operæ pretium erit, vt diſtinctè de ſingulis aliquid dicamus. Ipſa igitur Patriarchalis Ieroſolimitana non ea exiſtit, quæ templum Domini vocabatur, ſed quam apud Dominicum Sepulchrum magnus Conſtantine in honorem Dominicæ Reſurrectionis excitauit. de cuius, & aliarum dictæ Ciuitatis Eccleſiarum fundatione, per eundem Conſtantinum facta, ornamentis, ac donis collatis plura Eusebius in libris de vita Conſtantine præſertim lib. 2. Hieronymus in Chronico, Cyrillus Ieroſolimitanus, & ex illis Baronius tom. 3. Annalium ſub anno 326. num. 34. & ſequentibus, & ſub anno 335. num. 41. & ſequentibus, vbi agit de illius dedicatione. In hac igitur Eccleſia ſtatim extructa, & ſolemni omnium ferè totius Aſiæ Antiquorum conuentu dicata clerici communem vitam more Apoſtolico du-

centes ſtatim fuerunt inſtituti. Nec dubium, quin longè ante ipſam Ciuitatem ex inſidelium manibus per Chriſtianos ereptam, reformationem canonici ordinis factam à beato Auguſtino, quam plerique omnes aliæ maiores Eccleſiæ receperant, ipſa etiam Ieroſolimitana admiferit. Præſertim cum ipſo Auguſtino adhuc in viuus agente, illius nomen, & inſtitutum inter omnes Palæſtinos noſtiſſimum, ac longè celeberrimum extiterit, vt ex literis Auguſtini ad Hieronymum, & Hieronymi ad Auguſtinum, & nuncijs hinc inde miſſis, ſatis conſtare videtur. Vtrum autem Ieroſolima ab inſidelibus occupata, in eadem Eccleſia ipſi Regulares clerici vſque ad Regis Gotifredi tempora perſeuerauerint, duriffimis illis, & iniquiffimis temporibus, partem affirmantem veriorum eſſe crediderim, tum quòd conſtet ſub Saracenis perſeueraffe ibidem Chriſtianos, ac etiam clericos, ſub Patriarcha, iniquis licet legibus, & conditionibus, quod etiam præallegatus autor Iacobus de Vitriaco cap. 64. iſtis verbis ſic adnotauit. *Princeps autem Aegyptius, qui vniuerſas regiones à Laodicea Syria, vſque ad extremam Aegypti ciuitatem Alexandriam poſſidebat, quartam ciuitatis Ieroſolimitanæ portionem ex parte Domini Sepulchri Saracenis, & Patriarchæ eorum ſub annuo tributo ad habitandum conceſſerat: alias autem tres portiones habitabant Saraceni.* Tum propter quandam Bullam plumbeam Vrbanus Papa Secundi exiſtentem in monaſterio Fratrum Minorum Regularis obſeruantia dictæ Ciuitatis, in qua dicitur, quod ipſe Urbanus Secundus Clericos dictæ Eccleſiæ ad obſeruantiam Regularem reduxerat. ſi enim reducti fuerant ad vitam Regularem, clarum eſt illos antea regulariter vixiſſe. quam rem maximè confirmat, quod reformatio illa ante ipſam Ieroſolimam à Gotifredo receptam facta fuit: nam Urbanus Papa ante illius receptionem ſecundum omnes hiſtoricos, vel è viuus iam exceſſerat, vel ſi eidem ſuperuixit, tempus exiguum adeo exiſtit, vt de Eccleſia Ieroſolimitana diſponere aliquid non potuerit, tum denique, quia in vicinis Eccleſiis Bethlehemitica, & Hebronensi ante illa tempora erant canonici Regulares ex iam dictis. Extant in eodem monaſterio aliæ literæ Summorum Pontificum, in quibus de canonicis Regularibus ſub beati Auguſtini regula in Eccleſia Domini Sepulchri degentibus mentio habetur, ex quibus inferius vnâ Coeleſtini Secundi referemus in Congregatione Domini Sepulchri: illa ſiquidem Eccleſia non ſolum fuit Collegium canonicorum Regularium, ſed etiam caput non exiguæ Congregationis, ac Ordinis militaris equitum, qui vocabantur Domini Sepulchri, & ſub beati Auguſtini regula viuiebant. Tandem in libro, qui dicitur Praxis Cancellariæ Apoſtolice vſque ad tempora Alexandri Papæ Sexti in literis Capitulo dictæ Eccleſiæ directis talis titulus præmittèbatur. *Priori, & Capitulo Eccleſiæ Ieroſolimitanæ, & Sepulchri Domini Ordinis*

Ordinis sancti Augustini. Ex hoc Collegio assumptus est Venerandus ille, ac miræ sanctitatis Episcopus Dominus Petrus Prior eiusdem Dominici Sepulchri, de quo hæc scribit Vuillhelmus Tyri Archiepiscopus de Bello sacro lib. 16. c. 17. Porro Tyria metropoli substitutus est vir miræ simplicitatis, & mansuetudinis, timens Deum, & recedens à malo, cuius memoria in benedictione est apud Dominum, & homines, Dominus Petrus Dominici Sepulchri Prior, de citeriore natus Hispania, de ciuitate Barcinona, nobilis secundum carnem, sed spiritu nobilior, cuius vita, & conuersatio longiores, & diligentiores postulant tractatus: sed nos historia reuocat, ut vmissis specialibus de publicis edisseramus.

IV. **S**ecunda Ecclesia erat templum Domini, quæ non modico locorum interuallo ab ipsa Patriarchali Sepulchri Dominici distabat. in eodem loco exstructa, in quo Rex Salomon templum toti mundo Venerandum erexerat in monte Moria nuncupato, si vera sunt, quæ idem Iacobus de Vitriaco dicto lib. cap. 62. scribit. in ea siquidem erant canonici regulares secundum regulam B. Augustini viuentes sub Abbate, sicut ex eodem autore in verbis ex cap. 58. supra allegatis, & ex præallegato Codice Bibliothecæ montis Sion colligitur. Habebat autem Abbas Dominici Sepulchri ordinem equestrem militum, qui templarij vocabantur, quique albis vestibus cruce rubea signatis utebantur, de quibus idem Iacobus de Vitriaco dicto lib. cap. 65. diffuse.

Tertia fuit Ecclesia montis Sion, ibi loci creta vbi Dominus, & Saluator noster Pascha cum discipulis manducauit, nouum condidit testamentum, discipulorum pedes lauit, & Eucharistiæ sacramentum ineffabile instituit. Idem autem est locus, quæ rediuius post dies octo ianuis clausis ingressus est ad discipulos, ibidem propter metum congregatos. ex eodem Iacobo de Vitriaco cap. 61. in ea siquidem Ecclesia fuerunt canonici regulares secundum B. Augustini regulam instituti. ex præallegatis autoribus.

Quarta fuit Ecclesia montis Oliueti. de qua idem autor cap. 62. Mons, inquit, Oliueti quasi passibus mille distat ab Ierusalem, in cuius decliuis est Bethphage, quæ interpretatur domus buccæ, viculus sacerdotum, & Bethania Castellum Mariae, & Marthe, & Lazari &c. Ex hoc monte videntibus discipulis suis ad cælos gloriose ascendit. In huius montis summo vertice Magnus Constantinus Eusebio in eius vita lib. 3. tradente, in matris suæ memoriâ templum Imperiali magnificentia dignum exstruendum curauit. in eo verò degisse canonicos regulares sub Abbatis obedientia constitutos, habes ex eodem autore in verbis ex cap. 58. citatis, & ex libro Bibliothecæ montis Sion allegato.

Quinta fuit Ecclesia in Villa Gethsemani vbi Dominus orauit, & à ministris captus est, ut duceretur ad Crucem. Est autem Gethsemani paruus pagus in valle Iosaphat, quæ est inter montem Sion, & montem Oliueti trans torrentem Cedron, qui vallem

allambit, & mediam diuidit. In eo autem loco, vbi Saluator noster orauit, ob memoriâ Agonij illius exstructam fuisse Ecclesiam, & institutum Collegium canonicorum testatur Landolphus de vita Christi, & Augustinus Ticinensis in 1. parte Dilucidarij fol. 30.

Sexta fuit Ecclesia Bethlehemitica, quæ teste eodem Iacobo de Vitriaco cap. 57. fuerat prius Prioratus canonicorum regularium vsque ad tempora Balduini primi Regis Latinorum in Ierusalem. Rex verò propter loci dignitatem, & Dominicæ Resurrectionis præcellentiam, eam Cathedrali dignitate sublimauit, constituens in ea Episcopum de mandato, & voluntate bonæ memoriæ Paschalis Papæ, qui Afcalonem eidem immediate subiecit. Canonicis huius Ecclesiæ scribit Innocentius III. in cap. Cum super electione. de causa possessionis, & proprietatis, & cap. Cum super. de confessis. ex quibus textibus habetur, canonicos Bethlehemiticos suos Episcopos eligere consueuisse, sicut & canonici Dominici Sepulchri eligebant Patriarcham.

Septima fuit Ecclesia Hebronensis, de qua idem autor dicto cap. 57. ita scribit. Similiter Ecclesia Hebronensis, quæ prius fuerat Prioratus, propter loci dignitatem, in quo sepulti sunt Adam, & Eua, & tres Patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob, cum Sara, & Rebecca in spelunca duplici, & propter reuerentiâ seruorum Dei ad Episcopalem sublimata est dignitatem.

Octaua fuit Ecclesia Nazarethana Patriarchalis, quam habuisse canonicos regulares sub Beati Augustini regula, & habitu viuentes, habes ex capitulo Sicut nobis. de Regularibus. vbi fit mentio cuiusdam clerici, qui in infirmitate grauissima constitutus, postulauit, & accepit habitum regularem à canonicis Ecclesiæ Nazarethensis: postea verò conualescens abiecto habitu regulari ad sæculum transijt, quem Pontifex habitum resumere, & regularem vitam, quam fuerat professus, tenere præcepit.

Nona fuit Ecclesia Ioppe, quæ spectabat ad canonicos Dominici Sepulchri eis immediatè subiecta. ex eodem Iacobo de Vitriaco cap. 58. quia illa Episcopum non habebat.

Decima Ecclesia Neapolitana, quæ in Evangelio vocatur Sicar, iuxta quam erat fons Iacob, siue puteus, cui insidens Saluator Mundi mulierem Samaritanam conuertit, quæ quoniam Episcopum non habebat, per Abbatem, & canonicos templi Domini regebatur. ex eodem Iacobo cap. 58. Non est autem dubium, plures alias fuisse Ecclesias canonicorum regularium in illis prouincijs constitutas, maximè, quæ erant Cathedrales, quas sine hæsitatione credendum est, ad instar Patriarchalis, & aliarum relatarum fuisse regulariter institutas.

Idem prorsus credendum de Ecclesia Patriarchali Alexandrina, quæ constat ab initio per D. Marcum regulariter plantatâ, & reformatam per Beatû Athanasium, in qua nunc etiam videntur imagines


canonicorum regularium, vt ex relatione virorum fide dignorum, qui eam viderunt, accepi.

De Episcopatibus verò in Babilonia existentibus Augustinus noster Ticinensis in Dilucidario par. 2. pag. 32. hæc scripta reliquit: *Episcopatus in Babilonia constitutus est per sanctum Anianum discipulum sancti Marci, & ibi usque in præsens viget ordo canonicus, & ego ex illis Indianis vidi, & noui, & dilatati sunt per omnem fere Indiam in Regno Ioannis, & ibi plurimi sunt Episcopatus, & Abbatia, & Præpositura, & Prioratus. In lingua Chaldaea habent officium, & in Aethiopia similiter florent ibi canonici regulares.* Concordat Zacharias Ferrerius in libro, quem scripsit de habitu canonicorum regularium ad Leonem X. probatione prima circa medium. *Et isti, inquit, qui veniunt ex India, dicunt, quod maior pars Ecclesiarum cathedralium India, immo quasi omnes, gubernantur per canonicos regulares: quoniam ibi adhuc viget in Ecclesijs ille cultus regularium clericorum, qui fuit in primitiua Ecclesia, & dicunt, quod omnes illi canonici profitentur instituta clericorum secundum regulam B. Augustini &c.*

Demum in ciuitate Constantinopolitana Ecclesia, in qua conditum erat corpus B. Helenæ matris Constantini, erat canonicorum regularium. ex historia translationis dicti corporis Venetias, quæ habetur, & legitur in monasterio S. Helenæ, vbi illud nunc iacet, quæ olim erat canonicorum regularium, nunc autem monachorum alborum D. Benedicti, vt supra cap. 24. in descriptione dicti monasterij fuit adnotatum, quem locum vide. Monasteriorum verò canonicorum regularium existentium in Episcopatu Constantinopolitano meminit Innocentius III. in cap. Inter quatuor. de religiosis domibus, iubens ne ad clericos seculares transferrentur.

Caput quadragesimum secundum.

De Canonicorum Regularium multiplici reformatione.

I.  varijs argumentis, quibus canonici ordinis dignitas, ac eminentia plurimum elucet, vnum præcipuum esse crediderim, assiduam illam, & nunquam omnibus ferè seculis intermissam vigilantiam, quam Summi Pontifices in primis, ac deinde cæteri Ecclesiarum Præsules tum in eodem ordine per omnes Ecclesias instituendo, & propagando, tum etiam vbi à primæuis institutis labentem cernerent, ad pristinam disciplinam reformando, ac instaurando nauiter impenderunt, non secus ac Principes terreni faciunt, qui arces, quas pluris æstimant, & magis diligunt, aggere, ac moenibus obuallant firmissis, inuoluntque frequentius, & custodiunt diligentius. Diximus in præcedentibus de ipsius sacri ordinis institutione, & propagatione. nunc de multiplici illius re-

formatione tum generali, tum priuata, & particulari, necnon de particularibus congregationibus canonicorum regularium in varijs Prouincijs consistentibus distinctè agendum nobis erit. & primo quidem dicemus de Reformationibus generalibus factis per Romanos Pontifices, siue per sacra Concilia Generalia, siue Prouincialia. Exinde verò de Reformationibus particularibus, & priuatis, quæ ipsum ordinem multis canonicorum cœtibus, & congregationibus multipliciter decorauerunt.

Prima reformatio Generalis canonicorum regularium facta est à Sanctiss. Pontifice, & Christi martyre Urbano primo circa annum Christi Seruatoris nostri ducentessimum, & vigesimum. Hic namque Sanctiss. Pontifex cum ipsum ordinem à prima illa norma Apostolica declinare animaduertisset, Generali decreto per orbem vniuersum emisso, ad pristinam vitæ regulam, & ad votorum obseruantiam reuocandum statim curauit. Extrat illius decretum ea de causa promulgatum in epistola ipsius Urbani primi ad omnes Catholicos transmissa, quæ habetur in primo volumine Conciliorum, necnon in Decreto cap. Scimus 12. q. 1. quod omitto, quia in dictis locis videri potest.

Secunda Generalis reformatio facta fuit quarto seculo primùm quidè in Ecclesia Romana per Beatiſſ. Papam Syluestrum, qui in sacrosancta Lateranensi Basilica per magnum Constantinum fundata clericos regulariter viuentes secundum normam Apostolicam instituit, quam ob causam alij Pontifices ipsum ordinem canonicorum regul. eiusdem Ecclesiæ Lateranensi originarium ordinem nuncupare consueuerunt, vt supra indicauimus, mox vt cæteros omnes clericos ad communem vitam clericorum Apostolicorum reduceret, clericos egentes diuitibus adiunxit, vt in Breuiario Romano, necnon etiam in Pontificali habetur. exinde verò in Ecclesia Vercellensi per B. Eusebium, in Nouariensi per S. Gaudentium, in Mediolanensi per Ambrosium, in Gallicanis Pictauiensi, & Turonensi per sanctos Episcopos Hilarium, & Martinum, in Ecclesia Orientali per magnum Basilium, & S. Athanasium, ac demum in Africana per sanctissimum Patrem, & Patriarcham nostrum inclitum Augustinum. de quibus in præcedentibus dictum fuit.

Tertia Generalis reformatio facta est quinto seculo sub Leone I. Pontifice Maximo: nam sub hoc Pontifice non solum B. Gelasius Valerij filius, & S. Augustini discipulus Augustinianam reformationem Romam ex Africa inuectam in Lateranensi Basilica plantauit, autore Onuphrio in additionibus ad Platinam in Leone Primo, ex qua Ecclesia, tanquam ex capite ipsa Beati Augustini reformatio in omnes Italicas Ecclesias mox deriuauit: Verùm etiam in Generali Concilio Calcedone habito editus est Canon de clericis in monasterijs degentibus, quem habes in cap. quidam monachorum 18. q. 2. sed & in Concilio tertio Arelatensi sub eodem Pontifice congregato pro eiusdem ordinis reformatione ita constitutum legimus.

II. **T**ertia Generalis reformatio facta est quinto seculo sub Leone I. Pontifice Maximo: nam sub hoc Pontifice non solum B. Gelasius Valerij filius, & S. Augustini discipulus Augustinianam reformationem Romam ex Africa inuectam in Lateranensi Basilica plantauit, autore Onuphrio in additionibus ad Platinam in Leone Primo, ex qua Ecclesia, tanquam ex capite ipsa Beati Augustini reformatio in omnes Italicas Ecclesias mox deriuauit: Verùm etiam in Generali Concilio Calcedone habito editus est Canon de clericis in monasterijs degentibus, quem habes in cap. quidam monachorum 18. q. 2. sed & in Concilio tertio Arelatensi sub eodem Pontifice congregato pro eiusdem ordinis reformatione ita constitutum legimus.

Proui-

Prouidendum est unicuique Episcopo, qualiter canonici viuere debeant, necnon & monachi, secundum ordinem canonicum, vel regularem viuere studeant, ut ait Apostolus: unusquisque in qua uocatione uocatus est, in ea viuere studeat.

Quarta Generalis reformatio facta fuit sexto seculo per magnum Gregorium Romanum Pontificem. extant enim duo illius canones, in quorum altero Augustino Anglorum Episcopo mandat, in Ecclesia Anglicana clericos regulariter viuentes instituere iuxta morem clericorum primitiuae Ecclesiae: in altero uero praecipit, ut Episcopi omnes sacerdotes, diaconos, ac ceteros clericos illorum uisitationi subiectos canonicè, id est regulariter viuere compellat. habentur hi canones cap. Quia tua fraternitas, & cap. Quoniam uelim 12. q. 1. sed ut uideas, quid in hoc opere Sanctiss. ille Pontifex praestiterit, audi Ioannem Diaconum lib. 2. cap. 12. de illo sic loquentem. *Videbantur passim cum eruditissimis clericis adhaerere Pontifici religiosissimi monachi, & in diuersis professionibus habebatur uita communis, ita ut talis esset tunc sub Gregorio penes Urbem Romanam Ecclesia, qualis sub Apostolis à Luca, & apud Alexandriam à Philone commemoratur, & supra cap. 5. Ut radices uitiorum euelleret, & uirtutes plantaret, à cubiculo suo omnes seculares amouit, clericorum religiosorum, vel monachorum prudentissimos familiares, & consiliarios sociauit. uide cap. 11.*

Quinta Generalis reformatio facta est nono seculo sub Summis Pontificibus Leone III. Stephano IV. Eugenio II. Gregorio IV. Leone IV. & Benedicto IV. nam in primis sub Leone III. & Carolo Magno anno 813. habitum est quartum Concilium Arelatense, in quo renouatus est canon Concilij tertij proxime relatus. & est caput sextum dicti Concilij quarti, addito alio canone, ut non amplius susciperentur in monasterijs canonicorum, aut monachorum, quam in eisdem monasterijs absque necessariarum rerum permutatione degere possent, & est caput octauum. Deinde sub eodem anno habita sunt Concilia Turonense III. in quo non pauca edita pro reformatione canonicorum ab antiquo tempore in monasterijs degentium sub regimine Episcoporum, vel Abbatum, quae legi possunt in eodem Concilio, quod habetur in tertio volumine cap. 24. 25. & 31. Eodem anno habita est Synodus Moguntina, in qua plura ad canonici ordinis reformationem sunt constituta, quae habentur cap. 9. & 20. & 21. Eodem anno celebrata est Synodus Remensis, cuius caput 25. cum quinque sequentibus in eodem negotio Reformationis canonicorum regularium consumuntur. Anno uero sequenti 816. sub Stephano quarto, & Ludouico Pio Imperatore congregata est Synodus in ciuitate Aquilgrani, in qua eadem reformatio exactissimè fuit tractata, & absoluta, ut patet in Actis dictae Synodi cap. 115. usque ad finem, edito etiam libro ex varijs Sanctorum Patrum autoritatibus pro eadem reformatione collecto, quem pijsimus Imperator Ludouicus per omnes ciuitates, & monasteria canonici ordinis sui

missit imperij, per manus missorum prudentium, qui illum in omnibus facerent transcribi, ut testatur Aimonijs lib. 5. de Gestis Francorum cap. 10. sic scribens. *Imperator Generalem habuit conuentum Aquilgrani, in quo quantum feruoris circa diuinum cultum pectoris gestaret in arca, toto declarauit aduersu: Congregatis enim Episcopis, nobilissimisque Sanctae Ecclesiae Clero fecit componi, ordinarique librum canonicæ uita normam gestantem, in quo totius ordinis perfectio continetur sicut recultus ipse fatetur, in quo etiam inseri iussit cibi, potusque, atque omnium necessariorum summam, ut omnes tam uiri, quam sanctimoniales sub hoc ordine Christo seruientes nullis praepediti necessitatibus, libera seruitute Domino militare meminissent. quem librum per omnes Ciuitates, & monasteria canonici ordinis sui missit imperij per manus missorum prudentium, qui illum in omnibus supradictis facerent transcribi locis &c.* Neque uero in Ecclesia solum Gallicana, uerum etiam in Ecclesia Romana ipsi Summi Pontifices opus tam sanctum, & tam praeclarum pro uirili adiunxerant, nam circa annum 824. Eugenius Secundus ex canonico regulari, & Archipresbytero S. Sabinæ ad Pontificalis dignitatis gratiam subleuatus, inter alia tanto Pontifice uerè digna facinora Concilio sexaginta, & trium Episcoporum Romae cōgregato, Generale decretum condidit, ut claustra apud Ecclesias constituerentur, in quibus clerici disciplinis Ecclesiasticis vacarent, quibus communis esset domus, & uictus. quod decretum à Leone IV. in alio Concilio Romae anno 855. celebrato renouatum, Gratianus suo decreto inseruit in cap. Necessaria 12. q. 1. neque uero eiusmodi decreto contentus idem Sanctissimus Pontifex Eugenius in eodem Concilio librum edidit, quem canonicum quinque Capitulorum ad titulatum omnibus canonicis obseruandum mandauit, ex quo tum Ito Carnotensis, tum ipse Gratianus plures Canones suis decretis inferendos curauerunt. Ac demum ut alias Synodos Prouinciales omittamus, in quibus eodem seculo eadem reformatio est tractata, ut uidere est in Meldensi an. 845. sub Sergio Secundo habita cap. 10. 11. 53. & 58. necnon in Ticinensi an. 856. sub Benedicto III. celebrata. Idem Ludouicus Pius an. 833. Gregorio IV. Rom. Pontifice annuente, alterum Concilium in eadē ciuitate Aquilgrani cogendum curauit: ac in eo reformationem in altero Concilio promulgatam iterum confirmari, & executioni mandari, prout illa eiusdem Concilij uerba par. 3. c. 15. demonstrant. *In Custodijs uero congregationum tam canonicorum, quam monachorum, necnon sanctimonialium summopere studendum censuimus, ut in omnibus locis claustra eis prouideantur, religioni eorum congruentia, sed & habitacula domorum, in quibus religio Deū sequi uolentibus perfici, atque augeri possit, potius quam uicia nutrirī. Hoc tamen ut non negligatur à Prælatibus congregationum, missis Dominicis committatur. Modus autē erga ipsarum congregationum disciplinam hic esse debet, id est, ut canonici secundum id, quod continetur in libro, qui de eorum uita collectus est, religiosè conuersentur.*

I V. Sexta generalis reformatio inchoata est vndecimo seculo per Nicolaum Póficē huius nominis Secundum, hic enim beatus Pontifex anno 1059. in Basilica Lateranensi conuentum centum, & tredecim Episcoporum conuocauit, in quo inter alia, sanctissima decreta de clericis canonicis ita definiuit: *Es precipientes statimus, ut ij prædecessorum ordinum, qui eidem Prædecessori nostro obediens castitatem seruauerint, iuxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericas, simul manducant, & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesijs venit, communiter habeant, & rogantes monemus, ut ad Apostolicam, communem scilicet vitam, summopere peruenire studeant.* Habetur dictum Concilium in quarto volumine in actis Nicolai II. Porro eandem reformationem inchoatam à Nicolao, prosecutus est, qui eidem in Sede Pontificali successit Alexander Secundus, antea Lucensis Episcopus ex canonico Lateranensi Anselmus de Badagijs vocatus, qui Pontifex renunciatus, mox ipsam Patriarchalem Basilicam Lateranensem per s. Frigidiani Lucensis canonicos reformauit, teste Onuphrio in lib. de septem Urbis Ecclesijs, in Ecclesia sanctæ Crucis in Ierusalem. quod etiam Anastasius Quartus in quodam Priuilegio Ioanni Priori sacrosanctæ Basilicæ Saluatoris Domini, quæ Constantiniana vocatur, pariterq; SS. Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ, ac eius fratribus concessio, non obscure his verbis indicauit: *Et propter vobis in Domino filijs Ecclesiam ipsam, in qua diuino mactati estis obsequio, ad exemplar Prædecessoris nostri beate memorie Alexandri Pape Secundi Apostolica Sedis priuilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum, & beati Augustini regulam ibi noscitur institutus, perpetuis ibi temporibus inuisibiliter obseruetur.* Deinde verò Concilio Romæ habito Decretum Nicolai Prædecessoris sui de communi vita, & castitate à clericis regularibus ad normam vitæ Apostolicæ seruanda, totidem verbis renouauit, ut videre est in eius decreto, quod integrum excepit Gratianus c. Præter 32. dist. Illud verò non omittendum, huius tam pij, & tam præclari operis præcipuum autorem, aut certè suasorem, ea tempestate fuisse beatum Petrum Damiani, quod ex multis ipsius Epistolis, sed præsertim ex ea, quæ hac ipsa de causa scribit ad Alexandrum Secundum, quæ est in primo libro epistolarum dicti Petri Damiani num. decima sexta cuiusque meminit Cardinalis Baronius tomo 11. Annalium sub anno 1063. num. 30. intueri licet, quod forsitan in causa extitit, ut pleriq; autores illum inter canonicos regulares censuerint, & Constitutionum Portuensis, quæ à Paschali Secundo sunt firmatæ, autorem æstimauerint, quod à vero longè abest, ut alibi dicitur.

Caput quadragesimum tertium.

De generali reformatione canonicorum regularium anno Domini 1339. per Benedictum Papam huius nominis XII. promulgata.

Dolentissima generalis canonici ordinis reformatio ea extitit, quæ facta est per Benedictum Papam huius nominis XII. qui ut erat mente, & professione religiosissimus, posteaquam ad fastidium eminentiæ Pontificalis euectus est, nihil magis in votis se habuisse indicauit, quàm ut omnes regularium ordines ad primam illorum institutionem reduceret, ac ea tempestate plurimum relaxatos reformaret, quod ex eiusdem Pontificijs Decretis, & literis Apostolicis ea de causa emanatis, ac nonissimè in prima parte Bullarij per Laërtium Cherubinum editi compilatis, satis clarè intueri licet. is itaq; religiosissimus Pontifex inter alios regularium ordines, ad illum canonicorum mentis oculos dirigens, & disciplinam canonicam in plerisque mundi partibus, vel collapsam penitus, vel ad occasum inclinantem animaduertens, ut illam erigeret, ac repararet, tanto animi conatu institit, ut pro illius reparatione non iam vnâ, quod aiunt, Bullam, sed integrum librum constitutionum ediderit, quem librum (ut Ioannis Trulli Aragonensis canonici verbis utar in primo suo lib. de canonicis cap. 11. ad finem) vtinam nostri canonici, præsertim superiores continuo exercitio retinuisent: sic enim effectus fuisset, ut nec sacer ordo tantam calamitatem, & cladem accepisset, nec ad occurrendum, medendūq; tot incômodis, omnis, ferè via nūc occluderetur. Verùm quod ea sit naturæ nostræ deprauatæ conditio, ut in præceptis spontè sine aliqua difficultate feramur, ad bonum verò non nisi cum magno labore, ac conatu contendamus, & quam citissimè, nisi manu Dei validissima teneamur, à benè ceptis reuocemur: hinc factum est, ut leges illæ sanctissimæ, licet per varias Prouincias promulgatæ, ac etiâ nonnullis Capitulis prouincialibus coactis, vsui quadantenus mandatæ, breuissimo temporis intervallo, siue in Italia, siue etiam in Gallijs, Hispanijs, Alemania, cæterisque Prouincijs in desuetudinem iuerint adeo, ut vix illarum nomen memoretur. nã quod ad Hispanos attinet, referam hic, quæ præfatus Ioannes Trullus loco proximè citato scribit, nimirum lib. 1. cap. 11. ad finem: *Iubente inquit, Benedicto XII. Prælati Regulares Ecclesiarum Castellæ, & monasterium Prouinciarum Taracensis, & Casaraugustana anno Domini 1340. mense Augusto in Castro Regio Ciuitatis Iberdæ Capitulum Prouinciale coegerunt, & aliquot diebus celebrarunt, in quo promulgatæ fuerunt saluberrimæ illæ constitutiones generales omnium totius orbis cano-*

canonicorum regularium eodem Benedicto XII. auctore, & divulgare: quæ quidem hæc nostra tempestate non solum ab usu recesserunt, sed etiam obliuione profunda cõsepulta iacit. De Germanis verò, Polonicis ac et Gallicanis certò certius est, apud illos in obliuionẽ penitus iuisse, vix illarũ nomine retento, cũ illi eas quotidie per literas ex nobis requirant. De Italis non mirum, quandoquidem nostro seculo iã nulli sunt in Italia canonici regulares, qui non peculiare constitutiones habeant à Sede Apostolica probatas. Addunt nonnulli, prædictas Benedicti XII. Constitutiones fuisse per Clementem VI. illius immediatum in Pontificatu successorem abrogatas, cuius abrogationis authenticum in Archivio s. Mariæ de Pilari Cæsaraugustæ contendunt asseruari, cuiusq; exemplum mihi oblatum Romæ vidi. Verum cum extent literæ Bonifacii IX. ad Abbatem s. Petri in cœlo aureo Papiæ, necnon etiam ad Priores sancti Frigidiani, & sancti Augustini Nicosiæ Lucensis, & Pisanae diocesis, datæ anno Christi 1401. octauo Calendis Aprilis, quarum authenticum Papiæ in dicto monasterio nostro sancti Petri in cœlo aureo seruetur, per quas Prouinciale Capitulum iuxta formam Constitutionum Benedicti XII. iubet congregari, ac in eiusdem contenta executioni demandari, cum etiam Martinus V. nostros Lateranenses ab obseruatione prædictarũ Constitutionum Benedictinarum ex speciali concessione dispensauerit, quod (vt eius vtar verbis) mores, obseruantias, & consuetudines abundantiores habeamus, & in rigiditatibus, & disciplina ordinis strictiores, & obseruantia regulari aptiores ad conseruandum religionis statum, creditu difficile videtur, ipsas Benedicti XII. Constitutiones per Clementem Sextum saltem generaliter fuisse abrogatas. Vtcunque res se habeat, ne tantus thesaurus, in quo eximie dignitatis, & antiquitatis sacri ordinis canonici monumenta præclarissima habentur, in tenebris obliuionis cõsepultus delitescat, eas huic nostro operi inferendas opportunum existimavi, tum vel maximè ob hanc causam, quòd per illas constet in primis canonicos regulares in Oriente, & Occidente in omnibus Christianorum Prouincijs non solum monasteria innumera, verum etiam Ecclesias Cathedrales plerasq; & Metropolitanas vsque ad tempora Benedicti XII. tenuisse, constet etiam omnes canonicos regulares, tam in monasterijs extra cathedrales, quam in ipsis cathedralibus degentes, eiusdem prorsus ordinis, dignitatis, status, ac vt sic dicamus, naturæ extitisse, cum Summus Pontifex æquè, & pari modo de omnibus disponat.

Benedicti Papæ XII. Constitutiones pro Generali reformatione canonicorum regularium ordinis sancti Augustini.

Benedictus Episcopus seruus seruorũ Dei ad perpetuam rei memoriã. Ad decorem Ecclesiæ spon-
sæ Dei, & sanctarum religionum fundatarum in ea,

quæ licet diuersis distincte sint gradibus, in vnius tamen vera fidei proposito coeuntes, eandem Ecclesiã venustant varijs floribus meritorum, pro intincte nobis Apostolica seruitutis officio summis vigilijs, & indefessis studijs intendentes, ad ea, quæ pro diuini nominis laude, religionum ipsorum statum, puritatẽ, honestatem morum, regularis obseruantia disciplinam, & sacrarum peritiã scripturarum respiciunt, labores nostros libenter impendimus, & opportuna sollicitudinis diligentiam adhibemus: Ideoq; inter religiones alias in agro eiusdem plantatas Ecclesiæ, ad religionem canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, ab Christi gloriosis Discipulis in primitiua Ecclesiã sacris institutionibus stabilitam, gerentes præcipua charitatis affectum, ac volentes, quæ in eadem religione reformanda cognouimus, absque reformationis remedio præterire, omnia, quæ in religione prædicta tam à prima ipsius institutione, quam à sacris canonibus sunt salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censentes, nonnulla quæ experientia deesse probauit, & supplenda dicta religionis utilitas, quinimò necessitas, perstatuendam suadet, prouidimus, in ea perpetuis futuris temporibus obseruanda.

§. 1. Canonicorum recipiendorum forma.

Statuimus igitur vt quando in Ecclesiã cathedrali, monasterio seu loco alio Religionis eiusdẽ, canonicorum creatio fuerit faciendã, nullus recipiatur, vel induatur in canonicum, nisi persona idonea, vel de cuius idoneitate spes verisimilis habeatur, & talis, quæ inibi in diuinis, vel alijs, Deo positi, & velis debite impendere obsequia opportuna. & quod huiusmodi creatio, & habitus traditio fiant publicè, intra Ecclesiã monasterij, seu alium locum conuentualem religionis eiusdẽ, nisi causa rationabilis eas alibi fieri suaderet. nullisq; promissionibus seu obligationibus cum iuramento vel sine, cuiquam faciendis. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur. quodq; huiusmodi creatio seu habitus traditio, non nisi persona, seu personis religionis eiusdẽ, quæ tunc etiam in Ecclesiã, loco, seu monasterio prædictis fieri debent aliquatenus committatur.

§. 2. Probationis modus, & locus.

Iterò, qui creati fuerint in canonicos, infra probationis tẽpus, in loco in quo saltem septem canonici resideant, necessariò habeant residere: eisq; idoneus & fidelis deputetur instructor, qui eos instruere valeat in diuinis officijs, & obseruantia regulari.

§. 3. Canonicorum creatio ad quem spectet.

Ceterũ si canonicorum creatio fuerit faciendã, eaq; pertineat ad Prælatus, vna cũ Capitulo vel conuentu, vel cum consensu fieri debeat eorundem. Si Capitulum seu Conuentus, vel eorum maior pars purè ad eam non procederent, vel creationi faciendã sine causa rationabili renuerent consentire, Prælatus, ex quo sibi euidenter expediens, vel necessarium apparet, huiusmodi canonicorum creationem fieri debere, vel per Prælatum, & Capitulum, seu conuentum, aut per illum, seu illos, ad quem, seu quos pertinuerit vnde rãditer deliberatum, & diffinitum fuerit

rit fore creationem huiusmodi faciendam, tunc Prælati moneat Capitulum seu conuentum, & in virtute obedientie eis iniungat, ut pure, ac secundum Deum infra unius mensis spacium ad dictam creationem, cum eo in primo casu procedant, vel in secundo creationi faciendæ suum præsentem consensum: quod si præfati Capitulum seu conuentus monitioni, vel iniunctioni huiusmodi parere neglexerint, vel recusauerint, creatio ipsa ea vice liberè pertineat ad Prælatum, dummodo per eum nihil in præmissis factum fuerit fraudulenter. in casu autem deuolutionis huiusmodi, Prælatus faciendi eandem creationem cum consilio seniorum eorundem Capituli, vel conuentus, eligendorum per ipsum Prælatum, tertiam partem numero ad minus facientium eorundem Capituli vel conuentus, de personis idoneis liberam habeat facultatem. ita tamen, quod tunc per dictum Prælatum, ibi, & non plures creentur, quos attentis facultatibus, à statu antiquo, & debito locorum, creandi seu creati rationabiliter fuissent, si Prælatus, & Capitulum seu conuentus in creatione huiusmodi concorditer conuenissent. Rursus eorum arbitrium, qui ad priuata suorum commoda recipiæntes affectum, faciendæ creationi canonicorum huiusmodi nolunt aliter consentire, nisi concedatur eisdem, quod unus vel plures, quos maluerint, seu nominauerint, in canonicos creentur, penitus detestantes, hoc deinceps omnino fieri prohibemus. decernentes concessiones huiusmodi (si quæ eis factæ fuerint) fore nullas, quodq; nulli ex receptione seu creatione ex ea, vel ob eam secuta, eius aliquod in loco, in quo, seu ad quem fuerit, aliquatenus acquiratur. Insuper præmissis adiicimus, quod Capitulum, vel conuentus Religionis eiusdem in nouitate sui Prælati, nequeant eidem Prælato, vel alteri, occasione ipsius, facere gratiam super receptione, vel creatione canonicorum pluriû, quam duorum. nec ad huiusmodi pro duobus gratiâ faciendam, eos, nisi de libera eorum voluntate processerit, intendimus obligare.

S. 4. Professio ut fienda.

Presenti quoque statuimus sanctione, quod singuli canonici Religionis eiusdem, professionem expressam faciant, non clandestinè, sed patenter, & si commodè fieri poterit in Ecclesia, & cum missa. quod si forte Prælatus ad quem spectabit professionem ipsam recipere, tempore probationis elapso, per canonicum profiteri volentem congruo loco, & tempore humiliter requisitus, professionem eandem recipere sine rationabili causa renuerit, vel ultra debitum fortè distulerit, dictus canonicus ex tunc in dicta Ecclesia, vel monasterio, ac membris ipsius, ad omnia idoneus censeatur, ad quæ censeretur si foret expressè professus. Teneatur tamen quum ad hoc opportunitas se obtulerit, expressè nihilominus profiteri. Alioquin ex tunc ad præmissa donec expressè fuerit professus, minus idoneus habeatur, ac nihilominus possit per proprium Prælatum, ad proficiendum expressè compelli. Prælatus quoque, qui professionem ab eo recipere renuerit, aut distulerit, ut præfertur, ad ipsius professionem admittendam, expres-

se, per suum immediatum superiorem Religionis eiusdem, seu per eum ad quem pertinuerit, compellatur.

S. 5. Receptio clerici, vel laici ad præbendam, ut prohibetur.

Prohibemus insuper ne in Ecclesia cathedrali, seu monasterio, vel loco alio Religionis eiusdem, quouis clericus secularis, vel laicus recipiatur ad præbendam, seu etiam portionem, nisi eidem Ecclesie, seu monasterio, vel loco dederit primitus se, & sua. nec huiusmodi præbenda, seu portio ad vitam, vel ad tempus vendatur, detur, seu aliàs concedatur eidem. Quicquid autem contra prohibitionem huiusmodi attentatum fuerit, omnino decernimus irritum, & inane. ac nihilominus recipientes, vendentes, dantes, & concedentes huiusmodi, ultra pœnas à iure statutas, Superiorum suorum arbitrio puniantur. Per præmissa verò, non intendimus circa officia, vel ministeria, aut alia obsequia opportuna, inibi consueta per seculares clericos, vel laicos exerceri, aliquid immutare.

S. 6. Prioris claustralis electio, quando, & quomodo facienda.

Vt autem dicta Religio salubriter in omnibus dirigatur, in Ecclesia, seu monasterio, locoue alio collegiato, seu conuentuali Religionis eiusdem, Superiorem dictæ Religionis non habente, ac etiam in quolibet collegiato, seu conuentuali loco duodecim; vel maiorem numerum habente canonicorum (etiam si Superiorem in ipsa Religione habeat) necnon in alio loco etiam minore duodecim numerum habente, in quo Prior claustralis esse consueuerit, constitutur huiusmodi Prior claustralis. dictaq; Prioris constitutio fiat per illum, seu illos, ad quem, vel ad quos pertinuerit, tum consilio aliquorum seniorum illius loci, in quo constituetur. attentius prouidendo, quod persona, quæ zelum Religionis ordinatum habeat, quæue existat idonea ad exercendum, in Prioris claustralis officium, in loco, in quo constituta fuerit, assumatur. Dicitur verò Prior quum eum abesse, vel sic impediri contigerit, quod incumbens sibi officium per se nequeat exercere, teneatur aliquem ex canonicis dicti loci, ad hoc idoneum deputare, qui huiusmodi absentia, vel impedimento durante, vices ipsius gerat. nisi alicui ex priuilegio, seu statuto, vel consuetudine ratione dignitatis personatus, vel alterius beneficii, in præmissis casibus gerere vices huiusmodi, competere nosceretur, vel nisi dicti Prioris Superior aliquem ad hoc pro ipso Priore duxerit deputandum. in loco autem in quo secundum præmissa Prior claustralis minime fuerit statuendus, Præsident tali loco quum ipsum impediri, vel abesse contigerit, ut de Priore claustrali præmittitur, teneatur aliquem loco sui, quo ad ea quæ ad officium Prioris claustralis pertinet, deputare. Per hoc autem, quod volumus constitutionem dicti Prioris fieri de consilio seniorum, non intendimus circa admonitionem ipsius, de pristina obseruantia aliquid immutare.

§. 7. Regulare Capitulum quoties, & quomodo tenendum.

Pro regulari disciplina attentius obseruanda in Ecclesia cathedrali, seu monasterio, locoue alio conuentuali Religionis eiusdem, diebus singulis, in alijs verò locis, in quibus quatuor, aut plures canonici fuerint deputati, saltem semel in septimana, & etiam sepius in eisdem (si in ipsis sepius, ac in quibusuis locis alijs non conuentualibus, toties, & quando est in eis fieri consuetum) regulare Capitulum teneatur, in quo antequam ad tractanda alia procedatur, canonicorum excessus, transgressiones, & negligentia corrigantur, ac de disciplina & confirmatione regulari tractetur salubriter, & agatur. nullo ibidem proteruè, aut clamorè, seu irreuerenter se habere quomodolibet presumente.

§. 8. Annuale Capitulum vbi conuocandum, & qui eidem interesse debeant, & quæ in dicto Capitulo agenda sint.

In singulis quoque Ecclesijs cathedralibus, monasterijs atque locis collegiatis, seu conuentualibus Religionis prefate principalibus, non ab alijs dependentibus (etiam si in eis aliàs non fuerit consuetum) & in singulis alijs locis Religionis eiusdem habentibus membra sibi subiecta, aut si inibi solitum est Capitulum celebrari annis singulis Capitulum celebretur, die videlicet ad hoc statuto, vel per ipsum Capitulum annis singulis statuendo. in loco scilicet principali, & non alibi, nisi euidentis necessitas suaderet huiusmodi Capitulum alibi celebrandum. Prelatus aut loci principalis, in loco in quo celebrabitur ipsum Capitulum, eidem Capitulo omnino studeat personaliter interesse, cui etiam præesse debet. quod si eum tunc ab eodem Capitulo abesse contigerit, teneatur alicui idoneo, loci & Religionis eiusdem committere vices suas, qui inter sit, & præsit Capitulo memorato, nisi ex priuilegio, statuto, vel consuetudine alteri hoc competere nosceretur. ad huiusmodi autem Capitulum Abbates, Præpositi, Priores, & administratores eidem loco principali immediate subiecti, necnon vbi fuerit consuetum, etiam canonici administrationem non habentes, extra Ecclesias, monasteria, & loca prædicta morantes, personaliter conuenire impedimento cessante legitimo, aut impedimento huiusmodi subsistente, Abbates, Præpositi, Priores & administratores prefati procuratorem idoneum sufficienter instructum, cum mandato legitimo causam, seu causas impedimenti huiusmodi, & expresse iurandi in animas ipsorum constituentium, causas huiusmodi fore veras, & reddendi rationem infra scriptam, & illa faciendi, quæ facere possent si essent presentes, potestatem continentem, ad ipsum Capitulum dirigere teneantur. Is verò, qui tunc præerit dicto Capitulo, cum quatuor senioribus per ipsum Capitulum aut maiorem partem ipsius eligendis, an cause huiusmodi sufficientes fuerint arbitrabitur vel eis non venientibus, aut nullum zalem procuratorem mittentibus, vel causas minus sufficientes prætendentibus, de pœna condigna ob hoc talibus infligenda habeat extimare, quam ipse solus

Præsidiens infligendi, & aliàs contra ipsos absentes si opus fuerit auctoritate Apostolica prout iustitia, & regularia instituta suaserint, procedendi habeat facultatem. Conuenientes ad dictum Capitulum vitâ ducant communem, & faciant proportionaliter simul omnes expensas, nisi forte ex consuetudine, vel statuto, aut alia ordinatione rationabili incumberet alijs, seu alijs onus expensas huiusmodi faciendi. quos tamen si ex hoc, quod singulis annis fieri volumus Capitulum memoratum, vel ex alijs supra, vel infra statutis, ampliores expensas fieri contigerit, nolumus in expensis publicis plus solito onerari, sed tunc huiusmodi ampliores expensæ fiant per omnes simul proportionaliter, ut præfertur. Quod si forsan aliquis ex locis prædictis in quibus, ut præfertur, debet dictum Capitulum celebrari, membra habeat adeò sibi remota, quòd administratores principales dictorū membrorū nequeant annis singulis ad ipsum Capitulum absq; notabili dispendio conuenire, tunc dictum Capitulum teneatur ordinare, quando dicti administratores ad Capitulum huiusmodi debeant conuenire.

In huiusmodi autem Capitulo tractetur præcipue de reformatione morum & obseruantia regulari, ac corrigantur & reformentur in eo, quæ super spiritalibus, & temporalibus Religionis eiusdem corrigenda fuerint, & etiam reformanda. ipsoq; Capitulo perdurante, Abbates, Priores, Præpositi, ac Archidiaconi, ceteriq; administrationem habentes in religione prædicta, quouis nomine censeantur, de suis administrationibus eidem Capitulo teneantur afferre, & in scriptis tradere rationem, declarando videlicet si administrationes ipsæ aliquibus, & quantis, & ex quibus causis, quibusq; personis, & qualibus obligationibus, & an sub usuris sint debitis obligata, & an ipsa debita possint de rebus extantibus mobilibus persolui, aliq; onera sibi, suisq; administrationibus incumbenda supportari, sine debitorum augmento, & generaliter an administrationes ipsæ in casu desolationis, & quare, vel in statu prosperitatis existant. Huiusmodi autem rationum scripturæ, continentes administrationum ipsarū tam onera, quàm augmenta, in loco principali cuius tenetur Capitulum, sub fida custodia fideliter conseruentur, eorum à quibus ratio reddita fuerit proprijs subscriptionibus cõmunita. Volumus autem, quòd in casu, vbi Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, & alijs administrationē habentibus, minime videretur expediens, sed periculosum esse reuelare in dicto Capitulo cõmoda, seu augmenta, quæ de administratione huiusmodi superessent, quatuor eligendis de dicto Capitulo, duobus per ipsum Abbatem, seu Præpositum, vel Priorem, seu Archidiaconum, vel quemuis alium administrationem habentem, & duobus alijs per Capitulum, vel maiorem partem ipsius, qui quatuor huiusmodi officium in virtute obedientie recipere teneantur, reuelare prædicta, quæ super sint in quibuscunque rebus consistunt, fideliter teneantur eidem quatuor sic electis. iuramentis in presentia dicti Capituli præstitis, quòd non reuelabunt prædicta, nisi cedentibus, vel decedentibus ijs, qui reddiderint rationem, vel alia causa rationabili exigente.

gente. & tunc de licentia superioris sui, vel illius, qui dictam reddit rationem.

§. 9. Capitulum prouinciale ubi, & per quos fieri debeat.

Constitutionem insuper Concilij Generalis de communi Capitulo Abbatum atque Priorum, Abbates proprios non habentium, in singulis regnis siue prouincijs faciendo, volentes exacta diligentia obseruari, statuimus quod in regione predicta, in singulis prouincijs per vos designatis inferius & distinctis, fiat in loco, qui ad hoc fuerit deputatus. de quadriennio in quadriennium (saluo iure Dioces.) commune seu prouinciale capitulum Abbatum, Praepositorum, Priorum, caterorumq; praelatorum, Abbatum, seu alios Praelatos superiores eiusdem Religionis non habentium; necnon Praepositorum, Priorum, vel aliorum maiorum in Ecclesijs Cathedralibus postantistites existentium, ac post antistites ipsos regulare curam canonicorum habentium, quocumque nomine censeantur, aut nuncupentur, siue praeonominati, exempti siue non exempti existant. ad quod uniuersi conueniant, impedimentum canonicum non habentes, dictam Constitutionem circa praefatum prouinciale capitulum, & alia in ea tam provide, quam salubriter instituta in Religione praefata irrefragabiliter obseruantes. Qui uero ad praefatum capitulum personaliter venire nequiverint legitime impediti, ad allegandam causam impediti huiusmodi, & probandam, necnon ad videndum ordinationes, seu statuta, atque mandata in dicto capitulo facienda, ac si idem taliter impeditus personaliter praesens esset canonice suum eiusdem Ecclesiae, monasterij seu loci (si commode fieri possit) alioq; in alia persona idonea cum sufficienti mandato causam impediti huiusmodi continere, & et potestatem in animam constituentis eundem, iurandi causam huiusmodi uera esse, ad dictum capitulum mittere teneantur. Personae uero quae praesuerint huiusmodi prouincialibus capitulis celebrandis (quarum potestate de vno prouinciali, ad aliud prouinciale volumus perdurare) arbitretur, & decernant an excusationum causa dictorum non uenientium ad capitulum, sufficientes existant, a quarum arbitrio, seu decreto super hoc nulli appellare liceat, vel et reclamare. Non uenientes autem ad dictum capitulum legitimo impedimento cessante, aut quum subest impedimentum, procuratorem ad illud cum sufficienti mandato, ut praemittitur, non mittentes, teneantur expensas, quas fecerint in ueniendo ad dictum capitulum morando, & redeundo facturi, iuxta Praesidentium dicto capitulo, seu maiori partis eorum, arbitrium extimandas in termino per ipsos Praesidentes statuendo, de bonis suae administrationis persolvere, in utilitatem ipsius prouincialis capituli conuertendas super quibus nulli, in totum, vel in parte gratia fieri valeat, vel remissio indulgeri. Possint et dicti Praesidentes, eosdem ad earum solutionem per censuram Ecclesiasticam auctoritate Apostolica coercere, suosq; processus, & sententias publicare, seu facere publicari in locis dictae Religionis, prouinciae tamen eiusdem. Et nihilominus alias, contra non uenientes praefatos (maxime si ut correctionem euisent siue ut nesciatur sta-

tus Ecclesiae, vel monasterij eorundem, ut alias malitiose se subtrahant) prout dictis Praesidentibus, seu maiori parti ipsorum visum fuerit, procedatur. Circa praesidentes uero, ac uisitatores, in eisdem capitulis deputandos, & alia quaeque eis exequenda, illa seruentur, quae in eiusdem generalis concilij, & sel. record. Honorij Papae III. praedecessoris nostri constitutionibus expressius continentur, prout statui, & religioni congruit eorundem. seruat tamen statutis, ordinationibus & adiectionibus nostris, supra & etiam infra scriptis.

§. 10. Capituli praedicti ordinationes quos ligent.

Ad haec, decernimus Abbates, Praepositos, Priores, ac maiores praefatos, capitula, conuentus, cunctosq; canonicos Ecclesiarum, & monasteriorum eiusdem Religionis (etiam si in ipsis Ecclesijs, vel monasterijs, siue extra ea, ubicumque Prioratus officia, vel administrationes habuerint, seu moram traxerint) tam exemptos, quam non exemptos, dictorum capitulorum prouincialium districtionibus, correctionibus, & ordinationibus subijci, & ipsis astringi, eosq; ad obseruationem illarum fore per praesidentes, seu alios, ad quos pertinuerit, compellendos.

§. 11. Eiusq; expensae a quibus sustinendae.

Decernimus etiam quosq; dictarum Ecclesiarum & monasteriorum, vel aliorum locorum eiusdem canonicos beneficia obtinentes, ad contribuendum in expensis moderatis, & rationabilibus per capitulum annale religionis eiusdem immediate praecedens taxandis, secundum suarum exigentiam facultatum, quas dicti conuenientes facient ad illa capitula eundo, morando, & redeundo imposta, tam dictis conuenientibus secundum suarum exigentiam facultatum, de dictis expensis congrua fore portione per eosdem conuenientes auctoritate Apostolica per remedia opportuna sublati appellacionis obstaculo, compellendos. Ordinarijs locorum, exemptis, & non exemptis districtius iniungentes, quod nullum praedictis impedimentum apponant, vel apponi permittant, sed legitime requisiti ea faciant executioni mandari, & inuiolabiliter obseruari.

§. 12. Quid agendum quando cathedrales canonicorum carerent maioribus tempore celebrationis d. Capituli.

Quod si forte tempore, quo imminet prouinciale capitulum celebrandum, contigerit Ecclesias cathedrales Religionis eiusdem carere maioribus praebatis, vel monasterijs, seu loca Religionis eiusdem suis vacare, seu carere pastoribus, qui si adessent, astricti forent ad conueniendum in prouinciali capitulo memorato, capitula Ecclesiarum, & conuentus monasteriorum, aliorumq; locorum conuenualium praedictorum, teneantur personam sufficientem de gregio eorundem (si commode fieri possit) alioquin aliunde transmittere ad huiusmodi capitulum celebrandum, ad faciendum, & implendum omnia iuxta arbitrium Praesidentium, quae facere possent & tenerentur praelati, seu maiores praefati, si uenirent ad dictum capitulum, & in eo personali, et interessent.

§. 13. Qua-

§. 13. Quadriennium pro Capitulo celebrando quomodo intelligatur.

Quod autem premissitur de provinciali Capitulo de quadriennio in quadriennium celebrando, ad cuiuslibet habitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus. ut scilicet si provinciale Capitulum fuerit celebratum, duobus futuris annis proximis ab illo valeat abstinere, eo in alio anno immediate sequenti omnimode celebrando.

§. 14. Quove in loco celebrandum sit.

Huiusmodi vero commune, seu provinciale Capitulum apud unum de monasterijs Religionis eiusdem ad hoc aptum, si in eadem existat provincia debeat celebrari. Alioquin celebretur in loco congruo & securo, de quo à die primi Capituli celebrandi, & alijs ad hoc facientibus, opportunitè providebunt illi, qui super hoc per Sedem Apostolicam deputati fuerint prima vice.

§. 15. Quæ in eodem statuenda sint pro futuro Capitulo.

Et ut super eodem Capitulo & per illud extunc in posterum rationabilis ordinatio habeatur, in dicto primitus celebrando, & in alijs etiam per successiones temporum similiter celebrandis, Praesidentes eiusdem seu pars maior eorum, provideant & ordinare procurent, per quem in sequenti Capitulo sermo fieri, missaq; debeat celebrari. Eligant quoque tam locum in quo alia vice proxima huiusmodi Capitulum fuerit celebrandum, quam eos, qui Praesidentes esse debeant in eodem. Provideant etiam, qui Abbates, quive Praepositi, seu alij ex eis, qui ad ipsum capitulum venire tenentur, qui & quot & quotiens Ecclesias cathedrales, monasteria, & alia loca religionis eiusdem debeant usque ad aliud proximum sequens provinciale Capitulum, visitare.

§. 16. Quæ personæ ad Capitulum duci nequeant.

Ceterum prohibemus, ne venientes ad provincialia, seu annalia capitula, secum ducant, vel duci faciant, seu permittant euectiones, seu familiares numero superfluos, seu quomodolibet excessivos, aut tales de quibus presumi valeat, quod alicui ad ipsa Capitula venienti, aut in eis moranti, vel de illis redeunti, aut Ecclesijs, monasterijs, Prioratibus, vel alijs locis eorum inferant per se vel alios, in personis, vel rebus, iniuriam, vel offensam; vel quod in aliquo de dicto Capitulo aut in Ecclesia, vel monasterio, siue loco, quibus illa contigerit celebrari scandalum suscitare, vel turbationem facere, seu discordiam, vel contentionem mouere verisimiliter presumatur: sed numero euectionum, & familiarium, statui cuiuslibet eorum congruo sint contenti. Si quis autem eorum, scienter & ex proposito, duxerit, vel tenuerit aliquem, vel aliquos ad inferendum iniuriam, vel offensam huiusmodi, ut turbetur, vel impediatur imminens Capitulum, vel aliquem, seu aliquos ad hoc conuocauerit, & ob hoc turbatio, seu impedimentum secuta fuerit, vel sequutum, necnon quicumque alius de personis religionis eiusdem consen-

sens in premissis extiterit, prestando auxilium, vel fauorem, scienter, & ex proposito, ut premissum est, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.

§. 17. Impedientium celebrationem Capituli provincialis, vel annalis poena.

Eandem quoque excommunicationis sententiam quicumque religionis praefatae, per se, vel aliam impediuerit malitiose, scienter, & ex proposito, quominus dicta Capitula, provinciale videlicet & annale, & eorum quodlibet valeant celebrari, aut propterea praesumpserit euntes ad illa, vel aliquod eorundem, vel in eis morantes, seu de ipsis redeuntes, capere, seu capi facere, seu captos detinere, aut impedire, vel eis aut eorum familiaribus, in personis vel rebus inferre damna, iniurias, vel offensas. necnon quicumque ipsius religionis, qui ad hoc ne fiat, aut impediatur visitatio malitiose, & ex proposito, praedicta, vel eorum aliquod, per se vel alium commiserit, in personas Abbatum, Priorum, vel aliorum proprios subiectos visitantium, vel in personas Visitatorum, qui in provincialibus Capitulis, aut per Abbates, seu prelatos alios fuerint deputati, vel familiarium eorundem, aut in bonis eorum, dum tamen propter hoc visitatio huiusmodi fuerit impedita, ipso facto incurrant. Praesidentes autem provincialibus, & annalibus Capitalis praelibatis, & eorum quilibet postquam simpliciter & de plano eis constituerit aliquem ex praedictis praefatam excommunicationis sententiam incurrisse, ipsum excommunicatum per omnia eiusdem religionis loca, de quibus eis videbitur tamdiu solemniter publicent, & faciant ab alijs auctoritate Apostolica publicari, eos ad hoc per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, donec excommunicatus huiusmodi condignam super hoc satisfactionem impenderit, & absolutionis beneficium meruerit obtinere. Possint autem ad huiusmodi excommunicationis sententia, congrua satisfactione praemissa, absolui per Praesidentes praedictos provincialibus Capitulis, & quemlibet eorundem, quorum offensa concernet eorum provinciale Capitulum, aut per Visitatores deputandos ab eo; illi quorum offensa respiciet annale Capitulum, per Praelatos qui huiusmodi annali, seu annalibus Capitulis praefuerint, aut per ipsos Praelatos visitantes, seu per Visitatores deputatos ab eis congrua satisfactione praemissa absolui valeant: nisi forsitan offensa adeo gravis existeret, quod super ea Sedes Apostolica foret merito consulenda.

§. 18. Offendentiumq; personas & loca religionis.

Vt autem professores religionis eiusdem, quietius & liberius valeant domino famulari, districte precipimus tam Diocesanijs, quam personis, quae provincialibus Capitulis praesidebunt, ut Advocatos, Patronos, Magnates, Rectores, Vicedominos, Consules, Milites, & quoscunque alios per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compestant, ne Cathedrales Ecclesias, monasteria, aut loca religionis eiusdem praesumant offendere in personis, aut rebus eorum, eosque si forte eiusdem offensas iniulerint,

lerint, ad satisfaciendum eis compellere non omittant.

§. 19. Prouinciarum in quibus celebrentur Capitula distinctio.

VT autem de Prouincijs, in quibus dicta prouincialia Capitula fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum habetur, quamlibet prouinciam, quoad huiusmodi prouincialia tenenda & celebranda capitula, prout sequitur, limitamus. In primis Vrbs Romana cum Episcopatibus nobis immediatè subiectis, in nostra speciali prouincia constitutis cum toto Regno Sicilia pro una prouincia computatur. Prouincie Thebana, Cretensis, Asbeniensis, Patracensis, Corinthiensis, & Neopatensis, cum toto Patriarchatu Constantinopolitano pro una. Regnum Cypri pro una. Regnum Corsicæ, & Sardinia pro una. Prouincie Pisana, Ianuensis, Mediolanensis, & Rauennas, cum Episcopatibus Placentinensi, Ferrariensi, Ariminensi pro una. Patriarchatus Aquilegensis, & Gradensis, cum Prouincijs Iadrensi, palatensi, Ragusinensi, Antibarensi pro una. Prouincie Strigoniensis, Colocensis, ac Gueznensis, cum Episcopatu Caminensi pro una. Rigiensis pro una. Salsburgensis, Madeburgensis, & Bremensis pro una. Colontensis, Maguntinensis, Treuerensis, cum Episcopatu Bambergensi pro una. Ebredunensis, Viennensis, Aquensis, Arelatenensis pro una. Lugdunensis, Tharantasiensis, & Bisuntina pro una. Remensis, Senonensis pro una. Rothomagensis, & Turonensis pro una. Burdegalensis, & Bisuricensis, cum Episcopatu Ancienti pro una. Narbonensis, Tholosana, & Auxitana pro una. Tarraconensis, & Casaraugustana cum Episcopatu Maiaricensi pro una. Toletanensis, Hispalensis, Compostellanensis, & Bracharensis pro una. Cantuariensis, & Eboracensis pro una. Tota Hybernia pro una. Regnum Scotiæ pro una. Regna Dacie, Noruegiæ, & Suetiæ pro una prouincia deputantur. Si qua verò Episcopatus, vel monasteria, aut loca alia dictæ religionis existant, quæ in aliqua dictarum Prouinciarum minimè includantur, quoad dicta capitula prouincialia intelligantur esse de illa prouincia, cui viciniora existere dignoscuntur.

§. 20. Visitatorum munus præfinitur.

Visitatores siquidem, qui secundum Constitutionem dicti generalis Concilij fuerint in prouincialibus Capitulis deputati, sint solliciti circa huiusmodi visitationis officium exequendum. & quantum status, & religioni eorum conuenit, obseruare studeant, quæ in dictis constitutionibus præfatorum Concilij, & Honorij sunt statuta. Quod si omiserint illa exequi negligenter, à Præsidentibus prouincialibus Capitulis, quum eis huiusmodi negligentia nota fuerit, grauius arguantur, & per eos prout qualitas culpe ipsorum exegerit, puniantur. Vt autem dictorum Visitatorum officium cum sinceritate procedat, districtius inbibemus, ne quis Visitator sibi deputati eodem anno esse valeat Visitator. Dicti autem Visitatores & familiares eorum, in Ecclesia Cathedrali, seu monasterio, vel alio loco religionis ad

quem visitationis causa duxerint declinandum, ultra duos dies utquaque remaneant, nisi euidens necessitas foret, vel magna utilitas Ecclesie, monasterij, seu loci huiusmodi, ampliorem moram Visitatorum, vel familiarium exigeret eorundem. quo casu possint ulterius remanere, ita tamen quod id faciant de consilio seniorum dictæ Ecclesie, seu monasterij, siue loci. Dicti quoque Visitatores, vel familiares eorum, Ecclesie, Monasterio, siue loco, cui officium Visitationis impendunt, onerosi nequaquam existant, nec sumptuosas epulas querant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod bonestè, & competenter eis fuerit ministratum. Caveant insuper, ne quisquam ipsorum, aut familiares eorum per se, vel per interpositam personam aliquam pecuniam huiusmodi, vel alia occasione quacunque, nisi pro expensis duntaxat, & tunc secundum infra scriptum modum exigant, aut etiam à volente recipiant. neque aliquod munus quodcunque sit, vel qualitercunque offeratur præsumant recipere à quocunque, ut non quæ sua sunt videantur querere, sed quæ Christi. quod si fuerit contra præsumptum, duplum eius quod receperint, Ecclesie, monasterio, siue loco, à qua, vel quo id receptum fuerit, intra mensem reddere sentiantur: alioquin duplum ipsum eis ultra dictum tempus restituere differentes, tam diu sint ab officio, beneficioque suspensi, quousque grauatis Ecclesijs, monasterijs, siue locis, de huiusmodi duplo plenariam satisfactionem impendant. nullis in hoc dantium liberalitate, remissione, vel gratia validuris. Et nibilominus ydem Visitatores si opus fuerit, per Præsidentes dictis capitulis prouincialibus, & eorum quilibet, ad restitutionem præfati dupli, auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna remedia compellantur. Concedimus tamen, ut Præsidentes dictis capitulis, vel pars maior eorum, ordinare possint prout & quando eis visum fuerit expedire, quod dicti Visitatores expensas recipiant in pecunia. & eo casu quo hoc duxerint ordinandum, dictas expensas, omni odio & fauore remotis, moderari habeant, & taxare. prouiso tamen quod summa, in constitutione, quam super moderatione procurationum edidimus, quæ incipit, Vas electionis, nullatenus excedatur. Idem etiam Præsidentes discretè prouideant, ut quum inter loca visitata, & visitanda magna fuerit distantia, quantum quislibet eorundem locorum, visitatus scilicet, & etiam visitandus, soluere habeant Visitatori pro suis sumptibus moderatis. Si tamen monasteria visitanda in facultatibus sint collapsa, tunc de expensis quas dicti Visitatores facturi erunt occasione visitationis locorum huiusmodi collapsorum, prouideatur eisdem de communi contributione in prouinciali capitulo facienda. Vt autem visa scandalis præcludatur, inbibemus Visitatoribus memoratis, ne illos, seu eorum nomina, qui eis aliqua secreta in visitationibus reuelauerint, præsumant alijs reuelare, sed tunc demum dicti Visitatores procedant super dictis reuelatis, prout secundum canonica & regularia instituta fuerit procedendum. Quod si dicti Visitatores contra inbi-

inhibitionem huiusmodi reuelauerint, seu eorum nomina detexerint, prout facti qualitas exigit, per Praesidentes, vel eorum quemlibet, puniantur.

S. 21. Collectæ quæ, & quando pro subuentionibus imponantur, & quomodo.

Quoniam in prouinciali, & annali Capitulis, & alijs negocijs expensæ necessaria requirantur, ut onus diuisum in partes leuius supportetur, statuimus, quod in eisdem Capitulis cuiusquam contradictione, vel absentia non obstante, pro communibus libertatibus defendendis, necnon necessitatibus, utilitatibus, & alijs plerumque occurrentibus necessarijs oneribus, & expensis auctoritate Apostolica imponantur collectæ, subuentiones, seu contributiones. videlicet in Capitula prouinciali pro tangentibus ipsum Capitulum, secundum arbitrium ipsius prouincialis Capituli, vel maioris partis eiusdem, in annali vero Capitulo, pro tangentibus ipsum annale Capitulum, vel locum principale, ubi debet ipsum Capitulum celebrari, secundum arbitrium praelati Praesidentis ipsius annali Capitulo, & Diffinitorū, ubi Diffinitores fuerint, & ubi non fuerint, secundum arbitrium ipsius Capituli, seu maioris partis eiusdem. Volumus tamen, quod libertates, necessitates, seu utilitates, & alia pro quibus huiusmodi collectæ, subuentiones, seu contributiones fuerint imponendæ, in eisdem Capitulis prouincialibus, & annalibus clarè, & explicitè ponantur, & aliter, quam ut præmittitur imponi, non possint. & si secus actū fuerit, impositio, & processus, ac sententiæ occasione huiusmodi impositionis facti, & lata, omni careant roboris firmitate, ac nihilominus restituatur eisdem quicquid occasione huiusmodi ab ipsis exactum fuerit, & receptum. De dictis autè subuentionibus, contributionibus, seu collectis, possit membris necessitatè patientibus subueniri, prout expositis prius dictis necessitatibus annali Capitulo, prædicti quorum arbitrio subuentiones, contributiones, seu collectæ huiusmodi imponi debuerint, in ipso annali Capitulo fuerint arbitrati. prouiso tamè quod administratores dictorū membrorum necessitatè patientium expendere habeant pro dictis necessitatibus quantum membra ipsa poterint sustinere. Ut autem in cōseruatione collectorū, subuentionū, seu contributionum huiusmodi adhibeatur cautela diligens, & etiā opportuna, præcipimus ut illæ quæ impositæ fuerint in Capitula prouinciali, per tres bonos, & fideles de illis, qui ad ipsum Capitulum prouinciale venire tenentur, in aliqua Ecclesia, Monasterio, seu alio loco conuenienti, & securo seruentur. quæ verò impositæ fuerint in annali, per tres fideles, canonicos loci, in quo imponentur (quorum unū ponat ille, qui præfuerit ipsi Capitulo annali, aliū verò Priores, & administratores, & tertium Capitulum, seu conuentus, monasterij, siue loci, ubi huiusmodi annale Capitulum fieri debet) in una arca serrata in tribus diuersis seris, & clauibus fideliter custodiantur, & in usus duntaxat, pro quibus impositæ fuerint, conuertantur. Pro his autè collectis, & subuentionibus, seu contributionibus fideliter conseruandis, & ut præmittitur expendendis, dicti tres, qui ad hoc fuerint in prouinciali Capitulo deputati, præsent in Praesidentium

ipsius Capituli, & alij præfati tres canonici in Prælato Praesidentis, & Capituli, seu conuentus loci principalis, cuius annale Capitulum celebrabitur præsentia, corporaliter iuramentū, nec imponi valeat alia contributio, quamdiu aliquid de prima contributione, quod sufficiat contigerit superesse. Habeant autem Praesidentes & eorum quilibet, quo ad huiusmodi prouincialia capitula, similiter quoque prælato, seu alij, qui præerint dictis annalibus Capitulis, quo ad ipsa annalia capitula auctoritate Apostolica supra dicta exigendi, colligendi, & leuandi collectas, subuentiones, & contributiones prædictas. & contradictores, & rebelles quoslibet eadem auctoritate per censuram Ecclesiasticam, vel alia iuris, & ipsius religionis remedia, remoto cuiuslibet appellationis obstaculo compellendi, & etiā puniendi, & exequendi liberè suos processus, & sententias super præmissis habitos, & prolatos in Ecclesijs Cathedralibus, alijsue locis religionis eiusdem, quando, & quotiens eis visum fuerit expedire, necnon etiam absoluedi (congrua tamen satisfactione præmissa) à dictis sententijs, & relaxandi, atque tollendi omnes processus & sententias eorundem. & cum eis, qui dictis ligati sententijs per simplicitatem, & iuris ignorantiam, non tamen in contemptum clausum, celebrando diuina, vel se ingerendo eisdem irregularitatem incurrerint super irregularitate huiusmodi dispensandi liberam potestatem.

S. 22. Magistri ad docendos canonicos deputentur.

Quoniam per exercitium lectionis, studentes literarum scientijs imbuuntur, nos cupientes ut viri religionis eiusdem in primitiuis, & deinde in Diuini, & Canonici Iuris scientijs instruantur, statuimus, quod in qualibet Ecclesia Cathedrali, monasterio, locoue alio Conuentuali, seu Collegiato dicta religionis, cui ad hoc suppetens facultates, habeatur magister, qui canonicos doceat infra septa locorū in scientijs, videlicet Grammatica, Logica, & Philosophia. prouiso attentius, ut seculares instruendi cum ipsis canonicis, docendique in eisdem monasterijs, siue locis, nullatenus admittantur. In Ecclesijs tamen Cathedralibus religionis eiusdem, iura super hoc edita obseruentur. Prouideatur autem quotidie præfato magistro, si alius, quam canonicus eiusdem loci fuerit, sufficienter in pane & vino, & pitantia, per illos, qui talia tenentur in eadem Ecclesia, monasterio, siue loco canonicis ministrare. Eisdem quoque magistro pro vestimentis, & calceamentis, ac salario congrua pensio annua assignetur, summam viginti librarum Turonensium paruorum nequaquam excedens, quæ de infra scripta communi contributione soluatur, donec pro ea certi, & perpetui redditus fuerint assignati. Si verò in locis prædictis fuerit canonicus ad huiusmodi instructionem idoneus, per superiorem suum, ad quæ hoc pertinueris deputetur instructor, & ad hoc si necesse fuerit compellatur. cui siquidè instructori Canonico ultra victum, & vestitum, pro libris emendis, & alijs necessitatibus suis iuxta dispositionem Superioris sui, decem libræ paruorum Turonensium assignentur. Prælato verò, seu alij ad quos spectauerit, canonicos instruendos dociles tam de capite, quam de membris, cum consilio seniorum eligere, & de

ipforum certo numero, ac de locis, & temporibus, quibus lectionibus, quibusue diuinis officijs, seu obsequijs alijs opportunis intendant, ordinare pure, & provide teneantur. Si tamen dicti Canonici instituenti, teneri, & instrui commodè in loco principali nequiverint, & propter hoc fuerit hactenus consuetum, ipsos instruendos in aliquo de membris ipsius loci teneri, atque instrui, non intendimus circa hoc, dummodo ibidem vigeat observantia regularis, aliquid immutare. Possint autem prefatus Magister, seu instructor, & instruendi, cum consilio seniorum proat expediens visum fuerit eis, ad quos pertinuerit, remoueri, & per eos loco eorum, qui remoti fuerint, alij subrogari. Precipimus insuper cunctis Vistoribus in provincialibus Capitulis deputatis, quodea, quæ sunt de Magistro, seu instructore, & personis instruendis, & alijs circa hæc superius ordinata, faciant autoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna remedia appellatione remota, firmiter observari. Et nihilominus, ea quæ super prædictis fecerint, & inuenerint, Præfidentibus Capitulo provinciali referant, qui etiam Autoritate Apostolica, si eis, vel maiori parti ipsorum visum fuerit, contra negligentes, vel rebelles in præmissis, procedat sicut videbitur expedire.

§. 23 Canonici qui, & quot ad studia mittantur.

Quia verò expedire dignoscitur, ut ydem Canonici postquam in scientijs primitiuis fuerint eruditi, ad sacra Theologia, vel Canonum transeant facultatem, statuimus, ut Ecclesia Cathedralis, Monasterium, Prioratus, locusue alius religionis eiusdem, cum membris inferioribus declarandis, de quolibet vicenario numero Canoniorum, unum aptam Canonicam huiusmodi scientijs acquirendis ad generalia, seu solemnia studia mittere, & cuilibet mittendorum ipsorum teneantur de infra scripta annua pensione providere. Huiusmodi autem vicenarium numerum sic volumus computari, ut videlicet illi dumtaxat Canonici numerum ipsum efficiant in casu, qui fuerint in Ecclesia, Monasterio, vel loco alio principali, & in loco alio ei subiecto, habente octo, vel plures Canonicos, præter Priorem, seu administratorem loci subiecti, & ipsorum, cum Canonicis eiusdem Ecclesie, seu Monasterij, & loci alterius principalis, in computatione, ac missione huiusmodi coniungantur. Quod si forsan ultra dictum numerum vicenarium aliqui superessent, qui tamen vicenarium alium non completerent, non propter hoc ardeatur aliquem mittere ad studia prælibata. Vbi autem huiusmodi Ecclesia, Monasteria, siue locus ad mittendum plures ad prædicta studia, quam præmissis, astringeretur ad consuetudinem, vel ordinationem aliam, seu statutum, non intendimus consuetudini, ordinationi, seu statuto huiusmodi per præmissa aliquatenus derogare. Si verò in huiusmodi Ecclesia, Monasterio, vel loco alio principali, vicenarius Canoniorum numerus non existat, numerus tamen maior senario sit ibidem, teneantur vistorum per provinciale Capitulum deputati, quorum in

ea, vel eo vistorationis officium exercebunt, inquirere de facultatibus, & oneribus huiusmodi Ecclesie, monasterij, siue loci. & si huiusmodi oneribus supportatis, inueniant facultates sufficere pro uno, vel pluribus Canonici ad dicta studia destinandis, relationem de hoc faciant in provinciali Capitulo subsequenti. in quo Præsidentes cum consilio, & assensu maioris partis Capituli, ordinent autoritate Apostolica iuxta huiusmodi supplicationem facultatum, de uno, vel pluribus Canonici ad eadem studia destinandis. Eligantur autem ipsi Canonici mittendi, prout ad scientias Theologie, vel Iuris Canonici, seu magis ad unam, quam ad alteram aptiores poterint inueniri. sic tamen quod (si tot apte reperiantur pro ipsius Theologie studio) ad minus medietas mittendorum, pro ipsius Theologie studio destinentur. & qui electus fuerit, ad unam de ijs scientijs, ad aliam proprio arbitrio nequeat se transferre, quod si fecerit, de studio renocetur. Ut autem ad electionem Canoniorum ad prædicta studia mittendorum, sincere, & celeritate congrua procedatur, Capitulum Ecclesie Cathedralis religionis eiusdem, septem: Abbas verò, Prior, & quicquid alius Prælatus Monasterij, seu Prioratus, & loci Conuentualis religionis eiusdem, habentis vicenarium, aut maiorem numerum Canoniorum, quinque: habentis verò numerum minorem vicenario, tres Canonicos seniores, qui dictam electionem facere habeant infra quinque dies post festum Beate Marie Magdalene, quod primitus à publicatione huiusmodi nostre constitutionis in eorum Capitulis annalibus facta occurrerit, & deinde singulis annis in perpetuum, quotiens electio de Canonici, ut præmittitur, mittendis extiterit facienda, infra idem tempus eligere teneatur. Seniores autem ipsi antequam ad huiusmodi electionem procedant, iuramentum præstent (ad quod præstandum per Superiores suos, si opus fuerit, eos volumus coartari) quod timore, amore, odio, pretio, seu favore reiectis, illos ex Canonici in scientijs primitiuis, & regularibus obseruantijs informati, ac vita, & moribus commendandis, eligant ad studia supradicta, quos magis dociles, & aptiores esse crediderint ad alterutram, ex Theologie, & Iuris Canonici scientijs, ad quam fuerint destinandi. Quam verò dicti seniores præstiterint huiusmodi iuramentum, teneantur infra tres dies cum consilio Instructoris, si Canonicus extiterit, iuramento simili astringendi, coram Ecclesia Cathedralis Capitulo, vel Abbate, seu Priore, uel alio Prælato prædictis, mittendos præfatos eligere. Electione autem facta per seniores eosdem, uel maiorem partem numeri eorundem, cum consilio; ut præmittitur Instructoris, is ad quem pertinuerit, licentiam eundi ad studia supradicta infra sex dies, post habitam de dicta electione noticiam, concedere eis sit astrictus. Idemque electi mittendi ad Parisense studium, illuc in Exaltatione sanctæ Crucis, alij verò ad alia studia destinandi, illuc in sancti Luca diebus festis, uel circa, adesse procurent. Quod si forsan, dictum Capitulum

tum infra predictos quinque dies, praefatos septem seniores, non elegerit, aut si ipsi septem ab eodem Capitulo, vel dictis quinque, seu tribus senioribus à praefato Abbate, seu Priore, vel alio praelato, ut praefertur, electis, ydem seniores, vel eorum maior pars in casu quolibet predictorum, infra dictos tres dies huiusmodi Canonicos mittendos non duxerint eligendos: ex tunc in Ecclesia Cathedrali, ad illum, qui praest in regularibus disciplinis post Antistitem, in Monasterio verò, seu Prioratu, locove alio ad Abbatem, seu Priorem, vel alium praelatum, eo ipso huiusmodi electio deuoluitur. Ille verò ad quem ipsa electio fuerit deuoluta, electione dictorum mittendorum infra triduum post notitiam deuolutionis huiusmodi, cum consilio quatuor canonicorum districtorum suae Ecclesiae, seu Monasterij, aut loci, vel Prioratus huiusmodi, quos ad hoc elegerit, & simili astrinxerit iuramento, facere teneatur. Qui verò in praemissis reperitus fuerit deliquisse, prout delicti qualitas exegerit, puniatur. nihilominus his, quae circa hoc negligenter omissa, vel dolose commissa fuerint supplendis quantocius, & etiam reformandis.

S. 24. Pensiones Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, &c. assignentur.

Quoniam insistentes literarum studijs diuersa subire oportet onera expensarum, predictis Canonicis, qui mittentur ad studia generalia, Magistris, & Bacchalaris, & legentibus, ac scholaribus studentibus, in subsequentibus quantitatibus pro expensis huiusmodi, fore decernimus pensiones annis singulis ministrandas. videlicet in Theologia magistro sexaginta, Bacchalaris quadraginta, ac scholari similiter quadraginta. In iure verò Canonico Doctore quinquaginta, Bacchalaris verò, ac scholari, cuiuslibet eorum videlicet, triginta quinque libras Turonensium paratorum, vel earum valorem in alia moneta, tam pro victualibus, & vestimentis, quam pro libris, & quibuscunque necessitatibus alijs eorundem. Si autem in aliqua Ecclesia, Monasterio, siue loco est taxatum, siue ordinatum, quod & quantum assignari debeat Canonico in studio existenti, illud detur, & assignetur loco pensionis praedictae, etiam si eandem excedat, ei qui ut praemissum est, ad studium transmittetur. Vbi verò huiusmodi taxatio, vel ordinatio non est facta, volumus, quod y, qui tenentur Canonicis residentibus in suis Ecclesijs, Monasterijs, seu locis, de victualibus, & vestibus providere, provisione huiusmodi ys, qui mittentur ad huiusmodi studia (etiam si taxationem dictarum pensionum excedat) loco pensionum huiusmodi integraliter facere teneantur. Quod si huiusmodi taxatio, ordinatio, siue provisio ad summam dictarum non ascendens pensionum, de infra scripta communi contributione, id quod ei defuerit suppleatur. Etsi forte taxatio, ordinatio, seu provisio praefata, non in pecunia, sed in alijs rebus ipsis Canonicis consueuerint assignari, ne super alienatione earum posset altercatio suboriri, in primo an-

nali Capitulo Ecclesiae, Monasterij, siue loci eorum, qui mittentur ad studia, tres probi viri per ipsum Capitulum, vel maiorem partem ipsius deputentur, qui in pecunia valorem provisionis eiusdem computando ea, quae computanda fuerint de bono, & aequo, & compensando unum annum cum alio, debeant estimare. quae quidem provisiones, pensiones, seu alia, quae loco earum fuerint assignanda, per eos, qui ad eorum solutionem tenebuntur, in festo Assumptionis Beatae Mariae anno quolibet, collecturibus ad eorum collectionem deputatis, integraliter persoluantur. & per eos illis videlicet, qui ad studium Parisense in festo Exaltationis sanctae Crucis, vel circa illud, eis vero, qui ad alia studia generalia, vel solemnia fuerint deputati, in festo Beatae Lucae, vel circa, singulis annis infallibiliter transmittantur. Si quis verò Abbas, Praepositus, Prior, vel Administrator, vel quicumque alius, qui ad praedicta soluenda tenebuntur, illud quod ipsorum quolibet pro rata contingente in termino ad hoc statuto soluere dictis collecturibus non curauerit, consentant ex tunc ultra quantitatem, ad quam erant ut praemittitur obligati, quinque partem eiusdem quantitatis, nomine poenae soluere dictis collecturibus infra mensem. Quod si non fecerint, si eis eo ipso tamdiu Ecclesiae interdictus ingressus, donec tam principalem quantitatem, quam huiusmodi quinque partem duxerint persolvendam. Et si ex tunc per quatuor menses pertinaciter huiusmodi substinerint interdictum, sine ipso facto tamdiu à diuinis dispensati, donec utranque duxerint persolvendam, nulla sibi permissione praemissorum quomodolibet profutura. Quantitas autem huiusmodi poenae nomine, ut praemittitur exsoluenda, in acquisitione librorum utilium, & profectus alios dictorum studentium, iuxta Superioris eorum arbitrium conuertatur. Quod si Priores, Praepositi, vel alij administratores quicumque, qui non praesunt Collegio, nec habent per electionem assumi, Abbatibus tamen, seu Praelatis alijs religionis eiusdem subiecti, huiusmodi summas soluere contempserint, & praenominatas poenas, per alios quatuor menses immediate sequentes sustinerint animis induratis, excommunicationis incurrant sententiam eo ipso. à qua, satisfactione praemissa possint absolui tam per Dioecesanum locorum, quam per Praesidentes deputatos in Capitulis prouincialibus illius prouinciae, cuius erunt, vel alterum eorundem. Quod si huiusmodi sententiam per annum animis pertinacibus substinerint, eo ipso quibuscunque obtentis beneficijs sint priuati, per illos ad quorum collationem, vel aliam dispositionem pertinerint, liberè personis alijs conferendis. Nullus autem cuiuscunque conditionis, dignitatis, aut status, siue collector pensionum huiusmodi, seu reddituum assignandorum, pro ipsis aliquid sibi, vel alteri, seu vsui cuiuscunque de praefatis pensionibus, vel fructibus, redditibus, seu prouentibus, qui assignantur pro pensionibus ipsis, quomodolibet applicare, vel alienare praesumas, in diminutionem pensionum, seu praedictum studentium predictorum.

Si quis autem collector, vel quivis alius, adversus hoc aliquid applicaverit, vel alienaverit, necnon collector, qui dictas pensiones in supradictis terminis eisdem studentibus mistere non curaverit, prout culpe qualitas exegerit, per illos ad quos pertinuerit puniatur & nihilominus si solvendo fuerit de damnis, & ininteresse satisfacere compellatur.

S. 25. Et per quos illæ solvantur.

VT autem onus pensionum huiusmodi levius supportetur, contributiones, quæ pro pensionibus studentium, & instructorum prædictorum fuerint faciendæ, solvantur per Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, & per Abbatem, Priorem, Praepositum, seu Conventum, & quemvis alium administratorem monasterij, prioratus, locive alterius, religionis eiusdem. necnon beneficiatos quorumlibet beneficiorum canonicalium ad Ecclesiam, monasterium, prioratum, vel locum alium, beneficiumque, vel dependentium, ab eodem, iuxta divisionem inter eos omnes, secundum taxationem, vel estimationem decime in taxatis; in non taxatis vero beneficijs secundum taxationem proportionaliter, & rationabiliter iuxta valorem ipsorum, in prima cuiuslibet Ecclesiæ Cathedralis, monasterij, siue prioratus, vel alterius loci ipsius religionis annali Capitulo, faciendam per illum, qui eidem Capitulo præerit, & per ipsum Capitulum, seu maiorem partem ipsius, quam si forte in huiusmodi annali Capitulo illius provincie, & quilibet ipsorum presidentium, ac visitatores per dictum provinciale Capitulum deputati, & eorum quilibet ipsos, auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna remedia, ad illam faciendam (appellatione cessante) compellere teneantur, donec ea, quæ per communem contributionem in supplementum huiusmodi dari debent studentibus, & instructoribus præfatis, in certis, & perpetuis redditibus de nouo pro his acquisitis fuerint assignata. Si qui vero ex prædictis beneficiatis proveniens habeant adeo tenues, & exiles, quod secundum communem estimationem non sufficiant supportatis eius necessarijs oneribus, ad vitam contributionis huiusmodi, ad eandem contributionem minimè teneantur. Ad hæc, prohibemus ne ulli Canonico quodcumque beneficium quantumcunque modicum, vel aliam pensionem habenti, nisi illo, vel illa omnino dimissa, vel dimisso, aliqua de dictis pensionibus studentium assignetur, quod si secus actum fuerit nullius penitus sit momenti. Si vero ipsi Canonico huiusmodi pensionem studentium obtinenti, beneficium aliquod quantumcunque modicum conferatur, volumus quod adepta possessione ipsius, cesset ipsa pensio ipso facta, eaque privatus existat, studentem alteri assignanda, ut non desit studens de numero instituto. nec per literas à Sede Apostolica, vel Legatis ipsius super provisione Canonico, aut quorumlibet aliorum obtentas, de pensione aliqua studentium prædictorum cuiquam valeat provideri, nec possit alicui alteri, nisi fuerit de studentibus, ipsa pensio per aliquem assignari, alias nulla sit assignatio huiusmodi ipso iure, & tam assignans, quam recipiens, ad restitutionem eorum,

quæ inde recepta fuerint teneantur, quæ in libris, vel alijs necessitatibus dictorum studentium convertantur. alienatione quoque librorum, qui dictis studentibus fuerint deputati, seu distractione, vel etiam obligatione ipsorum penitus interdictis, nisi studens huiusmodi utiliores libros emat, & etiam id faciat licentia sui immediatè superioris obtenta. volentes, quod libri prædicti defunctis eisdem studentibus, ad Ecclesias, monasteria, & loca alia, ad qua pertinuerint, liberè revertantur.

S. 26. Distributio librorum inter conventus.

Volumus etiam, quod si in Ecclesia, monasterio & loco alio religionis eiusdem libri multiplicari fuerint, libris necessarijs in Ecclesijs, monasterijs, & locis alijs remanentibus, ceterorum librorum per Antistitem, Abbatem, seu alium, ad quem pertinuerint de consilio sui Capituli, seu Conventus, vel maioris partis ipsorum, fiat conveniens distributio inter studentes eosdem. fiatque prius de personis studentium, quibus dicti libri tradentur, & librorum nominibus prædictorum memorialis scriptura, quæ in Ecclesia, monasterio, seu loco huiusmodi conservetur. provisotamen, quod pulchriores, & utiliores in eisdem Ecclesia, Monasterio, siue loco debeant remanere. Si quis vero de studentibus ipsis per se, vel per alium, librum, seu libros huiusmodi, qui si pervenerint ad eundem contra hoc distraxerit, aut obligaverit, eo ipso sit inhabilis per biennium ad quodcumque beneficium obtinendum, & nihilominus de studio revocetur, & loco sui alius subrogetur, & etiam per suum Superiorem, prout facti qualitas exegerit, puniatur. Possit tamen dictis super inhabilitate huiusmodi dispensari, si Superiori visum fuerit expedire. Vbi autem erit aliquis de ipsis studentibus, qui sit vita laudabilis, & alijs idoneus, ac discretus, & ad Bacchalarium, vel Magisterium dispositus, vel habilis, de cuius fructu scientiæ acquirendæ possit verisimilis spes haberi, Prior dictorum studentium, qui erit pro tempore, cum consilio aliquorum studentium eorundem proborum, scribas presidentibus antedictis, ut proprio prelato ipsius mandent, & ordinent eum eodem, quod talem de studio non revocet, sed eum in scientia proficere, & ad statum Bacchalarium, & honorem Magisterij pervenire, lecturamque, continuare permittat, ipsumque & alios similes, quos in scientia laudabiliter proficere noverit, dignis attollat laudibus, honoribus, & promotionibus efferat opportunis. Provideant quoque Præsidentes, & alij Prælati convenientes in ipso Capitulo provinciali, quod Canonici ad dicta studia transmittendi prout convenientius, & commodius fieri poterit, insimul commoretur, saltem quinque, vel quatuor ad minus, & quatuor, vel quinque huiusmodi duobus servitoribus sint cõcenti.

S. 27. Regimen canonicorum studentium quod esse debeat.

Procauere nempe volentes, & etiam providere, ut dictis scholaribus in dictis studijs pro tempore morantibus, regularis non desit salubre gubernaculum disciplina, ordinamus, quod in Capitulis provincialium in quibus

bus erant huiusmodi studia, Præsidentes unum de
 is, qui debent ad provinciale Capitulum conuenire,
 vicinum loco ubi studium erit, (quem quotiens eis
 placuerit, ponere valeant, & mutare) deputent,
 & assignent, qui ex dictis studentibus unum inibi
 Priorem studentium constituat, per annum solum-
 modo duraturum: quem tamen Priorem tam ipse,
 quam etiam Præsidentes, & quilibet eorumdem,
 mutare valeant infra annum, si & quotiens eis
 videbitur expedire. Constituat autem ipse Prior,
 talis, qui sit potens in opere, & sermone, ut Ca-
 nonicos studentes pensionarios, & alios etiam bene-
 ficiatos in bono instruat, & à malo studeat reuoca-
 re. ipsosque quotiens sibi videbitur expedire, con-
 uocet ad alium locum competentem, eisque quo ad
 regularem præsideat disciplinam. Est potestatem
 habeat illas corrigendi, puniendi, & absoluendi, &
 cum eis dispensandi quoad in ipsis studijs moram
 traxerint, ab omnibus à quibus, & super quibus,
 & prout possit Superior post Antistitem, vel Ab-
 bas, seu prelatum alium eorum proprium in Ecclesia,
 monasterio, vel alio loco unde claustrales existunt,
 ipsosque informandi, & instruendi, & tenendi
 sub regularibus disciplinis, & illos etiam coercen-
 di ne vagentur, vel actibus, seu operibus vacent
 illicitis, sed studeant, & proficiant sicut decet, ut
 uantque laudabiliter, & honestè. Prouideat insu-
 per idem Prior studentium, quod dicti Canonici pen-
 sionarij studentes expensas faciant moderatas, non
 superfluas, nec aliquatenus excessiuas, eosque co-
 gat ad reddendum de receptis, & expensis in fine
 mensis cuiuslibet, ut prout alias sibi videbitur ra-
 tionem illi, vel illis prouidis, & discretis, quos
 idem Prior ad id duxerit deputandos. & quando
 ipsorum studentium conditio, seu demerita suaserint
 eos à studio reuocandos, idem Prior teneatur id
 (consultè tamen, & cautè) Antistiti, Abbati,
 vel alij prelato eorum proprio per suas literas inti-
 mare. Idemque Antistites, Abbas, seu prelatum
 proprium eos reuocare debeat, & in locis eorum toti-
 dem Canonicos subrogare per modum suprascri-
 ptum, appellatione, contradictione, vel reclama-
 tione reiectis. Concedimus quoque predicto Priori,
 Canonicos studentes pensionarios, & alios etiam be-
 neficiatos, quamdiu fuerint in ipsis studijs, ab ex-
 communicationis, suspensionum, & interdictorum
 sententijs, per statuta provincialia, seu cuiusvis Ec-
 clesie, monasterij, seu loci dictæ religionis, vel per
 Diœcesanum contra studentes in locis ubi erunt Stu-
 dia generaliter promulgatis, congrua satisfactione
 præmissa, iuxta formam Ecclesie auctoritate Apo-
 stolica absoluendi. & cum eis super irregularitate,
 quam sic ligati celebrando diuina, seu alias se inge-
 rendo eisdem, per simplicitatem, & iuris ignorantiam
 (non tamen in contemptum clauium) incurre-
 rint, dispensandi, auctoritate prædicta liberam pote-
 statem. Per hoc uero dictos canonicos studentes à po-
 testate Antistitis, vel aliorum Ordinariorum suorum,
 vel alterius prelati sui, nolumus aliquatenus exi-
 mere, vel etiam liberare. Quilibet autem dicto-

rum Canonicoꝝ religionis eiusdem, huiusmodi
 studijs insistens, pensionarius, & alius etiam be-
 neficiatus, præfato eorum Priori de quinque solidis
 Turonensium paruorum, vel eorum valore in alia
 moneta prouidere annis singulis teneatur. ad quo-
 rum solutionem, idem Prior possit eosdem per cen-
 suram Ecclesiasticam, & alia ipsius religionis re-
 media, auctoritate Apostolica, remoto appella-
 tionis obstaculo coercere. Idem tamen Prior sumptus
 nunciatorum subeat, quos pro præmissis duxerit trans-
 mittendos.

S. 28. Præsidentium munus quo ad cano-
 nicos studentes.

Dicti quoque Præsidentes in singulis eorum pro-
 uincialibus Capitulis, deputent aliquem de
 illis, qui debent ad dictum provinciale Capitulum
 conuenire, idoneum, ac vicinum studio, in quo stu-
 dentes huiusmodi morabuntur. & tam huiusmodi
 deputatus, quam etiam Visitatores in provinciali
 Capitulo ordinati, diligenter, & fideliter se in-
 formant, ea que per eos, de studentibus, & eorum
 pensionibus, & alijs circa hæc, statuta, & ordina-
 ta existunt, fuerint effectui mancipata. & si quæ
 inuenerint non completa, eorum plenam relationem,
 & etiam informationem qualiter compleri possint
 faciant in proximo provinciali Capitulo eorumdem,
 in quo ordinari debeat, quod efficaciter complean-
 tur. Habeant insuper Præsidentes præfati, & qui-
 libet eorumdem, faciendi compleri, & inuolabili-
 ter obseruari auctoritate Apostolica, omnia & singu-
 la supradicta. necnon contradictiones, & rebelles
 per censuram Ecclesiasticam, & per alia iuris, seu
 ipsius Ordinis remedia, sublato appellationis obstaculo,
 compellendi, & processus & sententias eorū in locis re-
 ligionis eiusdem solemniter publicandi, & illos, qui
 sententias ipsorum incurrerint, congrua satisfactio-
 ne præmissa iuxta formam Ecclesie absoluendi, &
 cum illis, qui huiusmodi ligati sententijs per simpli-
 citatem, & iuris ignorantiam (non tamen in
 contemptum clauium) diuina celebrarint officia, vel
 ingesserint se eisdem, super irregularitate per eos ex-
 inde contracta, auctoritate prædicta dispensandi libe-
 ram facultatem.

S. 29. Quæ per assumendos ad gradus
 seruari debeant.

Rursus statuimus, & etiã ordinamus, quod nullus
 religionis eiusdè, ad recipiendū magistratus, seu do-
 ktoratus honorè de cetero assumatur, non præstitio per eū
 primitus iuramento in præsentia dicti Prioris studentium,
 ac sex proborum, & discretorum ex studentibus antedi-
 ctis, quod in assumptione ipsius honoris, vel ante, vel
 post, eius occasione circa cibos, vestes, vel alia non ex-
 pendet, per se vel alium undecunque habuerit, vel fuerit
 sibi datum, nec quantum in eo fuerit à quibusuis alijs
 expendi permittet, ultra valorem duorum millium Turonensium
 argenti. Illi etiam, qui ad Bacchalarium fue-
 rint assumendi, iuramentum præstare similiter tenean-
 tur in præsentia Prioris studentium, & quatuor proborum,
 & discretorum de studentibus memoratis, quod huius-
 modi sui Bacchalarium prætextu, ipsa die, qua Bac-

bachalarij erunt, vel ante, seu post, nullum festam, seu conuiuium facient, per se, vel alios, aut quantum in eis fuerit, fieri permittens à quibuscunque alijs, etiam eorum consanguineis, vel amicis. Ad hoc statuimus, & etiam ordinamus, quod quilibet ipsius religionis, qui in dicta Parisiensi, vel in aliquo alio generali studio per sex annos in Theologia studuerint, in alijs primitiuis sciencijs prius sufficienter instructi, & alias sufficientes ad hoc, & idonei fuerint, possunt in ipso Parisiensi studio cursus Bibliæ facere consuetos. qui verò per octo annos in Theologia studuerint, librum sententiarum legere valeant (si ad hoc sufficientes fuerint) in Parisiensi studio prelibato. & quod in eodem Parisiensi, & alio quocunque studio, in quo ad magistrum in Theologia licentia dari poterit, seu consueuerit, quum digni ad hoc reperi extiterint, ad magistrum, & doctorem in Theologia liberè admittantur. Illi verò religionis eiusdem, qui in ipso Parisiensi studio, vel quouis alio studio generali audierint iura Canonica per sex annos, de quibus per tres annos ad minus audierint decretum (dummodo sufficientes, & idonei fuerint) possunt ad Bacchalarium, & lecturam iuris Canonici, siue Decretorum in eodem Parisiensi, vel in alio generali studio in cappa sua Religionis congruenti assumi. Qui verò per quinque annos in Parisiensi, vel in alio generali studio iura Canonica, ut Bacchalarij legerint, & de hoc primo fidei fecerint per eorum proprium iuramentum, & duorum aliorum testimonium iurantium se credere eos verum iurasse, possunt si uoluerint in cappa similiter eorum Religionis congruenti, ad magistrum in Decretis, vel ad lecturam Decretorum in eodem Parisiensi, & quolibet alio studio generali, dilatare, & difficultate malitiosa, & impedimento quibuscunque subleui; sicut ibidem consueuerunt assumi ceteri clerici seculares. Et per Cancellarium Ecclesie Parisiensi in Parisiensi studio, vel per illum ad quem pertinuerit, ad huiusmodi magistrum, seu doctorem honorem promoueantur liberè, & etiam admittantur. Non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum religionis eiusdem, nec non Parisiensi, & aliorum quorumcunque studio- rum contrarijs, iuramentis, confirmationibus Apostolicis, & quibusuis firmitatibus alijs roboratis, & illis presertim, quibus in eodem Parisiensi studio capere dicitur, quod nullus possit legere cursum Bibliæ, nisi ibidem studuerit septem annis, nec permittatur legere sententias, nisi ibidem studuerit decem annis, quodq; nullus canonicus, vel religiosus alius legat ibidem iura Canonica, vel ad Bacchalarium gradum, aut Magistrum honorem in iure canonico permittatur assumi, seu quod nullus Regularis rubea cappa Decretum legat, seu legere permittatur ibidem, aut nullus ibi legere valeat iura Canonica, vel ad Bacchalarium assumi, seu ut Bacchalaris legere Decretales, aut ad magistrum ascendere in Decretis, siue doctor fieri Decretorum, aut ad lecturam in Decretis assumi, seu ipsam continuare, nisi ibidem, vel in aliquo studio generali audierit iura Canonica per quinque, vel alibi iura Civilia

per tres annos, aut alibi iura Civilia per quinque, & ibi vel in alio generali studio iura Canonica per tres annos, prout sic vel aliter in statutis ipsius Parisiensi studij dicitur contineri, vel de consuetudine observari. & alijs consuetudinibus, vel statutis eiusdem Parisiensi studij quibuscuque, & sub quacunque forma, vel expressione verborum in contrarium editis, vel edendis, nec non quibuslibet privilegijs, & indulgijs generalibus, vnde specialibus, & licetis Apostolicis contrarijs. Ordinibus, Ecclesijs, monasterijs, locis, & studijs quibuscunque sine vniuersitatibus magistrorum, vel scholariorum eorumdem, seu personis Ecclesiasticis, secularibus, & regularibus, exemptis, & non exemptis, cuiuscunque sint preeminencie, dignitatis, conditionis, aut status, sub quacunque forma, & expressione verborum concessis, & per que presentibus non expressa, vel casualiter non inserta, effectus huiusmodi statutum, et ordinatum, & singulorum contentorum in eisdem impeditur, & obstat quomodolibet, vel difformi; & de quibus quocunque totis temporibus, plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum in illis, vel alijs nostris licetis fieri mentionem. quibus non intendimus quo ad alia in aliquo derogare.

§. 30. Obseruanda à Canonicis beneficia obtinentibus.

VT cultus augetur diuinus, & religiosi vagandi materia prestudatur, statuimus, quod Canonici religionis eiusdem, extra Ecclesias, Monasteria, siue loca alia principalia, obtinentes Personatus, seu quæuis alia beneficia, quibus ad hoc supponunt facultates, in ipsis beneficijs residere, & socium, vel socios sui Ordinis secum habere, iuxta ipsorum facultatum superpotentiã sentantur, statutis & consuetudinibus contrarijs non obstantibus quibuscunque. quodque socium, vel socios eiusmodi prelatos, seu is, ad quem hoc pertinet, prout locis congruere noverit, & personis, & cum consilio & assensu sui Capituli, seu Conuentus, vocatis his, qui dicta beneficia obtinebunt, huiusmodi superpotentiã arbitrando assignet eisdem. Quod si huiusmodi Priores seu administratores, quibus fuerint Canonici in socios assignati, cessante causa rationabili arbitrio assignantis, recusent admittere sibi assignatos, vel eis sufficienter & decenter in necessarijs providere, cogantur ad hoc per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia opportune, & nihilominus de huiusmodi inobedientia puniantur. qui autem in Ecclesijs Cathedralibus seu Monasterijs, dignitates, personatus, officia, seu administrationes alias habuerint, & in eisdem Ecclesijs, seu Monasterijs consueuerint residere, cogantur officium incumbens eis, tam in diuinis, quam in alijs debite exercere: familiamque excessiuam presertim infra claustra non teneant, aut talem, per quem verisimiliter presumatur in ipsis Ecclesijs seu Monasterijs scandalum generari. Et quia secundum præmissa nonnulli de Canonicis Regularibus, qui in Ecclesijs, seu Monasterijs consueuerant residere, habebunt extra in suis Prioratibus, seu beneficijs alijs residentiam facere, in Capitulo annali cuiuslibet Ecclesie, & Monasterij, per prelatum, & Capitulum, vel maiorem partem ipsius, scito, & cognito dili-

diligenter quot mittantur extra pra residentia in dictis Capitulis, & beneficijs facienda, proinde ordinetur, quot loco eorum, qui extra mittentur, in ipsis Ecclesijs, seu Monasterijs fuerint subrogandi. Obtinentes autem beneficia simplicia, quibus cura non imminet animarum, quorum ad tenendum solium non sufficiunt facultates; si propinqua sint Ecclesijs, vel Monasterijs a quibus illa dependent, in dictis Ecclesijs, vel Monasterijs residentiam facere compellantur, & habeant de praesentibus dictorum suorum beneficiorum expensas, quas in victualibus in ipsis Ecclesijs, vel Monasterijs residendo, faciunt illi, vel illis exsolui, qui in dictis Ecclesijs, seu Monasterijs victualia Canonicis ministrare tenerentur; eodem modo ad hoc redditus beneficij huiusmodi obtinentis sufficere dignoscantur. Quod si huiusmodi beneficia simplicia longe distent ab Ecclesijs, seu Monasterijs, quibus subsunt, & in Prioratibus, & administrationibus Canonici residere consueverint, quae sint propinqua modo praemisso, cum satisfactioe simili expensarum, obtinentes huiusmodi beneficia, seu administratores eorum, ad residendum in dictis Prioratibus, seu administrationibus deputentur, nisi per fundatores huiusmodi beneficiorum aliter fuerit ordinatum, cui ordinationi per hoc non intendimus derogare. Super distantia vero seu propinquitate beneficiorum huiusmodi, statetur arbitriae annalis Capituli, eiusque in hac deliberatio obseruetur. Quod si dicta beneficia simplicia tam ab Ecclesijs, quam Monasterijs, vel ab eorum Prioratibus, seu administrationibus sint remota, per dictum annalem Capitulum ordinetur, ubi tales debeant residere. Prouiso tamen quod diuinus cultus exerceatur debite in beneficijs memoratis.

§. 31. Canonici quid circa officia celebranda seruare debeant.

Canonici autem in huiusmodi Prioratibus, seu administrationibus commorantes, in Ecclesia horis congruis, cum dictis Prioribus, seu administratoribus simul intersint, Canonicas horas dicant, in Missis celebrandis suas hebdomadae ordinatae teneant, & in loca ubi tres fuerint, vel plures una per eos Missa ad minus cum nota, die qualibet celebretur, & horae Canonicae cum nota dicantur. Dicti quoque Canonici Priorum, & administratorum praedictorum in una domo communi regulariter iaceant, camerulis, & cellulis eis penitus interdictis. In una etiam domo uescantur Prior in super, & administrator, & Canonici; nisi infirmitas, vel alia euidens ratio interdum aliud suaserint faciendum. In uescitu etiam, & usura, a communi Ecclesia, Monasterij, siue loci cui subiciuntur, in situatione, vel debita obseruancia non recedant, de suo proprie Priori, vel administratori iuxta ordinationem Praelati sui, vel superioris, obediant humiliter, & deuote. Et si aliquando dictos Canonicos in Prioratibus, seu administrationibus mori, aut fugitivos fieri forsitan contigerit, Priores, seu administratores praedicti, diem mortis, aut fuga, seu

recessus ipsorum, Praelatis, aut eorum Superioribus ut in Ecclesijs, seu monasterijs eorum principalibus, pro defunctis eorum consueti fuerint suffragia, seu fugitivos reuocare, vel in Prioratibus, seu administrationibus, alio loco eorum subrogare ualeant, quam citius commode poterunt, intimare per suas literas teneantur. Quod si Priores, seu administratores praedicti, diem obitus, aut fuga, seu recessus huiusmodi, Praelatis suis Superioribus significare distulerint, tertiam partem illorum, quae Canonicus expendisset, si non fuisset mortuus, vel in fuga, pro pitantia Capituli, vel Conuentus Ecclesiae, Monasterij, vel loci principalis soluere teneantur. Insuper Canonici praedicti, non solum, sed honeste associati, & cum habitu decenti uacuant, nec in uillis, in quibus Prioratus, seu administrationes huiusmodi fuerint, comedere, vel bibere, aut ingredi domos praesumant; nisi cum honestis personis, & tunc de sui Prioris seu administratoris licentia specialis. Qui uero contrarium fecerint, regulari subiaceant disciplina. Et autem haec efficacius obseruentur, Antiquitates, Abbates, & veteres eorundem Canoniorum superiores, necnon alij, qui ad uisandum per eos fuerint deputati, quum Prioratus, & administrationes huiusmodi uisitant, circa illa seruanda, & non seruata corrigenda, curam habeant diligentem.

§. 32. Beneficiarij subsint Superioribus.

Pracipimus, quod Canonici religionis praefatae, qualiacunque in ipsa religione auctoritate Sedis Apostolica, vel Legatorum ipsius beneficia obtinentes, obdiant Superioribus suis religionis eiusdem ipsorumque subsint correptionibus, ordinationibus, punitionibus, & statutis, ac beneficijs huiusmodi excusis rationabilibus priuari, & ab illis amoueri possint, quemadmodum possent, si foret per superiores suos de ipsis beneficijs eis prouisum.

§. 33. Locus infirmarum existat.

Quum expediat infirmis de domo seu loco congruo prouideri, statuimus, quod in Ecclesijs, Monasterijs, & locis alijs conuentualibus religionis eiusdem, in quibus certa domus, seu locus deputata, vel deputatus non fuerit pro infirmis, & ad quos id pertinuerit, quibus ad hoc suppetent facultates, damnum seu locum huiusmodi sufficientem iuxta statum & facultates locorum, quantocius commode fieri poterit deputare seu constituere teneantur, eisdem infirmis sufficienter de lectis, victualibus, seruitore, medicis, & rebus medicinalibus, & alijs quibuslibet necessarijs prouidendo, ad quae peragenda, & complenda, per Superiores suos immediatos, & per Praesidentes, ac Visitatores, & eorum quemlibet auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alia oportuna remedia compellantur. Vbi autem administratores eorum, qui ad praemissa tenentur, sufficientes ad ea peragenda non habuerint facultates, in annuali Capitulo per ipsum Capitulum, vel maiorem partem ipsius auctoritate Apostolica ordinetur, quod administrationes huiusmodi sufficientes ad hoc reddantur per assignationes personarum, prout infra in alia casu sub

rubrica de vidualibus, & alijs ministrandis.

S. 34. Numerus canonicorum.

QUum sit consonum rationi, ut obtinentes beneficia, ipsorum onera debeant supportare, statuimus, quod in monasterijs, Prioratibus, & alijs beneficijs quibuscunque religionis eiusdem, personis quibuscunque extra praesatam religionem, cuiuscunque sint dignitatis, gradus, seu praecminentiae (etiam si fuerint Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales) collatis, seu commendatis, vel de caetero conferendis, seu commendandis, tot Canonici teneantur, quot in eis tenerentur si per canonicos regulares Monasteria, Prioratus, & beneficia huiusmodi regerentur. Et quod nihilominus Canonico in eisdem monasterijs, prioratibus, & beneficijs, committatur id quod supra, vel circa alios Canonicos inibi residentes, haberet exercere administrator Canonicus, si praeset eisdem, quantum ad ea, quae pertinent ad regulam, seu disciplinam, vel observantiam regularem: & quod quilibet praedictorum, huiusmodi monasteria, prioratus, & beneficia quomodolibet obtinentes, ad procuraciones, alia quaelibet onera ipsis monasterijs, prioratibus, & Beneficijs incumbencia, supportanda, persoluenda, & reddenda integre sint astricti. quodque ad haec, & alia supradicta, autoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam, & alias compelli valeant per Capitulum prouincialium Praesidentes, & quemlibet eorundem, prout per Superiores suos possent, & deberent compelli Canonici regulares si praesent monasterijs, prioratibus, & beneficijs memoratis. nisi fuerint S. R. E. Cardinales, quos nolumus talium compulsionibus subiacere.

S. 35. Vetantur animalia, ac seculares, praeter hic exceptos.

PROhibemus ne Canonici regulares in Ecclesijs Cathedralibus, monasterijs, seu locis alijs Conuentualibus religionis eiusdem, teneant aut nutriant equos, seu alias uectiones. neue familiares, seu seruitores habeant seculares. nisi ratione dignitatum, officiorum, vel administrationum suarum, quae gesserint, id eis permissum fore noscatur. In infirmitorio tamen & coquina monasterij, seu prioratus, & alijs officijs atque seruitijs alijs communibus, possint tenere seculares seruitores honestos, si & prout in Ecclesijs, seu monasterijs, & alijs locis praedictis fuerit haecenus rationabiliter obseruatum, non in excessiuo, sed moderato numero, iuxta arbitrium praelati immediati. Seruitores autem seculares huiusmodi, quantum fieri poterit cum canonicis conuersentur, neque cum eis in communi comedant, neque bibant, etiam si presbyteri fuerint, vel clerici seculares. nisi forte tales forent presbyteri, vel alij sacris ordinibus constituti, qui essent inibi perpetui, & cum canonicis etiam in refectorio comedere assueti, & tunc a Canonicis sedeant segregati cum habitu consueto, & etiam honesto, se eisdem Canonicis in silentio, & obseruantijs alijs honestis, quamdiu cum eis fuerint, conformantes, quibus provideatur iuxta morem inibi rationabiliter obseruatum. Et si presbyteri, seu seculares clerici praedicti perpetui, infra Ecclesiarum, seu Monasteriorum septa deliquerint, seu excefferint in leuibus, per ademptionem partis

pitantiae, seu portionis, quam fuissent alijs percepturi, per immediatum praelatam regularem loci unde sumunt praedicta, vel per illum, qui inibi praerit, regularibus disciplinis possint corrigi, ac puniri.

S. 36. Lutaq. conuiuia, & immoderati sumptus.

CAueant insuper Abbates, Praepositi, Priores, & caeteri quicunque ipsius religionis, ne lautis conuiujs, & commessationibus occupentur, nec in ijs sumptus immoderatos faciant, vel alias etiam excessiuos a familiarium quoquam seruitorum, aut sequentiam fieri permittant. necnon a verum, seu vestium multitudine indecenti, & excessiuo, ubique diligenter studeant abstinere, & honeste, ac laudabiliter conuersari.

S. 37. Religiosi associati incedant.

DILEcti quoque Abbates, necnon Praepositi, Priores, caeterique administratores, & praefectores alij religionis eiusdem, extra loca sua proficiscentes, associati incedant, prout ipsorum congruit honestati. & ubi Canoniorum numerus sufficiens fuerit, & ad hoc etiam suppetent facultates, Abbates, & a'y praelati saltem religionis suae duos socios secum ducant.

S. 38. Superiores praedicta faciant obseruari.

PRAesidentes autem Capitulis prouincialibus, ac Visitatores per ipsa Capitula deputati, necnon Praelati alij religionis eiusdem, quo ad suos subditos, attente provideant, quod praemissa diligentius obseruentur, transgressores arguendo, & prout expediens fuerit, puniendo.

S. 39. Ad Ordines promouendi qui, & quando.

PRAesentium autoritate statuimus, quod canonici beneficia simplicia obtinentes, & alij beneficiati religionis eiusdem, ad mandatum praelati sui infra terminu per eum praefigendum eisdem se faciant ad ordines quoslibet promoueri, nisi eos causa rationabilis, quam ipsi praelato infra dictum terminum exponere habeant, excuset. quod si non fecerint, beneficiati eo ipso ab obtentis beneficijs suspensi, non beneficiati vero ad beneficia obtinenda, sint & remaneant inhabiles, donec promoti fuerint ad ordines supradictos. quodq. Prioratus curam animarum habentes, & alia beneficia curata, quorum Prioratu, & beneficiorum cura per perpetuos Vicarios exercetur, committi nequeant, vel conferri, nisi eis, qui vicesimum annum computandum a tempore collationis seu commissionis sibi factae de eis, & possessionis adeptae, vel infra vicesimum quintum aetatis suae annum, (si ante annu ipsu Prioratus, seu beneficia huiusmodi eis collata fuerint, seu commissa) se faciant ad sacerdotium promoueri. Prioratus quoque Conuentuales, Dignitates, Personatus, Officia, seu administrationes, videlicet sacristia, thesauraria, elemosynaria, operaria, cameraria, & similia, quae in Ecclesijs, & alijs locis Conuentualibus, seu Collegiatis dictae religionis, officia, seu administrationes, & beneficia fuerint, etiam si eisdem officijs, seu administrationibus, animarum cura nullatenus sit annexa, alicui, nisi vicesimum quintum annum attigerit conferri nequeant, aut committi.

mitti. Et qui Prioratus, Dignitates, Personatus, Officia, seu administrationes huiusmodi obtinuerint, infra tempus collationis, seu commissionis eis factæ de ipsis, & adeptæ possessionis eorum se faciant ad sacerdotium promoveri, vel saltem ad Ordinem, quem Dignitates, Officia, vel administrationes obtenta requirent de iure, consuetudine, seu statuto. nec contra quoquam valeat dispensari. Nos insuper commissiones, seu collationes factas contra præmissa, decernimus fore irritas, & inanes. Hi quoque qui iuxta præmissa cessante causa rationabili ad ordines promoti non fuerint, sine Prioratibus, Dignitatibus, Officijs, Administrationibus, & Beneficijs prædictis eo ipso privati, que ipsis iterum ea vice nullatenus conferantur. Nostræ verò intentionis existit, quod præsens constitutio quantum ad ea, que de recipiendis ordinibus per Priores, & alios beneficiatos præmissimus, illos etiam post duas menses à die publicationis præsentium constitutionum in eorum annuali Capitulo factæ constringat, & eos etiam, qui in præsentia talia beneficia obtinent, vel dictæ publicationis tempore obtinebunt, dummodo ætatis legitime sint effecti. Alioquin quum ad ætatem legitimam peruenierint, ad recipiendum secundum præmissa dictas ordines sine astricti, nisi foret aliud Canonicum, quod eos ab huiusmodi susceptione ordinum excuset.

S. 40. Vestium præfinitio.

Dignum fore censentes, ut Canonici religionis præfata non solum morum, & vite, sed etiam habitus & vestimentorum resurgens honestate, distributius inbibemus, ne dicti Canonici extra septa Ecclesiarum, Monasteriorum, seu locorum suorum proficiscentes, portent alias vestes super habitum, quam cappas, seu mantellos honestos, & rodondellos, seu elochias, salares, vel circa, iuxta usum, vel consuetudinem laudabilem Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum suorum. usum, seu verius abusum manticarum, seu tabardorum, necnon rodondellorum, vel elochiarum notabilem habentium breuitatem, eisdem Canonice penitus prohibentes. Præcipimus quoque quod in Ecclesijs, Monasterijs, & alijs locis religionis præfata, in quibus Canonici cappas à parte anteriori apertas de panno laneo consueverunt deferre, que in quibusdam locis cappe de Choro, seu cappella vulgariter nuncupantur, ipsas honestas, non nimia longitudine, vel breuitate notandas portare debeant, locis, & temporibus consuetis. Deferant etiam cappas huiusmodi à festo omnium Sanctorum usque ad festum Paschæ, infra septa quarumcunque Cathedralium Ecclesiarum religionis eiusdem, ac monasteriorum, & aliorum locorum immediatas Superiores ipsius religionis non habentium, in quibus monasterijs, siue locis fuerit duodenarius Canonicorum numerus, licet habent ipsas ibidem non consueverint deportare. Sanè infra Ecclesias, claustrum, capitulum, refectorium, ac dormitorium, non cappatis, sed almutijs honestis utantur. Cappata verò si ea per ipsos extra loca prædicta deferri contigerit, sint honesta, & illa, que cum

cappis, mantellis, elochijs, seu rodondellis portarint, unius cum eis, & eisdem coloris existant, nisi ex privilegio, aut institutione laudabili cappata certi coloris, aut formæ essent consueti portare. Almutiæ autem si de panno fuerint, illius cuius cappe esse debent, coloris existant. Per hoc autem, non liceat portare cappata, vel rodondellos, seu elochias eis, quibus alias portare licitum non existit. Prohibemus etiam, ne dicti Canonici de cætero ferant forcaturas de ventribus Variorum, aut Squilorum cum Dorsis permixtis, sed sint de Civilibus simplicibus, vel albis, vel nigris, aut griseis. Præcipimus etiam, quod Canonici dictæ religionis infra Ecclesias, & Claustra locorum Cathedralium, altorumque Conuentualium, seu Collegiarum ipsius religionis, & alibi conuentualiter incedentes, portent superpellicias magna, & ampla, iuxta cuiuslibet Ecclesie consuetudinem rationabilem. quæ in longitudine manicarum ultra manum quatuor digitis transversalibus, vel circa, & ultra mediam tibiam, vel circa in sui longitudine protendantur. Extra Ecclesias verò, claustra, & loca prædicta, & ubique sub cappis, rodondellis, seu elochijs, vel mantellis in locis debitis uti possint superpellicijs, quorum manica usque ad palmum in latitudine, vel circa, & eorum longitudo usque ad mediam tibiam, vel circa protendantur. Per hoc autem nolumus derogare consuetudini quorundam locorum, quæ ab antiquo, vel ab institutione habent usum superpelliciorum ad formam Rochettorum, seu Camisiarum Romanarum. prouiso tamen quod manicarum longitudinis superpellicia huiusmodi non existant, & adeo manicas longas habeant, quod eis brachia usque ad pugnium valeant cooperiri. per formas autem huiusmodi superpelliciorum, alias formas longiores, & honestiores, superpelliciorum, & habituum, non intendimus prohibere, nec circa eas aliquid innotare. Statuimus insuper, quod Canonici dictæ religionis, cappis, & vestibus albi, blavi, nigri, seu quasi nigri coloris dumtaxat utantur. quodque illi, qui aliter tantum de dictis coloribus uti consueverunt, seu tenentur, non possint ad alium portandum, seu assumendum aliquatenus se transferre, nisi ad album dumtaxat. Vestis quoque superior habitui proxima, sit rotunda per circuitum, & non fissa, nec longitudine nimia, aut breuitate notanda. Ab eisdem quoque Canonice in eorum vestibus ligata manica non portentur, nec in apparenti consuetis, vel quomodolibet botonata. In Cathedralibus autem Ecclesijs Antistites, seu Præpositi, Priores, seu alij maiores in illis post ipsos Antistites existentes: ac in monasterijs Abbates, Præpositi, Priores, seu alij, non habentes Superiores religionis eiusdem, sit aliam formam honestam, vestium, & calcamentorum ordinent, & disponant, quod sit in colore saltem omnibus Canonice eiusdem Ecclesie, seu Monasterij, tam extrinsecus, quam intrinsecus uniformis. ipsamque tam Abbates, quam Præpositi, Priores, & Administratores, ac ceteri quicumque Canonici, & alij

per

per proprios eorum Antistites, vel Abbates, seu alios: Abbates vero, & ceteri prelati, Superiores proprios eiusdem religionis non habentes, per Praesidentes provincialibus Capitulis, seu per quemlibet eorum, ac per Visitatores in ipsis Capitulis deputandos, tenere & seruare cogantur. Qui vero vestem, vel habitum contra ordinationem praesentis constitutionis deferre praesumpserit, per dictos Superiores, vel per Praesidentes, siue per Visitatores, seu eorum quemlibet, sic debite puniatur, quod ceteri a similibus ardeantur, & nihilominus ab eo auferatur vestis prohibita pauperibus eroganda. Et si infra spacium quindecim dierum a tempore monitionis, seu praecipiti sibi facti computandum, vestem, vel habitum huiusmodi, non dimiserit cum effectu, vel ablationi praedictae resistit, si beneficiatus fuerit, per quatuor mensium spacium ab administratione temporalium sit suspensus; non beneficiatus vero, dicto tempore sit inhabilis ad Ecclesiasticum beneficium obtinendum quodcumque. Qui autem exhibens se in publico, habitum (superindumenta scilicet linea) remere occultauerit, si monitus emendare noluerit, iuxta praemissam personarum distinctionem, dictas suspensionis, & inhabilitatis poenas per idem tempus incurrat. Iniungimus insuper Praesidentibus, Visitoribus, & Praelatis alijs religionis praedictae, ut contra transgressores eorum, quae circa honestatem vestium, & habitus superiorum sunt statuta, prout ad eos; & eorum quemlibet persinuerit, monitionem praedictam (quum transgressio eis nota fuerit) facere, non omittant. Et nihilominus, Praesidentes, & Visitores praedicti, monere teneantur, Abbates, Praepositos, & alios, ad quos id persinuerit, religionis praedictae, ut praemissa, quae ut praedictum est circa honestatem vestium, & habitus, sunt statuta, seruent, & faciant ab alijs sub dictis poenis diligentius obseruari.

S. 41. Exitus de monasterio quando permittitur.

VT in religione praedicta vitetur dissolutio, & obedientia teneatur, districtius inibemus, ne cuius Canonici dictae religionis de Ecclesia, Monasterio, vel loco suo Conuentuali exeat, nisi prius obtenta licentia ab illo, qui eam valeat impartire, quavis consuetudine contraria non obstante, quodque causam sui exitus veraciter, & absque fictione exponat ei, a quo erit licentia obtinenda. Qui vero huiusmodi licentiam concesserit, Canonicis claustralibus nullam administrationem, vel beneficium obtinentibus, terminum redeundi quando conuenientius poterit breuiorem assignet. Sane administratoribus, & beneficiatis, qui habent residere in claustro, possit dari licentia sine praefixione termini, si hoc concedenti visum fuerit expedire. Si quis autem exierit extra Ecclesiam, Monasterium, seu locum alium Conuentualis sine licentia, vel in termino assignato iusta causa cessante, non redierit, poena, quae in tali casu per statuta, vel consuetudines eiusdem Ecclesiae, vel Monasterij, seu alterius loci infligenda fuerit, infligatur eidem. Et si super hoc sta-

utum, vel consuetudo aliqua non existit, poena quae sequitur, infligatur. videlicet quod ille, qui infra nouem dies post exitum, seu terminum praedictos redierit, ultimus stet in Choro, & secunda, quarta, & sexta ferijs eiusdem septimanae, in pane & aqua ieiunet. Illis vero, qui infra huiusmodi nouem dies non redierint, poena quae sequitur, imponatur. videlicet quod a porta regulari, parlatorio, seu alio loco decenti per claustrum, cum Magistro Nouitiorum, vel alio ad hoc deputato ad Capitulam veniant, camisiam femoralia, & caligas satum habentes, superpellicium in brachijs, ac ferulam, seu virgam in manibus suis ferentes. cum quibus in dicto Capitulo venia prius recepta, & recognita culpa sua, coram omnibus verberentur. & nihilominus alia poenitentia siue poena pro qualitate demeriti imponatur eisdem secundum arbitrium imponentis. Quod si sine scandalo huiusmodi poena imponi non possit, in poenam utiliam secundum sui Praelati arbitrium, de proborum, & seniorum Conuentus consilio commutetur, quam in dicto Conuentu praesentia facere teneantur. prouiso assensibus, quod mensuram peccati correctionis infligebit, non excedat. Similit quoque vel alia condigna poena puniantur Canonici in Prioratibus, seu administrationibus alijs externis assignari, qui sine licentia Priorum, seu Administratorum eorundem, de ipsis prioratibus, seu administrationibus recedentes fuerint euagati, vel in termino non redierint assignato. Si autem de dictis prioratibus, seu administrationibus ad Claustrum, seu Praelatum suum a suis Prioribus, seu administratoribus, licentia non petita, vel petita, & non obtenta veniunt, eidem Praelato, seu Superiori suo causam sui aduentus statim exponant. qui Praelatus, seu Superior an causa huiusmodi rationabilis, & vera fuerit arbitretur. & si causam minus rationabilem, seu falsam esse repererit, vel si huiusmodi venientes nullam causam ei exposuerint, aut licentiam non petierint, per Praelatum, aut Superiorem, prout eis visum fuerit expediens, puniatur. Nullus quoque Canonicus pernoctaturus extra Ecclesiam, Monasterium, vel alium locum suum abire sine Breuiario permittatur, in quo pensum seruitutis suae dicendo horas Canonicas possit soluere Creatori.

S. 42. Alienatio prohibetur absque licentia Sedis Apostolicae.

Perpetuo prohibemus edicto, ne Ciuitas, Castrum, Villa, vel fundum notabile, aut iurisdicchio alicuius ipsorum, vel Grangia, seu locus territorium, siue magnus possessionum, siue terrarum numerus, vendi, vel etiam principaliter, & expresse obligari, vel Monasterium, seu Prioratus, aut Ecclesia religionis praefatae in alium transferri valeant per quoscumque etiam in casu alias a iure concesso, absque licentia Sedis Apostolicae speciali. omnem conditionem, obligationem, & translationem de praemissis, & contra haec factam irritam decernendo. ac nihilominus quilibet Capitulis provincialibus Praesidentium, ac Visitorum, alienationes huiusmodi easdem, ac conferentes eidem Sedis Apostolicae,

stolica, si exempti fuerint, alioquin Ordinarijs, seu Diocesanis ipsorum intimare per scripturam authenticam, vel literas eorum sigillis munitas, quamcunq; commodè poterunt, teneantur.

S. 43. Ficti contractus prohibentur.

Multis fraudibus, atque dolis, quae per nonnullos religionis eiusdem, in damnum, & prauidicium Ecclesiarum, Prioratum, & aliorum locorum prout experientia docuit, committuntur, opportunis obuiare remedijs quantum cum Deo possumus: salubriter cupientes, hoc consulto edicto prohibemus, ne Abbates, Praepositi, ac Priores, vel quouis administratores, & alij Canonici, seu conuersi religionis eiusdem, pretextu religionum, vel negociorum, quae gerunt, fraudolentos, vel dolosos, aut simulatos, vel fictos contractus inire, vel mutua simulata vel ficta suscipere, siue proprio, siue fideiussorio, vel quouis alio nomine alieno. neue etiam confiteri in instrumentis publicis, vel authenticis, alijsue scripturis, se à patre, fratre, nepote, vel consanguineo, seu qualibet alio coniuncto, affine, familiari, seruisio, amico, seu mercatore recepisse mutuo, vel alias, pecuniam, pannos, bladum, vinum, equos, boves, siue animalia alia, vel res, seu alia bona, eaque in utilitatem locorum, quibus praesident, vel administrationum, quas, gerunt fuisse conuersa, neque tamen pro se, seu locis eorum, neque pro administrationibus suis ipsa receperint, quoquomodo praesumant. Similiter etiam prohibemus, ne fugant, seu ponant, vel scribant se fore principales debitores, neue ut tales se obligent, ubi re uera non principales, sed fideiussores existunt. neue in talibus contractibus, ut praesertim, simulate conceptis, se ac alios sua nomine, locaque ipsa, possessiones, redditus, praerogatas, bona, & iura locorum obligent, vel submittant. neque in fraudem, seu dolose confiteantur, vel alios praesertim debitores eorum faciant confiteri, seu etiam obligari, vel super ijs instrumenta, vel authenticas, seu alias scripturas in fraudem confici, continentia quod iura, redditus, possessiones, animalia, blada, pecuniam, seu alia bona ad ipsos, vel Monasteria, seu quouis alia bona ipsius religionis pertinentia, seu debita fuerant, sunt, vel esse debent, patris, matris, seu fratris eorum, vel aliarum personarum praedictarum, & ad ipsas personas pertinere, vel debita eis fore. vel alios quoscumque contractus similes fraudulenter, & dolose confici faciant, vel fieri procurant, per quos Ecclesie, Monasteria, & alia loca religionis ipsius, quibus praesunt, ac iura, redditus, & possessiones, siue alia loca ipsorum damnificari, grauari, obligari, vel alias impediri, seu deperire valeant quouis modo. Nos autem omnes praenominatos, in graue, & enorme prauidicium administrationem suarum talia committentes, vel fieri facientes, aut eis consentientes, praeter alias poenas iuris (nisi infra duorum mensium spacium à tempore contractus, seu commissi huiusmodi numerandum) ea quantum eis possibile fuerit tolli fecerint, & Ecclesias, Monasteria, Prioratus, ad-

ministraciones, & loca praedicta reddiderint, seu reddi fecerint indemnia, seu à talibus dispendijs liberarint, excommunicationis sententiae eo ipso decernimus subiacere. Quod si forte praemissa effectualiter non poterint renocare, teneantur infra alios duos menses, illos duos immediate sequentes, ea suis Superioribus reuelare. quod si non fecerint, sententiam excommunicationis incurrant, & alias pro dictis excessibus debite puniantur, taliter quod cedat caeteris in exemplum. Possint autem Praesidentes, ac Visitatores in Prouincialibus Capitulis deputati, & eorum quilibet, Abbates, aliosque quoscumque Praelatos, ac administratores, non habentes Superiores religionis eiusdem, qui huiusmodi sententiam excommunicationis incurrerint, satisfactione praemissa absoluerent, & secum super irregularitate, si per simplicitatem, & iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clauium) diuina celebrauerint, vel se ingererint eisdem, inde contracta misericorditer dispensare. caeteras uero consimiliter absoluerent, & cum eis in similibus casibus dispensare valeant immediati Superiores eorum.

S. 44. Mutua quomodo recipienda.

Monasteriorum, & locorum religionis eiusdem dispendijs, quae ex mutuatorum contractu plerumque proueniunt, praecauere consultius intendentes, statuimus, quod Abbas, Praepositus, Prior, seu quouis alius (etiam Apostolicae Sedis Notarius) religionis eiusdem, quum per ipsum fuerit mutuum suscipiendum, ultra summam communi prouidentia per annale Capitulum, seu maiorem partem ipsius taxandam, infra scriptam solemnitatem obseruet. uidelicet, ut quilibet de praedictis Superiorem eiusdem religionis non habens, qui habebit recipere mutuum. supra dictum, tractatum ad minus, & consilium duorum dierum non continuatorum, seu interpellatorum, cum Capitulo, seu Conuentu suo diligentem habeat, & maturum. Et nihilominus de consensu sui Capituli, vel Conuentus, mutuum huiusmodi recipiatur ab eo. In Monasterio uero, Prioratu, & administratione, conuentuali, vel non conuentuali Superiorem immediatum in eadem religione habente; conuentuali uidelicet, cum conuentu ipsius, in non conuentuali, cum conuentu Superioris Ecclesiae, Monasterij, siue loci, tractatus huiusmodi habeatur. Et nihilominus in utroque licentia, seu auctoritas interueniat dicti Superioris quocumque nomine censeatur. eo plene certificato, in quantum commodè fieri poterit, de omnibus, quae interuenire debent in tractatu praefato. in quo quidem agatur, & clare liqueat, ob quam causam cuiusue summa, & si fieri potest, à quibus creditoribus, & sub quibus conditionibus, & obligationibus, quibusue terminis soluendum suscipiatur mutuum praedictum. de ijs nihilominus authentice conficienda scriptura, in qua ea omnia, ac nomina illorum, qui interfuerint in tractatu, ac etiam consentientium, & autorizantium exprimantur, & ipsorum autorizantium sigilla scripturae huiusmodi apponantur, Prohibemus inf per, ne pretextu alicuius procura-

gene-

generalis, etiam si contineatur in ea, quod procurator mutuum possit recipere, aut obligare Ecclesiam, monasterium, vel alium locum mutuum recipere valeat Ecclesia, monasterium, vel locus alius obligari, nisi prius predicta omnia fuerint observata. Volumus autem, quod pecunia, quae taliter ut praemittitur, mutuo recipietur, non remaneat in solius Antistitis, seu Abbatis, vel Prioris, aut alterius administratoris huiusmodi contractum ineuntis principaliter potestate; sed si commodè fieri potest, tradatur tribus, seu pluribus, aut paucioribus viris, prout expediens videbitur prouidis, & discretis, qui dictum mutuum ad illas utilitates, seu necessitates conuertant, ob quas noscitur fuisse contractum. qui super hoc fideliter exequendo iuramenti vinculo astringantur, districtius inhibentes, ne eorum, quae debentur Ecclesijs, Monasterijs, seu locis alijs religionis eiusdem, remisso fraudulosa, & notabiliter damnosa à quoque valeat attentari. Permittimus tamen, quod si Antistes, vel Abbas, aut alij quicumque administratores religionis eiusdem, à locis alijs dictae religionis, quibus subsunt, sint multum remoti, & casus aliquis euidenter utilis, seu necessarius occurrat, cui succurri non valeat, nisi ultra dictam summam communi prouidentia taxatam, mutuum contrahatur, licitum sit eisdem absque solemnitate huiusmodi, & poenis infra scriptis, ut tali casu valeat prouideri, tantam absque fraude qualibet summam recipere mutuo, quanta necessaria fuerit pro casu praefato. Recipientes autem mutuum in casu huiusmodi, si Superiores eiusdem religionis non habuerint, in Conuentibus proprijs; si vero Superiores tales habuerint, eisdem Superioribus, & nihilominus suis Conuentibus si Conuentum habeant infra octo dies postquam eorum praesentiam habere commodè poterunt, id exponere, & de ijs, qui in ipso contractu interueniunt eos certiores reddere teneantur, & conficiatur inde scriptura si ipsis Superioribus, vel conuentibus visum fuerit expedire. Prelatus autem, seu quouis administrator, qui semel recipit, siue particulariter, siue simul, summam praedictam, communi prouidentia (ut praemittitur) praetaxatam, quodcumque mutuum recipiat ultra eam, nisi esset modicum, quod tamen quartam partem eiusdem summae non excedat, teneatur sub infra scriptis poenis solemnitate secundam plenarie observare. Quod si Abbas, Praepositus, Prior, vel administrator alius dictae religionis quocumque nomine censeatur, contra praemissa faciens, mutuum ultra dictam summam communi prouidentia taxatam absque dicta solemnitate recipiendo, locum sibi commissum, aut iura, redditus, seu possessiones ipsius expressè obligauerit, vel literas, vel instrumenta concessionis, vel recognitionis super hoc conceperit, seu alias submiserit (nisi infra sex menses immediatè sequentes obligationes, & submissiones huiusmodi cessare fecerit) sit ei ex tunc donec ea compleuerit, Ecclesia interdictus ingressus. & insuper Praepositi, Priores, & alij administratores superiorem eiusdem religionis, non tamen conuentum, habentes, si praefatum interdictum per alios sex menses, praefatos sex imme-

diatè sequentes pertinaciter sustinuerint, sint ex tunc à suis administrationibus suspensi, donec obligationes praedictae tollantur, & eorum administrationes reddita fuerint indemnes. Suspensione autem huiusmodi durante, Superiores immediati taliter suspensorum administrationes eorum recipiant, easque per se, vel alios fideliter gerere, & indemnes pro posse reddere studeant, ac nihilominus suspensos eosdem aliter punire, prout culpae qualitas exegerit, non omittant. Si quis autem taliter suspensorum Superioribus ipsis in praedictis de facto contradicere praesumpserit, & in contradictione huiusmodi per octo dies pertinaciter perseverauerit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. quam si sustinuerit pertinaci animo per sex menses, dignitate, officio, administratione, seu beneficio per eum obtenta, seu obtento priuetur.

S. 45. Locationes quae damnatae sint.

Quoniam ex minus prouida locatione locorum religionis eiusdem, seu concessione ipsorum ad firmam, prouentuum locorum ipsorum plurima pertulit hactenus dicta religio detrimenta, salubri prohibemus edicto, ne Abbates, Priores, Praepositi, aut ceteri administratores religionis ipsius, sine causa necessaria, vel utili, loca suae administrationi commissa, vel prouentus ipsorum locorum, ad firmam tradere, seu locare praesumant. Quod si ex causa huiusmodi id facere voluerint, & Capitulum, seu Conuentum habuerint, non tamen Superiorem religionis eiusdem, debeant cum eodem Capitulo, seu Conuentu praemittere tractatum de causa huiusmodi, & de quantitate pretij, & sub quibus obligationibus, & de persona illius, cui firma, seu obligatio huiusmodi fuerit facienda, ipsasque facere cum consilio ipsius Capituli, seu Conuentus, vel maioris partis eiusdem. Si vero Capitulum, seu Conuentum proprium, & nihilominus Superiorem eiusdem religionis habuerint, non solum cum ipso Capitulo, seu Conuentu, sed etiam cum eodem Superiore dictum tractatum praehabeant, & cum consilio Capituli, seu Conuentus ipsorum, vel maioris partis, ac de dicti Superioris licentia, & non aliter ad eas procedant. Si autem Priores, vel Praepositi, aut alij administratores extiterint, non habentes Conuentum, sed Antistitem, Abbatem, vel alium Superiorem religionis eiusdem, tractatum praedictum cum eodem Superiore praemittant, & cum ipsius licentia, & non aliter faciant firmam, seu locationem praefatam. Per hoc autem non intendimus prohibere, quo minus redditus, & prouentus administrationum suarum locare, seu vendere valeant absque solemnitate praemissa ad tempus modicum, iuxta morem in regione in qua erunt, solitum obseruari. Statutis Ecclesiarum, Monasteriorum, vel aliorum locorum religionis eiusdem (si qua super hoc fuerint) rationabilibus obseruatis. Si tamen ex huiusmodi locatione, seu venditione prouentuum ad tempus modicum, ut praemittitur faciendis, contingeret infra unum annum recipi pecuniam, vel aliud quodcumque praecipuum prouentuum rei locatae unius anni excedens, tunc solemnitates praemissas volumus obseruari. Simili modo etiam prohibemus ne aliquo casu, firmae, seu locationes,

iones, seu venditiones huiusmodi fiant per eosdem personis suspectis: neue quibusvis firmarijs, seu conductoribus, siue emptoribus liber originalis censuum, aut instrumenta, seu monumenta originalia super iuribus Ecclesiarum, vel administrationum confecta tradantur, neue iurisdictiones per se, aut cum vniuersitate, seu ciuitates, vel ville, vel insignia loca, seu castra, vel fortalicia locentur, seu ad firmam tradantur, siue sub locatione, vel firma includantur. Redditus tamen, seu prouentus Ciuitatum dicti ordinis, villarum, locorum, castrorum, & fortaliciozum, huiusmodi, prout superius premititur, vendi valeant, seu locari. Vbi autem occasione firmarum, aut locationum, seu venditionum huiusmodi continget personas, vel bona Ecclesiastica ipsius religionis obligari, vel submitti, obligationes, & submissiones huiusmodi fieri volumus Ecclesiasticæ iurisdictioni, & coërtitioni duntaxat, & per Ecclesiasticam iurisdictionem, & coërtitionem executioni mandari. Firmas autem, seu locationes, aut venditiones predictas contra premissa factas, instrumenta quoque, & quælibet documenta super eis confecta, viribus carere decernimus, & nullius existere firmitatis. Et nihilominus Abbates, Priores, Præpositi, & ceteri administratores superiorem religionis eiusdem non habentes, qui contrafecerint, per Præsidentes capitulis, vel per visitatores deputandos in eis corrigantur. Ceteri verò per Antistites, Abbates, seu alios immediatos superiores eorum, si eos visum fuerit, in quinta parte pretij locationis, seu firmæ: fabricæ, seu in ornamentis Ecclesiæ, monasterij, siue loci, cui immediate suberunt applicanda, & alias debite puniantur.

S. 46. Registra, & archiua conficiantur.

VT Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum locorum religionis eiusdem, bona, & iura salubriter conseruentur, statuimus, quòd præsidentes Ecclesiis Cathedralibus, monasterijs, prioratibus, & administrationibus alijs quibuscunque dictæ religionis, quamprimum commodè poterunt, conficiant, seu confici faciant registra, in quibus possessiones, census, iura, & cetera bona immobilia quæcunque, & qualitercunque fuerint, ad eorum administrationes spectantia, sigillatim, & specificè describantur. Fiant etiam per eosdem registra de ornamentis Ecclesiasticis, vasis, lectis, animalibus, & alijs rebus mobilibus, & se mouentibus pro agricultura, & alia instructione locorum necessarijs, vel utilibus. & huiusmodi registra, in locis subiectis alijs superioribus religionis eiusdem duplicentur. quorum vnum in loco superiori, & reliquum in subiecto seruetur. Visitatores quoque in provincialibus capitulis deputati, cum visitabunt loca suæ visitationi commissa, prelati etiam, & alij superiores cum fuerit opportunum, diligenter inquirant, an res, & bona predicta, necessaria pro instructione locorum teneantur in locis eisdem. & prouideant, quòd perpetuo teneantur in eis, aliterque reperta faciant emendari, & secundum quod culpa exegerit, puniant

delinquentes. Insuper præsidentes prefati, cum possessiones administrationum suarum fuerint affecti, inuentaria, de bonis mobilibus, & se mouentibus repertis in administrationibus ipsis conficiant. Hi verò, qui habent superiores religionis eiusdem, huiusmodi inuentaria faciant duplicata, quorum vnum in loco subiecto seruetur, & superiori reliquum assignetur, ut per ea, in quo statu administrationes ipsas receperint, valeant apparere. Fiant autem huiusmodi inuentaria, & registra per tabellionem, vel saltem in aliarum publicarum presentia personarum. Adijcimus etiam, quòd præsidentes Ecclesiis Cathedralibus, monasterijs, & locis alijs dictæ religionis, qui bona mobilia priuilegium, administrationum, & beneficiorum quorumlibet religionis eiusdem, sibi subiectorum vacantium in eis, tempore huiusmodi vacationis inuenta, seu illa durante obuententia ex priuilegio, vel consuetudine, seu alia causa rationabili ad se afferant pertinere, vasa, vestimenta, seu alia ornamenta diuino cultui deputata: animalia etiam tan pro agricultura, quàm pro alijs ipsorum locorum necessitatibus teneri inibi consueta, vasa vinarum, & coquinaria, lectos etiam, & alia suppellectilia necessaria, seu vasa (nisi fortè aurea, vel argentea fuerint) nullatenus occupare, vel exinde asportare, aut sibi appropriare presumant. In apprehendendis quoque bonis alijs constitutionem felicis recordationis Bonifacij Papæ Octauij prædecessoris nostri super hoc editam, quæ incipit, Presenti diligenter obseruent. Qui verò secus fecerint, iuxta qualitatem delinquentium personarum poenas incurrant, quæ per constitutionem eandem eius transgressoribus imponuntur.

S. 47. Alimentorum præstationes non differantur.

Qum sit rationi consonum illis non debere onera recusare, qui rerum comoda complectuntur, statuimus, quòd Antistites, Abbates, Præpositi, Archidiaconi, Priores, & administratores ceteri religionis prefatæ, qui census, redditus, pensiones, seu quæcunque similia, debent, vel debent in posterum pro alimentis quotidianis, vel pro vestiarijs in Ecclesiis Cathedralibus, monasterijs, præposituris, prioratibus, officijs, & administrationibus, seu alijs locis religionis eiusdem, siue in blado, vino, carnibus, oleo, piscibus, pecunia, seu rebus alijs quibuscunque consistant, illa eis in terminis consuetis, vel præfixis, seu in antea præfigendis, integrè soluere non omittant. Quod si Priores, Præpositi, Archidiaconi, & ceteri administratores eiusdem religionis, ea in ipsis terminis, vel saltem infra mensem non soluerint, requisiti, quantum ascendit quarta pars illius debiti, ultra ipsum debitum nomine poenæ soluere teneantur. Et si infra alium mensem immediate sequentem non soluerint, tam poenam, quàm etiam ipsum debitum principale, eo ipso sint (donec de predictis fuerit integraliter satisfactum) à temporalium administratione suspensi, & prelatus durante suspensione predicta, ministres per alium temporalia beneficij illius, qui suspensionem incurrerit supradictam, & satisfaciat

ciat de prædictis. Antistites verò si post lapsum terminum requisiti infra duorum mensium spacium, à die requisitionis huiusmodi computandum satisfacere contempserint, pœnam tertie partis debiti incurrant irremissibiliter eo ipso. Abbates autem, & alij Prælati religionis eiusdem, si post requisitionem consimilem infra mensem satisfacere contempserint, incurrant pœnam consimilem ipso facto. Et si Abbates, & alij Prælati huiusmodi, per alium mensem sequentem, solvere non curauerint, à stallis chori, & loco Capituli deputatis eisdem, sint ipso facto, & tamdiu remaneant suspensi, donec integraliter de debito, & pœna satisfecerint memoratis, nulla remissione profutura eisdem. In prædictis tamen casibus de principali debito satisfacto Antistites, Abbates, & alij Prælati: liberè inferiores verò de suorum licentia Prælatorum remittere valent pœnas præfatas ab alijs, quàm à præfatis Antistitibus, Abbatibus, & Prælati sibi debitas pro prædictis. Institutionibus regularibus inbærentes, statuimus, ut Canonici in Ecclesijs Cathedralibus, monasterijs, siue locis alijs Collegiatis, seu Conuentalibus dicta religionis constituti, consuetudine seu usu (quin immo abusu contrario non obstante) in refectorio comedant in communi, nisi in casibus, in quibus, & prout eisdem licitum est, seu permissum extra refectorium comedere, secundum regularia & canonica instituta. prouiso quod illi, quibus incumbit onus prouidendi de victu Canonicis, eisdem prouideant sufficienter & decenter, non in pecunia, sed in victualibus, prout cuiuslibet opus erit. de qua sufficientia & decencia victualium tractetur, & si expedierit ordinetur in Capitulo annali. decernentes, quod si qui redditus, vel pensiones alicui ex Canonicis singulariter hætenus pro victualibus fuerint assignati, nullatenus dimittantur eidem. Nos enim assignationes huiusmodi reuocamus, & pro reuocatis haberi volumus, & eas fieri deinceps prohibemus. Illi quoque quibus incumbit onus de vestimentis, calciamentis, & alijs corporis indumentis necessarijs dictis Canonicis prouidendi, eisdem prouideant sufficienter, & decenter, & tempore congruo iuxta superentiam facultatum, & conditionem, seu qualitatem regionis. & illud quod dandum erit singulis, pro vestimentis, & alijs prædictis, ordinent & taxent si opus fuerit in annali Capitulo memorato. Ad hæc subiungimus, quod illi, qui prædicta administrare tenentur, ad ea omni excusatione cessante, ut præmittitur ministranda per Superiores suos, aut in defectum eorum, per Visitatores, vel Præsidentes in Capitulo provinciali deputatos, & eorum quemlibet compellantur. nec audiantur, si dicant priuilegium, statutum, ordinationem, vel consuetudinem contraria se habere, aut pro suis personis, eorumq; statu iuxta personarum, & officiorum decentiã sustentandis, se asserant indigere. nulla quoque super hoc appellatio, nullaque supplicatio eis proficit. Et si tertio moniti per aliqua dierum competentia interualla momenti arbitrio relinquenda, præmissis efficaciter parere contempserint, remoueantur à suis admini-

strationibus vel officijs, ipsaq; alijs personis idoneis prædicta complere valentibus committantur. Abbates verò, Præpositi, Priores ac ceteri, etiam Apostolica Sedis Notarij non habentes Superiores religionis eiusdem, vel habentes, si præsent Collegijs seu Conuentibus, qui de prædictis prouidere tenentur, non habentes quidem Superiores, à Præsidentibus, ac Visitatoribus, & eorum quolibet: ceteri verò tam ab eisdem, quàm etiam à dictis suis Superioribus per censuram Ecclesiasticam, alijsq; remedijs ad hoc congruentibus ad id omnino cogantur. eisdem Superioribus nisi suos subditos: necnon dictis Præsidentibus, ac Visitatoribus, nisi Abbates, Priores, & alios supradictos efficaciter ad præmissa compulerint; in Capitulis provincialibus grauius arguendis, & taliter corrigendis, quod cedat cæteris in exemplum. Ceterum si redditus, & prouentus dignitatum, officiorum, seu administrationum quibus onus prædictum incumbit, aut dicta victualia, vestimenta, seu alia pro victu seu vestitu necessario Canonicis ministrando non suffecerint, possit Prælatus in suo annali Capitulo, cum consilio & assensu eiusdem Capituli, vel maioris partis ipsius, auctoritate Apostolica prioratibus, administrationibus, & alijs beneficijs per Canonicos dicta religionis solitis gubernari, quibus eorum supportatis oneribus ad hoc suffecerint facultates (vocatæ tamen ad hoc Prioribus; vel administratoribus, & alijs beneficiatis, qui eisdem præfuerint) pensiones perpetuas imponere, pro sufficienti supplemento defectus victualium, & vestimentorum, & aliorum necessariorum, pro habitu corporis dumtaxat. quas quidem pensiones ex tunc, tam illi, qui eisdem prioratibus, administrationibus, & beneficijs alijs, tempore huiusmodi impositionis præfuerint, quàm successores eorum soluere teneantur.

S. 48. Esus carniū quando prohibitus.

VT salutis Auctori purius seruiatur, statuimus, quod vniversi Canonici religionis præfate, ab esu carniū diebus Sabbati, & per totum Aduentum Domini studeant abstinere, non obstantibus statutis, vel contrarijs quibuscunque. Super abstinentia verò ab esu huiusmodi carniū in quarta feria, & Septuagesima, Prælati seu alij, ad quos spectauerit, consuetudines & statuta, antiqua & noua, honesta & rationabilia iurum locorum seruent, & faciant obseruari. Illis tamen qui ad maiorem abstinentiam sunt ascripti, per hoc esum carniū non intendimus indulgere.

S. 49. Accubitus sint in dormitorijs &c.

Rursus præcipimus, quod Canonici religionis eiusdem residentes in claustris, omnes simul, vel si multitudo eorum non finis, saltem quanto plures ex ipsis commodè poterunt, in vna domo dormiant & quiescant, iuxta regularia instituta Canonica, non habentes separatas cameras siue cellas. exceptis ijs, qui propter senectutem, vel valetudines corporales, aut propter administrationes seu officia, que gesserint, vel ex alijs causis iuxta dispositionem sui Superioris rationabiliter excusantur. Statuimus etiam quod in dormitorijs cellas non habentibus,

ibus, cella de cætera nulla fiat. Permittimus tamen, quòd in eis ubi sunt cellæ iam factæ, remaneant; sed à parte anteriori debeant aperiri, ita quòd à transeuntibus, hi qui intra fuerint conspici valeant & videri. & quòd per Prelatos locorum infra sex menses à tempore, quo præsentibus constitutiones fuerint publicatæ, vel ipsis negligentibus, seu non valentibus, per Visitatores in provincialibus Capitulis deputatos, in prima visitatione, quam impenderint, omnes sales cellæ ab anteriori parte debeant aperiri. & si super hoc fuerint aliqui resistentes, vel impedimentum præstantes, seu præstari procurantes, vel ad id dantes auxilium, consilium, vel fauorem, publicè vel occultè, vel huiusmodi cellas de nouo facere præsumentes, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. quos etiam ipsi Praelati, & Visitatores præfati, per alia iuris & ipsius religionis remedia, valeant super his autoritate Apostolica coercere. Ab huiusmodi autem excommunicatione si ipsam incurrerint, possint absolui per Visitatores præfatos, vel per Prelatos immediatos eorum. & cum eis super irregularitate, si quam forsitan contraxerint, per simplicitatem, & iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clauium) celebrando diuina, vel se ingerendo eisdem, per eosdem valeat dispensari.

§. 50. Priuilegia, & mobilia non transferenda.

Religionis eiusdem consulere commodis, & præcauere dispendijs cupientes, statuimus, ut si quis Ecclesie Cathedrali, Monasterio, Prioratus, Præpositura, seu administrationi cuius dicta religionis Præfatus, aut simplex Canonicus, seu conuersus religionis eiusdem priuilegia, literas, vel instrumenta, concessa, seu confecta super libertatibus, possessionibus, rebus, seu iuribus eorundem, aut vasa aurea, seu argentea diuino cultui dedicata, necnon reliquias, ornamenta Ecclesiastica, libros, aut res alias notabiles vel pretiosas ipsorum, extra Ecclesiam, Monasterium, Prioratum, seu administrationem huiusmodi, in damnum ipsorum, apud suos consanguineos, vel propinquos, seu quoscunque alios fraudulenter transportare, seu tenere præsumserit (nisi infra duorum mensium spacium, prout possibile fuerit ei ad loca ipsa reduxerit, vel eadem loca, seu administrationes infra idem spacium indemnità reddiderit) ex tunc præfatus ipse, tamdiu donec præmissa, ut præfertur emendauerit, ab administratione temporalium sit suspensus. simplex vero Canonicus, vel conuersus, ad beneficia, seu officia qualibet religionis ipsius obtinenda, sit eo ipso tamdiu inhabilis, quousque per immediatam Superiorem ipsius, satisfactione præmissa, cum eis fuerit misericorditer dispensatum. & si Præfatus eiusdem, qui tamen Antistes, non fuerit, culpa extiterit manifesta, per Præfatos in provinciali Capitulo, seu Visitatores per idem Capitulum deputatos poenæ grauiori subdatur.

§. 51. Missarum celebratio iniungitur.

Hortamur Præpositos, Priores, & Administratores, singulosque Canonicos dictæ religionis in

sacerdotio constitutos, in Ecclesijs, monasterijs, & alijs eorum locis Conuentualibus residentes, ut (si non frequentius) saltem bis in septimana: residentes autem in Prioratibus, vel alijs locis non Conuentualibus, saltem semel in hebdomada: in scholis verò vel alibi commorantes, infra quindecim dies saltem semel, salua honestate & debita deuotione, Missas studeant celebrare.

§. 52. Et Eucharistiæ susceptio.

Alij verò Canonici non sacerdotes ubilibet constituti, in qualibet quindena saltem semel confiteantur, & quolibet mense reuerenter suscipiant Eucharistiæ Sacramentum. nisi fortè de proprij Confessoris consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione eorum aliquis duxerit abstinendum. Per hoc autem, statutis, consuetudinibus, ordinationibus, seu obseruantijs Ecclesiarum, monasteriorum, seu locorum prædictorum, quibus frequentius pro certis diebus confiteri, communicare, vel celebrare debeant, vel sæpius celebrando locorum onera supportare, in aliquo non intendimus derogare. adijcetes quòd Abbates, Præpositi, seu Priores ceteri locis Conuentualibus Præfatos, die qualibet, rationabili causa cessante, Missam celebrent, vel audiant, & nihilominus in solemnibus festis, in suis monasterijs, seu locis Missas solemnes studeant celebrare.

§. 53. Diuinorum Officiorum recitatio.

Hortamur etiam quòd in Ecclesijs, monasterijs, seu locis alijs Conuentualibus, cum modestia humiliter, & deuotè, Horis nocturnis & diurnis, ad diuina officia vniuersi, & singuli Canonici studeant conuenire, ipsaq; non transcurrendo, aut syncopando, sed tractim, & distinctè, psallant & celebrent, ac deuotè. Sanè in Ecclesijs Cathedralibus, monasterijs, & locis alijs Conuentualibus religionis eiusdem, Missa maior per Canonicum celebretur. Et si inibi, magnus & ad hoc sufficiens fuerit Canoniconum numerus, in officijs Diaconatus, & Subdiaconatus ministrent huiusmodi celebrati. & qui hebdomadarius fuerit Missæ maioris, cessante impedimento legitimo, horas Canonicas incipiat, & collectas & orationes dicat. Transgressores vero præmissorum debite subiaceant discipline.

§. 54. Reliquiarum &c. conseruatio.

Denique solliciti sint Antistites, Abbates, Præpositi, Priores, Sacristæ, & administratores alijs religionis præfate quocunque nomine censeantur, quibus incumbit Ecclesias, Oratoria, altaria, reliquias, vasa, corporalia, vestimenta, & alia ornamenta Ecclesiastica, munda & misida conseruare, & facere ab alijs conseruari, de breuiarijs quoque missalibus, alijsque libris, & vestimentis, ac ornamentis quibuslibet necessarijs, iuxta facultates & exigentiam locorum suorum, Ecclesijs, & locis eisdem omnino provideant, seu faciant prouideri, quòd si præmissa pro posse adimplere neglexerint, ad ea complenda competentibus remedijs compellantur. & si opus fuerit pars proventuum beneficiorum eorum per Superiores recipiatur eosdem, & in prædictorum prouisionem per aliquem idoneum conuertatur.

S. 55. Fori vsus damnatur.

IN fauorem religionis prefata prohibemus, ne Antistites, & alij Ecclesiastici Iudices, trahant professores religionis eiusdem in causis criminalibus ad eorum consistorium, seu iudiciale tribunal, ubi causæ communiter audiuntur; sed alibi audiant dictas causas; nisi forte criminis manifesti enormitas aliud suaserit faciendum.

S. 56. Venationumque.

Porro à venationibus, & aucupationibus canonicis dicta religionis abstineant, nec eis interesse, & aucanes ad opus venandi, vel aues venaticas per se, vel alios tenere presumant, nec à familiaribus secum morantibus teneri permittant; nisi saltus, viuaria, vel garenas propria, vel ius venandi in alienis haberent. quo casu hoc eis permittitur. dum tamen infra monasterium seu domos, quas inhabitant, aut eorum clausuras, venaticos canes non teneant, nec venationi presentiam exhibeant personalem. Siqui verò eorum venationi, aut aucupationi clamosa, vel alias, cum canibus vel auibus ex proposito interfuerint; siquidem Abbas fuerit vel Prior seu praepositus, aut Apostolicae Sedis Notarius quicumque non habens superiorem eiusdem religionis, per annum se nouerit à beneficiorum collatione suspensum. quo casu ius collationis huiusmodi, eo modo, quo sibi competeat, ad Priorem claustralem, cum consilio, & assensu conuentus, vel maioris partis ipsius, durante suspensione huiusmodi, deuoluatur. Si verò alius fuerit, ab administratione quam obtinet, sit per annum suspensus. quod si nullam administrationem habeat, eo ipso per annum reddatur inhabilis ad administrationem, seu aliud Ecclesiasticum beneficium obtinendum.

S. 57. Armorum retentio prohibetur.

Dicti quoque canonici, infra septa suarum Ecclesiarum, seu monasteriorum, arma nullatenus teneant sine suorum licentia praetorum. Tenentes verò absque dicta licentia, per superiorem suum taliter puniantur, quod ipsorum poena cedat alijs in exemplum. Super inhabilitate tamen, & suspensione praedictis, Praesidentes & eorum quilibet cum praetatis, & praetati cum eorum subditis possint, si eis expediens visum fuerit, dispensare, iniuncta transgressoribus poenitentia salutari.

S. 58. Accusationes quæ recipiendæ.

Quia nonnulli canonici dicta religionis contra praetatos, vel superiores suos frequenter multa proponunt, non ut omnia per eos proposita prohibent, quia nec facere possent, sed ut infamant omnibus, & probatis forsari illorum aliquibus, finem consequantur optatum, districtius inhibemus, ne quis canonicus religionis eiusdem contra suum praetatum, vel superiorem, super crimine, vel criminibus deinceps quomodolibet admittatur; nisi prius se obligauerit ad poenam congruam, si in probatione propositorum, vel alicuius ipsorum defecerit, per eum irreuersibilibiter subrandam.

S. 59. Reparatio locorum praecipitur.

Si aliqua Ecclesia cathedralis, monasterium, seu alius locus religionis eiusdem, in religione, vel regulari obseruantia adeo sint collapsa, quod per Antistitem, Abbatem vel alium praetatum, seu administratorem, vel canonicos proprios verisimiliter nequeant reparari, statuis, quod per praesidentes provinciales & quemlibet eorundem, ad requisitionem, seu relationem Visitatorum; proat eidem capitulo super hoc consulendo videbitur expedire, vel sine consultatione huiusmodi, si ex dilatione consulendi dictum capitulum periculum immineret, auctoritate Apostolica de alia Ecclesia, monasterio seu loco, in qua seu quo eiusdem religionis noscitur obseruantia restoreret, canonici assumantur idonei, & ad dictam Ecclesiam, monasterium, seu locum, collapsam, seu collapsam mittantur, ut ibidem quandiu expediens fuerit morerentur, per quos Ecclesia, monasterium, seu locus huiusmodi reparetur. Illi verò canonici, ob quorum culpam eiusdem Ecclesiae, monasterij, siue loci huiusmodi lapsus, seu deformatio noscitur contigisse, in Ecclesia, seu monasterio, vel loco, de qua, vel quo assumpti fuerint, qui ad Ecclesiam, vel monasterium, seu locum, collapsam, vel collapsam, ut praemittitur transmittentur, vel in loco alio, in quo eadem religio vigeat, per praesidentes eosdem, & eorum quemlibet, proat expediens fuerit, auctoritate Apostolica collocentur, ubi eorum mores valeant reformari. districtius inhibentes ne monasteria, seu alia loca collegiata, seu conuentualia religionis eiusdem, Ecclesijs, monasterijs, seu locis religiosorum quorumcumque alterius habitus uniantur, vel etiam submittantur, sine licentia Sedis Apostolicae speciali. si secus actum fuerit, decernentes irritum, & inane.

S. 60. Proprietarij damnantur.

Litet contra religiosos proprietarios su prouisam per canonicas sanctiones, tamen specialiter prouidere volentes contra illos canonicos, & conuersos dicta religionis, qui suae salutis oblitæ, contra regulares, & canonicas institutiones pecuniam congregant, iura, possessiones, redditus, seu census annuos, & alia bona emunt, seu omni faciunt, aliquando proprio, & saepe nomine alieno, malis super ijs figmentis adhibitis, alijsque tradunt animalia nutrienda, & cum augmento, vel lucro, sibi, vel alteri reddenda eorum nomine, seu pro ipsis, & alios multos contractus diuersimode tanquam negotiatores exercent. necnon appetentes, & sectantes licera turpia, pecuniam occultant, & illicitè detinent in suarum periculum animarum. Determinamus omnia praemissa (quæ tamen restitutioni non subiacent aliorum) nedam post obitum, sed etiam in vita ipsorum canonicorum, & conuersorum, fore administrationi, ad quam pertinuerint, applicanda, quacumque consuetudine contraria non obstante, quodque nulli canonico, vel conuerso alia faciendi licentia à quocumque valeat indulgeri: & quod praefati canonici, & conuersi praedicta committentes, & quasunque religionis eiusdem supra dicta retinentes, aut sibi ipsis appropriantes, vel applicationi huiusmodi resistentes, vel impedimentum, publice,

blisè uel occultè eidem præstantes, seu præstanti-
 -curantes, uel dictum peculium habentes, & non reue-
 -lantes Prælati proprijs, si per eosdem prælatos spe-
 -cialiter & nominatim moniti, infra mensem post mo-
 -nitionem huiusmodi immediatè sequentem, à prædictis
 -non destiterint, uel peculium non reuelauerint, &
 -restituerint, si restituenti facultatem habuerint, sint
 -eo ipso inhabiles ad Prioratus officium, administratio-
 -nes, & beneficia qualibet in religione huiusmodi obti-
 -nenda. Concedimus tamen quod cum talibus canoni-
 -cis, seu conuersis, Antistites, Abbates, Præpositi, &
 -alijs Prælati eorum immediati, possint super inhabili-
 -tate huiusmodi dispensare, quando eis videbitur ex-
 -pedire: dummodo à prædictis destiterint, & peculium,
 -& alia supradicta reuelauerint & restituerint, ut
 -præfertur. Teneantur insuper Prælati, & Superiores
 -præfati, in suis annalibus Capitulis moneve generali-
 -ter annuatim omnes proprietarios, ut ab omnibus su-
 -pradictis desistant excessibus, & peculium, si quod ha-
 -bent, reuelent, & restituere non postponant.

§. 61. Conspirationesque.

Quam ex conspirationis, & coniurationis cri-
 -mine, si forte transeat impunitum, multa mala,
 -& scandala possint exoriri, statimus quod
 -conspiratores, & coniuratores, si qui religionis eius-
 -dem de crimine huiusmodi legitime conuicti fuerint,
 -uel confessi, præter alias pœnas talibus à iure, uel ali-
 -quo quouis modo inflictas, eo ipso beneficijs, & ad-
 -ministracionibus quibuslibet, que obtinuerint, sine
 -priuati. Si uero beneficiati non fuerint, eo ipso red-
 -dantur inhabiles ad quouis beneficia, seu administra-
 -ciones Ecclesiastica quomodolibet obtinenda. Contra
 -conspiratores autem & coniuratores occultos, quorum
 -notitia non habetur, per Superiorem, aut Visitatores,
 -etiam pœna alijs, prout expedire videbitur, genera-
 -liter statuuntur. Si uero aliquis de prædictis ad cor-
 -reductus, illi uel illis, qui tanguntur ex eis, ipsas pa-
 -refecerint tali tēpore, quod possint huiusmodi factiani-
 -bus obuiare, dignus absolutione, & uenia habeatur.

§. 62. Electi, & fugitiui puniantur.

Ne canonici religionis præfate uagandi occa-
 -sionem habentes salutis propriæ detrimentum
 -incurrant, statimus ut Præsidentes Prouincialibus
 -Capitulis, necnon Abbates, Præpositi, Priores, & alijs,
 -ad quos id pertinuerit, fugitiuos, & eiectos de ordine
 -suo, requirant sollicitè annuatim, qui si in Ecclesijs,
 -seu monasterijs suis recipi poterunt, secundum ordi-
 -nem regularem recipiantur, salua ordinis disciplina,
 -quod si disciplinatos incorrigibiles apparuerint, aucto-
 -ritate nostra provideant Præsidentes, & alijs prædicti,
 -ut apud easdem Ecclesias, seu monasteria, in locis
 -competentibus à communi fratrum consortio segrega-
 -ti ponantur ad agendum penitentiam; ibique uita
 -necessaria ministrentur eisdem. nec pateat alijs fra-
 -tribus, aut cuiquam alteri accessus ad eos, nisi prius
 -à Superiore petita licentia, super hac, & obtenta. Si
 -uero huiusmodi fugitiuos, uel eiectos, inobedientes
 -inuenierint, eas excommunicent, & tandiu faciant
 -ab Ecclesiarum prælati excommunicatos pronuncia-
 -ri publicè, donec ad mandatum ipsorum humiliter

reuertantur. Insuper statuimus, quod prælati, & alijs,
 -ad quos pertinuerit in ipsa religione correctiones fa-
 -cere regulares, quotiens & quando pro grauioribus
 -culpis debebunt penitentias iniungere, hoc faciant cum
 -aliquorum proborum consilio, & tractatu præhabito
 -cum eisdem.

§. 63. Prædicta iurisdictioni Ordinariorum
 -non præiudicent.

Per præmissa uero iurisdictioni Ordinariorum
 -non intendimus derogare.

§. 64. Iussio illa publicandi in Capitulis.

Vt autem statuta huiusmodi, que religionis
 -eiusdem salutem sapiunt, & profectum, ad
 -cunctorum professorum eiusdem ordinis notitiam de-
 -ducantur, ac inuolabiliter, & fideliter obseruentur ab
 -eis, auctoritate Apostolica presentium tenore præci-
 -piamus, quod statuta prædicta in primis Prouinciali-
 -bus Capitulis eorundem, à principio usque ad finem
 -publicè legantur, & solemniter publicentur. eorumque
 -singula copia, singulis Ecclesijs, monasterijs, atque
 -locis religionis eiusdem habentibus Capitula, Colle-
 -gia, seu conuentus, per Præsidentes dictis Capitulis
 -eorum, sigillata singulis tradantur, & etiam assignen-
 -tur. expensis tamen Capitulorum, seu conuentuum,
 -quibus huiusmodi danda fuerint copia, conscribenda.
 -quodque in singulis Ecclesijs, monasterijs, atque locis
 -dicti ordinis, statuta præfata bis in anno legantur &
 -statutis, & consuetudinibus dicti ordinis, & priuile-
 -gijs quibuscumque, si qua forsitan huiusmodi statutis per
 -nos editis obuiarent, omni quod hoc deinceps robore
 -carituris. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. Auinione, Idibus Maij, Pontificatus nostri
 -anno quinto.

Caput quadragesimumquartū.

De nonnullis Capitulis Prouincialibus
 -pro executione prædictarum Con-
 -stitutionum Benedicti XII.
 -celebratis.

Via frustra conduntur leges, nisi
 -sint, qui eas faciant executioni
 -demandari, ob hanc causam pa-
 -rum uisum est sanctissimo Pontifi-
 -ci Constitutiones huiusmodi sa-
 -luberrimas condidisse, nisi illas
 -destinatis per singulas prouincias peculiaribus
 -literarum Apostolicarum executoribus curaret
 -quantocius executioni demandari: quod in
 -nonnullis prouincijs effectum est statim, con-
 -gregatis Capitulis Prouincialibus, ac in eorum
 -conuentibus prædictis constitutionibus promul-
 -gatis, & seruari mandatis. nam in prouincijs
 -Taraconensi, & Cæsaraugustana, referente Ioan-
 -ne Trullo lib. primo cap. undecimo ad finem anno
 -1340. coactum est Capitulum Prouinciale in
 -Oo iij castro

castro Regio ciuitatis Illerdensis, in quo ipsæ Benedicti Duodecimi constitutiones fuerunt promulgatæ. Similiter in Prouincia Romana, & in cathedrali Eugubina tunc regulari anno 1344. die 4. Maij coactum est aliud Capitulum Prouinciale, in quo iuxta formam dictarum Constitutionum creati sūt Visitatores Ecclesiarum, & monasteriorum dictæ Prouinciæ Romanæ infra scripti canonici, videlicet: Prior sancti Frigidiani Lucæ visitare debeat, & teneatur omnes Ecclesias, monasteria, & loca conuentualia existentia in Ciuitatibus, & Episcopatibus ciuitatis Castelli, Eugubij, Urbis Veteris, Viterbij, & Romæ. Dominus Iacobus Prior cathedralis Eugubina sanctorum Mariani, & Iacobi visitare debeat, & teneatur omnes Ecclesias, monasteria, & conuentualia loca Ciuitatum, & Episcopatum Perusij, Clusij, & Florentia. Prior sanctæ Mariæ Nouæ Romæ visitare debeat, & teneatur omnes Ecclesias, monasteria, & loca conuentualia Ciuitatum, & Episcopatum Beneuenti, Neapolis, ac etiam in Regno Sicilia, & in Apulia. Prior sancti Andrea de Mofciano Florentia visitare debeat, & teneatur omnes Ecclesias, monasteria, & loca conuentualia Ciuitatis & Diocesis Lucensis. Prior sancti Ioannis de Urbe Veteri visitare debeat, & teneatur omnes Ecclesias, monasteria, & loca conuentualia existentia in Ciuitatibus, & Episcopatibus Firmano, & Asculano: Extant acta dicti Capituli Eugubij in Archiuo Ecclesiæ cathedralis. Bonifacius quoque Nonus anno millesimo quadragesimo primo mandauit Abbati sancti Petri in Cælo aureo, necnon Prioribus sancti Frigidiani Lucæ, & sancti Augustini Pisanarum congregare Capitulum Prouinciale iuxta formam dictarum Constitutionum. Verum ob dirum Schisma, quod tunc temporis Ecclesiam exagitabat, cuius causa non pauca tum canonicorum, tum etiam monachorum cœnobiorum rapinis bonorum, incendijs, & alijs cladibus obnoxia corruerunt, arbitror dictum Capitulum minimè fuisse congregatum. nec dubium, quin alijs etiam in Prouincijs alia Capitula fuerint ea de causa congregata, quorum ad me notitia hætenus non venit. Cæterum quod nostra interest, vnum hic referam Capitulum Prouinciale in Ciuitate Papiæ aliàs Ticini celebratum anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo, die vigesima octaua Augusti in festo beatissimi Patris nostri Augustini, cuius acta, quoniam in præcedentibus illorum sæpius mentio est habita, ex lib. Constitutionum Benedicti Duodecimi, necnon eiusdem Capituli Romæ edito ante annum, vt puto millesimum quingentesimū per Magistrum Stephanum Guillereti de Lunariuilla Tullensis diocesis impressorem, ex integro accepta, hoc in loco imprimenda curauit.

Constitutiones factæ in Capitulo Prouinciali canonicorum regularium ordinis, seu Religionis sancti Augustini in Pisan. Rauennat. Ianuen. & Mediolan. prouincijs, cum Episcopatibus Placentin. Ferrarien. & Ariminensi sub an. & indictione infra scriptis. Celebrato in Abbatia sancti Petri in Cælo aureo Papiæ.

IN nomine Domini. Amen. Venerabilis, & religiosus vir dominus Frater Philippus Abbas monasterij sancti Petri in Cælo aureo Papien. ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, Commissarius à Sede Apostolica deputatus in hac forma. Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Abbati sancti Petri in Cælo aureo Papien. & Priori sancti Georgij de Ferrarola, propè Ferrariam, per Priorem soliti gubernari monasterij, salutem, & Apostolicam benedictionem. Reuerentis considerationis auctorem ad salubrem statum ordinis, seu religionis canonicorum regularium ordinis sancti Augustini assensibus dirigentes, pro salute, & prosperitate ipsorum, præhabita deliberatione mature, nonnulla statuta edidimus, & ordinationes facimus: quæ volumus, & mandamus in eodem ordine, seu religione perpetuis futuris temporibus observari. Et quia in eisdem statutis, & ordinationibus inter alia duximus statuendum, quod in ordine, seu religione præfata in singulis prouincijs per nos in ipsis ordinationibus nouiter statutis, & etiam designatis spat de quadriennio in quadriennium prouinciale Capitulum Abbatum, & Priorum monasteriorum Abbates proprios non habentium, & etiam Priorum cathedralium Ecclesiarum ordinis, seu religionis ipsius; seu aliorum maiorum in ipsis Ecclesijs existentium post Antistitem eorundem, apud unum de vestris monasterijs eiusdem ordinis ad hoc aptum, vel si hoc fieri non posset, apud alium locum ad hoc congruum, & securum, de quo monasterio, seu loco, & de die primi Capituli huiusmodi celebrandi, & alijs ad id opportune facientibus, prouidere habent, qui super per Sedem Apostolicam forent deputari, prout in dictis ordinationibus plenius continetur. Vt hac executioni debite demandentur, vos de quorum circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad exequenda præmissa, & alia infra scripta in Pisan. Ianuen. Mediolan. & Rauennaten. Prouincijs, cum Episcopatibus Placentin. Ferrarien. & Ariminen. quos quò ad celebrandum nunc, & in posterum huiusmodi Prouinciale Capitulum, pro vna volumus, & statuimus reputari prouincia, tenore presentium deputantes, discretioni vestra auctoritate apostolica committimus, & districtius iniungimus, vt pro celebrando hac prima vice huiusmodi Capitulo in dicta Prouincia, per nos vt præmittitur designata, aliquod monasterium eiusdem ordinis, seu religionis ad hoc aptum, si in ea valeat reperiri: alioquin locum alium ad hoc congruum, & securum, & diem ad id etiam congruum, cum continuatione dierum sequentium eligentes, Abbates, Priores, & alios præuincatos, ad huiusmodi capitulum

lum conuocare curetis: diem, & locum predictos eis per vestras literas nihilominus intimantes, per quem in ipso primo Capitulo missa solemniter celebrari, sermoque conuenientibus ad dictum locum fieri debeat, prouide ordinando, eodem Capitulo congregato, faciat aliquas personas idoneas per ipsum Capitulum eligi, que dicto proximo Capitulo presideant, eaque faciant, & adimpleant, que iuxta huiusmodi nostras ordinationes, vel alias per presidentes huiusmodi provincialibus Capitulis facienda: statuta quoque, & huiusmodi ordinationes, que vobis, & dicto Capitulo sub bulla nostra transmittimus, in eodem Capitulo publicentur, ac legi, & auscultari integraliter faciatis: omnes Abbates, Priores, & alios predictos conuenientes ad Capitulum memoratum, necnon procuratores absentium monendo, & si necesse fuerit, compellendo, ut ipsorum statutorum, seu ordinationum copiam sub authentica scriptura recipiant, illa ad Ecclesias, Monasteria, seu loca ipsorum fideliter delaturi, que etiam in dictis Ecclesijs, Monasterijs, atque locis legi faciant, & diligentia custodiri, & etiam obseruari. Volumus etiam, per dictum primum Capitulum prouideri de loco ad hoc commo, & securo eiusdem provincie, ubi liber ordinationum, seu statutorum nostrorum huiusmodi bulla nostra munus perpetuis futuris temporibus debeat custodiri. statuta etiam in provincialibus, seu communibus, Abbatum, & Priorum predictorum dictarum Pisanen. Ianuen. Mediolanen. & Rauennaten. provincialiarum, ac Episcopatibus Placentin. Ferrarien. & Ariminen. vel aliorum earum Capitulis olim facta portari per eos, qui illa habuerint, ad prefatum primum Capitulum, & ipsa per aliquos ab eodem Capitulo deputandos, examinari cum diligentia faciatis, & que in illis, que tamen nostris predictis ordinationibus non obuiant, in ipsa vestra provincia obseruari debeant, in sequenti eiusdem provincie Capitulo ordinetur. deinde ad Ecclesias Cathedralis, Monasteria, vel alia loca conuentualia eiusdem ordinis, seu religionis infra eandem provinciam existentia conuenientim, vel diuisim per diuisas partes, prout ad inuicem conueneritis, personaliter accedentes, de ipsorum, necnon membrorum suorum facultatibus, ac quot Canonici esse consueverunt in eisdem, quot etiam de dictis facultatibus, incumbentibus eis supportatis oneribus, commode valeant sustentari, diligenter inquirere, nosque de premissis per diligentem, & fidelem relationem plenarie informare curetis: ut consideratis facultatibus, & oneribus supradictis, certum cum eis canonicorum numerum statuere valeamus. Insuper, ut in exequendis premissis vos non contingat expensis proprijs pragrauari, pro singulis diebus, quibus post dictum Capitulum celebratum, in predicta executionis prosecutione, eundo, morando, & redeundo, cuilibet vestrum exigendi quinquaginta Turonenses argenti duntaxat ab Ecclesijs, Mona-

sterijs, alijsque locis predictis conuentualibus, & membris eorum congrua per vos, vel vestrum alterum de illis inter Ecclesias, Monasteria, loca, ac membra predicta, distributione facta: ita quod nihil aliud ultra quinquaginta turonos predictos, vos, aut familiares vestri ab Ecclesijs, Monasterijs, locis, vel membris predictis, vel a prelati, seu quibusvis personis ipsorum, petere, exigere, vel etiam a volentibus soluere, seu dare, recipere presumatis. Alioquin penis contra Visitatores in provincialibus Capitulis deputandos, & familiares eorum, preter expensas eis in virtualibus ministrandas pecuniam, aut munera recipientes, in dictis constitutionibus, ac ordinationibus vestris inflictis, vos, & dictos familiares vestros volumus subiaccere, Contradictores quoque in premissis, vel aliquo premissorum per censuram Ecclesiasticam, & alia oportuna remedia compescendi, non obstantibus aliquibuscunque statutis, & consuetudinibus Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum eiusdem ordinis, seu religionis provincie predictae contrarijs, iuramentis, confirmationibus Apostolicis, aut quibusvis firmitatibus alijs roboratis, seu si Abbatibus, capitulis, aut Prioribus supradictis conuenientim, vel separatim a prefata sede indulgentiam existat, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo, ad verbum de indultis huiusmodi mentionem: aut quibuscunque constitutionibus, vel statutis, privilegijs, indulgentijs, vel literis Apostolicis generalibus, vel specialibus contrarijs, quorumcunque tenorem existant, per qua presentibus non expressa, vel totaliter non inserta, earum effectus impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, plenam, atque liberam tenore presentium concedimus potestatem. Quod si non ambo premissis exequendis potueritis inter esse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Caterum quia pro dictorum statutorum, & ordinationum expeditione dilectos filios Raymundum Furnerij de Bello vicino, Gulielmum Bastardi de Celsis Nemafen. & Pictaensis Diocesis Prioratum Priores, ac Robertum de Mandigoto, Prepositum Ecclesie Vticensis dicti ordinis decretorum doctores in Romana curia prosecutores, per alias nostras literas duximus deputandos, & eis, vel duobus ex ipsis inter alia exigendi, ab Abbatibus Capitulis, Prioribus, & alijs administratoribus eiusdem ordinis, seu religionis, de quibus videretur eisdem, pro premissorum expeditione certas pecuniarum summas, & taxandi, ac distribuendi inter dictas provincias, quantum videlicet quolibet provincia per nos distincta de expensis per eos in scripturis, aut alijs premissorum occasione factis, soluere teneatur, liberam dedimus potestatem, volumus, & mandamus, quod ex tam vos, quam Presidentes primo provinciali Capitulo, ceterique Abbates eiusdem provincie taxationem per eos in

ipsa vestra prouincia impostam soluere, & aliis circa hoc eorum mandatis deuote, & efficaciter parere curetis. Data Auinion. Kalend. Iulij Pontificatus nostri anno quinto.

III. **V**olens huiusmodi Apostolicum mandatum reuerenter exequi, ut teneretur, dicta Ecclesia sancti Georgij de Ferrarola propè Ferrariam Priore vacante, prout idem Dominus Abbas percepit fide digna relatione multorum, omnes, & singulos Abbates, Priores, prepositos, aliosque prelatos, superiores prelatos eiusdem ordinis non habentes, Ecclesiarum, Monasteriorum; aliorumque locorum conuentualium in predictis Pisanen. Ianuen. Mediolanen. & Rauennaten. prouincijs; cum Episcopatibus Placentinen. Ferrarien. & Ariminen. existentium per suas patentes literas, & nuncios speciales, in quibus dictarum literarum Apostolicarum, & predictorum persecutorum erant totaliter inserti tenores, conuocauit, monuit, & citauit, ut in die festi sancti Augustini doctoris proximi tunc ornaturi, quod celebrari debeat die vigesimo octavo mensis Augusti, in Ciuitate Papiensi in dicto Monasterio sancti Petri in celo Aurea, in quo corpus eiusdem doctoris eximij residet tumulatum, & quod idem Dominus Abbas ad dictum Capitulum celebrandum locum aptum, & securum elegerat, & in quo sermonem fieri, & Missam, ut debebat, ordinauerat celebrari personaliter, nisi foret legitimo impedimento detenti. Alioquin per aliquem Canonicum eorum Ecclesie, Monasterij, atque loci, si hoc commode fieri poterat, vel hoc commode fieri non valeret, per aliam personam idoneam cum sufficienti mandato, causam impedimenti huiusmodi continere, & etiam potestatem iurandi in animam constituentis eundem causam huiusmodi veram esse, ad dictum Capitulum comparere, vel mittere procurent. Prefatus vero dicti Abbates, Prepositi, Priores, alique Prelati dictarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum, qui personaliter aderant, & procuratores absentium, qui ad ipsum Capitulum venire non potuerunt, legitime impediti, die, & loco superscriptis congregati pro huiusmodi capitulo celebrando, adhibitis nararia, & testibus infra scriptis ad ipsum Capitulum celebrandum, & ad omnia alia infra scripta per ordinem, qui sequitur, processerunt. Primo namque prefato die festo sancti Augustini in Ecclesia dicti Monasterij sancti Petri dictus Dominus Abbas, & Commissarius Missam solemniter celebrauit, deinde ipse Abbatibus, Prioribus, Prepositis, & Procuratoribus, ceterisque alijs memoratis ad alium locum in dicto Monasterio se erabentibus, electum ad ipsum Capitulum celebrandum, venerabilis Pater Dominus Prepositus Monasterij sancti Saluatoris Brixien. sermonem fecit omnibus congregatis ibidem, quo finito prefatus Dominus Abbas, Commissarius, & totum Capitulum unanimiter, & concorditer ordinauerunt, quod infra scripti videlicet dictus D. Abbas Monasterij S. Petri in celo aureo Papien. Prior Dominus Dei Placentin. Prepositus Monasterij sanctorum Faustini, & Iouita ad sanguinem Brixien., Prepositus Monasterij

sancti Gratiani Vercellen. Prepositus Monasterij sancti Petri ad Vltimam Mediolan. Archipresbyter de Carpo, Prepositus Monasterij sancte Marie Nouarien. Prepositus Monasterij ad Vincula Pisan. Prior Monasterij sancti Georgij Bononien. Prior Monasterij Apostolorum Bononien. & Prepositus Monasterij sancte Agathe Cremonen. predicto primo provinciali Capitulo presiderent, & eos presidentes, & pro presidentibus elegerant, & assumpserant, iuxta tenorem dictarum literarum Apostolicarum, eidem Domino Abbati directarum. Qui Presidentes, ut predicatur, electi, onus eis impostum ob reuerentiam Sedis Apostolicæ, & dictæ religionis statum prosperum, & salubrem humiliter acceptantes, monuerunt predictis omnibus, & singulis ibi presentes, quod hora eorum eiusdem diei in dicto loco ad Capitulum conuenire debeant. Hora vero nona predicta ipsis ibidem ad Capitulum congregatis, prefatus Dominus Abbas legi fecit, & publicari literas Apostolicas superscriptas, commissionem sibi factam ut premissas continentes.

IV. **D**einde idem Dominus Abbas, & presidentes predicti legi, & publicari fecerunt literas persecutorum predictorum, quorum tenor sequitur, & est talis. Reuerendis in Christo Patribus vniuersis Dominis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, alijsque personis Ordinis, seu Religionis Canonicorum Regularium in proximo ipso provinciali Capitulo in Pisan. Ianuen. Mediolanen. & Rauennaten. prouincijs, cum Episcopatibus Placentina Ferrarien. & Ariminen. secundum constitutiones Apostolicas, quo ad hæc una prouincia designata celebrando congregatis, Raymundus Fumery de Bello vicino, ac Gulielmus Bastardi Beata Maria de Celsis Nematifen. & Pitauien. Diocesum, Prioratum Priores, eiusdem Ordinis, decretorum doctores, salutem cum votis prosperis, & salubribus incrementis, Beatissimus in Christo Pater, & Dominus noster, Dominus Benedictus diuina prouidentia Papa Duodecimus super expeditione statutorum, & ordinationum, qua in Ordine canonicorum regularium salubriter eadit, cuius egregius Ecclesia Doctor gloriosiss. Augustinus specialis, & precipuus extitit institutor: vos duos, vna cum venerabili, & religioso viro D. Roberto de Mandagoto Preposito Ecclesia Vticen. addita clausula, vos, vel duo vestrum, & c. persecutores in Romana curia per suas literas depusauit. Et nobis inter alia pro predictorum, & diuersarum scripturarum propterea conficiendarum expeditione vtili, & celeri, ac premissorum missione ad diuersas prouincias expensis per vos faciendis, ab Abbatibus, Capitulis, Prepositis, Archidiaconis, Prioribus, & alijs in dignitatibus, personatibus, officijs, ac administrationibus eorundem Ordinis, seu religionis constitutis, exemptis, & non exemptis, de quibus nobis magis videretur expedire, certam summam pecunie exigendi, taxandi quoque, & distribuendi, quantum Abbates, Capitula, Priores, Prepositi, Archidiaconi, & ceteri in dignitatibus, administrationibus, & officijs eorundem religionis, seu ordinis constituti soluere teneantur, ad finem, quod de prefata summa

ma pecunia recepta, & congregata de dictis provin-
cijs, prefatis Abbasibus, Capitulis, Prioribus, Prae-
positis, Archidiaconis, & ceteris, qui nobis predi-
ctam summam primitus transmiserint, plenaria sa-
tisfactio, seu restitutio impendatur; & insuper ad
praemissa omnia, & singula, omnes, & singulos praefatos
Abbatibus, praepositos, & alios in supradictis di-
gnitatibus, administrationibus, & officijs constitutas
per censuram Ecclesiasticam compellendi dedit plenam, &
liberam potestatem, prout haec in dictis literis Apostoli-
cis, & alijs, quae publicatoribus dictarum ordina-
tionum in vestra deputatis provincia diriguntur, ple-
nius continetur. Vobis igitur tenore praesentium in-
timamus, quod materia super hoc deliberatione praeba-
bita, certis ex causis vestram provinciam totam, pro
expensis factis per vos occasione praemissorum, ut
Abbatibus, & ceteris, quibus predictam summam
pro celeri expeditione praecipimus, satisfactio, & re-
stitutio impendatur, auctoritate Apostolica nobis in
hac parte commissa taxamus in centum florenis auri
boni, & legitimi ponderis de Florentia, vel valorem
verum, quia iuxta literarum Apostolicarum nobis
directarum seriem, & tenorem taxationis huiusmodi
per presidentes ipsi primo vestro Capitulo provinciali
per ipsum capitulum eligendos inter singulos Abbatibus,
Capitula, Priores, & administratores alios, Abba-
tes, vel Superiores alios non habentes eiusdem religio-
nis, vestrae provinciae debet proportionaliter distribu-
ti, secundum ipsorum, & membrorum suorum suppeten-
tiam facultatum, auctoritate Apostolica, nobis in hac
parte commissa, requirimus, & tenore praesentium
movemus, primo, secundo, & tertio: & una moni-
tione peremptoria pro omnibus, illos ex vobis, qui in
eodem primo capitulo praesidebunt, ut taxationem
vestram predictam inter Abbatibus, Capitula, Prio-
res, & alios administratores ipsius religionis vestrae
provinciae, Abbatibus, vel alios superiores dicti ordi-
nis proprios non habentes, iuxta singulorum, &
membrorum suorum facultates, antequam ab ipso di-
scedant capitulo, equaliter, & rationaliter distri-
buant, omni gratia, & inordinato favore vacet; &
& vos etiam omnes, & singulos, ut partem vos,
& loca vestra iuxta distributionem dictorum presi-
dentium contingentem, in ipso primo provinciali ca-
pitulo, vel infra viginti dies post ipsam capitulum
immediate sequentes ipsi praesidentibus exsoluatis.
Et vosdem insuper praesidentes, ut taxam dictam ve-
stram taxationem infra alios triginta dies, dictos
primos triginta dies immediate sequentes, mittant
tam pro se, quam pro alijs ad Romanam curiam . . .
ibidem, vel mandato vestro tunc aradendam, &
reducer assignandam. Quod si forte mandatis
nostris, immo verius Apostolicis non parueritis cum
effectu, vobis auctoritate predicta ingressum Ecclesia
omnibus, & singulis, qui supra, haec scriptis inter-
dicimus: si vero predictam interdictionem per sex
dies sustinueritis, in his scriptis vos suspendimus a
divinis. Et si forte, quod absit, predictas inter-
dicti, & suspensionis sententias per alios sex dies
praefatos sex dies immediate sequentes anime susti-

mueritis indurato, in omnes, & singulos ex vobis,
qui ut praemittitur, contumaces, & rebelles fueritis
in praemissis, canonica monitione praemissa ex nunc,
ut ex tunc, in his scriptis excommunicationis senten-
tiam promulgamus. Postremo singuli Abbatibus, Ca-
pitula, Priores, & alij, Superiores in eadem reli-
gione non habentes secundum dictarum literarum
tenorem de summis praedictis partem ipsos, & ea-
rum loca, seu membra iuxta distributionem dicta-
rum praesidentium contingentem, inter se, & subdi-
tos, seu membra sua proportionaliter dividant, se-
cundum quod ipsorum suppetent facultates. vos ta-
men omnes, & singulos requirimus, & movemus,
quatenus praemissorum occasione a subditis, vestris
ultra partem eis veraciter, & rationaliter contin-
gentem: salvis tamen expensis pro dictis summis con-
gregandis, & ad vos mittendis, exigere nullatenus
praesumatis. quod si forte, quod absit, aliqui con-
trarium fecerint, hortamur super hoc restitutionem
plenariam fieri, & ita per presidentes praedictos, quam
ipsarum ordinationum publicatores, seu visitatores alios
salubre remedium adhiberi. In quorum omnium testi-
monium praesentes literas seu publicum instrumentum
per Joannem Louelli clericum Pictavian. diocesis. no-
tarium publicum instrumentum scribi, & publicari
mandavimus, & sigillorum nostrorum appositionibus
roborari. Datum, & actum Avenion. in domo
habitationis dicti Domini Riaris de Celsis in libra-
ria Reuerendissimi in Christo Patris, ac Domini, Do-
mini Joann. Dei gratia Episcopi Pen. Sanctae Romanae
Ecclesiae Vicecancellarij, sub anno Domini millesimo
tricesimo trigesimo nona, die vigesimo quarto. Men-
sis Julij, Indictione septima, Pontificatus Sanctiss.
in Christo Patris, ac Domini, Damiani Benedicti divina
providentia Papa Duodecimi anno quinto. praesenti-
bus discretis viris Domino Joanne Morsani Presby-
tero, & Michaele Bellani Clerico, & Bernardo
Alarij Clerico Manueten. Pictavian. & Leonen-
Diocesium testibus ad praemissa vocatis, & ro-
gatis.

De vero sequenti de mane praefatus Dominus Ab-
bas Commissarius librum constitutionum et ex
parte praedicti sanctissimi in Christo Patris, & Domi-
ni Domini Benedicti Papae Duodecimi. & subeunt
Bulla missum praedictis Abbatibus, Reitoribus, praepo-
sitis, alijsque praedictis, & absentium procuratori-
bus, ibidem in dicto Monasterio congregatis, & qui
totum capitulum faciebant, & ipsi capitulo praesen-
tant. Et qui liber sic incipit: Benedictus Episcopus,
servus. Et sic finit. Datum Avenion. Idus Maij.
Pontificatus nostri anno quinto: & ipsum librum a
principio usque ad finem ipsi in capitulo audientibus,
& auscultantibus publicavit, & legi fecit clare
eadem die, & die alie immediate sequenti cito, &
distincte. Ceterum praesidentes praedicti iuxta a pre-
dicto D. summo Pontifice traditam eis formam ordi-
naverunt, elegerunt, & providerunt de consensu tu-
tius capituli supradicti, quod primum futurum pro-
vinciale capitulum Abbatum, Priorum, Praeposito-
rum, aliorumque Praetorum praedictarum dictarum

Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque locorum conuentualium dicti ordinis, seu religionis dictarum prouinciarum, & Episcopatum predictorum, quae pro una tamen quo ad haec debent prouincia reputari, debeat celebrari Anno Domini cursuro Millesimo trigesimo quadragesimo tertio, indictione undecima, die prima mensis Maij in monasterio sancti Raymundi Placentin. & eidem capitulo tunc celebrando praesidebunt, & praesidentes eligerunt venerabiles viros Dominos Abbates monasterij sancti Petri in caelo aureo Papien. Abbatem monasterij sancti Andreae Vercellen. Praepositum monasterij sancti Petri in Oliveto Brixien. Priorem monasterij Campi mortui Mediolan. Priorem monasterij sancti Michaelis de Buscho Bononien. Praepositum monasterij sancti Raymundi Placentin. Priorem monasterij sanctae Catharinae de Suburbis Mutina, Priorem sancti Iulij de Dolzago Nouarien. Abbatem monasterij Regien. Priorem monasterij sancti Augustini dicti Nicoxia Pisan. & Praepositum sancti Ioannis de foris Brixien. ad praesidendum, ordinandum, & diffiniendum, quicquid ordinari, & diffiniri oportebit, & debeat secundum praedictas constitutiones, & canonicas sanctiones, in futuro capitulo memorato. Prouidentes, & eligentes etiam, quod in eodem futuro capitulo per venerabilem virum, D. Archipresbyterum de Carpo sermo fieri, & per venerabilem virum D. Abbatem monasterij sancti Andreae Vercellen. Missa debeat celebrari.

VI. **S**ane ut mandatum Apostolicum adimpleatur, & sagatur, quod cedere possit, in praedictarum Ecclesiarum, monasteriorum, & locorum commodum, & salutem animarum degentium in eisdem, praedicti Praesidentes, & capitulum concorditer prouiderunt, ordinauerunt, & elegerunt visitatores, qui visitare debeant, & teneantur semel usque ad aliud proximum futurum capitulum, prout inferius continetur, videlicet D. Archipresbyter monasterij Montis Belli diocesis Bononien. visitare debeat, & teneatur omnia monasteria, Ecclesias, atque loca conuentualia dicti ordinis in ciuitatibus, & diocesis Bononien. Ferrarien. Mutinen. Ariminen. & in tota Romandiola. D. Praepositus monasterij sancti Raymundi Placentin. debeat, & teneatur visitare omnia monasteria, Ecclesias, & loca conuentualia dicti ordinis in ciuitatibus, & diocesis Placentin. Cremonen. Parmen. Reginen. & Archipresbyteratum Carpi. Domin. Abbas monasterij sancti Andreae Vercellen. visitare debeat, & teneatur omnia monasteria, Ecclesias, & loca conuentualia, existentia in ciuitate, & diocesis Papien. Nouarien. Vercellen. Hipporegien. & Taurin. D. Praepositus monasterij sancti Ioannis de foris Brixia visitare debeat, & teneatur omnia monasteria, Ecclesias, & loca existentia in ciuitate, & diocesis Brixien. & Laudan. D. Praepositus monasterij sancti Petri de Ferraria Abbon. diocesis teneatur, & debeat visitare omnia monasteria, Ecclesias, & loca conuentualia dicti ordinis existentia in ciuitate, & diocesis Alben. Asten. Saanen. Secusen, & in tota prouincia Lanun. D. Prior monasterij

S. Augustini dicti Nicoxia, teneatur, & debeat visitare omnia monasteria, Ecclesias, atque loca conuentualia dicti ordinis, existentia in tota prouincia Pisan. & D. Abbas monasterij sancti Petri in caelo aureo Papien. teneatur, & debeat visitare omnia monasteria, Ecclesias, & loca conuentualia existentia in ciuitate Mediolanen. & omnia, & singula monasteria, atque loca, quibus praesunt Visitatores superius nominati. Statuentes, & ordinantes, quod Abbates, Priores, Capitula, ceterique administratores dictarum Ecclesiarum, monasteriorum, & locorum, ad quae praefati visitatores accesserint, huiusmodi visitationis officium impensuri, eisdem visitatoribus, & familiaribus eorum expensas in victualibus facere teneantur, honorifice, & decenter. Et dictis expensis in victualibus dicti visitatores contenti existant. Et ne impedimento aliquo obistente, dicta monasteria, Ecclesiae, & loca remaneant non visitata, statuerunt, & ordinauerunt, quod si aliquis ex visitatoribus antedictis adeo esset legitimo impedimento detentus, quod non posset in aliquo dictorum monasteriorum, atque locorum sibi commissum officium exercere, quod ille sic legitime impeditus possit committere vices suas a visitationem huiusmodi faciendam, dummodo committat vices alicui prelato dicti ordinis prouincia supra scriptae.

Et licet per eundem Summum Pontificem super VII. bonistata, & firma vestimentorum prouisum exhiberit, tamen ad omnem dubitationem tollendam statuerunt, & ordinauerunt, quod quilibet prelatus, & canonicus regularis prouinciae supra scriptae in monasterijs, & extra monasteria utatur superpelliceo secundum formam, & quae in constitutione nuper edita per eundem summum Pontificem continetur, quae incipit, Dignum sere Cappis, & rodondellis utantur bruni, nigri, albi, et quasi nigri coloris: et qui alio colore essent induti, ut dictos alios colores dimittant, et accipiant, quem maluerint ex praedictis. Item statuerunt, et ordinauerunt, quod nullus canonicus tenere debeat equum, vel famulum. Porro ut cunctis canonicis dicti ordinis prouinciae praedictae vagandi materia precludatur, statuerunt, et ordinauerunt, quod nullus canonicus monasteriorum, et locorum praedictorum exeat septem ipsarum monasteriorum, atque locorum, in quibus residere tenetur, absque licentia sui proprii prelati: Et quod tempore huiusmodi licentiae obtinendae causam sui exitus vere, et clare exprimat, et ad quem locum iturus sit. Et si cogente necessitate, vel suadente bonestate ad alium locum ipsum ire coningeret, quod quam citius reuersus fuerit ad suum monasterium, locum praedictum: & causam sui itineris suo prelato exprimere teneatur. Quamquam prouisum sit per constitutiones praedictas, quod ostia Ecclesiarum, ubi Ecclesiae sunt in dormitorijs, a parte anteriori debeant aperiri, tamen ne super apertura huiusmodi valeat in posterum questio suboriri, statuerunt, & ordinauerunt, quod ostia cellarum praedictarum, per totum debeant fenestriari, sicut & prout prelati eiusdem monasterij, atque loci videbit conuenire.

Item statuerunt, & ordinauerunt, quod nullus cano-

canonicus, vel conuersus, siue dedicatus aliquam negotiationem, vel mercationem, vel aliquem alium contractum, obligationem, mutuum, seu socida, vel locationes facere presumat absque sui praelati licentia speciali. Et si quis contrafecerit, puniatur arbitrio sui praelati: pœnas alias statutas à iure communi, & constitutionibus antedictis nihilominus incursumus.

Statuerunt etiam, & ordinauerunt, quod nullus subditus conspirationem aliquam faciat contra suum praelatum, quam si fecerit, & eam non reuelauerit infra triduum dicto suo praelato, quod triduo elapso sit excommunicationis vinculo innodatus. Vt in singulis monasterijs, atque locis predictis vigeat obseruantia regularis, statuerunt, & ordinauerunt, quod nullus praelatus monasterij, Ecclesiarum, & locorum predictorum teneatur recipere in canonicum, vel pro canonico habere aliquem, qui portauerit habitum in monasterio, ac loco, & professionem non fecerit tacitam, vel expressam: licet receptus fuerit in dicto monasterio, vel ei, seu àlij de ipso recipiendo prouisum: constitutione de electis, & fugitiuis se non extendente ad tales, sed solummodo ad illos, qui habitum portauerint, & professionem tacitam, vel expressam fecerint.

Item statuerunt, & ordinauerunt, quod nullus ludat ad aliquem ludum taxillorum, vel ex proposito suam exhibeat presentiam corporalem: & si quis contrafecerit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, per superiorem suum, siue per aliquem praeferentium absolendus. Vanitatis, & scandali materiam cupientes pro viribus amputare statuerunt, & ordinauerunt, quod nullus cantet cantilenas laicales cum laicis, vel coram laicis extraneis. Et si quis contrafecerit, debeat ieiunare in sequenti die in pane, & aqua. Et à prima vice in antea, quo commiserit antedicta, sit excommunicationis vinculo innodatus, à quo possit absolui subditus à suo praelato, & praelatus à quo maluerit sacerdote, iniuncta sibi pro modo culpa pœnitentia salutari. Vt monasteria, & loca iam dicta debitis officijs non fraudentur, statuerunt, & ordinauerunt, quod non surgentes ad matutinum legitimo impedimento cessante, illa die abstineant se à vino.

Item statuerunt, & ordinauerunt, quod singulis diebus singuli teneantur in vesperis, & matutino facere commemorationem de Beato Augustino, præter in festis duplicibus, & principalibus. Et ne erga predictum Dominum Papam impensi beneficij de presenti ingrati existere videantur, statuerunt, & ordinauerunt, quod quilibet sacerdos ordinis, & prouincia suprascripta teneatur dicere unam missam singulis annis pro Domino suo Papa predicto ipso viuente: & ipso decedente, quod Deus auertat, ultra communes à iure communi exequias, in qualibet Ecclesia conuentali debeat anniuersarium celebrari: & quilibet sacerdos debeat pro ipsius anima unam missam celebrare. Quoniam ex mandato Apostolico tenetur capitulum memoratum prouidere de loco, accommodo, & securo, ubi liber bullatus bulla Papali constitutionum, & ordinationum suarum debeat perpetuis futuris temporibus custodiri, mandato predicto parere

volentes, prouiderunt, statuerunt, & ordinauerunt presidentes, & totum capitulum antedictum, quod dictus liber bullatus constitutionum, & ordinationum predictarum in Monasterio Sancti Petri in caelo aureo Papien. ubi corpus egregij Doctoris sancti Augustini residere noscitur tumultatum, reponatur, & ibidem debeat perpetuis futuris temporibus custodiri. Cum aliquarum constitutionum presentium transgressores incursumus sint excommunicationis sententiam ipso facto, volentes dicti presidentes eorum animarum periculis præcauere, statuerunt, & ordinauerunt, quod quilibet presidentium eorundem insolidum plenam habeant potestatem transgressores ipsorum à sententia excommunicationis huiusmodi absoluedi, & super irregularitate, si quam forsitan incurrerunt, dispensandi, iniuncta ei pro modo culpa pœnitentia salutari. Denique volentes, ut dictarum constitutionum, & ordinationum memoria perpetuis futuris temporibus habeatur, & adimpleantur, quæ in constitutionibus huiusmodi continentur, statuerunt, & ordinauerunt, quod quilibet praelatus teneatur infra annum, ex nunc computandum, habere constitutiones Papales, & presentes factas in capitulo supradicto in forma autentica, & sub sigillo Domini Abbatis monasterij Sancti Petri in caelo aureo Papien. sub pœna suspensionis promulganda ad arbitrium ipsius Domini Abbatis.

Qua quidem statuta, constitutiones, & ordinationes, & omnia singula suprascripta, acta, ordinata, statuta, & completa fuerunt per predictos presidentes, & per totum capitulum supradictum. Et de eorum mandato lecta, & publicata fuerunt per Augustinum Paniciarium notarium infrascriptum, & dictorum presidentium, & capituli scribam. Anno à Natiuitate Domini. Millesimo Trigentesimo Quadragesimo, Indictione Octaua, die ultima Mensis Augusti, in dicto monasterio sancti Petri in caelo aureo Papien. presentibus Petro Sclafenato Canonico sancte Marie in Pertica Papien. Augustino Sclafenato Canonico sancte Marie Canonice Perroni Papien. Fratre Apolonio, & Fratre Georgio canonicis dicti monasterij, & Domino Francisco de Varano Clerico Parmen. Vicario Domini Episcopi Papien. testibus ad predicta vocatis, & rogatis.



Caput quadragesimum quintum.

De varijs Congregationibus Canonico- rum Regularium, ac in primis de Congregatione Lateranen- si S. Frigidiani.

I. **R**ater Generales reformationes, alias complures, priuatas tamen nonnulli viri sãcti zelo diuini cultus, & sanctæ religionis succensu, varijs in locis, ac temporibus moliti sunt, iuxta quas reformationes, variæ in Ecclesia Dei Canonico- rum Congregationes substituerunt, quibus illa tanquam Regina summi Principis Sponsa varietate circumamicta multipliciter fuit decorata. Hæ fuerunt ex Italicis nostra Lateranensis per Gelasium Augustini discipulum sub Leone Primo fundata, & per Alexandrum reparata, ac demum per Eugenium Quartum ex Canonicis Frigidianis instaurata. Secunda Lucensis sancti Frigidiani. Tertia Mortariensis sanctæ Crucis in Longobardis. Quarta Portuensis in litore Adriatico apud Rauennam. Quinta sanctæ Mariæ ad Rhenum propè Bononiam. Sexta sanctæ Mariæ de Crescentiatis apud Mediolanum. Septima sancti Marci apud Mantuam, quanquam illa non tam distincta congregatio in ordine canonicorum regularium Diui Augustini, quàm nouus ordo canonicorum distinctus ab ordine Diui Augustini possit nuncupari. Octaua sancti Saluatoris Bononiensis. Nona sancti Spiritus Venetiarum. Decima sancti Petri de Monte Corbulo in Hetruria. Ex Gallicanis verò prima sancti Rufi propè Valentiam in Delphinatu. Secunda sancti Victoris apud Parisium. Tertia sancti Laurentij de Vltio in Delphinatu. Ex Hispanicis sanctæ Crucis Colimbricensis. Ex Belgicis prima sancti Nicolai de Aroasia. Secunda sanctæ Mariæ Vallis viridis. Tertia Vuindesimensis. Quarta Nussiensis in Diocesi Colonien- si. Ex Germanicis Omnium Sanctorum Ciuitatis Olomutiensis, ac tandem ex Orientalibus sancti Sepulchri Ierosolimitana. De quibus congregationibus, excepta tamen nostra Lateranensi, de qua libro sequenti specialiter agendum erit, vt consequenter eodem ordine aliquid dicamus, ea quæ, vel ex antiquis Chronicis dictarum Congregationum, vel ex illarum Archiuis, vel alijs ex autoribus fide dignis aucupari potuimus, fideliter reddemus: vnum ante omnia præmittentes, hoc nomen, Congregatio, duobus modis posse vsurpari. vno modo iuxta latam significationem, secundum quam omnis hominum coetus in vna domo, & sub vno capite degentium Congregatio vocari potest,

iuxta quam acceptionem frequens est nomen Congregationis, ac illius vsus in vetustioribus decretis Summorum Pontificum, & sacrorum Conciliorum: altero verò modo magis strictè, prout significat collectionem multorum collegiorum personarum regularium in vnum coetum, & sub vno capite eisdem institutis, ac legibus viuentium. Iuxta quam acceptionem nomine Congregationis in præsentiarum vtemur: nam iuxta priorem acceptionem idem esset, singularum congregationum origines inquirere, ac singulorum monasteriorum origines, & fundationes peruestigare.

II. **I**gitur de prædictis congregationibus aliquid dicturi, à congregatione Lucensi sancti Frigidiani nuncupata, quippe quæ cæteris omnibus, excepta Lateranensi, tum vetustate, tum etiam dignitate præstiterit, initium desumemus. Huius itaque congregationis si primam originem, & fundationem inquiramus, dubium non est, in sanctum Frigidianum Lucanæ Ciuitatis Episcopum eam referri oportere. Hic enim sanctissimus Præsul ex Canonico regulari Ecclesiæ Lateranensis prædictæ ciuitatis Episcopus à Pelagio I. circa annum à Saluatoris nostri Natiuitate 556. destinatus, Ecclesiam in honorem trium Leuitarum Stephani, Laurentij, & Vincentij fundauit, ac in ea congregationem canonicam sub Diui Augustini regula construit in qua vsque ad extremum diem vixit, in eadem Ecclesia tumulatus, quæ postea eidem sancto Frigidiano fuit nuncupata, in qua ipsa canonica institutio semel inchoata, per tot annorum vicissitudines, & temporum angustias continuata successione vsque in hodiernum diem Deo, & Beato Frigidiano protegentibus perseuerat. Verum quo tempore canonici Frigidiani coeperint ad alias Ecclesias regendas vocari, & in congregationem multorum collegiorum coalescere, videtur id sub Alexandro II. circa annum 1060. primitus contigisse. Nam cum dictus Pontifex ex Lucensi Episcopo ad Pontificalem dignitatem esset subleuatus, canonicos sancti Frigidiani, quorum sanctissima conuersatione plurimum fuerat oblectatus, cum omnibus bonis dictæ Ecclesiæ sancti Frigidiani sub protectione, ac defensione immediata Sedis Apostolicæ suscepit per suum priuilegium illis factum sub 3. Idus Octobris anni 1068. quod incipit: *Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Canonicis Ecclesiæ S. Frigidiani, eorumq. successoribus in perpetuum. Quoties à nostris filijs illa poscuntur, quæ ab æquitatis ratione non discrepant, &c.* Et infra ita subiungit: *Quapropter ego Alexander Sanctæ, & vniuersalis Romanæ Ecclesiæ Pontifex, & Ecclesiæ sanctæ Lucensis Episcopus inclinati precibus vestris, & sperantes meritis, & intercessionibus B. Frigidiani apud tremendum iudicem adiuuari suscipimus, sub defensione Apostolicæ Sedis, quidquid in maritima eidem sanctissimi Frigidiani Ecclesiæ pertinere videtur, videlicet in rino &c. vt ab hac hora in antea cõsistat, & permaneât supradictæ res in potestate vestra presbyteri, & diaconi, et subdiaconi, siue etiam clerici, qui in præfata Ecclesia modo ordinati estis,*

vestro-

vestrorumq; successorum, qui ibi in antea ordinati fuerint, & officium Dei ibi fecerint. Et licet in dicto priuilegio Regularis illorum institutionis, & obseruantia non meminerit, meminit tamen illius successor Paschalis Secundus in altero priuilegio, quod incipit. Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis in Christo filijs Rothoni Præposito, & eius fratribus in Ecclesia Beati Frigidiani regularem vitam professis, eiusq; successoribus in eadem Religione permansuris in perpetuum. Desiderium, quod ad Religiosorum propositum &c. Datum Luca per manum Ioannis S. R. Ecclesia Diaconi Cardinalis, quinto Calend. Nouembris, Indictione 13. anno Dominica Incarnationis 1105. Pontificatus autem Domini Paschalis Secundi Papæ, sexto. Qui Pontifex in alijs literis Præposito seu Priori sancti Frigidiani directis (videmus enim caput illius Collegij nunc Præpositum nunc Priorem vocari) de continuatione canonicorum regularium in dicta Ecclesia vsque ad sua tempora sic scribit. Itaque vsque ad nostra hæc tempora semper in ipsa Canonica idem ordo viguit, cuius inity memoria non extat in contrarium, ab ipsa primaria sui institutione etiam ante magni Gregorij tempora: nam & ipse B. Gregorius in lib. Dialogorum ipsius Sancti Viri miraculum refert.

Porro ipse Alexander Secundus Summum Pontificatum adeptus, qui antea ex Canonico Regulari Lateranensi Episcopus Lucensis fuerat ordinatus, regularem obseruantiam in Ecclesia Lateranensi fere collapsam animaduertens, accitis sancti Frigidiani Canonicis, illam reformauit: idem etiam præstitit in Ecclesia sanctæ Crucis in Ierusalem. cuius exemplum æmulati multi Episcopi, & viri religiosi, ac pij certatim dictos sancti Frigidiani Canonicos ad suas Ecclesias reformandas postulare, vel nouas erigere, ac in illis dictos Canonicos instituere coeperunt: atque ita factum est, vt breui vnum sancti Frigidiani monasterium in Congregationem multorum Collegiorum succreuerit, cuius caput erat Præpositus, siue Prior sancti Frigidiani, qui Prior Generalis vocabatur, sicut patet ex multis scriptis vetustis, & authenticis in pergamento, ac etiam ex literis vnionis monasterij sancti Frigidiani nostræ Lateranensi Congregationi, quæ sunt Romæ in Archiuo sanctæ Mariæ de Pace, quas ipse vidi. Catalogus verò Ecclesiarum, seu monasteriorum dictæ Congregationis hic est.

III. **P**rimum monasterium sancti Frigidiani, quod erat caput supremum totius Congregationis, à quo cætera monasteria tanquam illius membra pendebant: nam ad Priorem, & Capitulum sancti Frigidiani spectabat Priores, siue Rectores in cæteris Ecclesijs, & Monasterijs dictæ Congregationis instituere, vel saltem à proprijs Capitulis electos confirmare, vt patet ex multis collationibus, & confirmationibus, quorum instrumenta seruantur in dicto monasterio, ac etiam Romæ in monasterio sanctæ Mariæ de Pace. De hoc monasterio dictum est supra cap. 20. & dicemus lib. 3. in Con-

gregatione Lateranensi, cui nunc cum aliquot illius membris est vnitum.

Secundo loco numerari posset monasterium Lateranense, quod sub Alexandro II. per canonicos s. Frigidiani fuisse reformatum, qui Archiuum ipsius Basilicæ Lateranensis lustrauit Onuphrius in lib. de Septem Vrbs Ecclesijs in Ecclesia s. Crucis in Ierusalem, hisce verbis testatur. *In ea verò Ecclesia s. S. Crucis Alexander II. Canonicos Regulares Cōgregationis S. Frigidiani ab se Laterani etiam restitutos locauit, qui eam &c.* Confirmant literæ Anastasij Quarti ad Ioannem Priorem, & Canonicos Lateranenses datæ anno 1154. in quibus ad exemplar Alexandri Papæ prædecessoris sui Ecclesiam ipsam Lateranensem Apostolicæ Sedis priuilegio communiuit, statuens vt ordo canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini regulam &c. Verum quod idem Pontifex in dictis literis ipsam Sacrosanctam Lateranensem Basilicam nulli alteri subesse, quin potius cæteris omnibus præesse iure, ac meritò voluerit, illa eiusdem priuilegij verba indicant. *Adhibentes suggestionem, & voluntate fratrum nostrorū Cardinalium Episcoporum sanximus, vt eadem Ecclesia tanquam principalis mater, & Domina omnino libera sit, & nulli penitus nisi soli Romano Pontifici sit subiecta.* Idcirco monasterium Lateranense non inter membra Congregationis s. Frigidiani, sed veluti caput Congregationis ab illo nuncupatæ constituendum erit. hoc satis, eiusdem prorsus instituti Lateranenses, & s. Frigidiani Lucensis canonicos extitisse.

Tertium monasterium fuit s. Crucis in Ierusalem. de Vrbe, quod per Alexandrum II. ex canonicis s. Frigidiani fuit reformatum, ac inauratum, vt proximè dictum fuit: quam etiam ob causam decreto Lucij II. statutum est, vt presbyter Cardinalis s. Crucis non nisi de gremio dicti Capituli, vel de Congregatione s. Frigidiani sumeretur. vide quæ diximus supra cap. 16.

Quartum s. Mariæ nouæ de Vrbe, quod Haymericus S. R. E. Diaconus Cardinalis à Calisto III. creatus cum sua Ecclesia instaurauit, ac in eo sancti Frigidiani canonicos autoritate Apostolica instituendos curauit, pro cuius institutionis firmitate ab Innocentio II. priuilegium obtinuit, vt Diaconus Cardinalis dictæ Ecclesiæ non nisi de gremio Congregationis s. Frigidiani crearetur: quod ab alijs Pontificibus Cœlestino II. Lucio II. Eugenio III. Adriano IV. & Alexandro III. fuit confirmatum, de quo vide supra cap. 16.

Quintum s. Mariæ Castri Montis Belli nuncupati in agro Bononiensi quintodecimo circiter milliario à ciuitate distans, quod Illustriss. & Religiosissima Comitissa Mathildis ante annum 1110. ædificauit, & multis prædijs, ac redditibus attributis locupletauit. vide lib. sequenti in Congregatione Lateranensi: nam istud monasteriū nostræ Congregationi fuit vnitum. fuisse verò de Congreg. s. Frigidiani testatur Chronica vetustissima in pergamento manu scripta ex Canonica nostræ Portuensis transmissa.

IV. Sextum sancti Marci ciuitatis Ferrariæ ab eadem Comitissa Mathilde ædificatum, & magnificentissimè ditatum, ac dotatum circa annum salutis 1083. vel vt alijs placet, anno 1071. nunc monachi s. Benedicti congregationis Cassinensis illud obtinent, & dicitur monasterium s. Benedicti, de quo vide supra cap. 22.

Septimum s. Saluatoris vici Airoli nunc corrupto vocabulo Ficaroli in Episcopatu Ferrariensi, quod eidem monasterio s. Marci, siue s. Benedicti monachorum Cassinensium vniuit Sixtus IV. meminerunt huius monasterij Innocentius II. in priuilegio Attoni Priori, & canonicis s. Frigidiani concessio anno Christi 1133. iij. nonas Octob. Coelestinus II. in altero priuilegio concessio priori, & fratribus s. Frigidiani, v. Idus Decemb. 1143. & Eugenius III. in altero priuilegio eisdem Priori, & canonicis factio anno 1145. iij. Idus Aprilis. Vide supra c. 22.

Octauum S. Martini ciuitatis Senarũ, cuius Prior Pontificalibus insignijs in sacris utebatur, de quo dictum est supra cap. 20. Huius meminit Innocentius Secundus in priuilegio concessio Attoni Priori, & fratribus s. Frigidiani 16. Calend. Maij 1133. quod incipit: *Quoniam sine vera &c.*

Nonum s. Pantaleonis Lucæ, cuius Ecclesiam idem Innocentius per suas datas Calend. Nouembrijs anni 1137. Priori, & canonicis s. Frigidiani reformandam, & regendam commisit, sub istis præcis verbis: *Atque Ecclesiam s. Pantaleonis, ad reformandum in ea religionem, & locum ipsum tam in spiritualibus, quàm in temporalibus Deo propitio meliorandum, cum omnibus scilicet, quæ in presenti Indictione iussu, ac laudabiliter ad illos pertinere noscuntur, Apostolica vobis dispensatione committimus, vt videlicet, quandiu ibi religio durauerit, idem venerabilis locus in vestra dispositione, vestroq; regimine absque alicuius contradictione consistat.* Hoc monasterium cum Ecclesia puto funditus euersum, quandoquidem in monasteriorum Catalogo, & Ecclesiarum Episcopatus Lucensis nulla omnino mentio de illis modò habeatur.

Decimum Prioratus s. Saluatoris in Multiolo nuncupatus dictæ Ciuitatis, in quo Prior cum quatuor canonicis degere consueuerant, ab Innoc. II. anno 1140. Priori, & canonicis s. Frigidiani traditus. cuius concessionem Coelestinus II. & Eugenius III. suis diplomatibus firmauerunt. Hic Prioratus cum suo capite nunc nostræ congregationi est vnitus, in quo vnus Prior cum nonnullis canonicis degere consueuerunt.

Vndecimum s. Andreæ oppidi Carrariæ Lunensis siue Sarzanensis diocesis, quod cum quibusdam capellis, & Ecclesijs parochialibus Priori, & canonicis s. Frigidiani donauit Gotifredus Episcopus Lunensis consentiente, & probante Eugenio III. per suas datas quinto Idus Maij 1150. & Anastasius Quartus concessionem confirmauit per suas datas anno 1154. quarum initium est. *Anastasius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Priori sancti Andreæ de Carraria, & eius fratribus iam*

presentibus, quàm futuris regularem vitam professis &c. & Alexander III. per alias datas 12. Calend. Ianuarij anno 1160. istud monasterium cum suo capite fuit vnitus nostræ congregationi per Leonem X. de quo lib. sequenti.

Dodecimum Sanctorum Quadraginta martyrum olim extra ciuitatem Taruusinam, nunc intra ipsam Ciuitatem, quod ad congregationem s. Frigidiani spectauisse, indicant literæ Apostolicæ Alexandri Tertij anno 1172. emanatæ, in quibus inter alia statuitur, vt ordo canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini Regulam, & institutionem ordinis Ecclesiæ s. Frigidiani, in eodem loco institutus esse dignoscebatur, perpetuis ibi temporibus inuiolabiliter obseruaretur, istud monasterium cum incuria Prælatorum paulatim canonicis esset destitutum, & eius ædificia laberentur, erat enim commendatum Prioribus secularibus, anno 1412. per Gregorium XII. nostræ congregationi Lateranensi reparandum, est vnitus.

Decimumtertium S. Frigidiani de Saccis in ciuitate Bononiæ, quod fuisse olim monasterium, & sedem Prioris Generalis s. Frigidiani monstratum est supra c. 23. nunc cum monasterio s. Frigidiani vnita congregationi Lateranensi, sed canonicis destitutum.

Decimumquartum s. Frigidiani ciuitatis Pistoriensis, quod fuisse membrum dictæ congreg. constat ex nonnullis actis inter Abbatem s. Michaëlis Pistoriensis, & Priorem dicti monasterij s. Frigidiani ciuitatis Pistorij, quorum exemplum in pergamento est Romæ in Archiuo s. Mariæ de Pace: nam cum Abbas s. Michaëlis anno 1350. eundem Priorem coram Episcopo Pistoriensis citari fecisset, dictus Prior comparens protestatus fuit de non competenti iudicis, quod illius Prioratus esset membrum congregationis s. Frigidiani Lucensis, & iurisdictioni Prioris Generalis s. Frigidiani immediatè subiectum, & exemptum à iurisdictione Ordinarij.

Præter supradicta loca, quæ omnia fuerunt olim Conuentualia, habuit hæc congregatio alios Prioratus quamplures, & Ecclesias parochiales tum in dicta ciuitate, & Episcopatu Lucensi, tum in alijs Episcopatibus, inter quos sunt etiam nunc Prioratus SS. Quirici & Iulitæ in oppido Casij diocesis Bononiensis, cum Ecclesia Parochiali SS. Stephani & Laurentij eiusdem loci, & diocesis. Item Prioratus s. Bartholomæi de Colonato. Prioratus s. Petri de Auentia. Item Prioratus s. Michaëlis de Gragnano in Episcopatu Lucensi Prioratus quoque S. Mariæ Magdalene loci Castri Franchi, qui circa annum 1340. Conuentualis fuisse conijcitur ex nonnullis scriptis vetustis, & authenticis in monasterio nostro s. Mariæ de Frisonaria existentibus: nã cum vacante Prioratu dicti monasterij s. Mariæ de Frisonaria illius canonici ad electionem noui Prioris anno 1345. sub die 12. mensis Maij deuenissent, quidam illorum elegerunt fratrem Matthæum fratrem Conuentus, & loci, & ordinis fratrum de Castro Francho vallis Arni Lucanæ diocesis, vt in Actis habetur. nisi fortè præter dictum Prioratum erat

erat aliud monasterium canonicorum regularium in præfato oppido Castri Franchi. Ad monasterium verò S. Frigidiani spectant etiam nunc Ecclesiæ parochiales s. Leonardi in ciuitate Lucana, SS. Hypolitii, & Cassiani loci Motiliani cum alijs, de quibus lib. sequenti dicitur. Ad idem monasterium spectabat Ecclesia s. Bartholomæi de monte Scalocchio Volaterranæ diocesis, vt patet ex quodam mandato facto Domino Ioanni canonico s. Frigidiani à Priore, & canonicis dicti monasterij an. 1498. die 3. Octobris rogato per Petrum quondam Ioannis Pauli de Prifalla.

VII. **E**X ista congregatione multi viri sanctitate, literis, dignitate præclari, & S. R. E. Cardinales prodierunt. Prior etiam s. Frigidiani multis, ijsq; præcipuis priuilegijs per sedem Apostolicam fuit decoratus, quorum plura nunc retinet, de quibus lib. sequenti fusior erit sermo.

Habitus canonicorum dictæ cōgregationis idem omnino est cum habitu canonicorū nostrorum Lateranensium, nisi quod referente Augustino Ticinensi in Dilucidario parte 1. præfatione 28. *Apud S. Frigidianum Luca (formalibus eius verbis vtor) Canonici antiqui ab anno 1440. mutauerunt Cappam in Mantellum: tamen antiquitus indistinctè omnes regulares canonici regulariter viuientes utebantur cappis apertis à parte ante, more canonicorum regularium congregationis Lateranensis, & quod dicti canonici sancti Frigidiani tali cappa uterentur antiquitus, testantur imagines vetustissima, post altare maius Luca in dicta Ecclesia sancti Frigidiani, quas tempore meo Dominus Pasquinus Prior aboleri fecit. Sed in marmoreo sepulchro vetustissimo cæram maioris capelle altari adhuc eundem habitum præ se ferunt imagines sculptæ. & vt à fide dignis accepi, Dominus Gulielmus Cinamus dicti Pasquini prædecessor primus ille fuit, qui in suis canonicis cappas mutauit in mantellum.* Hæc Ticinensis ibidem, qui eadem scribit de canonicis regularibus sancti Petri in cælo aureo Papiæ.

Sed nec illud omittendum, quod idem autor scribit in Propugnaculo par. 4. cap. 22. anno Domini 1410. existente Priore s. Mariæ de Frisonaria Ven. Patre Domino Leone de Carate, qui vnus extitit. è primis Frigidianæ reformationis autoribus, rogante Domino Vincentio Ianotto Priore s. Frigidiani, missos esse ex monasterio de Frisonaria nonnullos canonicos ad idem s. Frigidiani monasterium reformandum, facta eis ad id facultate à Priore, & canonicis Frigidianis, sub forma instrumenti publici, rogati per Raphaëlem quondam Nicolai Benedicti notarium publicum Lucensem: quod tam sanctum opus vtinam contraria nonnullorum studia vitæ laxiori indulgere cupientium non impedissent: multa enim monasteria dictæ congregationis, quæ soluta regulari disciplina vel penitus exciderunt, vel ad alios transiere, in ordine canonico, & sub regula canonica mansissent. Verum vt procliuè est hominibus meliora quidem probare, sed deteriora sequi, antiquis s. Frigidiani canonicis contra-

ria in studia tunc diuisis, eius loci reformatio è manibus diffiluit. tandem verò multis dictæ congregationis monasterijs partim canonicis destitutis, partim etiam autoritate Apostolica per aliorum ordinum regulares reformatis, ipsi canonici s. Frigidiani, quod erat caput totius congregationis cum decem Prioratibus nostræ congregationi reformandum obtulerunt, probante Leone X. anno Christi 1517. iij. Octobris.

Caput quadragesimum sextum.

De Congregatione Mortariensi Sanctæ Crucis nuncupata.



Ist oppidum apud Insubres in plauitæ, quæ Papiensem Comitatum à Nouariensi determinat, à syluis, & nemoribus sylua bella olim nominatum: sed post cladem à Desiderio Rege Longobardorum acceptam, qui cum Carolo magno de summa Regni certans, ibidem exercitu cum Regno amisso, captus cum filijs, & interfectus Regno Longobardorū finè dedit, Mortarium, siue Mortaria deinceps nuncupatum. Prope dictum oppidum anno circiter 1080. sedente in Pontificatu Gregorio huius nominis VII. Dominus Adamus clericus Mortariensis vir Religiosus, pius, & satis diues in suo prædio, quod erat ad partem Occidentalem Ecclesiæ in honorem Dei, & S. Crucis magnificentissimam cum monasterio ædificauit, vbi familiam Religiosorum regulariter viuentium collecturus, primùm monachos ex monasterio s. Michaëlis (arbitror fuisse monasterium de Lastella apud oppidum Auillianum, cuius autor supplementi lib. 12. sub anno 985. meminit) eorum Abbate concedente, obtinuit. Verum exacto triennio dimissis monachis clericos secundum B. Augustini regulam viuientes acciuit: quibus ex diuersis locis concurrentibus breui monasterium numero canonicorum, & cultu religionis auctum est adeo, vt ab eodem Gregorio VII. sub speciali sedis Apostolicæ tutela recipi meruerit. Primus loci Præpositus fuit Domnus Gandulphus de Garlasco pago diocesis Papiensis, vir Religiosus, & timens Deum, sed qui senex ad curam monasterij euectus, in regimine paucos annos egit: cui defuncto successit fuit D. Ayraldus ex oppido Calcinago Comitatus Nouariensis, qui postea fuit Archiepiscopus Ianuensis, quo moderante attributi sunt monasterio Mortariensi tres Prioratus, nimirum s. Andreae de Ticineto, s. Mariæ de Carbonaria cum Xenodochio adiacente in Episcopatu Papiensi, & s. Andreae de Olengo in Nouariensi. Altare maius cōsecrauit Vrbanus Papa II. an. 1097. 18. Calend. Octob. cum pluribus Episcopis diuersarum Prouinciarum in honore s. Crucis, & B. Mariæ, & omnium Apostolorum, dum in Gallias proficisceretur, confirmatis priuilegijs à Gregorio VII. factis, alijsq; plu-

pluribus adiectis. Sed & Innocentius II. an. 1132. ix. Calend. Maij in Italiam reuertens locum visitauit, & altare in parte Septentrionali in honorem Sanctorum Apostolorum Petri, & Iacobi filij Zebedæi, & Stephani protomartyris cum tota Ecclesia intus, & extra consecrauit. Hæc omnia ex tabularijs vetustissimis manuscriptis in pergameno dicti monasterij. Ecclesiæ verò sanctæ Crucis à se consecratæ meminit idem Innocentius in priuilegio directo Alphano præposito, eiusq; fratribus, quod incipit: *Officij nostri hortatur auctoritas &c.* Dato anno 1134. Cæterum odore sanctæ conuersationis canonicorum Mortariensium in dies crescente, & per vicinas ciuitates iugiter se diffundente, iidem canonici breuissimo interuailo in amplam congregationem multorum collegiorum succreuerunt: nam ante datum priuilegium ab Innocentio II. iam quatuordecim Ecclesias, partim præposituræ, partim prioratus titulo decoratas obtinebant. ab ipso verò Innocentio II. vsque ad Urbanū III. aliæ plures sunt additæ, sicut ex priuilegio ipsius Urbani Præposito & canonicis Mortariensibus factò colligitur, quod vetustate exesum Ioannes XXII. renouauit. Omnium verò monasteriorum, & ecclesiarum dictæ congregationis catalogus ex priuilegijs Pontificijs, & alijs scriptis authenticis dicti monasterij collectus, hic subiicitur.

II. **P**rimum monasterium, quod erat caput totius congregationis, & illius Præpositus in scripturis publicis vocabatur Præpositus Generalis, à quo cæteri Præpositi, & Priores vt membra à capite pendebant, erat ipsum monasterium S. Crucis.

Secundum Prioratus S. Mariæ de Carpenzago in Archiepiscopatu Mediolanensi. hanc Ecclesiam nonnulli putant fuisse eandem cum illa S. Mariæ de Crescenzago, siue de Crescentiaco tertio milliario foris portam orientalem à ciuitate distante, quod non credo: quia tempore Urbani Papæ III. in cuius priuilegio Ecclesia S. Mariæ de Carpenzago referatur inter membra congregationis Mortariensis, Ecclesia S. Mariæ loci Crescenzagi erat caput congregationis, sicut patet ex priuilegio eiusdem Urbani III. quo monasterium S. Georgij de Brinare. à se in suo paterno allodio fundatum Præposito, & fratribus de Crescentiaco regendum tradidit, in quo inter aliâ hæc habentur: *Statuimus igitur, vt de Collegio Ecclesiæ vestra sit in ipsa Præpositus, & tantus canonicorum numerus, quantus de facultatibus ipsius Ecclesiæ possit commode sustentari, & vt in ipsa Ecclesia S. Georgij Ordo canonicus secundum Dei timorem, & B. Augustini regulam, atque institutionem vestram perpetuis temporibus inuolabiter obseruetur.* Adde, Ecclesiam S. Mariæ de Crescentiaco seu Crescenzago non nisi circa an. 1140. fundatam: At istius de Carpenzago mentio habetur in priuilegio Innocentij II. dato anno 1133. Puto igitur hunc prioratum ad clericos seculares transtulisse.

Tertium Præpositura S. Marcelli in ciuitate Papiæ conuentualis, de qua dictum est supra, in qua

fuerunt canonici regulares vsque ad annum 1510 nunc habet nonnullos clericos seculares.

Quartum Præpositura S. Victoris eiusdem ciuitatis Conuentualis, in qua manserunt primo canonici, deinde canonici regulares, quæ postea trāslatæ sunt intra ciuitatem ad aliud monasterium eiusdem Ordinis, & monasterium s. Victoris dirutum, nisi fuerunt duo monasteria eiusdem nominis.

Quintum Prioratus S. Mariæ loci Carbonariæ, quem à temporibus Innocentij II. vsque in præsens canonici regulares tenuerunt. Hic Prioratus anno 1524. nostræ congregationi est vnitus.

Sextum S. Cassiani in oppido Mortarij, in eo erectum est collegium canonicarum regularium, nostræ congregationis, concedentibus Præposito, & canonicis sanctæ Crucis.

Septimum Prioratus S. Petri de Cantiano nunc de Cereto vnitus monasterio S. Crucis, vt eius membrum.

Octauum Prioratus S. Mariæ apud Castrum Gemitum vulgo Zem, quod Castrum attinet ad iura monasterij sanctæ Crucis, sicut patet ex processibus factis in causa contra illos de Porris, & illos de la Pergola vsque ad annum 1593. qui sunt Romæ in Archiuo S. Mariæ de Pace. verum potestate seculari vsurpatum.

Nonum Prioratus sancti Andreæ apud Ticinetum, in Episcopatu Papiensi, de quo proximè dictum fuit.

10. **P**rioratus sancti Andreæ apud Castrum s. Saluatoris in Episcopatu Casalensi cum Ecclesia parochiali s. Syri eidem annexa, qui ob reseruationes collationum, & indulta Apostolica in discrimen sæpe adductus, tandem anno 1482. per Sixtum IV. vnitus fuit canonicæ sanctæ Mariæ de Castello ciuitatis Alexandriæ nostræ congregationis.

11. Prioratus sancti Iacobi de Strata prope Nouariam, vnitus canonicæ nostræ sanctæ Mariæ Gratiarum.

12. Præpositura sanctæ Mariæ de Aggere in agro Nouariensi.

13. Præpositura sancti Stephani de Bornago in eodem agro Nouariensi, quæ monasteria cum antea essent inuicem vnita Sixtus IV. anno 1472. cum Prioratu S. Iacobi præfato, canonicæ S. Mariæ Gratiarum vnuit.

14. Prioratus S. Andreæ de Olengo diocesis Nouariensis, manet vnitus monasterio sanctæ Crucis Mortariensis.

15. Præpositura sancti Gratiani in ciuitate Vercellensi, quam Sixtus IV. ad instantiam fratris Petri de Riarij Vercellensis Episcopi, ac eiusdem Pontificis nepotis canonicis Mortariensibus abstulit, monasterium monialibus ordinis sanctæ Claræ concessit, redditibus illius mensæ Episcopali applicatis.

16. Prioratus sanctæ Mariæ apud Blanchetam in Episcopatu Vercellensi.

17. Prioratus S. Agathæ Castri Pontisturæ, cuius

cuius Prior ultimo Capitulo Generali prædictæ congregationis Dertonæ anno 1448. interfuit, nunc vnitus Canonice nostræ sanctæ Mariæ montis Cretæ.

18. Prioratus sancti Laurentij in suburbio ciuitatis Hypporediæ, de quo monasterio dictum est supra cap. 28.

19. Prioratus s. Andreae de Braida in territorio Astensi, sed in Episcopatu Taurinensi, de quo ibidem fermo est habitus.

IV. 20. **P**repositura s. Andreae de oppido Cherij diocesis Taurinensis, de qua similiter ibi dictum est. nunc monasterium obtinent quædam moniales ordinis Cisterciensis.

21. Archipresbyteratus s. Petri ad Neuias in Episcopatu Albensi, cum capellis sancti Michaelis, & sancti Iuliani vnitis, cuius Archipresbyter anno 1448. Capitulo Generali interfuit. nunc vnitus monasterio nostro sanctæ Mariæ nouæ Astensis.

22. Prioratus ipse sanctæ Mariæ nouæ Astæ, quod monasterium Sixtus Quartus anno 1472. nostræ congregationi attribuit. erat enim tunc commendatum, nunc Abbatiali dignitate ornatum.

23. Prioratus sanctæ Mariæ apud Castrum sancti Martini ciuitatis Astæ, cum capella sancti Martini à nobilibus de Solario fundatus, nunc vnitus monasterio sanctæ Mariæ nouæ dictæ ciuitatis.

24. Prioratus sancti Ioannis de Nitia, aliàs apud Lauerias in Episcopatu Aquensi, cuius Prior interfuit eidem Capitulo generali, nunc clericis secularibus commendatus. reperitur autem in Actis Capituli nostri Generalis celebrati anno 1592. Ra-uennæ quemdam clericum, qui dictum Prioratum tunc obtinebat, illum sub certis conditionibus nostræ congregationi resignare voluisse. cur autem resignatio effectum non habuerit, incompertum.

25. Prioratus sanctæ Trinitatis apud Gamundium cum Hospitali annexo sancti Rainerij.

26. Prioratus sancti Matthæi ciuitatis Dertonæ, in quo monasterio habitum est vltimum Generale Capitulum huius congregationis, nunc vnitum nostris Lateranensibus.

27. Prioratus sancti Ioannis apud Troncianum eiusdem diocesis Dertonensis.

28. Prioratus sanctæ Mariæ apud Vesulam in eadem diocesi, puto factos seculares.

29. Prioratus sancti Theodori de Fasiolo prope Ianuam, de quo vide supra cap. 27. nunc nostræ congregationi vnitus, & Abbatiali dignitate auctus.

V. 30. **P**rioratus sanctæ Mariæ de Albario in diocesi Ianuensi. beneficium commendatitium. Eius Prior Capitulo generali supradicto interfuit.

31. Prioratus sancti Ioannis de Pauarano prope Ianuam. nunc obtinent Patres Societatis Iesu pro domo Nouitiatus.

32. Prioratus S. Mariæ de Priano eiusdem diocesis. nunc vnitus monasterio nostro S. Theodori Ianuæ.

33. Prioratus s. Mariæ de Cassinellis apud Pri- num, quem monachi s. Nicolai de Boschetto Congregationis Cassinensis anno 1451. à Nicolao V. impetrauerunt.

34. S. Petri de Prato distans octo milliaribus à ciuitate Ianuæ. nunc commendatum.

35. Prepositura s. Mariæ de Vineis ciuitatis Ianuæ. nunc collegium canonicorum secularium, de qua vide supra cap. 27.

36. S. Mariæ de Granarolo prope Ianuam. nunc monasterium tenent Fratres tertij ordinis s. Francisci.

37. S. Ioannis de Borbonino foris Ianuam in loco s. Petri de Arena. nunc commendatum.

38. Prioratus s. Matthæi siue Maphæi ciuitatis Placentiæ. nunc s. Cruci Mortariensi vnitus.

39. Prioratus s. Michaelis apud Tangonum in Episcopatu Parmensi.

40. Prepositura s. Mariæ de Castello ciuitatis Alexandriæ, cuius Prepositus vltimo Capitulo generali interfuit, nunc vnita nostræ congregationi.

41. Prioratus s. Bartholomæi ciuitatis Alexandriæ, cuius similiter Prior eidem Capitulo interfuit, vnitus monasterio s. Mariæ de Castello.

42. Coenobium Abbatiale s. Petri in caelo aureo Papiæ, quod Honorius III. vniuit canonicis Mortariensibus ea conditione, vt ad illud caput totius congregationis transferretur. de quo lib. 1. dictum fuit.

Plures alias Ecclesias dicta congregatio obtinebat in diuersis Episcopatibus, quæ nescio, an con- uentuales essent, ideo de illis dicere non curau.

Prepositus Mortariensis maximis priuilegijs à Summis Pontificibus fuit exornatus, quæ ferè omnia adhuc retinet, de quibus lib. sequentis cemus.

Floruit verò congregatio Mortariensis multis VI. viris sanctitate conspicuis, ex quibus fuit sanctus Guarinus Bononiensis, primus Cathedralis sancti Petri Bononiensis tunc regularis clericus, deinde arctioris vitæ desiderio ad Mortarienses profectus, ac in eorum collegium cooptatus; qui a Papiensibus aliquando in eorum Episcopum electus, & ne fugeret, in custodia positus, cum euassisset, à Lucio II. Summo Pontifice canonico regulari vocatus, & licet inuitus S. R. Ecclesiæ Cardinalis, & Episcopus Prænестinus ordinatus, cum eam Ecclesiam aliquot annis sanctissimè rexisset, plenus meritorum, & annorum sancto sine quieuit, in Sanctorum numerum relatus. ex antiquis Chronicis dicti monasterij, & monumentis Ecclesiæ Papiensis. Ex eadem prodierunt Ayraldus Mortariensis primus Prepositus, deinde Archiepiscopus Ianuensis, ab Urbano II. anno 1099. creatus, cuius etiam meminit Augustinus Iustinianus in sua Historia sub eodem anno. Item D. Bernardus quartus eiusdem monasterij Prepositus, cui scribit Paschalis II. literas anno 1115. datas, postea Episcopus Papiensis, Albertus item Patriarcha Ierosolimitanus, qui fratribus Carmelitis regulam dedit circa annu 1171.

cuius mentio habetur in literis Honorij III. quæ habentur in Bullario per Laërtium Cherubinum nuper compilato constitutione 8. inter constitutiones huius Pontificis. Item Iacobus lanuensis Archiepiscopus anno 1341. creatus, quem idem Augustinus Iustinianus in præfata Historia lanuensi sub anno 1343. ex ordine Mortariensi acceptum, fatetur, sed vocat Iacobum de sancta Victoria, forsitan quia assumptus fuerit ex monasterio sancti Victoris Papiensi. Item Obertus eiusdem monasterij Præpositus, deinde Episcopus Dertonensis, ad quæ diriguntur literæ Lucij II. datæ anno 1144. Obertus alius Episcopus Bobiense. Radolus antea Prior monasterij, deinde Episcopus Placentinus demum Albertus alter Episcopus Vercellensis, quorum omnium sit mentio in antiquis scripturis prædicti monasterij.

VII. **P**osteâ successu temporum idem monasterium varijs bellorum cladibus; & rapinis bonorum tum in seipso, tum in suis membris attritum fuit: sed & monasteria dictæ congregationis coeperunt clericis secularibus commendari: atque idcirco in bonis tum spiritualibus per negligentiam regularis disciplinæ, tum in temporalibus grauissimè labefactari. immo quædam illorum ab obedientia Generalis Præpositi subduci, vel sese subducere, renitentibus inferioribus locorum Prioribus vel Præpositis obedientiam, quam solemnè iureiurando vouerant, suo capiti præstare. fuentibus etiam, ac fuentibus nonnullis, quorum intererat, illorum proteruiam frangere, & contumaciam castigare. Donec circa annum salutis. 1448. cum esset Præpositus Generalis dicti monasterij quidam frater Raphaël de Almomonte ex Calabria oriundus; & ut erat vir pius, religiosus, & zelo Dei plenus, reformationi suæ congregationis tam in capite, quam in membris totus incumberet, ipso iubente congregatum est Capitulum generale dictæ congregationis in ciuitate Dertonensi in monasterio sancti Matthæi, ad tractandam de modo ipsam congregationem reparandæ, in quo quidem Capitulo nonnulla statuta edita fuerunt. Præpositi verò, & Priores; qui cum alijs nonnullis canonicis dicto Capitulo interfuerunt, notati sunt in illius actis, manu Stephani de Parentibus publici notarij Papiensis ab originali extractis, quorum exemplum ex parte liber hic loci exhibere ad memoriam futurorum.

Hoc est exemplum cuiusdam Capituli Generalis celebrati per Patres Congregationis sanctæ Crucis Mortariensis Ordinis canonice regularium sancti Augustini exaratum, & exemptatum à suo libro originali, ut infra. tatis est ipse tenor videlicet.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno à natiuitate eiusdem Millesimo quadringentesimo quadragesimo vltimo, indictione vndecima die veneris, decima mensis Aprilis, mandato Reuer. in Christo Patris, & Domini Domini fratris Raphaë-

lis Saluati de Almomonte, Dei, & Apostolica Sedis gratia Præpositi Generalis Ecclesiæ, Ordinisque sanctæ Crucis Mortariensis Ordinis S. Augustini, conuacato, & congregato Capitulo Generali superscripti Ordinis sanctæ Crucis Mortariensis, in Ecclesiâ sancti Matthæi ciuitatis Dertone prædicti Ordinis Mortariensis, ab ipso Generali Capitulo electi. Datique fuerunt pro Deservitoribus frater Antonius de Albinate Prior claustralis præfate Ecclesiæ sanctæ Crucis, frater Petrus de la Ecclesiâ canonis iam dictæ Ecclesiæ, & in iure Canonico licentiatus, frater Ioannes de Ferrarijs Prior sanctæ Mariæ. nate de Ast, & frater Antonius de Sessa Prior S. Marcelli de Pavia. ad constituendum, ordinandum, declarandum, & addendum in consuetudinibus olim editis, & generaliter ad agendum quacunque eis viderentur pro reformatione, & bene tam spirituali, quam temporaliter cuius prædicti Ordinis Mortariensis. In prædicto autem Capitulo fuerunt infra scripti præsentia. Frater Ioannes de Gattis Prior sancti Theodori de Fossio de Terra Lacumensis, & Vicarius Generalis prælibati D. Præpositi, frater Georgius Galbano Archiepiscopus S. Petri apud Neuias diocesis Albanis, frater Bartholomæus de Cumis Præpositus S. Stephani de Burnaga diocesis Nuuariensis, frater Zaninus de Luchis Prior S. Agathæ de Ponte sturia diocesis Vercellensis, frater Laurentius de Doma Prior S. Iacobi de Serata extra muros Nouarie, frater Georgius de Puteo Præpositus S. Mariæ de Castello de Alexandria, frater Ioannes Antonius della volta Prior sancti Matthei de Tordona, frater Christophorus de Castellione Prior S. Mariæ de Albaria diocesis lanuensis, frater Geraldus de Puteo Prior S. Bartholomæi de Alexandria, frater Adodatus de Tisionibus Prior S. Ioannis de Nisia diocesis Aquanis, frater Theodorus de Baste canonicus superscriptæ Ecclesiæ S. Crucis, & residens in superscripta Ecclesiâ S. Theodori, frater Antonius de Tisionibus canonicus superscriptæ Ecclesiæ S. Crucis, frater Augustinus de Gattis Prior S. Andreae apud Costum sancti Saluatoris de monte Ferrato diocesis Papiensis, frater Antonius de Arnadis Prior S. Andreae apud Braidam diocesis Aylensis, & presbyter Iacobus de Bulgero coadiutor fratris Bartholomæi de Nigro Prioris sanctæ Mariæ de Priano diocesis lanuensis. Quibusdam alijs tã Prioribus, quam canonicis simplicibus cetero nequaquam similibus, vel propter ingens scissuram, vel propter nimiam senectutem. promiserunt tamen, ratum, gratum, & firmum habere, quidquid per supradictos actum fuerit. Prælibatus verò Dominus Præpositus Generalis, necnon prædicti infra scripti confirmarunt, statuerunt, ordinauerunt, præceperunt, declarauerunt, addiderunt, & generaliter egerunt, videlicet nostri Ordinis S. Crucis Mortariensis casum, & reformationem, quæ à centum annis, & amplius (proh dolor) accidit, subleuari, ac reformare, quemadmodum tenemur ex intimo cordis desiderantes, & totis viribus conantes, ad honorem, & gloriam sanctæ, & Individuæ Trinitatis, atque animarum vestrarum tam presentium, quam futurarum, & edificationem proximi

tam

in presentis aetatis, quam successum posteritatis, pro-
sentibus infra scriptis nostris actibus, atque capi-
tulis inseruimus, quae à nostris patribus circa dum-
taxat infra scripta, ordinata fuerant, delectantes, &
addentes ijs aliqua, quae in ipsis, vel obscurè, vel
implicitè, & diminutè posita erant. Caterùm an-
te omnia ad Dei, & Ecclesiae mandatorum, ac re-
gulae, & constitutionum nostri ordinis obseruantiam
vniuersos nostrae professionis magnopere exhorta-
mur. Ego Stephanus de Parentibus filius quondam
Petri publicus Papiensis Imperiali, & collegij aucto-
ritate notarius hoc exemplum extractum, & assump-
tum de primo folio cuiusdam libri intisubati desu-
per, registrum actorum capituli Generalis insignitè
propositum sanctae Crucis Mortariensis ordinis san-
cti Augustini, Diocesis, Comitatusq; Papiensis in-
choati in 1448. & cooperiti corio rubeo, quem librum
R.P. Dominus Propositus, & Domini Domini cano-
nici ibidem residentiam facientes attestantur, esse
librorum Actorum diocesis capitali, una cum ipso libro
diligenter, & fideliter auscultauit, & quia cum ipso
libro concordare inuenit, nihil addito, vel diminuto,
quod substantiam mutet, vel intellectum variet: ideo
in testimonium ipsius me subscripsi, & signum meum
apposui consuetum anno Domini corrente 1465.
Indivisione 13. die 19. Aprilis.

Caterùm tam pius conatus ad effectum Diabo-
lo impediante, peruenire non potuit. Nam defun-
cto Domino Aloysio de Sancto Seuerino Castri
Mortarij Capitaneo, cuius opera dictus frater Ra-
phaël ipsam Generalem Praeposituram obtinuerat,
Mortarienses, qui quòd multa bona, & iura mona-
sterij ab illis usurpata recuperasset, illum infensum
habebant, quemdam eius fratrem diocesis Capitanei
secretarium per vim ex oppido expulerunt. quare
sibi timens ipse quoque aufugit, & primò lanuam
iuit, deinde Romam venit: & cupiens in patriam,
& ad ordinem suum ex quo assumptus fuerat, re-
verti (erat enim Frater S. Dominici) timens ne
praepositura, si liberè illam resignaret, commen-
daretur, Priorem Lateranensem accersit, ac cum
eo egit, vt praepositura cum omnibus suis mem-
bris canonicis nostris Lateranensibus reformanda
vniueretur: quod ei ad votum successit, admittente
huiusmodi resignationem, & vniorem, & illam
probatè Nicolao V. anno 1449. 8. Idus Februa-
rij, atque in hunc modum congregatio Mortarien-
sis nostrae congregationi fuit vnita.

Canonici Mortarienses eundem habitum, gere-
bant, quem nostri Lateranenses nunc gerunt, si ve-
ra sunt, quae de canonicis S. Petri in eodem aucto Pa-
piae, qui ex eadem erant congregatione, scribit
Augustinus Ticinensis in Dilucidaria parte. 1. pra-
fatione 28.

Caput quadragesimumseptimū.

De Congregatione Canoniorum Por-
ruensium apud Rauennam in
Romandiola.

Apud Rauennam Flaminiae, nuda
Romandiola ciuitatem olim
praclaram in litore Adriatico
templum est vetustum, religio-
ne celeberrimum, & fama notis-
simum, Virgini Deiparae sacrum
non solum ab incolis, & finiti-
mis in magna veneratione habitum, sed ab Histo-
ricis commendatum, ac etiam à Poëta Dante Ali-
gero, & Francisco Petrarca decantatum. Te-
nuerunt illud semper clerici, canonici regulares
nuncupati, & nunc etiam tenent. Hi etsi sub di-
strictione canonica, quod ex antiquis eius loci mo-
nimentis coniectare licet, ibi religiosissime aetate
vixissent, tamen circa Paschalis Papae Secundi
tempora, quibus mirum in modum non solum in
Italia, verum etiam in alijs Prouincijs ordo cano-
nicus re floruit, arctioris vitae desiderio succensit,
seipsos ad meliorem frugem reformare decreue-
runt. Quod testatur idem Paschalis Secundus in
litteris Petro Priori, & eius fratribus in Ecclesia B.
Mariae in Portu regularem vitam professis in hunc
modum scribens: *Quia igitur vos, o filij in Chri-
sto dilectissimi, per diuinam gratiam inspirati me-
ris vestros, regularis vitae disciplina coercere, & ob-
muniter secundum sanctorum Patrum institutionem
omnipotenti Deo deseruire proposuistis, nos votis
vestris paterno gratulamur affectu.* Verùm quòd
viderent, B. Augustini regulam, sub qua milita-
bant, non ita specificè cuncta ad canonicam vi-
tam instituentiam opportuna, & vt aiunt, in par-
ticulari distinguere, quod etiam ante illos aduer-
terant Patres in Concilio Cabilonensi congregati
cap. 53. suorum decretorum, nec inuenientes ali-
quem, qui clericis in vnum commorantibus suffi-
cientem regulam singularum rerum gerendarum,
normam totius vitae canonicae continentem praes-
cripisset, quèdamodum in regulamagni Patriarchae
Benedicti continetur, in eam detulerunt senten-
tiam, vt quaedam constitutiones, sine statuta ex au-
toritatibus diuinæ scripturae, sacrorum Concilio-
rum, & dictis ss. Patrum vti flores seligerent, in vna
constarent, & illas tanquàm exactam canonicæ vitae re-
gulam prius sacrosanctae Romanae Ecclesiae Apo-
stolicae, & illius Praesidi examinandas, corrigèn-
das, & probandas offerrent, probatas verò inuio-
labiliter obseruarent. Quorum votis Deus ex al-
to fauit, nam libello compilato tribus partibus di-
stincto, etiam Paschali Secundo Pontifici oblato,
ipse Pontifex non solum librum sua auctoritate lau-
datum probauit, & efficaciter obseruandum inui-
xit, verum etiam Deus miraculo easdem constitu-

tionem confirmavit. Nam cum B. Vbaldus Eugubinus tunc cathedralis sanctorum Mariani, & Iacobi Prior vitam regularem in eadem Ecclesia colapsam reparaturus, ad coenobium Portuense contendisset: ibiq. nonnullos menses commoratus, ut illorum vitæ instituta disceret, cum ipsis constitutionibus Portuensibus ad propria reuenteretur, ac illas casu in nemore, vbi paulisper quieuerat, ex obliuione reliquisset, & post illius è loco discessum maximus imber cecidisset, recordatus verò se librum sub dio imbris expositum reliquisset, cum maxima anxietate animi ad locum fuisset reuersus, librum iuxta viam in terra circum circa imbris madefacta prorsus illæsum, & intactum inuenit. Hæ illæ sunt constitutiones, quas nonnulli per imperitiam Regulam Damianam vocant, alij verò, quod viderint illas à Paschali II. probatas, ab eodem Pontifice pro reformatione canonicorum regularium editas affirmant. Hæ inquam illæ sunt constitutiones, quas Innocentius Secundus canonicis Rhenanis apud Bononiam seruandas tradidit anno 1136. circa quas, & circa illorum autorem, quoniam vidi nonnullos grauitè deceptos, fortasse, quia illas non viderunt, priusquam de ipsa congregatione differam, duos errores, alterum circa ipsas constitutiones, alterum circa illarum autorem reterege, & refutare necessarium existimaui.

I I. **N** Am quod attinet ad autorem, fuit communis error multorum, autorem istarum constitutionum fuisse beatum Petrum Damiani Rauennatem S. R. Ecclesiæ Cardinalem, & Episcopum Ostiensem. Quæ sententia tribuitur à nonnullis Danti Aligero Poëtæ præclaro, qui vixit circa annum 1320. & Francisco Petrarchæ, qui vixit anno 1350. propter nonnulla, quæ illi de Petro Damiani, & de monasterio Portuensi in littore Adriatico scribunt, primus quidem in libro, seu cantico de Paradiso: secundus verò in tractatu de vita solitaria. Verùm isti autores non dicunt, Petrum Damiani edidisse librum constitutionum, imò nec fuisse canonicum Portuensem, sed solum quod fuit apud illud monasterium in littore Adriatico, quod facere potuit absque eo, quod librum illum scriberet, aut etiam canonicum institutum ibi sumeret. Eandem sententiam docet Volateranus lib. 1. Antropologia, Autor supplementi canonicorum in vltima editione Venetica anni 1506. lib. 14. sub anno 1407. Augustinus noster Ticinensis, Ioannes Trullus, & alij: quanquam non eodem modo illam explicent, nam quidam animaduertentes, beatum Petrum Damiani monachum fuisse, siue eremitam Ordinis Camaldulensis, & loci fontis Auellanae, aiunt, illum post assumptionem ad Cardinalatum se ex licentia à Romano Pontifice habita, Cardinalatu, & Episcopatu abdicato, in Portuense monasterium recepisse, & ibi cum canonicis vixisse, eisq; constitutiones à Paschali Secundo probatas tradidisse, ita autor Supplementi, & Augustinus Ticinensis: alij verò fatentur, illum ante Cardinalatum clericum canonicum dicti monasterij

fuisse, & post abdicatum à se Cardinalatum, ad idem coenobium reuersum, ita Volateranus. Alij tandem contendunt, beatum Petrum Damiani adolescentem Portuense coenobium ingressum habitum canonicorum regularium suscepisse, & canonicam institutionem amplexatum: postea verò arctioris vitæ desiderio ad Camaldulenses monachos transisse; & in monasterio fontis Auellanae solitariam vitam egisse: deinde à Stephano Nono comperta illius vitæ sanctitate, ad Cardinalatum euectum, quo sub Nicolao II. à se abdicato, iterum ad solitudinem fontis Auellanae reuersus est, vbi degens à canonicis Portuensibus rogatus regulam scripsit, quam Paschali II. confirmandam misit. Ita Iosephus Mozzagrugnus in volumine nuper edito de rebus gestis canonicorum regularium lib. 1. fol. 59. & 60. & lib. 8. fol. 9. & 10. vbi dicit, hanc sententiam nemini posteriorum Historicorum hætenus fuisse tam bene notam, puto voluisse dicere, anteriorum. Addit etiam, beatum Petrum Damiani fuisse electum Episcopum Ostiensem ab Alexandro II. lib. 1. fol. 60. pag. 2. & tamen se abdicasse ab Episcopatu, & Cardinalatu sub Nicolao II. fol. 61. pag. 1. quæ vtrum cohæreant, intelligunt facile, qui viderint, non Nicolaum Alexandro, sed Alexandrum ipsi Nicolao in Pontificatu successisse.

Hæc tamen sententia cuiuscunq; sit auctoris, III. & quoquo modo explicetur, est error manifestus in Historia: nam Petrus autor Constitutionum Portuensium, quæ à Paschali II. fuerunt confirmatae, non fuit Petrus Damiani Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, sed Petrus de Honestis ciuis Rauennas, Sacerdos, & Prior ipsius monasterij, qui etiam Ecclesia, quæ in hodiernam diem cernitur ædificata, sancto sine quieuit, in eadem Ecclesia cum Epitaphio illius sepulchro inscripto tumulatus. & vt omittam, quæ de hac re pro illius monachatu multa congerit Constantinus Caietanus in præambulis ad libros eiusdem beati Petri Damiani Romæ editos, & quæ de vtroque Petro scribit Hieronymus Rubeus lib. 5. historiae Rauennatensis, beatum Petrum Damiani Constitutionum Portuensium autorem minimè fuisse, sed nec esse potuisse, conuincitur ex tempore confirmationis earundem constitutionum. nam Petrus dictarum constitutionum autor in viuis agebat anno 1115. vt patet ex literis Paschalis Papæ II. eodem anno, 3. Nonas Iulij directis eidem Petro Priori, & eius fratribus in Ecclesia beatæ Mariæ in Portu regularem vitam professis, quibus illorum constitutionem, siue reformationem autoritate Apostolica firmavit, & illos sub protectione eiusdem Sedis Apostolicæ recepit, viuebat etiam anno 1118. quo anno idem Paschalis constitutiones ab illo transmissas firmavit: nam Paschalem eas constitutiones anno 1118. firmasse, ac probasse, constat ex literis confirmationis, quarum exemplum est.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei dilectis IV. filijs apud Ecclesiam beatæ Mariæ in Portu Ra-
uenna-

nennati Exarchatus regulariter commorantibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Hanc institutionis canonice regulam tam ex sanctorum Patrum autoritate, quam religiosorum virorum exemplis, & morum honestate conceptam nos perspectam Deo autore suscipimus, & autoritate Sedis Apostolica confirmantes, vobis per Dei gratiam efficaciter observandam iniungimus: ut quorum sequi vestigia deuotissimis in terris, eorum obtinere consortium possitis in caelis. Datum Translyberim 12. Calend. Ianuarij indict. 10. Scilicet 1118. nam anno 1115. currebat indictio septima, ut patet ex data alterius priuilegij facti eidem Petro Priori, & canonicis Portuensibus eodem anno 1115. proximè memorato. Vixisse verò eo anno quendam Petrum Priorem Portuensem, & autorem dictarum constitutionum, apparet, tū ex epistola ipsius Petri ad Paschalem II. quæ in illarū fōte ac limine habetur, quæq; talis est.

Paschali Dei nutu summa, & Apostolica Sedis Episcopo Petrus Peccator clericus cum confratribus suis in Christo salutem, & omnem obedientiam. Cum vestra Beatitudini Petri vicem in Ecclesia gerere gratia diuina contulerit, non irrationabiliter credimus, quæcunq; in Ecclesijs statuuntur ubilibet faciendæ, vestra autoritatis iudicij pro iusto, vel reprobari, vel confirmari debere. Quapropter hanc canonice institutionis normam ex pluribus, ut in sequenti patebit, collectam, & pro nostri temporis fragilitate discretiue statutam, Maiestati vestra presentandam mandauimus, ut eam perspectam, & ubi oportuerit, emendatam, huius Apostolicæ Sedis autoritate firmatam, atque susceptam nobis remittatis. de cætero vestra preceptione tenendam. Bene valete. Apparet tum et ex Epitaphio, quod eiusdem Petri sepulchro inscriptum in eadem Ecclesia Portuensi in hanc vsque diem cernitur, quod tale est.

Hic situs est Petrus Peccans cognomine dictus. Cui dedit hanc aulam meritorū condere Christus. Anno milleno centeno debita soluit, In decimoq; nono defunctus corpore dormit. Quarto Kal. Aprilis.

V. **P**orro beatum Petrum Damiani Cardinalem, & Episcopum Ostiensem non vsque ad annum 1119. vitam produxisse, sed neque nisi miraculo producere potuisse, apparet in primis ex ijs, quæ de illius obitu scribit Baronius tom. 11. sub an. 1072. quo anno illius obitum contigisse, verissimè affirmat: & quanquam nonnulli eius vitam vsque ad annum 1080. producant, nullus tamen illum Gregorij Septimi Pontificatum excessisse affirmat. apparet etiam ex eo, quoniam ipse B. Petrus Damiani grandæuus, & propectæ ætatis, canitieq; perfulsus à Stephano IX. Cardinalis est creatus, ut habes ex illius epistola ad Nicolaum Secundum Stephani Successorem, quæ est in ordine nona in primo libro epistolarum Petri Damiani, in qua illum orat, ut tanquam militi Veterano, & merito mancipio ad quietendum, siue ad solitudinem deposita Pastoriam sollicitudine, remeare permittat. Obijt vero Ni-

colaus Secundus anno 1060. ut notum est, si autem tunc beatus Petrus Damiani senex erat, & miles emeritus, ac Veteranus, quomodo potuit vsque ad annum 1119. suam ætatem produxisse?

Addo Petrum Portuensem clericum inter clericos Portuenses vsque ad obitum vixisse, & inter suos clericos in monasterio Portuensi sepultum in Ecclesia à se ædificata, ut ex epistola liminari ipsarum Constitutionum, & ex illius Epitaphio habetur: Verum beatus Petrus Damiani non clericus inter clericos, neque in monasterio Portuensi, sed monachus inter monachos apud Fauentinam Ciuitatem in monasterio Camaldulensium corpore solutus est, & ibidem tumulatus, de qua re multis agit Baronius loco citato, & Constantinus Caieranus in præambulis ad libros Petri Damiani.

Quod autem de suo cerebro comminiscitur Iosephus Mozzagrugnus autorem dictarum Constitutionum non ex eodem Collegio Portuensi fuisse, sed monachum alterius Collegij à clericis tamen Portuensibus exoratum, planè indicat, hunc autorem ipsas Constitutiones non legisse, multò minus ipsam autoris epistolam ad Paschalem Secundum, quam ille vocat epistolam liminarem. Vidisset namque Petrum Peccatorem, qui earum autor extitit, confratrem, & canonicum dicti monasterij fuisse, quando illas Constitutiones scribebat, & Paschali Pontifici mittebat, ut illa verba epistolæ: *Petrus Peccator clericus cum confratribus suis in Christo salutem.* & illa, quæ habentur in Prologo librorum. *Diuini cultus amore in unum collecti fratres charissimi cœpistis nobiscum diligenter inquirere, utrum quis Sanctorum Patrum &c.* & illa in eodem prologo: *Hæc singula nobiscum pro captu, & viribus vestris &c. cœpistis statuere.* & alia id genus plurima, quæ legi possunt in tribus illis libris, apertissimè indicant, quibus ostenditur, illas constitutiones non tam ab ipso Petro Priore, quam à toto conuentu canonicorum fuisse compilatas. V. L.

Fuit igitur autor dictarum Constitutionum Portuensium non Petrus Damiani, sed venerabilis, & beatus Petrus Rauennas clericus, & sacerdos ex familia de Honestis vocata, qui voto nuncupato monasterium in Portu Adriatico ingressus, illud instaurauit, & Ecclesiam, quæ nunc visitur, ex bonis paternis ædificauit, quique multo tempore in eodem monasterio cum religiosissimè vixisset, illudque rexisset, non sine opinione sanctitatis ad præmia in caelis capessenda migravit anno 1119. 4. Kal. Julij. Quæ verò causæ supra citatos auctores in errorem traxerat, ut pro Petro Portuensi Priore Petrum Damiani acceperint, sequentes esse arbitror, quarum prima fuit identitas nominū; mos enim fuit vtriusq; in suis epistolis, se Petrum Peccatorem scribere, licet alter se monachum semper vocarit, alter clericum. secunda identitas soli natalitij, quia vterque cuius fuit Rauennatensis. tertia quia eodè ferè tempore ambo floruerunt, licet Petrus Damiani ætate maior. quarta quia ambo regulares, licet alter

alter monachus, alter clericus fuerunt, quinta quia B. Petrus Damiani adhuc iuuenis cum vitam Eremiticam iam animo meditaretur, antequam ad solitudinem fontis Auellanæ contenderet, ad Portuense monasterium accessit, periculum facturus, an genus illud vitæ ferre posset, ibique autore Fortunio in Historia ordinis Camaldulensis, in quadam cella propè monasterium quadraginta diebus vitam solitariam egit. Sexta demum, quia B. Petrus Damiani reformationi canonicorum regularium summo animi feruore, & conatu incubuit, cui certè ordo canonicus tantum debet, quantum illorum temporum nulli magis. Quod autem dicit Baptista Signius lib. 2. propè finem de odem Petro Portuensi scribens: *Clericus fuit semper, nunquam monachus, primus Portuensis Rector, qui, & ibi ordinem canonicum regulariter instituit: sed nunc pro clerico canonicum, & pro Rectore Priorem uoluit.* Omisisset penitus, si legisset in priuilegio Paschalis II. ipsam Petrum Priorem, & suos clericos canonicos nuncupatos.

VII. **C**irca ipsas constitutiones dupliciter erratum est: nam aliqui, quod legerint, B. Vbaldum regulam canonicam ex monasterio Portuensi acceptam ad propriam ciuitatem euexisse, & secundum illam suos clericos Eugubinos reformasse, eandemque regulam diuino miraculo in itinere confirmatam, videntes etiam apud Concilia, & priscos autores nomine regulæ canonicæ Beati Augustini regulam passim usurpari, putant, B. Vbaldum ex cœnobio Portuensi non ipsas constitutiones canonicorum Portuensium à Paschali recens confirmatas, sed B. Augustini regulam accepisse, & Eugubium attulisse. Ita Ludouicus de Angelis de vita sancti Augustini lib. 6. cap. 7. & Iosephus Mozzagrugnus de rebus gestis canonicorum regularium lib. 1. fol. 47. pag. 2. ubi de S. Vbaldo sic dicit: *D. Vbaldus Eugubinus in Ecclesia Eugubina Prioratus curam suscepit ante Episcopatum, ubi postea Episcopus regulam, & ordinem sancti Augustini sumptum ex monasterio Portuensi Rauennatense instituit.* Verum decipiuntur hi autores, quia regula s. Augustini tunc temporis toti orbi erat notissima, & omnes canonici regulares tunc, & longè antea saltem D. Augustini regulam habebant. & de Ecclesia Lateranensi hoc patet saltè à temporibus Alexandri II. ex priuilegio Anastasij Quarti eidem Ecclesiæ Lateranensi facto, in quo ad exemplar Alexandri Secundi statuit, ut ordo canonicus, qui secundum Deum, & D. Augustini regulam ibi erat institutus, perpetuis temporibus obseruaretur. Idem patet de Ecclesijs Perusina, & Ciuitatis Castelli, in quibus ab illarum exordijs ordo D. Augustini dicitur institutus, prout habetur in bullis secularizationis dictarum Ecclesiarum, & idem omnino dici debet de ipsa Ecclesia Eugubina. nam illa ante B. Vbaldum erat regularis, ut constat ex vita ipsius S. Vbaldi descripta per B. Thebaldum Episcopi eius successorum. quare sanctus Vbaldus non fuit primus autor ordinis canonicorum regularium D. Augustini in-

dicta Ecclesia, sed eiusdem ordinis iam labentis reparator: & ita pro sola regula Augustini accipienda ad Portuense monasterium cōtendere opus non habuit, quam canonici Eugubini habebant, vel ex Tifernatensibus, aut Perusinis illorum, propinquis habere potuissent. neque ob eam causam ad dictum monasterium iuit, sed ut modum viuendi canonicorum Portuensium, & illorum statuta disceret. quare ut demus, etiam B. Augustini regulam illum forsitan ex cœnobio Portuensi sumpsisse: tamen de alia regula sine dubio loquuntur qui aiunt, illum regulam canonicæ institutionis ex monasterio Portuensi acceptam Eugubium detulisse, nimirum de constitutionibus per Paschalem Pontificem probatis, quæ illæ tandem sunt, quas Deus in itinere miraculo confirmauit. Verum error leuis est, & excusatione dignus.

VIII. **I**lle verò grauior, & intolerabilis error, qui ab opposito dixerunt, canonicos Portuenses præter constitutiones, quas illi Damianas, seu Petri Damiani vocant, nullam aliam regulam, nec etiam illam B. Augustini habuisse. quem errorem ex Ioanne Baptista Signio acceptum, ut pleraque alia, constanter docet Iosephus Mozzagrugnus lib. 1. fol. 26. pag. 2. & fol. 46. 2. & fol. 48. 1. & fol. 60. 1. & lib. 4. fol. 4. 2. & lib. 8. fol. 10. 2. ubi dicit, Augustinum Mamphridum ea de re fuisse admonitum, ostenso illi exemplo eiusdem Regulæ Damianæ, in quo legimus, regulam ipsam transmissam fuisse Paschali II. approbandam, & Augustinum Ticinensem eiusmodi regulam vocare constitutiones, pudentium, canonicos illos, quos facit suos regulares, prius nullam habuisse, nec militasse sub Augustino, quam sententiam ita frequenter inculcat, ut vix sit pagina, quæ illam non redolet. Videtur autem hæc sententia valdè plausibilis Constantino Caietano in suis Scholijs ad epistolas B. Petri Damiani: nam libro 1. epist. 18. ad Alexandrum II. ita notauit: *En quam regulam obseruabant canonici regulares B. Petri Damiani tempore.* & in tabula, siue indice, verbo, Canonici, notans idem scholium, inquit: *Canonicorum regula antiquo tempore, quæ fuerit in Italia.* Verum hunc errorem non opus est, ut multis confutemus, qui non nisi vel ex crassa ignorantia, vel ex animi liuore ortum habere potuit. primò namque si canonici Portuenses tempore B. Petri Damiani, & longè post nullam aliam regulam præter Damianam habebant, quæ nam fuit illa regula, quam cum ordine D. Augustini S. Vbaldus ex Monasterio Portuensi acceptam attulit Eugubium ut ipse Mozzagrugnus lib. 1. fol. 47. pag. 2. fateretur? Ordo. n. D. Augustini, ipsa Augustini regulam supponit, præsertim cum regula, seu constitutiones Portuenses nõ nisi anno 1118. à Paschali II. fuerint probatæ, Sanctus verò Vbaldus, vel sub Calisto Secundo, vel sub Honorio, quatuor, aut sex annis post illarum confirmationem ad Portuense monasterium contenderit. nam sub Honorio II. Episcopus Eugubinus est cōsecratus, cum iã antea nõ solum Ecclesiam Eugubinam reformasset: verum

etiam

etiam Episcopus Perusinus electus fuisset. quam electionem, vt eluderet, profugus per aliquot menses delituit. Præterea si Portuenses sub beati Augustini regula non viuebant, quid est, quod idem autor lib. 4. fol. 3. pag. 2. scribit: *Anno Christi 789. Aquis in conuentu Episcoporum ordinatum fuit, vt clerici nedum in Episcopali Ecclesia, sed etiam alibi sub Episcopi cura canonicè viuant, secundum suam regulam, quæ quidem Augustini erat à Gelasio transportata.* Quod repetit fol. 29. 1. & alibi sæpius. & ante illum Ioannes Baptista Signius lib. 2. cap. 8. in principio, quomodo enim collegium Portuense toti Italix celeberrimum sine Augustini regula viuebat, quam longè antea canonici omnes regulares ex præcepto Concilij seruabant?

I X. Sed quod caput est, & omnem dubitationem excludit, ipsam beati Augustini regulam temporibus canonicorum Portuensium, & beati Petri Damiani non solum fuisse in Italia notissimam, sed ab omnibus canonicis regularibus retentam, ostendunt in primis Ecclesia Lateranensis sub Alexandro Secundo reformata ex canonicis sancti Frigidiani cum Ecclesia sanctæ Crucis in Ierusalem, in qua Lateranensi, ac etiam sanctæ Crucis cum ordo canonicus secundum Deum, & beati Augustini regulam ab eodem Alexandro dicatur institutus, siue potius restitutus, iam habes, Ecclesiam sancti Frigidiani cum Lateranensi, & sanctæ Crucis sub beati Augustini regula tunc degisse. Idem dicendum de Perusina, & Tifernatensi, quas sub beati Augustini regula institutas Bullæ secularizationis earumdem Ecclesiarum indicant. Deinde ipsam Ecclesiam Portuensem sub beati Augustini regula institutam, monstrant literæ Innocentij Secundi pro canonicis Portuensibus legato Romandiolæ directæ anno 1139. in quibus illos canonicos vocat ordinis sancti Augustini, & quod caput est, ipse Innocentius Secundus, qui ab Urbano Secundo Cardinalis fuerat creatus, qui confirmationi constitutionum Portuensium post Paschalem Papam penultimus subscripsit, in quodam Concilio Romano mille Episcoporum anno 1139. celebrato tanquam rem notissimam supponit, omnes canonicos regulares ante sua tempora sub beati Augustini regula vixisse: nam in eo Concilio cap. 9. ita scribit: *Præua autem consuetudo, prout accepimus, & detestabilis inoleuit, quod & monachi, & regulares canonici post susceptum habitum, & professionem factam, sprete Beatorum Magistrorum Benedicti, & Augustini regula, leges temporalis, & Medicinam gratia lucri temporalis addiscunt, & c. 26. ex quo accepit Gratianus textum cap. Perniciosam 18. quæst. 2. improbantur à Concilio omnes personæ Regulares, quæ non secundum aliquam ex tribus Regulis approbatis Diui Basilij, Diui Benedicti, & Diui Augustini viuerent, & inter recensendos professores dictarum Regularum numerantur monachi, & canonici regulares. vt videas, supposuisse illud Concilium sine vlla prorsus exceptione, omnes iam canonicos regulares non solum in Italia, sed in toto mundo*

sub beati Augustini regula viuere consueuisse, vt mirum sit de lepidissimo, & doctissimo scholio illo Caietani dicentis: *Ecce quam regulam ab antiquo tempore canonici regulares obseruabant in Italia tempore beati Petri Damiani: Et multò magis mirandum, dixisse Iosephum Mozzagrugnum lib. 8. fol. 10. pag. 2. hanc regulam Ticinensem vbique Constitutiones appellare, pudefactum, quod ex illius proœmio elici videatur, ac etiam ex epistola superliminari, canonicos illos, quos faciunt suos, regulam prius nullam habuisse, nec militasse sub Augustino. vnde enim, & ex quibus verbis elicitur ex epistola superliminari, vel ex proœmio dictarum constitutionum, ante Petrum Damiani canonicos illos nullam regulam habuisse, vel sub D. Augustino non militasse? nam in epistola Petri Portuensis Paschali Secundo cum constitutionibus transmissas, nulla prorsus Regulæ mentio sub formalibus verbis habetur: nec dicitur, an illi aliam regulam haberent, vel non haberent, vel an sub Augustino militarent, vel non militarent. In proœmio verò vocantur illæ Constitutiones, Regula canonicæ institutionis. sed vbi infertur, vel per quam illationem deducitur, illos canonicos Regulam beati Augustini non habuisse, aut sub Augustino non militasse? Ego enim neque in proœmio, neque in toto corpore hoc videre potui. At autor, & etiam Paschalis in epistola confirmationis vocant eam regulam. sed quid tum? nonne omnes Constitutiones siue statuta, siue decreta, quæ olim à Summis Pontificibus, vel à Concilijs, vel à familijs pro disciplina regulari statuenda, vel reparanda decernebantur, Regulæ dicebantur? Videantur de hac re Pontificale Romanum, Anastasius, & Platina in Innocentium Primum, Concilium Aquisgrani, & Moguntinum sub Ludouico Pio celebrata, textus in cap. Regula 3. d. Sed quid moror, cum ipse autor lib. 2. fol. 33. pag. 2. sui oblitus scribat, Paschalem Secundum fecisse constitutiones, quæ sunt Rauennæ, in monasterio Portuensi. Paschalis enim Secundus nullas Constitutiones pro canonicis regularibus Portuensibus fecit, nisi quod constitutiones ab illis factas sua autoritate firmavit, & lib. 1. fol. 50. pag. 2. dicit, nomine Regulæ olim intelligi cõsueuisse quidquid, vel à superioribus, vel ab ipsis Congregationibus communiter obseruandum statuebatur. Habuerunt igitur canonici Portuenses regulam beati Augustini, habuerunt Constitutiones à Paschali probatas, & tam illæ, quàm ista, regulæ dici poterant, & meritò dicebantur: At illa prima per Antonomassiam regula canonica dici consuevit, illæ verò ad differentiam Prioris regulæ, constitutiones, siue statuta sunt nuncupatæ, sicut etiam appellantur in ipso proœmio sæpe allegato.*

Post supradictam reformationem, & constitutiones à Paschali Papa confirmatas coepit banus odor religiosæ conuersationis canonicorum Portuensium mirum in modum dilatari: vnde & factum est in primis, vt religiosi viri quamplures illac accurrentes, sese canonicis Portuensibus in disci-

disciplina regulari instituendos traderent, ac subinde ipsimet Canonici alijs Ecclesijs, & monasterijs eis oblati extra proprios limites numero familiarium ampliari cœperint, & dilatari, & in congregationem multorum Collegiorum propagari, cuius congregationis monasteria, quæ ex authenticis scripturis colligere potui, fuerunt ista.

Primum monasterium ipsum Portuense B. Virgini Dei Genitrici sacrum, ante B. Petri Damiani tēpora fundatum, quod erat caput totius congregationis, de quo dicemus in nostra congregatione Lateranensi, cui per sedem Apostolicam fuit vnitū.

Secundum S. Mariæ Charitatis Venetiarum, quod Marcus Iulianus clericus fundauit sub Calisto II. & Summo Pontifici obtulit, vt per canonicos Portuenses regeretur, de quo dictum est supra cap. 24. eidem nostræ congregationi vnitum.

Tertium Prioratus S. Margaritæ in Episcopatu Ferrariēsi, cuius Ecclesiam anno 1120. monasterio Portuensi donauit Gualterius Archiepiscopus Rauennatensis ex regulari canonico. *Eandem verò Ecclesiam prædijs attributis dotauerunt Gulielmus Bulgari filius, eiusq; uxor Adelsa anno 1123. 4. idus Octobris, & pro dote templi D. Margaritæ Castellare dederunt, in quo edificatum ipsum templum est ita, uti tunc videbatur, fossis & Eurippis cinctum, quæ sunt omnia in agro Ferrariensi. His tabulis testes adscribuntur Fulco Marchio, Petrus canis, Salinguerra, Petrus Cōtrarius, Vgutio, Isnardus Vgutonis filius.* Hieronymus Rubeus in Historia Rauennat. lib. 5. sub anno 1120. & 1123. Hoc monasterium est etiam nunc membrum cœnobij Portuensis, sed canonicis destitutum habet. vnum Priorem cum socio.

Quartum S. Mariæ de Vado Ferrariæ, quod circa annum 1135. postulante eodē Valtero Archiepiscopo, monasterio Portuensi donauit Landolphus Episcopus Ferrariensis, conuentu in eo constituto canonicorū sub Martino Priore, qui canonici multis seculis illud tenuerunt, ac demum eo sponte derelicto, introducti sunt canonici S. Saluatoris Bononiensis, qui nunc illud tenent. vide quæ diximus supra cap. 22.

Quintum S. Crucis intra Cesennam, quod cum esset Xenodochium cum Ecclesia pro illius commodo, & vsu, illius confratres pia deuotione obtulerunt monasterio Portuensi ea lege, vt conuentus canonicorum ibidem erigeretur. Donationem probauit Innocentius II. suo priuilegio emanato 3. idus Aprilis 1139. confirmauerunt Cœlestinus II. & Innocentius IV. vt dicemus in congregatione Lateranensi, cui nunc est vnitum.

Sextum S. Bartholomæi foris Mantuam, quod fuisse monasterium, & membrum dictæ congregationis Portuensis, constat ex dismembratione illius à monasterio Portuensi facta per Eugenium IV. anno 1438. de qua, & de eodem monasterio lib. sequenti in congregatione Lateranensi, cuius est membrum, dicemus.

Septimum S. Augustini in Episcopatu Foroli-

uensi sub titulo Prioratus, quod fuisse monasteriū dictæ congregationis constat publico instrumento Rauennæ anno 1461. rogato die 20. Nouembris per Andream, quōdam Antonij de Baldinetis notarium Rauennatensem. monasterium vetustissimum sed canonicis destitutum præter vnum Priorem, & socium, qui Prior Abbati Portuensi est subiectus.

Octauum S. Mariæ de Stradella apud Fauentiā, cuius in eodem instrumēto proximè narrato mentio habetur. Verūm nunc dirutum, bona illius à Communitate Faentina occupata graues lites inter ciuitatem, & canonicos Portuenses excitauerūt.

Illud etiam non omittendum, præter supradicta monasteria, quæ omnia Priori Portuensi tãquam capiti, & generali subdebantur, eam olim extitisse probitatis, & sanctæ conuersationis canonicorum regularium Portuensium opinionem, vt etiam alij canonici aliorum cœnobiorum, & congregationū prouinciæ Rauennatensis ad Portuense monasterium, & ad generale Capitulum inibi celebrandū quotannis conuenirent. Constat ex actis cuiusdam generalis capituli antiquissimi paulo post constitutiones à Raschali confirmatas ibi celebrati, in quo sequentes editæ sunt constitutiones, quæ in libro vetusto post ipsas constitutiones confirmatas. caractere item antiquo sunt adnotatæ, qui liber in eodem Portuensi cœnobio adseruatur.

Statuta cuiusdam Capituli generalis canonicorū regularium prouinciæ Rauennatensis apud S. Mariam in portu Rauennæ celebrati.

Statuimus, vt omni anno semel prælati congregationum nostræ professionis simul ad communem utilitatem ordinis, & regule nostræ prouidendam, apud S. Mariam in Portu conueniant, & quæcunq; causa alicuius congregationis emerferint, vel emendanda apparuerint sic per omnes fratres aliarum congregationum, ac si per proprium Episcopum determinantur, vel emendentur: & si quid communi consilio statutum tunc fuerit, tanquam quæ in propria habentur regula, firmiter teneantur.

Vt nulli clerico vel laico professo aliquid propriū de suis, vel de Ecclesiæ rebus habere concedatur.

Vt nullus professus clericus, vel laicus alicui medicamenta tribuat, nisi proprijs fratribus, cū Prior id iufferit. Consilium verò externis dare, cū Priori placuerit, non negamus. Artifices autem Ecclesiæ si extraneis laborauerint, non alibi operari permittantur, nisi in domibus proprijs iuxta Ecclesiam possitis, & si pro laboribus eorum aliquid dono, vel pretio collatum fuerit, nō ipsis, sed camerario tribuatur. Cementarijs tamen non negamus, cū Priori placuerit, & fratribus, extraneis Ecclesijs, vel Pontibus, aut hospitalibus laborare. Verumtamen si aliquid pro ipso labore oblatum fuerit, non eis, sed vt prædictum est, camerario tribuatur.

De Mulierum autem accessu in officinis clericorum, vel claustris, & de priuatis earundem quocunq; modo consilijs, quæ in regula continentur, firmiter ab omnibus teneri statuimus De accessu verò extraneorum clericorum, vel laicorum in claustris, &

pri-

privatis eorundem consilijs, secundum regulam nostram iidem observari volumus.

Ut propria domus ad pauperum susceptionem statuatur, quibus reliquia ciborum fratrum tam clericorum, quam laicorum, & quæ pro defunctis fratribus in mensa apponuntur, & decimæ omnium eorum, quæ in coquina pro communi preparantur cibo, fidelissime dentur.

Ut nullus clericus, siue laicus, sine communi fratrum consilio, & probatione suscipiatur, & nisi primum omnia, quæ de rapinis, vel furtis, usuris, aut cautionibus, aut aliquid alio modo pro posse restituat, minimè recipiatur.

Ut Ecclesiarum bona si diripiantur, vel ab aliquo iniuste detineantur, per vim non repetantur.

Ut si quis fratrum per Priorem, & suos proprios fratres emendari nequiverit, ad aliquam aliam eiusdem professionis congregationem proprii Prioris, & fratrum voluntate ad corrigendum mittatur.

Ut qui ad Ecclesiam venerit, & se, & sua, vel sua tantum, dono tradiderit, si postea poenituerit, nec ipse absolvatur, nec quæ spontè dono obtulit, ei redantur.

Ut nullus canonicus clericus, vel laicus professus audeat ad nuptias, vel alicui pro aliqua terra, aut pro murorum ciuitatum, vel Castri adificatione, aut reparatione adiutorium facere, vel ioculatoribus, nisi victum, aliquid dare.

Ut nullus canonicus clericus, vel laicus professus compatres, aut commatres presumat acquirere.

Ut nullus Prælati propriam audeat habere cameram, aut clauem, sed in dormitorio semper, cum domi est, cum fratribus dormiat, nec quemquam seruitorem ad discalceandum, aut spoliandum, nisi foris cum infirmatur, habere presumat, & in resectorio semper cum proprijs prandeat fratribus, nisi aliquoties forsas gratia aduenientium clericorum aliter fieri oporteat, videlicet vel cum magna sint persona, vel cum sine eorum scandalo vitari non potest.

Quandocunque alicui congregationi alicuius fratris alterius congregationis nostra professionis obitus nuntiatus fuerit, agantur pro eo vigiliae in nouem lectionibus, & propriae missæ usque in septimum eiusque nomen proprium, & ordinis, & congregationis in propria scribatur matricula, & in anniuersario semper pro illo tres lectiones, & missæ fiat.

XII. **F**loruerunt in hac congregatione multi viri sanctitate insignes, ac in primis ipse Petrus Prior, & supradictæ reformationis autor præcipuus, cuius virtus in operibus pietatis spiritualibus, & corporalibus, usque ad vitæ exitum probata, potissimum emicuit. nam quod ad spiritualia attinet, ordinauerat hic beatus, & pius Pater, cum monasterij Prioratum ageret, vt canonici sui psalmos Davidicos frequenter recitarent, & fructum Domino tribuendum committerent. contigit verò illis diebus quosdam peregrinos ire versus Occidentem, qui dum quadam die per vallem profundissimam montibus clausam ambularent, procedentes audie-

runt quasdam voces humanas fortiter clamantes, & dicentes, peregrini retrorsum reuertimini, quia iter errastis, sed ab ite usque ad talabium, & in dextera via vestra est. tunc vnus ex ipsis exclamauit, rogo per Deum, vt dicatis nobis, qui estis, & respondentes dixerunt, animæ sumus mortuorum, quæ habemus locum hunc pro Purgatorio deputatum: sed quia reuelatibus nobis Angelis, scimus vos de partibus Romadiolæ venire, rogamus, vt in reditu vestro in patriam, gratias immortales agatis nomine nostro Patri Priori sanctis. s. Mariæ in Portu extra Rauennam, significantes ei, quod fructus illorum psalmorum, qui à canonicis illius monasterij dicuntur, nobis Dominus pro sua misericordia tribuit, & quotidie aliqui ex nobis ad cælum euolant. illi autem ad iter suum properantes postmodum in patriam reuersi, & euntes ad prædictum monasterium, omnia per ordinem Priori narrauerunt: qui vocatâ canonicorum congregatione monuit, in psalmorum lectione feruentius insistendum, omnibus Domino gratias agentibus, qui tribuit vnicuique iuxta opera sua. Similiter de operibus misericordie corporalibus cum quadam die in morbum decidisset, ex quo & mortuus est, morte instante, petijt sibi dari piscem, qui Lamia preda Italicè dicitur, qua statim coctâ minister Patri obtulit, & vt sumeret, hortabatur. Dominus autem Iesus Christus veniens, vt animam serui sui in cælum assumeret, etiâ in extremis ad exemplum nostri tentauit. nam dum piscis illi porrigitur, vt comedat, illic campanula ad portam monasterij crebris ictibus pulsatur, quod audiens s. Pater, curre, inquit, ministro velociter, & vide, quid sit. ille ad portam accurrens, pauperem senem, & infirmum præforibus inueniens, ait, importunè strepitas? At ille, Pater miserere mei pauperis, & senis, & infirmi. cui minister, patientiam habe, tibi elemosyna panis, & vini tribuetur. Verum ille, panem, & vinum nolo, sed oro, vt detur mihi vnâ lampreda, alioquin moriar. Quod audiens stomachatus ad Patrem redijt. cui Pater, quidnam hoc est fili indica mihi? at ille subridens comede, inquit, Pater, postea edisseram. Nequaquam inquit, sed magis negotium explica. At minister, pauperem ad portam reperi, senem, & infirmum, dicentem se nolle elemosynam panis, nec vini, sed vnâ lampredam, quod audiens Pater, vide ait fili, Dominus Iesus est, qui me usque ad extremum vitæ probare vult, defer pauperi piscem, cumque minister iuisset, vt daret, pauperem non inuenit, & ad Patrem rediens emigrasse reperit. nec dubium cum Christo, qui formam serui acceperat, eum in cælum ascendisse. Quæ res toti congregationi admirationi fuit, & ingens attulit gaudium. Ex Ioanne Philippo Nouariensi in Chronicis lib. 7. cap. 11. & 12.

XIII. **P**restat quoque iure merito inter canonicos di-

ta congregationis Portuensis recenseri sanctus Vbaldus Episcopus Eugubinus, de quo inter alia hæc refert, qui eius vitam scribit beatus Theobaldus illius in Sede Episcopali primus successor, & coætaneus. Postmodum vero ad Ecclesiam B. Martini in Portu Rauennæ canonicorum regularium Lateranensem perrexit, ubi satis honestè Apostolica

seruabatur regula institutionis, & splendor in omnibus fulgebat totius sanctitatis. ibi ergo tribus mensibus sub disciplina canonicorum illorum regulariter vixit: quatenus discipulus veritatis factus, sine errore postea doceret, quod primum visu, & auditu veraciter didicisset. scriptam itaque canonici ordinis regulam rediens attulit, eamq. canonicis omnibus proponens, diuino comitatus adiutorio, seruandam iniunxit, factumq. ut ex illo tempore sancti regulariter viuerent, & canonicum ordinem omnes deuote custodirent. Hæc Theobaldus, cui cæteri omnes B. Vbaldi vitam describentes consentiunt.

Sed & B. Aldebrandus primum Ariminensis Ecclesiæ Præpositus, postea Forosēpronienſis Episcopus inter canonicos Portuenses à Hieronymo Rubeo lib. 5. Historiæ Rauennatensis sub an. 1119. hisce conceptis verbis recensetur: *Proximo anno, qui fuit à partu Virginis 1119. Petrus Peccator senex obiit 4. Kal. April. Rauenna in Portuensi ab se extructo cœnobio, ibiq. ad lauam ingrediētibus templum iuxta sacram turrim sepultus est. Ab eo plurimum is propagatus est ordo, qui nunc Canonicorum Lateranensium vocatur, egregium certè bonorum hominum, ac doctorum seminarium. illius leges à Rhenensibus Bononia, Nicostensibus in Pisano, à multisq. præterea accepta, & seruata sunt, cum interea confluere vndique complures ad Portuense cœnobium, in disciplinamq. sese eius canonicis traderet. In ijs fuisse Aldebrandus legitur, qui in oppido Sorbesulo è Bobio, seu Galliata prope Cesennam natus, & in grammatica eruditus in Portuense cœnobium, ut maiores in literis, ac pietate progressus faceret, se contulit. Cum autem Ariminenses canonici Præposito destituti, peterent, ut fieri ab illis consueuerat, eorum conuentu aliquem ipsis idoneum præfici, qui virtute præstaret, Aldebrandum obtinuerunt, qui deinde Forosēpronienſium Episcopatum adeptus, Calend. Maij decedens in Diuorum numerum relatus est. Hæc ille.*

Nec dubium, alios quamplures viros doctina, & sanctitate conspicuos in eadem congregatione olim extitisse, & ex illa ad dignitates Episcopales, & alias euectos, etsi illorum catalogus cum bona parte veterum scripturarum perierit. nam & monasterium ipsum læpius vastatum, igni combustum, illius bonæ commendata, à laicis occupata, & rapinis exposita, ut mirum non sit, scripturas combustas, sed mirum vel vnum lapidem super lapidem inueniri. Tandem anno 1367. monasterium ipsum Portuense reperio clericis secularibus commendatum, manentibus tamen in eodem nonnullis canonicis, in quo statu vsque ad annum 1420. permansit: quo tempore nostræ congregationi reformandum concessum est, cui cum cæteris dictæ congregationis monasterijs, vno vel altero excepto, nunc etiam est vnitum. monasterio Portuensi complura priuilegia Paschalis II. Innocentius Secundus, Coelestinus Secundus, Adrianus Quartus, Urbanus Tertius, Innocentius III. & Alexander Quartus concesserunt, de quibus libro sequenti fufius dicemus.

Caput quadragesimum octauum.

De Congregatione S. Mariæ ad Rhenum prope ciuitatem Bononiam.



Inter vetustas canonicorum congregationes iure, ac merito est numeranda congregatio s. Mariæ ad flumen Rhenum prope ciuitatem Bononiam, cuius caput extitit ipsum monasterium s. Mariæ in ripa fluminis Rheni tertio circiter ab vrbe milliaro ædificatum, de cuius prima fundatione variè sentiunt scribentes. Nam Cherubinus in historia Bononiensi, ac cum illo Sigonius de Episcopis Bononiensibus, anno 1083. fundatum aiunt. Verùm cum scribat Iosephus Mozzagrugus lib. 4. fol. 9. pag. 2. primum Priorem dicti monasterij fuisse Guidonem, ad quem Innocentij Secundi literæ, & aliorum Pontificum ibi relatæ diriguntur, cumq. idem Guido vsque ad annum 1169. in Prioratu perseuerauerit, ut apparet ex literis Alexandri Tertij ad eundem Guidonem Priorem, & illius canonicos datis Beneuenti 18. Calend. Iunij anno Christi 1169. & ab eodem Iosepho Mozzagrugno eodem lib. 4. fol. 11. pag. 2. relatis, vnum ex duobus dicendum videtur, aut monasterium Rhenanum non anno 1083. sed aliquot post annis fundatum: aut certè nondum eo tempore conuentum canonicorum sub Priore degentium habuisse, cum credibile non sit, primum illum Priorem tot annis in regimine monasterij nimirum ab anno 1083. aut demus etiam 1110. vsque ad annum 1169. durauisse. Quidquid autè sit de prima illius fundatione, hoc certum, non ante annum circiter 1136. aliquam eius mentionem haberi ex literis Pontificum, nec de aliquo priuilegio ante illud tempus eidem monasterio facto constare. Cæteram ab illo anno coepit monasterium Rhenanum à Romanis Pontificibus, & Archiepiscopis Rauennatensibus, nec non etiam Episcopis Bononiensibus, & alijs viris religiosi, & pijs attributione priuilegiorum, immunitatum, & temporalium bonorum augeri, & locupletari. nam in primis ipse Innocentius Secundus anno 1136. constitutionum canonicorum Portuensium per Pascalem Secundum confirmata, quantum confirmationi ipse tunc Cardinalis Gregorius Diaconus tituli s. Angeli nuncupatus subscripsit, eisdem canonicis Rhenanis seruandas sua auctoritate tradidit, & priuilegio Apostolicæ sedis muniuit, ut ordo canonicus secundum Deum, & B. Augustinam ibidem institutus &c. & ut bona, quæ tunc possidebant, vel in futurum adepti essent, firma illis manerent. Priuilegium datum est Pisis an. 1136. 6. Cal. Sep. eod. quoq. an. 1136. eandem Ecclesiam Rhenanã suis priuilegijs primitus munierunt Gualtherius Archiep. Rauennaten. & Henricus Episcopus Bononiens. ut patet ex forma priuilegiorum, quæ refert Mozzagrugus eod. hb. 4. fol. 8. & seqq.

Et

Et ex tunc canonici Rhenani bono Christi odore plurimum circumquaque flagrantés cœperunt numero familiarum augeri: nam illos sequentes Ecclesias olim tenuisse, ex priuilegijs monasterio Rhenano tactis, manifestè liquet, etsi non satis constet, an omnes fuerint Conuentuales. fuerunt autem

Prima ipsa Ecclesia B. Mariæ ad Rhenum, quæ caput erat totius congregationis, cuius Priori cæteri aliarum Ecclesiarum Priores subijciebantur. de qua dictum est supra cap. 23.

Secunda s. Saluatoris Bononiensis, quam circa annum 1136. cum antea esset parochialis, iisdem canonici Rhenani loco hospitij primum acceperunt, postea verò statim instauratam, in collegiatam erexerunt. ea nunc caput est congregationis, quæ ab illa s. Saluatoris Bononiensis congreg. nuncupatur.

Tertia s. Andree in Turricella.

Quarta s. Domini iuxta Bagnum.

Quinta s. Mariæ in Raticola.

Sexta s. Iacobi loci casæ Dei nuncupati. quarum Ecclesiarum meminit Eugenius III. in quodam priuilegio concessio Guidoni Priori, & canonicis Rhenanis 3. Idus Maij anno 1150.

Septima s. Potentianæ in Vrbe Roma, quæ iuxta dispositionem Guidonis S. R. E. presbyteri Cardinalis tituli Pastoris nuncupati Adrianus IV. eidem Ecclesiæ Rhenanæ cœcessit anno 1155. xvj. Calend. Aprilis statuens, vt ordo canonicus secundum Deum, & B. Augustini Regulam in ea constitueretur, & perpetuis futuris temporibus seruarietur.

Octaua s. Praxedis in eadem Vrbe Roma, quam Alexander III. in suo priuilegio, dato anno 1177. x. Calend. Februarij testatur, ab Anastasio IV. eidem canonicis Rhenanis concessam, & vt puto, cum eadem clausula, vt ordo canonicus secundum Deum, & B. Augustini Regulam in eadem institueretur, & obseruarietur. quam concessionem idem Alexander sua autoritate confirmauit.

II. **H**ic congregationi priuilegia complura concesserunt Romani Pontifices, ac etiam Imperatores, quorum meminerunt Basilius Sirenius noster in lib. Indultorum congregationis Lateranensis, Ioannes Baptista Signius lib. 2. de Ordine, & Statu canonicorum regularium, & Iosephus Mozzagrugnus lib. 4. proximè citato.

Habuit etiam hæc congregatio multos viros præclaros, qui non solum ad dignitatem Episcopalem, verum etiam ad Cardinalatum, & Summum Pontificatum ascenderunt, si vera de illis scribunt Petrus Michaëlis Venetus canonicus sancti Saluatoris Bononiensis, & ex illo Ioannes Baptista Signius lib. 2. cap. 8. & 9. & supra cap. 6. & Iosephus Mozzagrugnus, qui Signium transcripsit lib. 4. fol. 29. & alibi. quippe quod illos suos, aut se de illis antiquis canonicis Rhenanis esse affirmant. Verum omnes ab eis in dictis locis numeratos inter canonicos Rhenanos recensere non audeo, primò quia video, illos in dictis canonicis monasterio Rhenano adscribendis fundamento dubio, & in certo niti, quod quantum ex illorum verbis conijcio, du-

plex est, alterum est Calendarium quoddam in antiquo monasterio Rhenano repertum, in quo singulorum canonicorum nomina ex hac vita migrantium describi consueuerant: alterum verò Annales antiqui dictæ congregationis, quos in Bibliotheca monasterij s. Saluatoris Bononiæ adseruari fatetur Ioannes Baptista Signius lib. 2. cap. 6. & alibi non semel: nam quod attinet ad Calendarium, non omnes in eo descriptos ex Rhenana congregatione canonicos fuisse, sed ex alijs etiam congregationibus eiusdem professionis, habes ex vltimo decreto Generalis Capituli apud monasterium Portuense celebrati, cuius autoritate iussum est illud Calendarium confici, ac in illo nomina singulorum canonicorum defunctorum cuiuslibet congregationis, eiusdem tamen professionis describi: quod Calendarium non solum apud Rhenanos, sed etiam apud nostros Portuenses, & Bononienses s. Victoris, & s. Ioannis in monte habebatur, & nunc etiam forsitan habetur, vt testatur canonici nostri fide digni, qui illud videntur. Pariter, quod spectat ad Annales, in illis multos errores palpabiles contineri, statim ostendemus.

Deinde iisdem autores alio fundamento falsò nuntur, omnes canonicos regulares olim Bononiæ, aut etiam Romæ existentes ex congreg. Rhenanorum extitisse, quemadmodum illa Io. Baptista Signij lib. 2. cap. 8. in princ. & Mozzagrugni verba indicant. *Testatur frater Petrus Michaëlis Venetus canonicus noster in Commentarijs suis, se legisse, sexdecim canonicos de Rhenano ipso ad Cardinalatus honorem assumptos. Nec sanè mirum, inquit, cum ipsa Lateranensis Ecclesia, & omnes Ecclesie titulares Cardinalium regerentur. per hos tum canonicos, qui omnes Regulam iam vulgatam D. Patris Augustini à Consilio presertim Moguntina citra, de quo diximus, imitandam susceperunt.* quæ verba vel de sola identitate Ordinis, non autem eiusdem congregationis intelligi volunt, vel de identitate canonicorum eiusdem congreg. Rhenanæ. Et si in primo sensu loquatur, verissimè dicunt: sed contra seipso loquuntur, qui contra alios digladiantur, B. Guarinum, & Lucium II. & alios quosdam inter Lateranenses canonicos recensentes. præter quod ex huiusmodi identitate intentum probare non possunt, quod nimirum ex monasterio Rhenano sexdecim canonici ad Cardinalatus honorem fuerint assumpti: quia Lateranensis Ecclesia, & omnes aliæ titulares Cardinalium per eosdem tunc regulares canonicos regerentur. Esto .n. essent eiusdem Ordinis, non tamen erant eiusdem monasterij Rhenani, neque eiusdem congreg. Rhenanæ, quæ quatuor, vel quinque Collegia non excedebat. Præter quod falsò etiam aiunt, Cardinales titulares s. Praxedis, & s. Potentianæ ex canonicis regularibus promoueri solitos: nam de solis titularibus s. Crucis in Ierusalem, & s. Mariæ Nouæ, quæ erant Ecclesiæ congregationis s. Frigidiani, siue Lateranensis, Romani Pontifices id cauerunt, vt supra cap. 16. notatum.

Demum, quæ de Romanis Pontificibus Innocentio II. Lucio II. Innocentio III. nec nõ de

S. Guarino Episcopo Prænestino, & S. R. Ecclesie Cardinali iisdem autores ex illorum Annalibus Saluatoriensibus comminiscuntur, eos monasterij Rhenani canonicos fuisse, valde dubia, aut etiam manifestè falsa videntur. nam in primis, quod a iure de Innocentio II. Anno 1136. Innocentius II. Romanus antea vocatus. D. Gregorius Canonicus Regularis, & reformator eiusdem canonici ordinis in monasterio Rhenensi, ubi & canonicum habitum suscepit, ac S. Potentianæ de Vrbe unitis sub Adriano IV. ut in Bulla præfati Pontificis sub datum Roma apud sanctum Petrum 6. Kalend. Aprilis. 1154. dum esset Bononiæ causa studij, ad summum apicem ascendit Pontificia dignitas, sed ita; annis 13. mensibus 7. diebus 8. ut in Calendario Rhenano antiquo legitur. commendatur ibidem eius obitus anno Domini Incarnationis 1143. Sui verò Pontificatus 14. mense Septembri sepultus est in Laterano in obœca apostolice viro opere sculpta. Quæ sunt verba Signij lib. 2. cap. 6. & Mozzagrugni lib. 4. fol. 23. pag. 2. hæc inquam verba multa continent errata. Primum erratum est, Innocentium Secundum assumptum ad Pontificatum anno 1136. fuit enim creatus Pontifex anno 1130. vel ut ipsi eius obitum notantes fatentur. sed demum hunc esse errorem Typographi in Signio, debebat tamen illum corrigere Mozzagrugnus: Secundò quod aiunt, Innocentium Secundum reformasse ordinem canonicorum in monasterio sanctæ Potentianæ monasterio Rhenano unito, magis falsum est; quia ante Adrianum Quartum, qui Pontifex anno 1155. est renunciatus, ordo canonicorum regularium in dicta Ecclesia non fuit restitutus. patet ex literis eiusdem Adriani Quarti Guidoni Priori, & eius fratribus directis, datis apud sanctum Petrum non anno 1154. ut Signius refert, nam eo anno 6. Calendis Aprilis sedebat Anastasius, sed anno sequenti 1155. in quibus Adrianus statuit, ut ordo canonicus in dicta Ecclesia s. Potentianæ per dictos canonicos iuxta institutionem illorum regulæ, constitueretur ac seruetur. Tertiò, multò magis falsum est, Innocentium Secundum electum fuisse Pontificem, dum Bononiæ studiorum causa moraretur, in qua falsitate monstranda utpote omnibus conspicua nolo immorari. Dicitur, illa verba: *Dum esset Bononiæ studiorum causa.* non esse coniungenda cum sequentibus: *Ad summum apicem ascendit Pontificia dignitas.* sed cum antecedentibus: *Canonicum habitum suscepit.* Dico verba sic esse disposita, ut cum sequentibus sint construenda, non cum antecedentibus, sed quod cum antecedentibus iungi rectè non possint, ex eo conuincitur, quia primus Prior Rhenanus fuit Guido, qui vixit vsque ad annum 1169. ex supra allegatis. At Innocentius Secundus ab Urbano II. ante annum 1110. Cardinalis fuerat creatus, & ut dictum est, ante annum 1136. nulla in literis Pontificijs, vel probatis autoribus de monasterio Rhenano mentio habetur. quare suspitioni evidens locus est, Annales illos Saluatorientes ab aliquo

ignaro, vel otioso, ex turbidis fontibus ad fucum faciendum haustos. Rursus adhuc multò magis falsum est, quod ex eisdem Annalibus deducit Mozzagrugnus ibid. fol. 24. pag. 1. dicens: *Mox verò, ut Innocentius II. Frangipanes ex parte Romanorum nobilis, immò de regione Translyberina, qui à Paschali II. ex canonico regulari fuerat Diaconus Cardinalis creatus &c.* Nam cum dixerit in verbis immediatè præcedentibus cum suo Signio, illum fuisse ex familia de Paparesijs, quæ nunc de Matthæis vocatur, idque probauerit, tam ex regione Translyberina, ubi Innocentius Secundus natus est, quæ fuit etiam regio illorum de Paparesijs, tum ex similitudine, siue identitate stemmatum gentilicorum, quantum cæcitas est, velle illum postea familiæ de Frangipanis adscribere? quasi sint, qui nesciant, an familia de Paparesijs seu de Matthæis, sit eadem cum familia de Frangipanis, vel familia de Frangipanis sit, aut aliquando fuerit de regione Translyberina. Omitto ex sententia Onuphrij, Giacconij, Baronij, & omnium de hac re scribentium Innocentium Secundum, non à Paschali Secundo, sed ab Urbano Secundo Diaconum Cardinalem fuisse creatum, eundemque non ex monasterio Rhenano, sed ex Lateranensi: quanquam contendat Baronius, non ex monasterio canonicorum, sed monachorum assumptum, quod tamen tunc Laterani nullum extitisse aliàs probauimus.

P Ariter quod de Lucio Secundo ex iisdem Annalibus Saluatoriensibus scribunt, hunc mendacissimè Onuphrium ex Congregatione s. Frigidiani Canonicum appellasse, cum ex eisdem Annalibus constet illum fuisse canonicum ex monasterio Rhenano, & nunc etiam in agro Bononiensi apud Vergatum sit prædium, nuncupatum præ Lucij, vulgò il Pra del Luzzo, non vsquequaque certum, & exploratum videtur: immò oppositum est verius. primò quia certum est, Lucium Secundum ex canonico monasterij Lateranensis immediatè acceptum, & Cardinalem non ab Innocentio Secundo, ut isti Annales somniant, sed à Calisto Secundo creatum, ut Ciacomius, Onuphrius, vel ab Honorio, ut Baronius ex Codice Vaticano, illum autem ex monasterio Lateranensi acceptum, nec ipse Signius negare audet, sed inquit, Innocentium Secundum Pontificem creatum statim hunc antea vocatum Gerardum ex Præposito Rhenano vocatum, & secum in Canonica Lateranensi locatum non multò post in Cardinalem tituli sanctæ Crucis assumpsisse, quod ad Onuphrium à mædacio tam insigni vindicandum satis esse poterat. Deinde ipse Gerardus Cardinalis sanctæ Crucis cum suam Ecclesiam restituisset, & monasterium instaurasset, ad Pontificatum euectus statuit, ut presbyter Cardinalis titularis illius Ecclesie non nisi de gremio congregat. s. Frigidiani assumeretur. quod profectò non statuisset, si ille de congr. Rhenana, nõ de Frigidiana antea fuisset. Dicitur est aut superius, eisdem fuisse canonicos s. Frigidiani, & Lateranè. & s. Crucis, & s. Mariæ Nouæ. Quod autem subiungitur,

gitur, etiam nunc extare in agro Bononiensi prædium Lucij nuncupatum, voluntarium nimis est, & fortè dicitur illud pratum non à Lucio Papa, aut etiam homine eius nominis, sed à pisce, qui vulgo dicitur Luzzo, quòd illud pratum ante esset stagnum, vel per illud riuus decurreret, eius generis piscibus abundans, qualia scimus plura esse in agro Bononiensi.

Quod etiam de Innocentio III. ait Mozzagrugnus lib. 4. fol. 28. pag. 2. ignorasse Onuphrium, cuius ordinis esset, falsum est, & indicat illum non legisse librum Onuphrij de septem vrbis Ecclesijs in Lateranensi, & secundum librum de Ecclesia Lateranensi cap. 3. Quod autem cum suo Signio subdit, illum sancte Potentianæ canonicum fuisse etiam si verum id esset, Onuphrio non contradiceret, qui instituti identitatem, potius quàm loci attendit. Sed falsum esse suspicor, quod illum ex canonico Lateranensi assumptum scribant præter Onuphrium, Sigonius de Regno Italiæ lib. 15. sub anno 1198. Ciaconius in Innocentio III. Volaterranus lib. 21. Ioannes Baptista de Cauallerijs, & nouissimè Laertius Cherubinus in Bullario in Innocentio III. quibus magis fides adhibenda est, quàm Annalibus Saluatoriensibus.

V. **P**aris incertitudinis reputandum est, quod de Sancto Guarino Cardinali, & Episcopo Prænestino ex eisdem Annalibus comminiscuntur, illum ex canonico Rhenano assumptum ad dignitatem Cardinalatus, & Episcopatus Prænestini: contrarium enim verum est, illum in Ecclesia Cathedrali Bononiensi tunc regulari clericum fuisse, deinde ut strictiori sub regula vitæ institueret, ad Mortariense monasterium magna tunc sanctitatis fama redolens contendisse, id enim præter quod vetustissima illius monasterij tabularia testantur, comprobatur electio à Papiensibus de dicto Guarino in illorum Episcopum communi consensione facta, de qua nullus hæsitat, nec etiam ipse Mozzagrugnus, attestantibus vno ore historicis Papiensibus, qui de illius Ecclesiæ Episcopis scripserunt, nam quomodo tam vnanimi consensu in virum conuenissent, non optimè perspectum, notissimum, & probatum? aut quomodo nouissent, vel probatum habuissent, qui inter eos, vel apud illos nunquam steterit, sed nec ab illis aliquando visus fuisset? quid etiam opus habuisset fugæ præsidium quærere, ad Episcopale dignitatem recusandam, si non inter Papienses, sed apud Bononienses tempore illius electionis præfens fuisset?

Omitto, quæ de Episcopis Bononiensibus, præsertim de Gerardo Gisla ex eisdem Annalibus effluunt, quos non Rhenanos, sed vel S. Ioannis in monte, vel S. Victoris canonicos fuisse: certo certius liquet.

Hæc lógius, quàm animo statuerá, prosequi coactus sum, tum propter nonnullos, quia utoritate prædictorum Annalium freti, non pauca contra veritatem effundunt, tum ad cuiusdam autoris imposturam relegendam, & reuincendam, qui vt S. Guarinum à

Canonicis Mortariensibus ad Rhenanos transferret, librum Alphonsi Ciaconij de summis Pontificibus corrupit, dum post paginam 434. sublatis nonnullis paginis autoris, alias loco illarum reposuit. quo fit, vt eiusdè libri eodem anno, & loco ab eodem impressore, & sub nomine eiusdem autoris impressi exëplaria diuersa habeamus, in quorù altero B. Guarinus inter canonicos Mortariensium, in altero inter Rhenanos recèseat. quanquã qui figmentum meditatus est, Deo volente, citationem ex Augustino Ticinense ab autore positam reliquerit, quæ fraudem retegat, cum Augustinus Ticinensis, ex quo Surius, & ipse Ciaconius, B. Guarinum non inter Rhenanos, sed inter Mortarienses ponat. quod si rem diligenter attendas, in alijs etiam locis factum reperies, maximè vbi de Honorio II. & de Lucio II. agitur: nam post paginam 359. subducto ternione notato literis H h, in quo de Honorio II. autor scribit, illum canonicum Lateranensem fuisse, alium reposuit, in quo Rhenanum fingit, non aduertens in pagina immeditè præcedenti nu. 358 expressè scriptum: *Lambertus de Fagnano Canonicus Regularis Lateranensis.*

Tandem hæc congregatio euerso monasterio S. Mariæ de Rheno ab exercitu Ioanis Galeatij Ducis Mediolanensium amissis etiam monasterijs sanctæ Potentianæ, & sanctæ Mariæ Nouæ, & alijs circa annum 1418. vel sub anno 1430. in Francisco Ghislerio vltimo eiusdem cõgregationis canonico, & Priore s. Saluatoris Bononiæ eodem anno 1430. defuncto, extincta est, ipso monasterio Saluatoriensis canonicis Ambrosianis, siue Licetanis diuersi habitus, & obseruantia, nuper sub Gregorio XII. institutis, per Martinum V. concessa, qui illud in caput suæ ipsorum congregationis erexerunt.

Caput quadragesimumnonum.

De Congregatione Sanctæ Mariæ de Crescentiaco iuxta Mediolanum.



N Mediolanensi agro tertio circiter ab vrbe milliario, in loco, qui Orientem versus Crescentiacum vulgò Crescenzago nuncupatur, existente Oberto Archiepiscopo Mediolanensi circa annum Christi Seruatoris 1140. Quidam vir nobilis religiosus, & diues Ecclesiam in honorem Beatæ Virginis Dei Genitricis ædificauit, quam attributis prædijs, ac redditibus locupletatam, canonicis regularibus regendam obtulit. Primus enim canonicæ Præpositus fuit Dominus Otto de Morbijs nobilis Mediolanensis, sub quo, vt etiam sub alijs, qui eidem in regimine successerunt, canonicæ disciplinæ vigor adeo resplenduit, vt in Congregationem complurimum

Collegiorum illud Collegium breui excreuerit, ac in eo viri doctrina, & vitæ integritate præclari non pauci floruerint, qui ad gradus Episcopales, ac etiã Cardinalitios fuerunt assumpti. & licet dictum monasterium hostili inuasionem semel totum flagrauerit, & varia dispendia, & vastationes successibus temporum non semel sustinuerit, quibus ferè omnia illius authentica monimenta perierunt, & ob hanc causam non possit integer Catalogus locorũ dictæ Congregationis inueniri: adsunt tamen veridicæ, & authenticæ scripturæ, ex quibus constat, illud fuisse olim caput non ignobilis Congregationis secundum propria statuta viuentis, cuius Prælati ad ipsum monasterium S. Mariæ de Crescentiaco singulis annis in mense Maij ad celebrandum Generale Capitulum conueniebant. Monasteria prædictæ Congregationis, quæ ex illius ruinis erueri potuimus, hæc fuerunt.

Primum ipsum monasterium S. Mariæ de Crescentiaco, cuius Præpositus erat caput totius Congregationis.

II. Secundum sanctæ Mariæ de Cella prope Ianuam in loco, qui dicitur s. Petri de Arena, Huius monasterij Præpositus reperitur fuisse quidã Dominus Simon, antea Præpositus sanctæ Mariæ de Crescentiaco, circa annum 1200. vnde apparet fuisse monasterium satis vetustum. Verùm combusto monasterio de Crescentiaco, & canonicis destituito, soluta congregatione, etiam istud monasterium canonicis paulatim est destitutum, & aliquando per Sedem Apostolicam monasterio s. Benigni de Capite Phari prope Ianuam Ordinis s. Benedicti unitum, ita namq; in libro taxarum Cameræ Apostolicæ notatum inuenio. *Nota, quod monasterium sanctæ Mariæ de Cella extra muros Ianuenses Ordinis sancti Augustini valoris centum florenorum unitur monasterio sancti Benigni: & paulò post additur. nota quod monasterium sancti Benigni de Capite Phari est incorporatum monasterio sancti Hieronymi.* Cæterùm cum ipsum monasterium s. Benigni à monasterio s. Hieronymi sit separatum, ac etiam monasterium ipsum sanctæ Mariæ de Cella à monasterio sancti Benigni, nescio an dictæ vniones aliquando effectum fuerint sortitæ. Istud monasterium nunc tenent Venerab. Eremitæ Augustinenses, qui circa annum 1500. illud obtinuerunt, consentientibus canonicis regularibus, donec in eo regularis vigeret obseruantia, & ea cessante, locus ad ipsos canonicos reuerteretur. Ita Augustinus Ticinensis in Dilucidario par. 2. fol. mihi 31. & par. 3. quæ est de vita s. Augustini titulo 9. in tabula, vbi dicit, extare de hoc instrumenta apertissima, quæ quoniam ego non vidi, apud illum sit fides.

Tertium s. Georgij de Brinate prope Ticinum, in agro tamen Mediolanensi, quod Urbanus Papa huius nominis III. ex nobili familia de Cribellis in suo allodio paterno fundauit circa annum humanæ salutis 1180. & bona parte paternæ hæreditatis, ac alijs etiam prædijs pecunia emptis, & red-

ditibus plurimis attributis dotauit, & priuilegijs munitum Præposito, & canonicis de Crescentiaco regendum tradidit iuxta institutionem, & regulam dicti illorum monasterij, prout constat ex priuilegio, cuius hic exemplum pro teste subiicitur.

Urbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Præposito, & fratribus de Crescentiaco salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum vita præsens nimis sit fragilis, & caduca, ad futuram vitiuis nos conuenit desiderijs anhelare, quæ non nouit occasum, & bene merentibus præbet gaudia sempiterna. Sane si ex susceptæ administrationis officio tenemur alios ad opera Charitatis inducere, eis nos ipsos bonum præstare debemus exemplum, ut efficacior nostra predicatio fiat, cum à nobis fuerit opere comprobata. Ea propter dilecti in Domino filij consideratione supernæ retributionis inducti, Ecclesie sancti Georgij de Brinate, quæ in allodio nostro paterno fundata est, & omnibus possessionibus destituta, vniuersas possessiones siue à Monialibus de Charono excepto Portu, & glareâ, siue à Monachis sancti Vincentij, aut militibus de Archonate vel à militibus de Dugnano emimus, sicut in instrumentis factis de his continetur, & possessiones etiam, quas apud locum ipsum de Brinate Germani nostri quietas nobis, & liberâs dimiserunt, & possessiones insuper, quas apud casale comparauimus, sicut in instrumento authentico continetur, largitione perpetua duximus concedendas, ut eadem Ecclesia fiat canonica Regularis.

Statuimus igitur, ut de Collegio Ecclesie vestre sit in ipsa Præpositus, & tantus canonicorum numerus, quantus de facultatibus ipsius Ecclesie possit commodè sustentari. Et ut in ipsa Ecclesia sancti Georgij ordo canonicus secundum Dei timorem, & Beati Augustini regulam, atque institutionem vestram perpetuis temporibus inuolabiliter obseruetur, & ut vnus presbyter illius Ecclesie ad hoc sit omni tempore specialiter deputatus, ut pro animabus parentum, & domesticorum nostrorum, & pro alijs fidelibus defunctis, necnon etiam pro salute nostra singulis diebus, quibus de generali consuetudine conuenienter id facere possit, missarum solemnias cantet. Præposito autem præfate Ecclesie, qui pro tempore fuerit, decedente, fratres eiusdem Ecclesie de seipsis, si inter eos idoneus repertus fuerit, aut de Collegio fratrum vestrorum sibi Præpositum eligendi liberam habeant facultatem: ita tamen, ut electus à Præposito, qui in Ecclesia vestra pro tempore fuerit, sicut canonicum est, debeat confirmari. Statuimus etiam, ut eadem Ecclesia sancti Georgij de Ordinis obseruantia Ecclesie vestre, sicut filia matri respondeat, eiq; debitam obedientiam exhibeat, & honorem; & Præpositus Ecclesie vestre in Ecclesia illa correctionem habeat Regularem, ita tamen, ut fratrum eiusdem Ecclesie sancti Georgij, si quando defuerint, supplere teneatur aliorum subrogatione defectum. Verùm ut fratres illius Ecclesie liberius obsequijs possint vacare diuinis, & regularem

larem ordinem obseruare, ipsos & eorum Ecclesiam ab omni inuisione Corbete, & Dairagi plebium autoritate, qua donante Domino, præminemus, eximimus, & ab omni grauamine Mediolanensis Ecclesie liberam decernimus, & immunem. Itaq; prædictis plebibus quidquid iuris aliquando sibi in Ecclesia illa vendicare, aut Mediolanensis Ecclesie in ipsa exactionem quamlibet exercere minimè liceat, eoduntaxat exceptio, quod Mediolanensi Archiepiscopo annuam libram cere nomine census in ipsa Ecclesia sancti Georgij reseruamus, ut ab eo Canonicis ipsius Ecclesie oportuna defensionis auxilium in suis necessitatibus impendatur. Si verò Archiepiscopus eandem Ecclesiam contra statutum nostrum malitiosè aliquo tempore molestauerit, ex tunc eam non solum in alijs, sed etiam in solutione census à persolutione ipsius exemptam fore statuimus, & sicut specialem filiam ad ius, & proprietatem Romanæ Ecclesie saluo iure Ecclesie nostræ liberè deuoluendam. Germanis autem nostris, & eorum heredibus ius patronatus in ipsa Ecclesia reseruamus, ut eam in suis iustitijs defendere teneantur: non tamen ut in ipsa quidquam sibi aliud vendicare debeant, nisi quod Ecclesiarum fundatoribus in eisdem Ecclesijs secundum sacrorum Canonum statuta debentur, videlicet ut si quis eorum ad conuersionem fratrum eiusdem Ecclesie sancti Georgij aliquando transire uoluerit, in consortium illorum recipi debeat, vel si uergeret ad inopiam, non ex debita, sed ex gratia Charitatis ei secundum facultates Ecclesie subsidium conferatur. Ut igitur constitutio nostra superijs inuiolabilem firmitatem obtineat, sub interminatione auidetatis inhibemus, ne quis eam infringere audeat, vel in aliquo diminuere, sed omnia sicut prædicta sunt, futuris temporibus obseruentur. Si quis autem huius nostræ Constitutionis paginam temerè violare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Verona 7. Calend. Decemb. 1186. Pontificatus anno primo. Hoc monasterium post varios casus cum esset clericis secularibus per aliquot annos commendatum, nostræ Congregationi fuit vnitum, sicut lib. sequenti dicemus.

III. Quartum S. Mariæ de Cumignago in Nouariensi Episcopatu, cuius reperitur fuisse Præpositus quidam Dominus Ambrosius canonicus monasterij de Crescentiaco, referente Ioanne Philippo nostro in Chronicis lib. 3. cap. 38. quem tamen reprehendit Carolus à Basilica Petri Nouariæ Episcopus in sua Nouaria, quod hoc monasterium ad Verbanum ripam prope Bauennum statuerit, cum potius in Vicariatu Burgi Manerij statuendum esset, ibi loci, ubi Cominiacum dicitur, ubi antiquæ Præposituram canonicorum regularium sub titulo sancti Spiritus extitisse vetera quædam monumenta nunc etiam demonstrant. Verum an idem esset monasterium, de quo Ioannes Philippus, cum eo, qui Cominiaci in Vicariatu Burgi Manerij extitisse dignoscitur, mihi incognitum, maximè quod alte-

rum illorum titulo S. Mariæ, alterum sancti Spiritus appellatum inueniatur. quare si corrigendus est Ioannes Philippus, non solum quoad locum, verum etiam quoad titulum Ecclesie corrigi debet.

Quintum S. Mariæ de Marcelengo cuius certum locum reperire non potui, nisi quod fuit monasterium Congregationis canonicorum Crescentiaci, & illius Præpositus fuit quidam D. Trogerius antea Præpositus ipsius monasterij de Crescentiaco, referente Tibicensi, & Ioanne Philippo in Chronica loco proximè citato. qui Tibicensis ait hunc Trogerium sub Lucio II. Præposituram tenuisse, sed pro Lucio II. Lucio III. reponendus.

Floruit dicta congregatio potissimum circa tempora Urbani Papæ III. & aliquot annis postea, quibus temporibus habuit viros insignes D. Thomam, & D. Albinum S. R. E. Cardinales, Iacobum de Clusiani Præpositum S. Georgij de Brinate, de quo illud memoria dignum prodicitur, quod refert Ioannes Philippus noster lib. 7. cap. 14. quod cum esset vir magnæ sanctitatis, & liberalitatis erga pauperes, quodam tempore magnæ famis, & sterilitatis omnia, quæ habere poterat, pauperibus distribuebat, vnde cum quadam die accessisset ad eum quidam rusticus pauper, & cum lacrymis procidens ad pedes illius diceret, miserere mei Domine Præposite. en fame morior cum filijs meis, iussit Procuratori parum frumenti, quod solum in horreo pro necessario victu canonicorum seruabatur, pauperi dari, & renuente Procuratore, dixit ei, Vade, spero enim in Domino, quod triticum in horreo præparatum inuenies. qui dicto obediens iuit, & horreum adeo plenum inuenit, ut præ quantitate frumenti ostium non posset aperiri. & alios plures Præpositos insignes habuit, quorum catalogum, licet non integrum, iisdem Tibicensis, & Iacobus Philippus describunt. videntur autem Præpositi monasteriorum dictæ congregationis non perpetui in suis monasterijs stetitisse, sed de vno ad aliud monasterium transire consueuisse.

Demum hæc congregatio nescio quo tempore soluta est, duobus illius monasterijs nostræ Lateranensi vnitis.

Caput quinquagesimum.

De Cōgregatione Canonicorum Regularium D. Marci apud Mantuam.



Vit etiam in ordine Canonico Congregatio, quæ nostro seculo excidit, quæq; à proprio capite S. Marci de Mantua vocabatur, quanquam rectius nouus ordo canonicorum ab Augustiniano distinctus, quàm distincta congregatio canonicorum in ordine Diui Augustini vocari posset, ut ex dicendis apparebit. De hac Congregatione multa scribit Iosephus Mozzagrugnus post Augustinum Mamphridum,

Qq iij & lo

& Ioannem Baptistam Signium, nempe canonicos dictæ congregationis fuisse de illis à Diuo Marco Euangelista in Alexandria, & ab Hermagora in Ecclesia Aquileiensi institutis, & ab illis propagatis. fuisse etiam canonicos ordinis sancti Augustini, sicut sunt, & fuerunt alij cathedrales, & monasteriales clerici (illius verbis utitur) Tertio illorum mentionem habitam fuisse ab antiquis. Quarto quod deferebant scapulare super rochetto ad modum scapularis canonicorum regularium sancti Saluatoris de Bononia, & hoc dicere Ioannem Andream clementina prima de electione, & alia plura, quæ apud illum lib. 1. fol. 36. 46. 53. 58. & lib. 3. fol. 33. & alibi passim legi possunt. quæ illius pace voluntariè, sine fundamento, & contra veritatem sunt dicta, cum rei veritas sit, dictos canonicos sub Innocentio Tertio fuisse primitus institutos, non autem ex illis per Diuum Marcum institutis propagatos, & nullam eorum mentionem apud antiquos auctores prorsus habitam, præsertim apud Ioannem Andream in dicta clementina prima de electione, sed nec etiam alibi, quantum in omnibus eius libris maximo labore lustratis, videre potui, sed nec etiam in toto corpore iuris Pontificij, nisi semel in quadam additione ad glossam in cap. ex eo. de electione in 6.

Vera itaque dictæ congregationis, siue ordinis institutio, & fundatio ex authenticis scripturis in monasterio sancti Marci Mantuani labore, & sollicitudine R. P. D. Angeli Scarellæ Brixienfis nostræ congregationis canonici prædicatoris, & sancti Saluatoris Brixie Abbatis, dum esset à sacris confessionibus canonicarum beatæ Virginis Annuntiatæ apud Mantuam, tandem post multam inquisitionem inuentis, & ad me transmissis, hæc est. Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quarto, sedente Coelestino Tertio Romano Pontifice, existente Episcopo Ciuitatis Mantuæ Henrico, Venerabilis sacerdos Albertus Spinula alias de Formigola vir pius, & religiosus habita potestate à Sede Apostolica erigendi collegium canonicorum regularium secundum ordinem Diui Marci, vineam quandam ab Abbate sancti Andream ad monasterium instituendum obtinuit, propeque erat facellum de iure patronatus. quorundam nobilium ciuium Mantuanorum, sanctæ Mariæ in Menticale nuncupatum, cum duobus iugeribus terræ, quæ omnia pro ædificanda Ecclesia, & canonica ab Abbate, ac dictis ciuibus sunt collata: alij etiam prædijs, & redditibus ab eisdem nobilibus pro victu, & sustentatione canonicorum ibidem instituendorum attributis. quam collationem Coelestinus Tertius suo diplomate anno eodem emanato firmavit, quo anno ab Henrico Episcopo de more positus fuit primus lapis fundamentalis Ecclesiæ, & monasterij sancti Marci, certis legibus, & conditionibus à donatore fundi adhibitis, quarum una extitit, vt dicta Ecclesia nulli vnquam Ecclesiæ subijceretur, aut vniretur, sed ipsa esset caput ordinis sancti Marci nuncupati, salua tamen obe-

dientia, & reuerentia Episcopi Mantuani, quæ leges per Episcopum Mantuanum, & Sedem Apostolicam fuerunt confirmatæ: exinde coeperunt in dicto loco boni propositi clerici sub canonica institutione congregari, ex quibus fuerunt in primis venerabilis ipse sacerdos Albertus, & nobilis quidam, qui fundum ad Ecclesiam, & monasterium extruendum fuerat largitus. quibus, quod certam regulam non haberent, idem presbyter Albertus regulam scripsit, quam Innocentius Tertius anno 1204. sibi oblatam probauit, illisq; inuolabiliter seruandam iniunxit. Quam regulam Honorius III. post Generale Concilium Lateranense iterum examinatum, & correctam confirmauit, & seruandam mandauit. Idem etiam Gregorius Nonus Honorij successor egit: quæ habentur ex literis Gregorij Noni, quibus eadem Regula à prædictis Romanis Pontificibus examinata, & probata iterum confirmatur. Exemplum literarum est.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Prioribus, & collegijs Ecclesiarum orationis sancti Marci Mantuani tam presentibus, quam futuris hanc regulam professis in perpetuum. Pæ postulatio voluntatis effectu detur prosequente compleri, vt & sacre Religionis vigor succrescat robrius, & deuotionis sinceritas laudabiliter emittat. Et propter dilecti in Domino filij vestris postulationibus inclinati regulam, quam deliberatione prouida statuentes communiter approbastis, à felicis recordationis Innocentio Papa prædecessore nostro vobis fratribus sancti Marci dudum roboratam ante Concilium Generale, ac de mandato beate mem. Honorij, & Gregorij Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum in quibusdam ad petitionem vestram, secundum quod vobis magis expedire viderunt, correctam, & emendatam, quibusdam postmodum de nostro mandato exinde vobis petentibus demptis additis, & commutatis, vobis & omnibus regulam ipsam profitentibus confirmamus, & presentis scripti patrocinio communitus. cuius tenorem presentibus literis annotari fecimus, qui talis est.

Regula.

Quoniam fauente Domino nos Priores, & conventus Ecclesiarum ordinis sancti Marci de Mantua vni Domino seruire, vniq; Regi disposuimus militare, volentibus nobis sanctorum Patrum imitari vestigia, vnum præcipue necessarium est, vt omnibus nobis sit cor vnum, & anima vna in Domino, & vnius moris habitemus in domo Domini militante, vt sic peruenire mereamur ad illam vniam, quam Propbeta in triumphante domo Domini postulat possidere. quod quidem vt possimus facilius obtinere, ad honorem Dei, ac Virginis gloriosæ, aliorumq; sanctorum regulam canonicam, prout inferius descripta est, ordinauimus à nobis, nostrisq; successoribus secundum infirmitatem nostram perpetim obseruandam. Sequuntur autem capita ipsius regulæ num. 32. Primum de silentio, Secun-

Secundum de proprietate aliqua non habenda. Tertium de dispensatione ieiuniorum. Quartum de ieiunijs infirmorum. Quintum de abstinentia ciborum. Sextum de numero pulmentorum. Septimum de Dormitione meridiana.

Octauum Caput est de vestimentis canonicorum scilicet: *Sufficiant cuilibet clericorum una cappa, una costa linea, duo scapularia lanæ, due tunica, unum scapulare pelliceum, siue una pellis, & unum pelliceum, siue Ruppæ. Verumtamen in arbitrio sit, pro ruppæ tertiam tunicam fratribus possidere, & nulla vestis pellicea habeatur, nisi ouina, vel agnina mediocriter crossa. Item due flaminea. poterit tamen Prior pro flamineis camisas de panno supero crosso concedere, quibus viderit expedire. Item duo femoralia, due caligæ lanæ, & quatuor lineæ sine pedulibus, quatuor scuffones, & duo subtilares, & due botæ filrate, & duo pilei lanæ, vel pellicei. Nonum Caput est de vestimentis Conuersorum scilicet: *Conuersis prædicta sufficiant vestimenta, cottam tamen, & botas non habeant, nisi pro aliqua rationabili causa botæ concedantur alicui a Priore. Singulis tamen eorum pro botis par unum conceditur scapellorum. Decimum Caput est de qualitate vestimentorum: Omnia verò lanæ indumenta sint naturalis coloris, & non tincta. De Grossitudine vestium nullus murmuret. nec interdicitur vestimenta de panno lana, linoq; contexto &c. Vndecimum est de concedendis vestibus. Duodecimum de loco & tempore vtendi cottis scilicet: *Non liceat vti cottis, nisi in Capitulo, & in Choro in diuinis officijs, & in obsequijs circa altaria exhibendis. Decimum tertium de labore canonicorum. Decimum quartum de labore Conuersorum. Decimum quintum de personis non recipiendis in collegijs. Decimum sextum de forma seruanda in facienda professione: Scilicet ei exponantur Capitula Regule, quæ seruare debet, & dicatur ei. Ecce Regula, quam tenere debes. Si vis eam seruare, ingredi, si non vis liber discere &c. Sequuntur alia capitula, & præcipitur, vt regula saltem semel in mense coram fratribus legatur.***

IV. **E**Xtant in suprascripto monasterio Diui Marci authentica multorum Priuilegiorum Innocentij Tertij, Honorij Tertij, Gregorij Noni, Innocentij Quarti, Alexandri Quarti, Gregorij Decimi, & aliorum, quibus hic ordo Diui Marci communitus multis collegijs tum canonicorum, tum etiam canonicarum Mantuæ, Veronæ, Vicentiæ, Patauij, Venetijs, Patinæ, Regij, Cremonæ, & alijs Ciuitatibus Lombardiæ, ac etiam Romanodiolæ fuerat propagatus, & dilatatus, ex quibus quæ ad meam notitiam deuenierunt, hæc erant.

Primum monasterium ipsum Diui Marci apud Mantuam anno 1194. inchoatum, & anno 1201. vt videtur, absolutum, vel saltem in formam monasterij redactum, vt colligi potest ex quodam instrumento concordie initæ inter Abbatem sancti Andree, & presbyterum Albertum dicti monasterij fundatorem rogato anno 1201. indictione quar-

ta in claustro monasterij s. Andree per Grascendum publicum notarium Mantuanum.

Secundum sancti Viti in Suburbio sancti Georgij, quod habebat vnitum aliud collegium canonicarum eiusdem ordinis. Illud monasterium cum ad duos canonicos sub Priore, & duas canonicas esset redactum, anno 1459. Pio Secundo Pontifice, ad instantiam Illustrissimæ Domine Barbaræ Mantuæ Marchionissæ iubente, ex certis causis exactis canonicis, & canonicis, per nostros Lateranenses fuit reformatum, qui nunc illud tenent.

Tertium sanctæ Mariæ de Credaro nuncupatum in eadem ciuitate Mantuæ.

Quartum sancti Matthæi foris portam dictæ ciuitatis Cerasorum appellatam.

Quintum sancti Spiritus eiusdem ciuitatis, quod potius erat hospitium ad Generale Capitulum in eadem ciuitate congregandum ædificatum.

Sextum sancti Leonardi in Monte Donico apud Veronam, quod canonicis destitutum, & multo ære alieno obpignorum ad instantiam Ciuium Veronensium sub Gregorio Duodecimo, anno 1407. per nostros fuit reformatum, & in Abbatiam erectum.

Septimum sancti Spiritus in ciuitate Veronæ, cuius in literis Honorij Tertij Prioribus sancti Marci, & sancti Spiritus Veronæ, & quibusdam alijs dicti ordinis directis mentio habetur, datæ sunt literæ anno 1218. vnde colligitur istud de primis dicti ordinis monasterijs extitisse.

Octauum sanctæ Mariæ Castri Icerini Diocesis Veronensis, quod in margine earundem literarum Honorij Tertij inuenitur notatum.

Nonum Domus Religionis ciuitatis Patinæ, de qua in titulo earundem literarum Honorij Tertij similiter mentio habetur.

Decimum sanctæ Perpetuæ ciuitatis Fauentiæ, cuius eodem literæ meminerunt.

Vndecimum sancti Eusebij de Serratico Vicentiæ Diocesis, in eisdem literis memoratum.

Duodecimum sancti Bartholomæi in ciuitate Vicentiæ suburbio, quod cum esset destitutum, & commendatum, anno 1443. Eugenius Tertius nostris concessit, quod postea in Abbatiam fuit erectum.

Decimum tertium sanctæ Mariæ de Pane in Saeco Vicentiæ Diocesis, quod antea eidem Prioratui sancti Bartholomæi vnitum Eugenius Quartus cum dicto Prioratu nostris tribuit, constat ex literis vnionis.

Decimum quartum de Nesso nuncupatum in Episcopatu Patauino, meminere Syluester Maurolicus in dicta Congregatione Diui Marci pagina trigesima sexta.

Decimum quintum sancti Antonij castri Cornelianum in Episcopatu Cenetensi, quod videtur habuisse coniunctum aliud collegium canonicarum dicti ordinis, quod nostræ congregationi est vnitum per Sixtum Quartum anno 1479.

Decimum sextum s. Marci in ciuitate Regij Lepidi, quod tenuerunt canonici dicti ordinis vsque ad

annua

annum circiter 1497. quo anno defuncto illius Priore, qui solus in dicto monasterio ex eodem ordine superstes erat, illud canonicis s. Saluatoris Bononiensis fuit unitum. Prædictus Prior pro recuperando monasterio s. Viti contra congregationem nostram litem attentavit, ex Actis, quæ in Archivo Romano legi.

Decimum septimum S. Pelagiz prope Cremonam, cuius fuit Prior Marcus Hieronymus Vida, qui postea ad nostros transiens, tandem Albæ Episcopus obiit, Poëta inter Latinos cum primis clarus.

Decimum octauum, In ciuitate Venetiarum, cuius tamen titulum habere non potui, in qua etiam erat collegium canonicarum dicti Ordinis, quod s. Mariæ de Virginibus dicebatur. Nec dubium alia plura dicti ordinis tam canonicarum, quam canonicorum collegia extitisse, quorum nomina cum illis exciderunt.

V. **P**orro circa dictam congregationem animaduertendum, illam à nobis inter congregationes Ordinis D. Augustini numeratam, non quòd eius canonici ab illorum institutione fuerint sub D. Augustini Regula, vel à canonicis antiquis Augustinianis, vel à D. Marco descendentes primitus instituti: sed quia secundum institutionem antiquorum canonicorum Apostolicorum ille ordo in identitate habitus ex cõcessione Apostolica primitus fuit fundatus: nam quòd ab initio dicti canonici B. Augustini Regulam non haberent, patet ex modo profutendi, & ex Regula, quam profitebantur, quæ non erat Regula B. Augustini, sed ab illis compilata, & per Sedem Apostolicam examinata, emendata, & approbata, & quòd sufficit ad omnem dubitationem excludendam, hic ordo D. Marci in literis Apostolicis ponitur diuersus ab ordine D. Augustini: adeo, vt non posset in eodem collegio, vel monasterio vnus ordo institui, altero manente, sed ad institutionem vnus, destructio, & extinctio alterius ordinis necessario sequebatur, vt constat ex literis vnionis Prioratus sancti Viti Mantuani cum nostra congregatione Lateranensi, in quibus hæc inter alia leguntur. *Ordinem sancti Marci in ipso Prioratu penitus, & omnino supprimimus, & extinguimus; in eoq; deinceps perpetuis futuris temporibus ordinem canonicorum regularium ordinis sancti Augustini huiusmodi dictæ congregationis vigere debere, decernimus.* Quæ verba leguntur in alijs literis vnionum quorundam aliorum monasteriorum dicti Ordinis cum nostra congregatione.

VI. **A**duertendum secundo dictos canonicos, licet ab initio Regulam D. Augustini non assumpserint, illam tamen progressu temporis assumpsisse in quadam eorum reformatione, quæ facta est ante annum Domini 1452. cuius reformationis sub Regula D. Augustini meminit Pius II. in quodam Breui concessio anno 1459. Ludouico Aldegato antea Priori Prioratus s. Viti, postea eodem anno translato ad Prioratum s. Marci, ac exinde assumpto ad Episcopatum, qui tandem Mantuæ obiit in eadem Ecclesia s. Marci sepultus, & epitaphium accepit.

Aduertendum tertio falsum omnino, quòd Augustinus Mamphridus, Ioannes Baptista Signius, & Iosephus Mozzagrugnus passim comminiscuntur, dicti Ordinis canonicos scapulare super veste linea ex illorum institutione ferre consueuisse, saltem loquendo de scapulari eius formæ, cuius canonici sancti Saluatoris Bononiensis nunc deferunt, siue albi, siue nigrum: nam scapulare dictorum canonicorum non erat hastatum, sed ad formam cappuciorum, quæ antiquitus à canonicis tum Regularibus, tum secularibus ferebatur, antequam illi cappas chorales ex priuilegio Apostolico sumerent, & nunc etiã multi canonici seculares, & in quibusdam Ciuitatibus parochi, & Lucæ nostri canonici Frigidiani super humeros deferunt, quidam lanæ, quidam verò pelliceæ, quæ olim super scapulas ad illas tegendas ferebantur. de quibus Benedictus XII. in generali canonicorum reformatione cap. de Honestate, & forma habitus, & vestimentorum. & istud fuisse scapulare canonicorum dicti Ordinis monstrat verba ipsa illorum Regulæ cap. 8. cum tribuit cuique canonico duo scapularia lanæ, & vnum scapulare pelliceum, & clarius Rituale, seu Cæremoniale dicti Ordinis, vbi ritum admittendi ipsos canonicos tum ad habitum probationis, tum professionis præscribit: nam quòd in Regula vocatur scapulare, in dicto Cæremoniali semper cappucium nuncupatur, quòd album esse iubetur. Habeo ego Regulam cum priuilegijs, & Rituali ex libro vetustissimo in pergamento, qui in monasterio sancti Marci Mantuæ seruatur, manu Notarij publici fideliter exemplata.

Quòd verò prædicti Autores addunt, scapulare VII. re fuisse habitum antiquum canonicorum, quos D. Marcus Alexandria instituit, quòd dicti canonici cum vsque ad annum 1516. detulissent, suadentibus quatuor canonicis Lateranensibus, qui ad illos descuerant, in almutiam commutauerunt, voluntariè dictum est, & nec cum veritate, nec cum dictis autoribus consentit, si de scapulari canonicorum Saluatoriensium id intelligi velint. nullus enim canonicorum Regularium ante annum 1408. eiusmodi scapulare detulit, multò minus antiquiores canonici, quos iidem autores suimet ipsorum obliti fatentur, tunc primum scapulare sumpsisse positis almutijs, cum canonici seculares ipsas almutias assumere voluerunt. lege Ioannem Baptistam Signium lib. 1. cap. 9. & Mozzagrugnum lib. 1. fol. 36.


Tandem hæc congregatio cum aliquot seculis floruisse, & multos viros probitate insignes habuisset, paulatim deficiens, ob eam præcipuè causam, quòd illius prælaturæ clericis secularibus conferri, vel commendari cõpissent, nostra ætate penitus fuit extincta: Monasterio D. Marci, quòd totius Ordinis erat caput, monachis Camaldulensibus per Sedem Apostolicam collato, & Abbatiali dignitate decorato.

Ex hoc Ordine prodijt superiori seculo præclarus Poëta Virgiliani carminis imitator incomparabilis, qui primus ferè omnium Poëtarum vitam, mortem,

montem, & resurrectionem, aliaq; Seruatoris nostri gesta ex quatuor Euangelijs collecta sublimitate carminis Virgilianæ maiestati proxima felicissime cecinit, vt Sixtus Senensis in sua Bibliotheca scribit, qui illam inter Lateranenses censer, quod ex ordine Diui Marci ad nostros transferit obrento Prioratu sancti Syluestri montis Compatrium in Diocesi Tusculana, qui erat membrum canonice nostræ sanctæ Mariæ de Pace.

Caput quinquagesimum primum.

De Congregatione sancti Saluatoris de Bononia, siue de Sylua lacus nuncupata.

I.  St apud Italos in eodem ordine canonicorum regularium Diui Augustini alia congregatio sancti Saluatoris de Sylua lacus, siue de Bononia, vulgo Scopetorum, nuncupata. de cuius incijs, progressu, familiarijs, & viris illustribus, quos olim habuit non paucos, cum multa ex varijs autoribus conquesta diligentius recurrem, peruenit ad manus meas liber recens à Iosepho Mozzagrugno eiusdem instituti canonico editus, siue potius volumen octo libros complectens, sub hoc titulo: *Narratio rerum gestarum canonicorum regularium*. quem ex integro lectum, pleraque omnia ad hanc congregationem attinentia tractasse reperi. Quam ob causam ea solum referenda existimaui, quæ ille met cum suo Ioanne Baptista Signio de eadem congregatione scribit, reseruata facultate nonnulla corrigendi, quæ illi suos fines excedentes contra veritatem in aliorum præiudicium scripserunt, ac etiam notas abstergendi, quibus idem autor quosdam nostros Lateranenses indebitè aspergit, quod libro sequenti cum omni modestia, & moderamine inculpatæ tutelæ præstandum erit.

Autor huius præclarissimæ congregationis fuit venerabilis Pater Stephanus Cioni Senensis Ioannis filius ordinis eremitarum Coadiutore Iacobo Andrea Senensi eiusdem instituti, quem Stephanus virum sanctum vocat noster Ticinensis in suo Dilucidario par. 2. de origine, & procursu Christianarum Religionum, hæc formalia verba scribens: *Ordo canonicorum regularium, qui vulgariter Scopetini nuncupantur, in Senensi agro sancti Saluatoris à Venerabili viro Stephano fuit institutus, cui coadiutor fuit frater Iacobus Andrea natione Senensis, ordinis eremitarum. nam cum diuturna altercatione cum Generali suo concertasset, ob id maxime, quod cum in monasterio suo aliquem inueniret bonis moribus, & literatura eductum, è vestigio ipsum sibi auferebat. Ipse vero sanctus vir zelo permotus, cernens hoc non cedere in profectum ipsis inuenibus, post longam habitam secum concertationem, compulsus est, annuente Pontifice, habitum mutare, ut*

vel sic abdicaretur à suo Generali, vel dicendum huius congregationis autorem Gregorium Duodecimum Romanum Pontificem extitisse, quod auctori magis placet, quippe qui eidem Vener. Stephano, ac socijs monasterij Ilicetani sancti Saluatoris antea eremitis Augustinensibus habitum canonicorum regularium sua apostolica autoritate tradiderit, ac illos ex Eremitis Augustinensibus Regulares D. Augustini canonicos creauerit, & illorum demum extincto ordine eremitarum, monasterium canonicorum instituerit, quæ in idè recidit, vt opus nullatenus sit pro huiusmodi tumultuarijs

II. **L**ocus institutionis monasterium sancti Saluatoris in agro Senensi ad tertium circiter lapidem ab Vrbe distans, qui ab Ilicum multitudinè, & à lacu propinquo Ilicetum, & de Sylua lacus est nuncupatus. fertur is locus vetustum domicilium Eremitarum extitisse, quem fortè ante Alexandrum Quartum Gulielmum colebant: postea vero Eremitæ Augustinenses illum vsque ad Greg. XII. tenuerunt.

Tempus institutionis fuit annus nostræ salutis 1408. quo anno priuilegium primum Gregorij XII. per quod Eremitas Ilicetanos ad canonicos transtulit, legitur emanatum.

Occasio verò istius nouæ institutionis à præfato autore duplex asseritur: altera nõ vera, quod nimirum tpe ipsius Gregorij XII. totus ordo canonicus esset collapsus, itaut nulli essent tunc canonici regulariter, & conuentualiter in monasterijs degentes, vouissetq; idem Pontifex, si sublato diro schismate pacè Deus Ecclesiæ redderet, ipsum ordinem canonicum reformare: atque ob eam causam, scilicet ad canonicum ordinem reparandum, & reformandum, dictam congregationem instituere voluerit, cuius habitum, nempe scapulare grisuem, idem Pontifex sub habitu Pontificali ex voto ferre consueuisset, quam causam falsam esse cap. 53. demonstrabimus. Altera vera, quam idem autor lib. 5. fol. 7. & sequentibus prosequitur, & ibidem videri poterit, quam omitto, ne sim prolixior.

III. **M**odus verò, quo negotium ad finem perductum est, ab eodem autore eodem lib. fol. 11. & sequentibus in hunc modum subiungitur. Ven. Pater Stephanus acceptis à Gregorio XII. literis, quibus monasterium Ilicetatum in conuentum canonicorum Regularium erigebatur, & ipsi Eremitæ canonici creabantur, ad suos reuersus seriem gestorum exposuit, & literas Pontificias publicauit, quatum hoc est exemplum.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Excitat nostra mentis arcum specialis, & affectuosa dilectio, qua domum Prioratus s. Saluatoris de Sylua lacus ad Romanam Ecclesiam nullo modo pertinentem Ordinis s. Augustini Senensis diocesis sumus hæcenus profectus, & pæterno prosequi studio non cessamus, vt circa statum eius attente considerationis insuitum dirigentes, opè impendamus, & operam, vt illa ad Dei laudem, & gloriam non solum in suis bonis, & iuribus conseruetur.

tur, sed etiam prosperis iugiter gratuletur euentibus, & votiuis fauente Domina in spiritualibus, & temporalibus successibus augeatur. Hinc est, quod nos motu proprio, non ad dilectorum filiorum dicta domus, quae haecenus Ordinis fratrum Eremitarum, dicta s. Augustini existit, vel alicuius alterius pro ipsis nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia eandem domum in Prioratum Conuentualem auctoritate Apostolica erigimus, per Priorem sub conditione, & modo infra scriptis, perpetuo gubernandam. Volentes, & eadem auctoritate statuentes, quod ipsi fratres actu in eadem domo residentes, eorumque successores, qui erunt pro tempore, canonici Regulares, & secundum regularia instituta huiusmodi canonicorum regularium deinceps vivere, & fratres sancti Saluatoris nuncupari debeant. Et quorum quilibet sub scapulari rochetum, superius autem cappam grisei coloris laneae mordensis ad instar capparum conuersorum Carthusiensis ordinis gestent, qua quidem cappa & ipsi fratres utantur, cum eos exire contigerit septa Prioratus, seu domus huiusmodi ad populum siue turbam. nec non Prioratus, siue Domus huiusmodi cum eisdem fratribus, & conuersis, ac personis in ea degentibus presentibus, & posteris cum omnibus membris, nec non bonis mobilibus, & immobilibus ipsius domus, siue Prioratus ad Domum, siue Prioratum huiusmodi tam ratione domus, siue Prioratus, quam personarum huiusmodi quomodolibet pertinentibus, ac deuolutis, & deuoluendis pro tempore ab omni superioritate, dominio, & potestate Prioris Generalis dicti Ordinis fratrum Eremitarum, nec non Episcopi existentis pro tempore, ac dilectorum filiorum Capituli Senensis, ac quorumlibet aliorum Superiorum secularium, & regularium auctoritate praedicta prorsus eximimus, ac totaliter liberamus, ita quod Prior Generalis, Episcopus, & Capitulum, & alij Superiores praedicti nullam possint in eos Visitationem, Correctionem, vel aliam iurisdictionem exercere, sed nobis & Apostolicae Sedi immediate sine subiecti. Et insuper presentibus adijcimus, quod ipsi canonici, seu fratres, qui regularem vitam coram deo in unum in regularium pro tempore professi fuerint, & sub eadem obseruantia Regulari dilectorum canonicorum regularium pro tempore in domo huiusmodi residentibus, possint, quoties opportunum fuerit, tamen iuxta regularia instituta canonicorum regularium, idoneum fratrem etiam eiusdem Ordinis professorem in Priorem eorum, & eiusdem domus eligere. Qui tamen postquam electioni de se factae praesiterit consensum, Diacono loco, vel eius Vicario in spiritualibus Generali, qui erit pro tempore, per electionem huiusmodi duntaxat debeat reuerenter, & humiliter praesentari: Qui postquam saliter praesentatus existierit, censeatur eo ipso a Sede praefata confirmatus, & ex tunc dictam Prioratum in eisdem spiritualibus, & temporalibus liberè, & licite valeat gubernare. Qui quidem Prior semper uno anno completo intelligatur absolutus, nisi tunc per maiorem partem eorundem fratrum domus praefata in electione dicti Prior-

is vocem habentium determinatum fuerit, ipsum Priorem in dicto debere Prioratus officio dominus eiusdem vltimè permanere. Quodque dicta Domus eius Prioris solatio destituta per mortem Prioris eiusdem, vel alio aliquo casu eadem vacatione contingente, quod durante vacatione huiusmodi praedictam officium per antiquiorem fratrem dicta Domus in Sacerdotia constitutum exerceatur, quousque noua electio alterius Prioris iuxta praefatum modum fiat, & ad effectum debitum perducatur. Volentes etiam, & auctoritate praefata canonicos eisdem Priori, & fratribus, siue canonicis, conuersis, & personis, quos pro tempore in domo huiusmodi residere contigerit (ut praesertim) quod ipsi potiri, & gaudere possint, & debeant liberè, & absolute omnibus Priuilegijs, Indulgentijs, Gratijs, & Exemptionibus, & Libertatibus eis haecenus, ac ordini fratrum Eremitarum, & canonicis regularibus huiusmodi, ac monasterijs, & locis eorum tam per Sedem praefatam, quam alias per quoscumque concessis, & quibus fratres Ordinis Eremitarum, ac ceteri canonici Regulares, ac eorum Domus, monasteria, & loca quomodolibet potiuntur, & gaudent. Et insuper volumus, & ordinamus, quod Ven. frater noster Antonius Episcopus Bononiensis Camerarius, ac dilecti filij Gabriel electus Senensis Thesaurarius noster, nec non & Ioannes electus Ragusinus eisdem Priori, & fratribus siue canonicis, conuersis, & personis de convenientibus constitutionibus, & norma viuendi pro conseruatione Prioris, & fratrum siue canonicorum, conuersorum, & personarum praedictarum provideant, & omnia alia, & singula faciant, ordinent, & disponant in praemissis, & circa ea, prout eis visum fuerit expedire. Decernentes ex nunc irritas, & inanes omnes processus, & excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, si quas forsitan contra haec quacunque auctoritate contigerit promulgari, & etiam ex nunc ratas, & firmas nullo modo habemus, quidquid per eosdem Camerarium, Thesaurarium, & electum Ragusinum in praemissis, & circa ea dispositum fuerit, seu quomodolibet ordinatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ecclesiasticae voluntatis, statuti, exemptionis, liberationis, adiunctionis, ordinationis, concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Dat. Luce 3. non. April. 1408. Pontificatus nostris anno 14.

His peractis, quod Pontifex noster S. R. Eccle. I. V. Six. Cardinales dictarum literarum executores constituisset, ut ipsis canonicis & eremitis nuper creatis constitutiones convenientes praescriberent, iidem Illicitani eisdem Stephanum, & Iacobum Andreæ cum mandatis Lucam remiserunt, qui venientes, ab ipsis Cardinalibus habitu canonicorum per Gregorium statuto, nempe rochetto, seu camissa Romana linea cum scapulari, & cappam grisei coloris ad instar cappe conuersorum monasterium Carthusiensium, & constitutionibus qua-

tuor-

tridecim Capitulis distinctis acceptis, cum potestate ceteros Ilicitanos de habitu canonico inuestiendi, ad monasterium s. Dominici Fesulanum regressi, illuc ceteros omnes Ilicitanos acciuerunt, & habitum canonicorum regularium, vno excepto Conuerso, auctoritate Pontificia induerunt, adstantibus valedicim eius, monasterij fratribus, & publico Notario die 28. Iunij eiusdem anni 1408. Atque omnibus ita peractis ad nouam canonicam Ilicitanam redierunt. Verum inimicus homo illorum quieti, ac profectui inuidens, in agro nouellæ illius canonicæ institutionis zizania superseminauit: nam nonnulli Procerum Ciuitatis præsidio fulti aduersus Priorē canonicorum, & Ven. fratrem Stephanum armati insurgentes, multis eos iniurijs, & persecutionibus affecerunt, ac demum facto impetu Magistratus Senensis, retentis omnibus illorum priuilegijs, scripturis, & bonis, eos violenter è monasterio pepulerunt. Quibus Summo Pontifici Gregorio XII. per Ven. Stephanum renunciatis, pius Pontifex eis ex intimo cordis compatiens, vt illorum saluti consuleret, ad eorum, & plurium nobilium Senensium instantiam nouis literis Apostolicis die 20. Nouemb. eiusdem anni 1408. Arimini confectis, eis ad primum habitum, & institutum Eremiticum redeundi potestatem fecit, eorundem statum Eremiticum, immunitates, & priuilegia, & cætera omnia, vt prius, restituens. Quarum literarum vigore ex decem illis nouis canonicis illico sex ad pristinum statum, & habitum Eremitarum reuersi sunt: alij duo Bononiã ad quandam Ecclesiam ab Antonio Corario Cardinali remissi: Stephanus verò cum socio Curiã Romanam secutus est, donec Ilicetano monasterio deplorato, Pontifex facultatem dedit vt vbicumque inuenirent locum licitum, & honestum, qui eis legitime pro illorum residentia conferretur, suscipere, in Prioratum conuentualem erigere, & liberè tenere valerent, dato eis priuilegio, cuius forma talis est.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Dudum siquidem per nostras literas Dat. Luca 3. non. April. Pontificatus nostri anno 2. excitante vestre mentis arcanum speciali, & affectuosa dilectione, qua Domum, & Conuentum Prioratus s. Saluatoris de Sylua lacus ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis Augustini Senensis diœcesis sumus hactenus profecti, paterno profectui studio intendimus incessanter, Nos motu proprio, non ad dilectorum filiorum fratrum dictæ Domus, qua hactenus Ordinis fratrum Eremitarum dictæ Augustini extitit, vel alicuius alterius pro ipsis Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de vestra mera liberalitate, & ex certa scientia eandem Domum in Prioratum Conuentualem auctoritate Apostolica ereximus, per Priorem sub nouis cõditionibus, & modis in ipsis literis insertis perpetuò gubernandã. prout in eisdem nostris literis seriosius consinetur. Cum igitur superexcrescente malitia temporis, peruersorũ debacchante proseruia nonnulli fratres Conuentus prædicti sub nostra deuotione, & fidei integritate degentes de præseni nequeant in Domo, & Con-

uentu huiusmodi habitare, Nos eisdem pio compatiens affectu, ac volentes paternæ protectionis suffragio subuenire, tenore præsentium eadem auctoritate concedimus, quòd vbicumque fratres ipsi locum inueniant congruum, licitum, & honestum, qui eis debite, & canonicè pro eorum residentia conferatur, acceptare, & suscipere, ipsumq; in Prioratum conuentualem huiusmodi habere, & recipere ad omnipotentis Dei gloriam, & honorem liberè, & licitè valeant tenere, eadem auctoritate in Prioratum huiusmodi locum ipsum per eos habendum, vt præmittitur, exigentes, ac statuentes auctoritate præfata, quòd fratres ipsi in eo valeant habitare secundum institutiones, & regulas per ipsas nostras literas sibi datas. Quodq; locus ipse per ipsos fratres habendus, & in Prioratum, vt præmittitur, erigendus, & fratres ipsi sub dictis modis, & regulis in alijs nostris literis, vt præmittitur, expressis degentes uti, & gaudere valeant exemptionibus, concessionibus, indulgijs, & huiusmodi literis, quarum tenores, & formas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, consentis, & annotatis. Constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis, erectionis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu &c. Dat. in ciuitate Austria Aquileiensis diœcesis Calend. Septemb. Pontificatus nostri anno 3. Gratias de mandato D. N. Papa.

Alia etiam priuilegia prædictus Pontifex eisdem canonicis adhuc sine certis sedibus vagantibus induxit, quæ priuilegia quoniam hic auctor queritur lib. 8. fol. 12. pag. 2. à nostro Sirenio in Compilatione Indultorum omiſſa, præter duo, quòd reliqua minus è re sua forent, ne illorum priuilegia nostris anteriora apparerent, quippe quod primum nostrum priuilegium canonicis Frigidionarijs, & Veronensibus à Gregorio XII. factum anno 1468. 5. Calend. Maij manauerit, cum primum illorum 3. nonas Aprilis eiusdem anni datum fuerit: quod tamen illius pacè frigidum est, quia nostrum datum est canonicis, & monasterijs tanquam antea reformatis, & institutis: illorum verò datũ fuit Eremitis in canonicos transformandis, vel saltem vt per idem priuilegium tunc, & nõ antea canonicis creatis, & præter illud priuilegium nostris Frigidionarijs, & Veronensibus à Gregorio XII. datum, aliud extet anno superiori eisdem Frigidionarijs concessum, ab eodem Pontifice datum Senis Idibus Decembris 1407. Pontificatus sui anno primo, quod dubium non est, illum vidisse, & ex industria præterisse, vt tamen occasiones querimoniarum tollantur, eadem priuilegia hic recensẽbo: non per extensum, sed per summam: quia tot scriptis librũ onerandi locus non vacat. Tertium igitur priuilegium datum est Caietæ Idibus Septemb. anno 1410. per quod omnia priuilegia tam in primo, quàm in secundo priuilegio concessa, eis confirmat. Incipit. *Sacra Religionis sub qua dilecti filij fratres seu canonici Prioratus ad Sylua lacus ad Romanam &c.* Quartum datũ est ibidem 14. Calend. Octob. Pontificatus sui anno 4. scilicet 1410. quo nonnullas In-

Rr dulgen-

dulgentias, & gratias spirituales eisdem indulget incipit: *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Priori, & Fratribus, seu Canonicis presentibus, & futuris Prioratus s. Saluatoris de Sylua lacus, &c.* Quintum datum est ibidem 12. Calend. Octob. eiusdem anni, per quod concedit eis facultatem deligendi Confessorem, incipit eodem modo sicut quartum. Sextum datū ibidem Idib. Ianuarij anno 1411. Pontificatus sui anno 5. quo Priori domus olim s. Saluatoris de Sylua lacus concedit facultatem absolendi ingredientibus illius congregationem à censuris, & dispensandi super irregularitatibus, incipit: *Deuotionis dilecti filij Prioris Congregationis &c.* Septimum datum ibidem Idib. Ianuarij anni 1411. Pontif. sui anno 5. quo eisdem Priori, & Canonicis iterum concedit facultatem eligendi confessorum, incipit: *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Stephano Priori congregationis canonicorum Regularium Prioratus olim domus s. Saluatoris de Sylua lacus Romana Ecclesia immediate subiecte Ordinis s. Augustini, & eidem congregationi salutem, & Apostolicam benedictionem. Eximia deuotionis &c.* Octauum quod ab Autore ponitur in ordine. Nonum datum est ibidem 8. Calend. Febr. Pontif. sui anno 6. scilicet 1412. per quod ipsi Stephano, & illius socijs canonicis cōcessum est, vt decem personas religiosas aliorum quorumcunque Ordinum ad se transire volentes, & cum illis regulariter viuere, ad habitū probationis recipere possent, non tamen ad professionē, nisi prius cōsulta Sede Apost. admitterēt, cuius priuilegij vigore nonnulli aliorum ordinum illorum sodalities adhererunt, ex quibus vnus fuit quidam Fr. Petrus Paulus Senensis ordinis Prædicatorum, incipit: *Syncera, & magna deuotionis affectus &c.* & hæc omnia priuilegia ipsis Priori, & Fratribus seu canonicis domus olim s. Saluatoris de Sylua lacus semper nuncupatis, seu illorum congregationi sic nuncupata cōcessa fuerunt, antequam aliquod monasteriū obtinerent, præter illud vnum s. Saluatoris, ex quo per vim Magistratus Senensis turbati, huc, illuc sine certis sedibus vagari cogebantur.

VI. **P**ostmodum verò anno eiusdem Gregorij XII. octauo adiuuante Illustriss. Guidone Antonio Urbini Comite idem Ven. Pater Stephanus, & socij Eremitorium s. Ambrosij prope Eugubium eodem Gregorio XII. concedente, obtinuerunt, quem locū tenuerant prius quidam Eremitæ, nullius tamen certi habitus, & regulæ, quibus postea Episcopus quidam Eugubinus certum habitum dederat, & Regulam D. Augustini, & Eremitas s. Ambrosij vocari mandauerat: quem locum extincto Eremitarum ordine, idem Gregorius in Prioratum canonicorum regularium erexit, vt patet per illius priuilegium, quod est notum in ordine, licet præposterè locatum. Datum Arimini 9. Calend. Octob. Pontif. sui anno 8. incipit: *Fragrantia sacre Religionis, qua apud Dilectos filios Priorem, & canonicos Prioratus s. Saluatoris de Sylua lacus Ordinis s. Augustini canonicorum Regularium fratrum nuncupatorum &c.* Circa quod priuilegium vnum notandum est, vt potè singulare inter

omnia priuilegia canonicis Regularibus concessa, quæ hætenus vidi, nimirum clausula illa *Prior & Canonici fratres nuncupati*, quam clausulam vndecim vicibus in eodem priuilegio repetit: nam etsi canonicis Regularibus in priuilegijs Pontificum consueuerint prænomine fratrum nuncupari hoc modo: *Dilectis filiis Priori, & fratribus talis monasterij, aut loci, vel fratres talis monasterij*: nullum tamen reperitur, in quo sic nuncupentur *Canonici Regulares talis monasterij vel talis Congregationis fratres nuncupati*. præter hos solos canonicos de Sylua lacus. Quæ verò huius nuncupationis causæ extiterint, si diuinare liceat, duas fuisse arbitror, alteram quod notum esset, illos recens auctoritate Apostolica ex fratribus Eremitis in canonicos (vt ita dixerim) transformatos: quam ob causam, etsi habitū, & statum, non tamen nomen, vel nuncupationem, apud vulgares ita facillè mutare potuerunt. Alteram, quod tunc temporis apud multos in vsu positū esset, alios canonicos Regulares tanquam clericos more cæterorum clericorum non iam amplius fratres, sed Dominos vel Domnos nuncupare, solis licet canonicis fratribus nuncupatis, quod non ita certè apud vulgares constaret, an illi veri essent canonici, maximè propter scapulare grisæum superadditū cum cappa grisæa Conuersorum Carthusiensium, quæcunque verò causæ fuerint, hoc certum, eos solos inter omnes canonicos Regulares dictos esse canonicos fratres nuncupatos.

Decimum priuilegium datum est Arimini 3. Calend. Nouemb. Pontif. sui anno 8. quo absolutè conceditur, vt pro regularis obseruantie incremento, quascunque personas regulares quorumcunque ordinum etiam mendicantium ad eos transire voluntium ad probationem, & professionem recipere possent, etiam licentia à proprijs Superioribus minima requisita, incipit: *Sacre Religionis sub qua &c.* Vndecimum datum est ibidem 8. Calend. Febr. Pontif. sui anno 9. in quo fit mentio omnium præcedentium indultorum, & iidem canonici præcipiuntur vocari fratres constantes s. Saluatoris, incipit: *Dudum siquidem per nostras.* Duodecimum datum est ibidem 3. Calend. Martij eodem anno, in quo conceditur eisdem plures immunitates, & exemptiones, incipit: *Militanti Ecclesie disponente Domino.*

Et hæc quidem huius sanctæ institutionis, & Sacre congregationis fuerunt incunabula, hæc priuilegia, quibus cōmunita cœpit in regulari obseruantia paulatim proficere, & virtutum, ac sancti propofiti suauolentia populos oblectare, vnde & factum est, vt tum Romani Pontifices, tum Principes, & Magistratus multis collegijs, & prædijs, & redditibus attributis illos donarent, præsertim sublato schismate in Concilio Constantiensi, in quo sponte cedente Gregorio XII. communi honorum omnium læticia, & consensu, electus est in Summū Pontificē Otto Cardinalis ex familia Golumnensi, & Martinus V. nuncupatus, sub quo Ambrosiani monasterij fines excedere, & alia monasteria obtinere, & in congregationem numero canonicorum, & familiarum crescere cœperunt, vt sequenti capite statim dicitur.

Caput

Caput quinquagesimum secundum.

Catalogus Monasteriorum prædictæ Congregationis S. Saluatoris de Bononia recensetur.

I. **M**onasteria prædictæ congregationis, quæ in præsentiarum obtinet, vel ab initio obtinuit, sunt ista.

1. Primum s. Saluatoris de Sylualacus, ubi hæc congregatio primam originem accepit, quod probante Gregorio XII. iustis de causis dimiserunt, quodque nunc etiam Eremitæ Augustinenses obtinent.

2. Sancti Ambrosij apud Eugubium, cuius fuit alumnus Augustinus Steuchus Chisami Episcopus, cuius ingenium nobile illius opera, quæ multa, & præclara edidit, sine alio laudatore satis commendant, de quo Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta multa scribit.

3. S. Saluatoris Bononiensis, & s. Mariæ ad Rhenum simul vnitorum, quod postulante Francisco Ghislerio ultimo illorum monasteriorum ex Rhenensi congregatione Priore, & concedente Martino V. ijdem canonici, Ambrosiani tunc vocati, in hunc modum obtinuerunt. Franciscus Ghislerius ultimus Prior monasteriorum s. Saluatoris, & s. Mariæ ad Rhenum ex antiqua cōgregatione Rhenensi, de qua supra cap. 48. dictum fuit, cum sua monasteria canonicis omnino destituta, & in eis disciplinam canonicam penitus collapsam animaduerneret, quippe qui solus supererat ex antiquis canonicis Rhenanis, animo recogitans, si quo modo regularem disciplinam ex canonicis item Regularibus in suis Ecclesijs posset instaurare, optima fama Religiosæ conuersationis ipsorum canonicorum Ambrosianorum commotus, illos ad suum monasterium s. Saluatoris accersuit. Supplicatumque est Summo Pontifici Martino V. pro vnione monasterij s. Ambrosij Eugubini cum ipsis monasterijs s. Saluatoris, & s. Mariæ iam vnitis: & datæ sunt literæ Apostolicæ Nicolao de Albergatis tunc Bononiensi Episcopo directæ nonis Iunij 1418. quibus commisit, vt de narratis diligenter prius informatione habita, & constituto de illorum veritate, si opus esse perspiceret, ipsis canonicis Diui Ambrosij, licet essent diuersi habitus, & obseruantia ab antiquis illis Saluatoriensibus, retentis proprio habitu, & obseruantijs, ad dicta monasteria sic vnita transeundi, & in illis iuxta constitutiones, & instituta ipsis, & dicto monasterio sancti Ambrosij per Sedem Apostolicam concessa, probata, & confirmata perpetuo manendi licentiam concederet, necnon etiam posteaquam Stephanus, & Dominicus, & alij canonici monasterij sancti Ambrosij in dictis monasterijs sic vnitis fuissent recepti, & in-

tegrati, statutis, & ordinatis circa illorum habitum; & obseruantias, quæ per illum ordinari, vel disponi contingeret, ipsa monasteria in perpetuum vnire posset, & illa, ac illorum personas tam in membris, quam in capite reformare: etsi post literarum expeditionem illæ non facile fuerint executioni demandatæ, quod Ghislerius postmodum poenitentia ductus, vel quod speraret, per suos, & sui instituti canonicos de nouo recipiendos, disciplinam canonicam in suis monasterijs se posse reparare, vel quod Ambrosiani proprium habitum, & instituta nolent dimittere, Ghislerius verò canonicos diuersi habitus, & instituti, ab instituto, & habitu suorum Rhenensium in suis Ecclesijs nollet admittere, nihil amplius de ipsa vnione perficienda cogitabat; erat enim canonicorum Ambrosianorum, & Rhenensium habitus longè diuersus: nam Ambrosiani, siue Ilicetani super veste linea scapulare laneum cucullatum, & desuper cappam griseum ad instar cappæ conuerforum Carthusianorum deferebant, ex præscripto Gregorij XII. ac vt præsumitur, sub veste linea tunicam eiusdem coloris grisei. Cæterum canonicorum Rhenensium habitus erat tunica linea vulgo Rochettum nuncupata, sub qua tunicam albam laneam gerebant, & super Rochettum intra claustra almutias albas, & extra cappam nigram more aliorum canonicorum. Sed tandem consilio, prudentia, & auctoritate Reuerendissimi Patris Nicolai Episcopi res in hunc modum est composita, vt Ambrosiani ad ipsa monasteria sancti Saluatoris, & sanctæ Mariæ vnitorum certis conditionibus admitterentur, quarum prima fuit, vt Ambrosiani, quatenus Rhenanis magis in habitu conformes essent, tunicam laneam, & scapulare, quæ grisea erant, in albam commutarent, & cappam item griseum in nigram. Secunda, quod Ghislerius Prioratum, & liberam administrationem prædictorum monasteriorum eius vita durante sibi retineret. Tertia, quod canonici Ambrosiani ad prædicta monasteria recedentes in reliquis proprium habitum, instituta, & obseruantias ipsis in dicto monasterio sancti Ambrosij per Sedem Apostolicam concessa, & confirmata retinerent, & secundum illa perpetuis temporibus viuerent. Quarta, quod Ambrosiani ad dicta monasteria accedentes durante vita ipsius Ghislerij, nullam super prædictis monasterijs, aut illorum rebus, vel bonis haberent potestatem. Quinta, quod ijdem Ambrosiani retento habitu, & obseruantijs huiusmodi ad prædicta monasteria transire possent, etiam in vita eiusdem Ghislerij, & ibi secundum illorum instituta viuere, si & quatenus placuisset eidem Ghislerio, & non aliter, nec alio modo. Et hæc omnia patent publico instrumento vnionis factæ per dictum Reuerendissimum Patrem Dominum Nicolaum Episcopum, rogato per Rainaldum de Formaglinis Notarium publicum Bononiensem, quod instrumentum apud eundem autorem lib. 5. fol. 50. & seqq. legi potest.

His conditionibus canonici Ambrosiani ad prædicta monasteria transferunt, constituto sibi ipsis Vicario, cuius tamen autoritas in ijs solum, quæ ad Regularem obseruantiam spectarent, extendebatur, usque ad obitum Ghislerij, qui accidit anno 1439. quo anno dicta vnio suum effectum plenè est consecuta, impetratis pro illius maiori firmitate nouis literis Apostolicis ab eodem Martino V. datis 5. Idus Febr. Pontificatus sui anno 13. & hoc fuit primum monasterium, quod post Ambrosianum obtinuerunt, quod ob illius dignitatem, & antiquitatè, teste eodem autore, in vniuersalem titulum illorum congregationis præstiterunt, hæc enim illius sunt formalia verba lib. 5. fol. 54. in prin. *Bononienses quidem suum s. Saluatoris in ciuitate alacrius præstiterunt in vniuersalem titulum Cōgregationis, ac principalem conuentum, quemadmodum etiam ipsi Ambrosiani Martino V. fore supplicauerunt, per hæc verba in ipsa supplicatione post longam narrationem videlicet: Dignetur Sanctitas vestra præfata omnia, & singula prædicta ex certa scientia, & motu proprio habere rata, & ea validare, supplendo omnem defectum, si quis in eis foret, & de nouo disponere, & concedere, quod dictus Prioratus s. Saluatoris Bononia, & s. Mariae de Rbeno sit caput, & ipse ordo cū habitu, & constitutionibus supradictis nominetur fratrum s. Saluatoris &c.* Vnde & vocatur modò illorum congregatio, seu Ordo canonicorum regulariū s. Saluatoris de Bononia, sicut patet ex multis literis Apostolicis, & præsertim ex literis Clem. Papæ Octauæ emanatis anno 1595. die 5. Maij, quibus priuilegia duodecim congregationum Regularium confirmauit, ac etiam ex libris Ioannis Baptistæ Signij eiusdem congregationis canonici: nam lib. 3. de ordine, ac statu canonico in tabula, siue Indice sic legitur: *De origine Canonicorum Regularium s. Saluatoris de Bononia.*

II. 4. **M**onasterium fuit s. Donati de Scopeto prope Florentiam, quod obtinuerunt ab eodem Martino V. per suas datas 5. Calend. Iulij anno 1420. cum antea esset Ecclesia dependens ex Abbatia s. Saluatoris de septimo Ordinis Cisterciensis. Ab hoc loco coeperunt apud vulgus Scopetini denominari, sicut alij ab alijs locis.

5. S. Mariæ Angelorum extra muros Senarum, quod erat prius monasterium quarundam Monialium. concessit Eugenius IV. anno 1434.

6. s. Saluatoris ciuitatis Venetiarum, quod erat vetustum monasterium canonicorum Regularium, sed iam multis annis canonicis Regularibus destitutum, & commendatum. vniuit Eugen. IV. an. 1442. qui quando erat Cardinalis, illius monasterij erat Commendatarius, tenuerunt illud nostri Lateranenses eodem Cardinali rogante, aliquot diebus: verum Decreto Capituli Generalis anno 1427. celebrati dimiserunt. vide quæ notauimus supra cap. 24.

7. s. Secundi prope Eugubium, quod antiquum erat domicilium canonicorum regularium reformatione s. Vbaldi memorandum, quod canonicis si-

militer destitutum eidem congregationi concessit Calistus Tertius anno 1455.

8. s. Ioannis Euangelistæ ciuitatis Rauennæ, vetustissima, & dignissima olim Abbatia Ordinis s. Benedicti, quam dictæ congregationi vniuit Pius Secundus anno 1459. num. 1449. vt autor scribit.

9. s. Danielis prope Aponum in agro Patauino, antea Abbatiale Cœnobium Ordinis s. Benedicti. concessit idem Pius Secundus anno 1460.

10. **S**anctæ Mariæ Insularum in agro Vicentino, III concessum per Paulum II. anno 1465. cū esset prius Ecclesia ruralis, & campestris, sed deuotione populorum frequenter visitata.

11. s. Mariæ Maioris Taruisij, toti Marchiæ Taruisinæ notissimum, & in veneratione habitū, ob miracula, quæ Deus in æde ipsius Virgini Genetrici nuncupata operatur, propter quæ cum ex paruo sacello in ædem amplissimam creuisset, Pius II. dictæ congregationi regendam commisit anno 1462.

12. s. Michaëlis loci Candianæ in agro Patauino Abbatiale, olim Ordinis D. Benedicti, vt notari est in lib. taxarum Cameræ Apostolicæ. concessit Nicolaus V. anno 1449.

13. s. Mariæ Angelorum apud Perusium, degabant ibi prius Moniales s. Claræ, sed illis certis de causis amotis, rogantibus Perusinis, & probante Paulo Secundo anno 1468. suffecti sunt canonici dictæ congregationis.

14. s. Antonij Venetiarum, erat antea ecclesia vnita monasterio s. Saluatoris Venetiarum, sed instante Nicolao Troni Venetiarum Principe separata, & in Prioratum Conuentualem erecta per Sixtum Quartum anno 1475.

15. s. Mariæ de Gratijs in pago Fornonij in agro Foroliuiensi, sed tamen Bononiensis Diocesis, de cuius fundatione vide supra cap. 21. concessit Sixtus Quartus anno 1477.

16. s. Mariæ de Vado Ferrariæ, quod erat olim monasterium congregationis Portuensis, de quo supra cap. 22. Sed cum Portuenses illud deseruissent, instantibus Ducibus Ferrariæ, vnitum est huic congregationi anno 1477. Habuit virum eruditum Iacobum Labetium, qui scripsit de habitu canonico, & carmina complura.

17. s. Ioannis Baptistæ apud Castrū s. Archangeli in agro Ariminensi, quod erat antiquus Prioratus canonicorum Regulariū. tenuerunt illum nostri Lateranenses post reformationem Frigidionariæ, vt patet ex literis Martini V. & Nicolai V. quomodo verò, & quam ob causam dimiserint, nescio. Dimissum concessit huic congregationi Sixtus IV. anno 1478. sed eius bona monasterio Fornonij applicata, nunc tandem in nouum Prioratum erectum est, vel potius restitutum.

18. s. Paterniani ciuitatis Fani, cuius Ecclesia populi deuotione erecta à Clemente Secundo fertur dedicata, postea instante ciuitate eidem congregationi concessa per Sixtum IV. anno 1482.

19. s. Agathæ ciuitatis Urbini, quod ex libro taxarum apparet fuisse antiquum monasterium.

cano-

canonicorum, postea verò canonissarum, sed canonicis ad monasterium S. Benedicti translatis, instante Urbini Duce, repositi sunt canonici huius congregationis per Sixtum IV. anno 1481. unionem firmavit Alexander VI. anno 1492.

IV. 20. **S**ancti Petri ad Vincula de Vrbe, cuius Ecclesiam cum Conuentu, qui olim fuerat canonicorum regularium, Innocentius Octauus instante Iuliano de Ruuere S. R. E. Cardinali, qui postea fuit Iulius Secundus, dictæ congregationis tunc Protectore, eidem vniuit anno 1489.

21. Sancti Ioannis Euangelistæ foris Brixia, antiquum monasterium canonicorum regularium, cuius Præpositus Capitulo Papiæ anno 1340. interfuit, deficientibus autem ibidem canonicis Iacobus Dominici vltimus Præpositus, qui ex dicta congregatione fuerat assumptus, eidem congregationi resignauit: quam resignationem inchoatam an. 1468. Innocentius Octauus anno 1485. confirmavit, & tunc ipsa vnio suum plenum effectum sortita est. Hoc monasterium protulit virum insignem Marcum nomine, linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ, & Arabicæ notitia celebrem, cuius inter alia est opus Dictionarium illud Hebraicum locupletissimum, quod Arca Noë vocatur.

22. Sanctæ Mariæ de Coronato apud Ianuam, cuius Ecclesiam parochialem eidem congregationi vniuit Archiepiscopus Ianuensis, Confirmata est vnio à Legato Pontificio anno 1486.

23. Sanctæ Mariæ de Curuaria in agro Bononiensi, quod per cessionem cuiusdam Thomæ Ioannis de Mancolino vnitum fuit canonicæ s. Saluatoris Bononiensis ab Innocentio Octauo anno 1487. nescio an antea, vel etiam nunc sit locus Conuentualis, an membrum s. Saluatoris.

24. S. Sebastiani Mantuæ antea Xenodochium, quod postea ampla Basilica exstructa anno 1488. à Francisco Gonzaga Mantuæ Marchione donatum fuit Abbatiali Cœnobio s. Rufini extra Mantuam, quod erat dictæ congregationis, sed antea monasterium Ordinis s. Benedicti, vt apparet ex libro taxarum Apostolicarum. quam donationem Innocentius Octauus anno 1488. firmavit, postea anno 1527. amplo monasterio apud Ecclesiam s. Sebastiani exstructo, s. Rufini canonici illuc transmigraverunt. floruit in hac canonica Augustinus Mamphridus Mantuanus.

25. Sanctæ Mariæ Gratiarum ciuitatis Cortonæ, cuius Basilicam piorum elemosynis magnificenter exstructam, rogante Ciuitate, eidem canonicis tenendam tradidit Innocentius Octauus anno 1488.

26. S. Petri prope Callium in Vmbria erat Ecclesia Monialium s. Petri eiusdem vrbs, quæ illis concedentibus à Sixto Quarto, dictæ congregationi fuit vnita anno 1483. deinde post aliquot annos in Prioratum erecta.

27. S. Euphemie ciuitatis Placentiæ, prius collegium canonicorum secularium, postea vnitum dictæ congregationi ab Innocentio Octauo an. 1491.

28. s. Mariæ Magdalene prope Castrum Miran-

dulam, quod antea extra Castrum exstructum circa annum 1495. postea in obsidione solo æquatum, intra Oppidum renouatum est.

29. s. Marci in ciuitate Regij Lepidi, antea Prioratus congregationis s. Marci Mantuæ, sed dictæ congregationi vnitus per Innocentium Octauum anno 1497.

30. **S**ancti Ioannis Baptistæ de Vrbe veteri, quod erat vetustissimum monasterium canonicorum regularium, quod cum per multos annos canonicis destitutum mansisset, huic congregationi vniuit Alexander Sextus anno 1498.

31. s. Hieronymi Mutinæ, cuius Ecclesia antea secularis dictæ congregationi fuit vnita anno 1498. & in Prioratum erecta.

32. s. Augustini Nicosiæ nuncupati in agro Pisano vetustum, & celebre antiquorum canonicorum Cœnobiū, de quo vide, quæ diximus supra cap. 20.

33. s. Michaëlis de monte Branculi in Episcopatu Lucensi, de quo similiter vide supra cap. 20.

34. s. Mariæ de Gualdo Mazocca in dioecesi Beneuentana antea Ordinis D. Benedicti. ex lib. taxarum, concessum dictæ congregationi à Iulio Secundo anno 1507.

35. s. Laurentij extra muros Romanæ Vrbs, cuius Ecclesia est vna de quinque Patriarchalibus à Constantino ædificata. hanc ab initio tenebant clerici ex Onuphrio, iidemq; Regulares, postea monachi D. Benedicti. Demum monachis ibi deficientibus, cum esset commendata, per Iulium II. huic congregationi fuit vnita anno 1511.

36. s. Mariæ foris portam ciuitatis Lucensis, quod ab antiquo erat collegium canonicorum regularium, sed multo iam tempore canonicis destitutum ab eodem Iulio Secundo Pontifice an. 1512. concessum est dictæ congregationi.

37. s. Agnelli Maioris in ciuitate Neapoli, quod eidem congregationi concessit Leo X. anno 1517. falsum autem omnino, quod de hoc monasterio scribit Mozzagrugnus lib. 7. istud esse monasterium à s. Gaudio Bitinensi Neapoli ædificatum, adhuc magis falsum, quod s. Agnellus eius monasterij Abbas fuerit, anno 1076. defunctus, vide quæ diximus lib. 1. cap. 57. num. 4.

38. s. Antonij de Vienna Patauij, antea membrum s. Antonij Venetiarum, sed postea separatum, & in Prioratum erectum à Pio Quarto anno salutis nostræ 1563.

39. s. Celsi Mediolani, vnitum dictæ congregationi à Paulo Tertio anno 1548. cum antea esset Ecclesia Ordinis s. Benedicti, vt ex lib. taxarum Apostolicarum apparet.

40. s. Mariæ de Capellis Neapolis, antea Ordinis D. Benedicti. ex eodem lib. taxarum. vniuit Paulus Tertius anno 1549.

41. s. Sophiæ Beneuenti, Ordinis antea D. Benedicti. ex eodem lib. taxarum. concessit Clemens Octauus anno 1595.

42. Sanctæ Agnetis extra Urbem via Nomentana. Hanc Ecclesiam Sixtus Quartus monasterio

S. Petri ad Vincula vniuit, sed Innocentius VIII. 1489. erexit in Abbatiam.

43. Sancti Spiritus in oppido Centi in diocesi Ferrariensi nuper sub titulo Abbatiae erectum, concedente Paulo V. anno 1609.

VI. **H**anc congregationem complures Romani Pontifices illius virtute, ac moribus Religiosissimis ita promerentibus multis priuilegijs, iisdemque praecipuis decorauerunt, & muniuerunt, quae apud Ioannem Baptistam Signium, & Iosephum Mozzagrugnum, ac etiam Basilium nostrum Sirenium in Compilatione Indultorum canonicorum regularium legi possunt, inter quae extant tria priuilegia, primū Calisti III. datum 16. Calend. Iulij 1456. secundum Sixti IV. datum 15. Calend. Iulij 1471. tertium Iulij II. datum 4. Nonas Aprilis anno 1512. quibus iidem canonici dictae congregationis veri, & legitimi canonici Regulares Ordinis s. Augustini decernuntur, & declarantur, & pro talibus ab omnibus, & singulis haberi, & teneri iubentur, quorum priuilegiorum concedendorum causa exprimitur in dictis priuilegijs, quod à nonnullis, an illi veri essent canonici Regulares dicti Ordinis, in dubium reuocabatur, & praesertim à quibusdam Religiosis certi Ordinis mendicantium, qui in processionibus Florentiae illos praecedere volebant, vbi talis declaratio ad lites tollendas fuit necessaria, vt idem Mozzagrugnus lib. 2. fol. 48. & lib. 4. fol. 2. scribit, & ante illum Signius lib. 1. cap. 13. fol. 116. vbi dicit, illos, cum quibus lis orta est Florentiae, fuisse Fratres Praedicatorum s. Mariae Nouellae. Quae verò causae de hac re dubitandi existerent, Ticinensis noster duas fuisse suspicatur, alteram quod contra consuetudinem caeterorum canonicorum voluerint vocari Fratres, cum alij vocarentur Domni, alteram, quod super veste linea retinuerunt hastam, seu scapulare laneum, quas rationes rejiciunt Signius, & Mozzagrugnus. Verum siue istae fuerint verae causae illius dubij, siue aliae, hoc satis, reuocatum in dubium, an illi veri essent canonici, & ad illud tollendum declaratione Sedis Apostolicae opus habuisse.

Caput quinquagesimum tertium.

Corollaria quaedam ex praecedentibus deducuntur per quae nonnulla errata in opere Iosephi Mozzagrugni corriguntur.

I. **I**n dictis in duobus capitibus immediate praecedentibus, quae fideliter ex libris Ioannis Baptistae Signij, & Iosephi Mozzagrugni praecitatae sunt recitatae, colligitur primò falsum esse nec omnino ferendum, quod idem Mozzagrugnus in offensam totius canonici ordinis non leuem scribit, hanc congregationem à Gregorio XII. institutam, ad reformandum, & reparandum in ea ordinem canonicum in

vniuersum. qui ordo ita in vniuersum erat lapsus, vt quando Gregorius XII. meditatus est instituire illam congregationem, omnes canonici Regulares viuerent singulariter in canonij particularibus, non conuentualibus, à rectis semitis Regulæ B. Augustini ipsis traditæ prorsus alieni, vt vix agnoscerentur vestigia canonicorum Regularium (formalibus illius verbis vtor.) & Gregorium XII. vouisse, canonicum ordinem, & monasticum reformare, ad tollendum schisma, quod Ecclesiam exagitabat: quin immo scapulare canonicorum dictae congregationis intra habitum Pontificalem deferre consueuisse. quae passim scribit lib. 5. fol. 11. pag. 1. & fol. 12. 1. & 13. 1. & 14. & 17. & 26. & 29. & 35. & 37. & 49. & lib. 6. fol. 3. & lib. 7. fol. 2. & lib. 8. fol. 36. 1. & alibi.

Nam vt omittamus, voluntariè, & diuinando dicere hunc autorem, Gregorium XII. vouisse, ordinem canonicum reformare, quod esto verum esse possit, nullo testimonio subnixus affirmat, & nullus eorum, qui illius vitam scripserunt, huius voti meminit, & adhuc magis voluntarium, & prorsus incredibile, quod subdit, eundem Gregorium illorum scapulare intra habitum Pontificium tulisse, cum è contrario constet, monachos, & quoscumque Regulares, exceptis solis clericis, ad Pontificatum assumptos omnia prorsus Regularium indumenta dimittere, maximè quod scapulare griseum ipsis canonicis dictae congregationis à Gregorio XII. praescriptum, ante illos nulli alij Regulares ferebant, sed nec ipsi diutius illud tulerunt, quod in vnione cum Saluatoriensi monasterio in album mutauerunt: vnde vero consentaneum non est, Gregorium detulisse illud scapulare, tanquam habitum Religiosum, qui nondum erat habitus Religiosus. hæc inquam, vt missa faciamus. Primò quod ait, quando Gregorius XII. illam congregationem instituire cogitauit, totum ordinem canonicum in vniuersum lapsum fuisse, & ita lapsum, vt omnes canonici Regulares viuerent singulariter, &c. tam falsum est, vt indignum videatur confutatione, cum essent in Hispanijs, Gallijs, Anglia, Germania, Polonia, innumera canonicorum monasteria sub canonica disciplina viuentia, de quibus supra dictum fuit, in quorum plerisque in hodiernum vsque diem regularis obseruantia viget, praeter congregationes amplissimas illis etiam temporibus florentes sanctae Crucis Colimbricensis, sancti Rufi, sancti Victoris, sancti Laurentij in Gallijs, sancti Nicolai de Aroasia, Vuindesimensis, & Nuffiensis in Belgio, quarum duae posteriores nuper reformatae, tunc temporis magna sanctitatis laude florebant. At inquit, de canonicis Italicis loquimur, non de Gallis, Hispanis, Belgis: sed quid sonant verba illa. *Ordo canonicus in vniuersum erat lapsus, & illa, omnes canonici viuebant singulariter in canonij particularibus, non conuentualibus, à rectis semitis, &c. vt vix agnoscerentur vestigia canonicorum Regularium.* si de solis Italicis agebatur? sed vt demus de solis Italicis locutum, falso ait tempore institutionis dictae

con-

congregationis, quod fuit anno 1408. nullos canonicos conuentualiter in canonijs, & regulariter vixisse. viuebant enim canonici s. Petri in cœlo aureo s. Frigidiani, s. Augustini Nicosiæ, ad quorum Abbatem, & Priores literæ Bonifacij Noni pro cogendo Capitulo Prouinciali datæ sunt anno 1400. Viuebant Frigidionarij nuper reformati, ac etiam Veronenses s. Leonardi, & Casoretani apud Mediolanum, ad quos literæ Gregorij XII. an. 1407. & 1408. sunt directæ. Viuebant Bononienses Satorum Io. in Monte, & Victoris in Colle simul Vnitorum, Mortarienses cum multis membris dictæ congr. de quibus dictum est supra c. 46. Cremonenses s. Agathæ, s. Saluatoris Brixienfes, Bononienses item Montis Belli, Vercellenfes s. Andree, & s. Bartholomæi, quos omnes longè post dictam congreg. institutam conuentualiter vixisse, partim supra, monstratum est, partim libro sequenti ostendemus, vt mirum sit, hominem sensatum has leuitates effutire.

II. **S**ecundò falsum est, eandem congregationem à Gregorio XII. institutam ad reformandum ordinem canonicum in vniuersum. primò, quia ex literis Gregorij XII. & ex serie narratorum apparet, illam eremitarum in canonicos mutationem à Gregorio factam non animo nouam congreg. fundandi, sed vt saluti bonorum illorum virorum consulere, & salua manente professione regulæ D. Aug. illos ab omnimoda subiectione Prioris Generalis, & cæterorum officialium ordinis eremitarum eximeret. & verba Pontificis clara, & aperta sunt, nec opus est Soli nebulas offundere. Secundò, quia cum Pontifices aliquem ordinem reformare intendunt, personis in disciplina regulari illius ordinis apprimè instructis, & versatis vtuntur, non autem illius, quæ potius instructione, & reformatione ipsæ indigeant. tales autem erant illi eremitæ, qui licet optimi essent religiosi, tamen canonicæ institutionis prorsus ignari erant, & ita ignari, vt opus haberent ipsi ab alijs leges accipere, & erudiri. Quam ob causam præfati sunt tres Cardinales, qui eis viuendi leges præscriberent. Tertio, quia constitutiones à prædictis Cardinalibus illis præscriptæ non pro noua congregatione erigenda, sed pro solo illo monasterio traditæ fuerunt, vt patet ex forma ipsarum constitutionum, & vel ipse autor vtrò faceretur lib. 5. fol. 29. pag. 2. & fol. 55. pag. 1. Quarto, quia Gregorius videns eosdem eremitas Illecanos in canonicos nuper transformatos è monasterio per vim Magistratus Senensis turbatos, vt illorum saluti consulere, nouis literis datis facultatem fecit ad prius institutum eremiticum reuertendi, cuius vigore sex ex illis ad vitam eremiticam redierunt, quod omnino non fecisset, si mens illius fuisset, nouam cōgreg. instituere ad ordinem canonicum in vniuersum reformandum. Quintò, quia cum quatuor ex illis in habitu canonicali nuper assumpto manentes sine certis sedibus vagarentur, cumque rot essent monasteria canonicorum regularium, ad quæ reformanda

illos mittere potuisset, ac debuisset, si eo fine illos Canonicos instituisset, ad nullum tamen legitur misisse. Sextò quia ipsi canonici de facto nullū collegium antiquorū canonicorū reformauerunt, quin immo ipsi potius dici possunt Eremitæ in canonicos reformati. nam quod primi canonici dictæ congregationis essent eremitæ in canonicos reformati patet, quia primum illorum monasterium fuit s. Saluatoris de Illiceto, siue de Sylua lacus, & Religiosi dicti monasterij erant Eremitæ. Secundum fuit s. Ambrosij, & huius pariter omnes erant eremitæ. Et licet Gregorius XII. ne illa institutio funditus periret, concessisset, vt decem personas religiosas aliorum ordinum ad eos transire volentes recipere possent, nullum tamen regularem canonicum legimus ad illos transiuisse. Quod autem nullum collegium canonicorum regularium ipsi reformauerint, patet, quia licet quædam monasteria, quæ canonicorum prius fuerant, illi obtinuerint, tamen tempore vnionis illa iam canonicis omnino destituta erant, præter vnum monasterium Saluatoriense Bononiæ, in quo erat vnicus Ghislerius, qui licet illos admiserit, neque illorum reformationem, neque habitum, nec viuendi modum suscepit, & alterum s. Augustini Nicosiæ, quod alijs de causis illis fuit vnium.

III. **N**ec obstat, quod obijcitur, reformationes non appendi muris, & officinis, sed personis monasteriorum. nam id verū est, quando reformantur collegia, non autem quando reformantur monasteria collegijs iam destituta, tunc enim licet subiectum reformationis non sint parietes, & officinæ, sed personæ, tamen non sunt personæ, quæ in monasterijs antea fuerant, & desierunt, sed personæ, quæ subintrant secum ferentes ipsam reformationem. nam & nostri Lateranenses multa monasteria monachorum reformasse leguntur in literis Apost. & non ob hoc dicuntur reformasse ordinem monasticum, qui ibi iam nulli erant monachi, sed quia secum detulerunt reformationem ipsorum canonicorum Lateranensium.

Nec obstant secundò verba illa priuilegij Gregorij: *Excitat nostræ mentis arcanum specialis, & affectuosa dilectio, qua domum Prioratus S. Saluatoris &c.* Quæ autor de voto facto à Gregorio XII. instituendi prædictam congregationem, ad reformandum ordinem canonicum commentatur. nam ista verba non sunt tanti pōderis, vt non possint alio modo absque nota temeritatis, & impietatis, & falsificationis literarum Apostolicarum legitime interpretari: nam in literis Apostolicis mentis arcanum non significat votum, sed mentem Pontificis, quæ est arcana, siue consilium, siue cogitationem, siue providentiam, siue sollicitudinem, siue animum Pontificis, quæ omnia sunt arcana non solum in Pontifice, sed in quolibet homine, & literalis horum verborum intelligentia hæc est, affectuosa dilectio, qua domum S. Saluatoris, & personas in ea degentes prosequimur, excitat nostram mentem arcanam, siue nostram cogitationem, no-

strum animum arcanum, per constructionem, quam Logici vocant intransitivam, ut circa illorum statum attentè cogitemus, & illorum curam providā geramus, & sexcenta in literis Romanorum Pontificum sunt exempla, similia verba præ se ferentia, ut videri potest in Constitutione sexta Alexandri Sexti, & Constitutione tertia, & decimaseptima Leonis Decimi, & alibi. Præter quod clausulæ illæ proœmiales, & narratiuæ in literis Apostolicis ponuntur à Secretarijs Apostolicis ad libitum.

Multo minus etiam obstant verba illa: *Motu proprio, & ex certa scientia*. In quibus autor vim facit, quia non semper indicant, non præcessisse supplicationem Pontifici porrectam pro obtinendis, quæ in motibus proprijs conceduntur, sed ponuntur, ne literæ subreptionis, vel obreptionis vilo tempore notari possint. quod, ne longius vagemur, patet ex eodem autore lib. 5. fol. 54. in principio, ubi refert supplicationem Martino V. sub hac forma à suis porrectam: *Dignetur Sanctitas vestra præfata omnia, & singula prædicta ex certa scientia, & motu proprio habere rata, & firma, & ea validare, supplendo omnem defectum &c.*

IV. **S**ecundò principaliter infertur, verum non esse, quod idem autor lib. 8. fol. 51. pag. 1. scribit, nullibi legi, quod Gregorius Duodecimus dederit canonicis dictæ congregationis scapulari grisei coloris, cum hoc dica ipse lib. 5. fol. 14. pag. 1. & fol. 53. pag. 1. & hoc expressè caueatur in Constitutionibus editis ab ipsis Cardinalibus à Gregorio deputatis cap. 11. quod nimirum scapularia sint de panno capparum, quas cappas iubebantur ferre coloris grisei mordentis, ad instar capparum Conventorum Carthusianorum.

Tertiò infertur, perperam dixisse eundem autorem, impiè errare eos, qui dicunt, venerabilem Patrem Stephanum compulsam ad illam mutationem habitus ex altercatione cum suo Generali, ut ab illius obedientia tandem eximeretur, quod scribit lib. 5. fol. 55. pag. 1. in fine, & lib. 8. fol. 18. pag. 1. quia esto ille habitus mutationem non intenderet, tamen quod ad eandem mutationem compulsus fuerit ex eiusmodi altercatione, apparet ex tota narratione eiusdem autoris lib. 5. ab initio vsque ad fol. 14. ut si nota hæc afficit, suum prius afficiat autorem.

Quartò infertur, iniustam esse querelam eiusdem autoris lib. 8. fol. 26. pag. 1. fol. 38. pag. 1. adversus Sylvestrum Maurolicum, & Basilium Sirenum, quod dixerint, hanc congregationem primitus institutam in agro Senensi, & in monasterio Ilicetano, cum sint apertissima verba Gregorij Duodecimi, domum de Sylva lacus ordinis eremitarum in Prioratum canonicorum regularium erigentis, idq; præ se ferant omnia dicti Pontificis privilegia, quibus hæc congregatio erigitur, instituitur, & firmatur, & ante quæ privilegia nulla prorsus dictæ congregationis mentio habetur.

Quintò infertur falsum esse, quod idem autor ait lib. 8. fol. 37. pag. 1. nunquam dictum esse de hæc

congregatione, quòd sit novella plantatio. Quid enim significant verba illa Gregorij Duodecimi in primo privilegio? *Vnde domum sancti Saluatoris de Sylva lacus in Prioratum conventualem auctoritate Apostolica erigimus, volentes, & eadem auctoritate statuentes, quòd ipsi Fratres in eadem domo residentes, eorumq; successores, qui erunt pro tempore, canonici regulares, & secundum regularia instituta deinceps vivere, & Fratres sancti Saluatoris nuncupari debeant, & illa in privilegio octavo fragrantia Sacre Religionis, quæ apud dilectos filios Priorem, & canonicos Prioratus sancti Saluatoris de Sylva lacus &c. à nobis salutis suscepit institutionis initia, & infra, qui à nobis regularis habitus, & ordinis suscipere primordia.*

Sextò infertur, absque rationabili causa eundem autorem lib. 8. fol. 7. pag. 1. & alibi non semel & ante illum Signium Ticinensi succensere, quòd dixerit, Lateranensibus competere esse canonicos ex natura, suis autem Saluatoriensibus ex privilegio: *Vnde enim inquit hanc tam argutam distinctionem nature, & privilegij inveniunt, quam non inveniunt nec Divus Thomas, nec Scotus, nec alij huius literaturæ eximij Doctores.* Nam respondetur, hanc distinctionem in primis reperiri apud ipsum autorem ad alia intentum lib. 2. fol. 37. pag. 1. qui eam ibi in terminis ponit, dum inquit, *Sicut filio, vel nepoti Regis Franciæ competit per se, quod sis de domo regia: alteri verò factò de domo Franciæ à Rege privilegio, aut alio modo, ut nobilitetur per accidens est talis, & est minus dignus eo, qui est naturaliter talis: unde dicitur, quod omne, quod est per naturam tale, quod idè est quod per se tale, est magis tale, quàm quod est per accidens tale.* Invenitur etiam passim hæc distinctio apud Iuriconsultos, cum de filijs legitimis, vel de feudis, vel de nobilitate familiarum, res aguntur. nam duobus modis quis dicitur filius legitimus, vno modo ex natura, quia talis natus est, natiuitas enim natura dicitur 2. Physic. & à Diuo Paulo ad Ephesios 2. cum docet nos omnes natura esse filios iræ: altero modo ex privilegijs Principis, quia Princeps natalium defectum abstulit suo privilegio, quæ distinctio maximè attenditur in successione ad iura feudalia. Similiter duobus modis aliquis dicitur nobilis, & de corpore nobilium alicuius Reipublicæ, vel civitatis, vno modo ex natura, quia ex parentibus nobilibus natus est: alio modo ex privilegio, quia ob illius merita in corpus nobilium Reipublicæ fuit cooptatus. in hoc sensu dixit Ticinensis, & verum dixit, Lateranensibus competere esse canonicos ex natura: quia illi per continuatam seriem à clericis, seu canonicis per beatum Augustinum, immo per sanctos Apostolos institutis deriunt, ut deductum, probatum, & definitum fuit coram Summo Pontifice, & per eundem Summum Pontificem, ut lib. 3. ostendemus. Saluatoriensibus autem competere esse canonicos ex privilegio, quia attempta illorum primaria origine, & institutione, illi neque à canonicis deriunt, neque ab illis institutionem, neque habitum regularem,

regularium, neque in monasterio canonicorum regularium acceperunt, sed ab initio fuerunt eremitæ ex monasterio Ilicetano, vel Eugubino sancti Ambrosij, siue ex alijs ordinibus assumpti, & autoritate, ac priuilegio Apostolico in canonicos mutati. nec tamen negamus, illos veros esse canonicos, sicut negari non potest esse verè legitimum, quem Princeps suo priuilegio legitimat.

VI. **S**eprimò infertur, falsum esse, quod scribit idè autor lib. 5. fol. 29. pag. 2. hanc congregationè fuisse primitus institutam inter cõgregationes canonicorum regularium, nam longè ante initium huius congregationis erant in Italia multæ aliæ congregationes sub suis capitibus degentes, & conuentus Generales, ac etiam Rectores Generales habentes, vt supra ostensum fuit. extra Italiam verò erant præclarissimæ congregationes Colimbriensis sanctæ Crucis, Parisiensis sancti Victoris, itè s. Rufi, & s. Laurentij, in Belgio Aroasiensis, Vuindesimensis, Nussiensis, in Palestina sancti Sepulchri, quæ omnes longè ante annum 1408. quo tempore cœpit hæc congregatio, fuerant institutæ.

Scio dicet, se solùm comparatione nostræ Lateranensis Cõgregationis locutum, id enim satis euidenter alijs in locis indicat, vt dum lib. 8. fol. 12. scribit, primum priuilegium datum à Gregorio Duodecimo suæ cõgregationi esse prius primo priuilegio dato ab eodem Gregorio Duodecimo canonicis Frigidionarijs, immo quando Frigidionarij nondum ex ouo eruperant, & eodem lib. fol. 4. pag. 2. & fol. 21. pag. 2. quod quibuscunque iuribus contendamus, siue priuilegijs, vel præstantioribus, vel vetustioribus, siue primarijs institutionibus, siue quacunque antiquitate, etiam ipso habitu canonico, & claustrali, suæ congregationis canonici nostris sint præferendi, iunctis alijs, quæ habet lib. 2. fol. 46. pag. 1. & lib. 7. fol. 14. 1. & lib. 8. fol. 40. 1. Verùm si sic intelligi cupiebat, non debuerat absolute dicere, suam congregationem primitus institutam inter omnes congregationes canonicorum, regularium. Quod autem ad nostros attinet, nobis nunc curæ non est de maioriæ, & primatu contendere, sufficit enim nobis Papalis decisio, quæ post longum examen decisum est, nos esse de illis antiquis clericis à beato Augustino, immo verò à sanctis Apostolis institutis, idq; compertum satis ex pluribus verissimis, & authenticis documentis. Videatur Constitutio Pij Quarti, quæ est in Bullario 95. in ordine inter constitutiones huius Pontificis, probent etiam ipsi se esse de eisdem clericis antiquis, & non nuper institutis, & manum damus, ac etiam ex reuerentia, & amore fraternitatis per omnia cedimus, qui non de primatu contendimus, sed de iuribus, & hæreditate, ac finibus Patrum nostrorum conseruandis. Quod autem ait, primum priuilegium datum à Gregorio Duodecimo huic congregationi esse prius primo priuilegio dato ab eodem Pontifice nostræ congregationi, verum non esse inuenient, qui legerint eiuſdem Gregorij priuilegium anno millesimo quadringentesimo septi-

mo, nostris Frigidionarijs concessum, quando illi nondum erant instituti.

Octauò infertur, falsum esse, quod scribit VII. lib. 8. fol. 12. 13. 26. 37. 38. & 43. & pro quo excandescit, nunquam inueniri, præsertim in literis Apostolicis dictos canonicos appellatos canonicos s. Saluatoris de Sylua lacus, vel de Bononia, vel de Venetijs: nam vocari s. Saluatoris de Sylua lacus, apparet ex duodecim priuilegijs Greg. XII. vocari etiam canonicos s. Saluatoris de Bononia, præter quod constat ex literis Clementis VIII. supra citatis, potest etiam ex eodem autore, qui dicit, suos erexisse monasterium s. Saluatoris de Bononia in caput & titulum vniuersalem congregationis, & pro confirmatione erectionis supplicauisse Martino V. vt videre est lib. 5. fol. 54. demum vocari canonicos s. Saluatoris Venetiarũ, fatetur ipse lib. 8. fol. 3. pag. 2. vt satis non intelligam, quid dicere velis, dum sapius, de eodem affirmat, & negat.

Nonò infertur, nulla probabilitate subnixũ, quod scribit lib. 3. fol. 38. pag. 1. & repetit lib. 8. fol. 12. 1. & fol. 28. 2. Hanc congregationem originem trahere ab antiquis canonicis Rhenensibus, & quod de sua congregatione fuerunt Lucius II. Honorius II. Innocentius II. & alij relati inter canonicos antiquæ congregationis s. Mariæ de Rheno, pro qua referè vsque ad iniurias decertat lib. 4. fol. 4. & lib. 5. fol. 55. & lib. 8. fol. 17. & 28. & alibi sæpissimè, cum ista cõgregatio, si personas attendamus, ab Eremitis Ilicetanis, & Ambrosianis traxerit suã originem si ad autorem ille fuerit vel venerabilis Stephanus Eremita, vel Gregorius XII. si locum institutionis, ille fuerit non monasterium s. Mariæ de Rheno, sed s. Saluatoris de Iliceto, & cum nonnisi ann. 1418. ad monasterium s. Mariæ de Rheno fuerint admissi, decem annis postea quam fuerant instituti, vnde non possunt dicere, se à Rhenanis descendere, nisi dicamus congregationem decem annis postquã ab vno parente nata est, iterato in ventrem alterius matris introire, & denuo ab illa originem ducere, & nasci, quod etiam si per impossibile fingeremus, adhuc verum non esset, quod tanta constantia, & animositate fingit. primò quia quando isti canonici ad monasteria s. Saluatoris, & s. Mariæ de Rheno simul vnita admissi fuerunt, iam nulli amplius erant canonici Rhenani præter vnum Priorem Franciscũ Ghislerium, qui nõquam illis vniri voluit, sed omnimodam administrationem, & iurisdictionem vsque ad mortem sibi retinuit, & illos solùm admisit ad diuina officia celebranda in suis Ecclesijs more Capellanorum, neq; vnio ante obitum dicti Ghislerij suũ plenum effectum est sortita. Secundò quia literæ Apostolicæ expressè fatentur, dictos canonicos sic accedentes alterius fuisse habitus instituti, & obseruantia, ab antiquis illis canonicis Rhenanis, & à summo Pontifice ita admissos ad dicta monasteria, vt tamen proprium habitum, instituta, & obseruantias retinerent, & secundum illa perpetuo ibidè viuerent, adeo quod vetus congregatio cum suis institutis in illorum aduentu penitus interijt, &

noua congregatio alterius habitus, instituti, & obseruantia successit, vnde isti noui canonici non magis dicere possunt se descendere ab antiquis canonicis Rhenanis, quàm à Monachis sancti Benedicti, quorum multa monasteria obtinuerunt, vt s. Ioannis Euangelistæ Rauennæ, s. Danielis: & s. Michaëlis in agro Patauino, & alibi, & qua ratione dicere possunt, canonicos illos Rhenanos esse de illorum congregatione, eadem dicere possunt s. Benedicti, Placidum, Maurum, & alios monachos existere de eadem congregatione.

VIII. **S**ed dicit. nos antiquis canonicis Rhenanis vniti sumus. Ergo in illorum naturam trāsumus, & nobilitatē, iura, & præminentias sequimur, quia quod vnitur, sequitur naturam eius, cui vnitur. sed contra seipsum loquitur: nam quod alteri vnitur, iam supponitur existens, & aliunde originem habens: vnde si ipsi sunt vniti antiquis Rhenanis, iam fatentur, quod aliunde originem traxerunt. secundò falsum est illud, quod alteri vnitur, sequi naturā illius, & conditiones, & illo inferius esse, neque iura ab eo allegata id docent, sed oppositum, nā glossa in cap. Et temporis 16. quæst. 1. varios modos vnionum distinguit, & docet, aliquando ita vniri Ecclesias, vt ambæ retineant sua iura, titulos, & prælaturas, & tunc quod vnitur, non transit in naturam alterius, nec illius conditionem sequitur, nec est inferius illo. contradicit etiam hic autor sibi ipsi, qui lib. 8. fol. 52. pag. 2. dicit, suos Ambrosianos vnitos fuisse antiquis Rhenanis, vt illis præessent. quomodo igitur suā naturam secuti sunt, & illis inferiores fuerunt? Tertio falsum est, canonicos Ambrosianos antiquis Rhenanis fuisse vnitos, vt dictum est, nisi fortassis in sepulchris: quia quādo isti successerunt, iam illi omnes excefferant.

Dicit secundò nos inserti sumus antiquis canonicis Rhenanis. ergo iure gloriari possumus de illorum antiquitate, & nos ab illis originem ducere. Respondeo contare, non fuisse illis insertos, quia illi non existerant, nisi in sepulchro, & quod alteri inseritur ab alio originem traxit, vt notum est, & non gloriatur de radice, sed radix de illo: quia trahit radicem, & truncum in suam naturam, non autem trahitur in naturam radicis, & trunci, alioqui superflue arbores insererentur, vt ex malis fierent bonæ, si quod inseritur, naturam arboris sequeretur. fateor aliam esse rationem in insitione spirituali, maximè per quam Christo per fidem, & gratiam inserimur ex naturalibus oleastis excisi, & contra naturam in bonam oliuam insiti Christo. Sed Paulus ipse docet, hoc contra naturam insitionis naturalis esse. Quare metaphora ista insitionis plus arguenti obest, quàm profit.

Dicit tertio, nos successimus antiquis canonicis Rhenanis. Ergo omnia illorum priuilegia, & iura in nos transfulimus. Respondeo per hoc non probari, quod ipsi sint de illis antiquis canonicis Rhenanis, vel ab eis originem ducant. nam pari passu dicere possemus, nos à monachis Diui Benedicti originem ducere, quia multa illorum monasteria te-

nemus, quorum omnia, & singula iura, & priuilegia autoritate Apostolica ad nos fuerunt translata, & vnus Princeps alteri in Regno, vel Imperio, vel feudo succedens, omnia illius iura, & priuilegia, & præminentias acquirit, & in se transfert, & tamen non est necesse, illum trahere originem ab illo, cui in principatu succedit.

Dicit quartò, omnia antiqua iura, & statuta antiquorum Rhenanorum in nobis sunt reformata. Respondeo primò ex literis Apostolicis constare, falsum id esse, & potius omnia antiqua instituta, mores, & obseruantias per istos nouos canonicos Ambrosianos, siue Licetanos fuisse abrogata; nam isti noui illis antiquis ea lege successerunt, vt cum essent diuersi habitus, instituti, & obseruantia ab illis antiquis, nihilominus cessantibus antiquis institutis, isti suum habitum, instituta, & obseruantias retinerent, & cum illis, & secundum illa in dictis monasterijs viuerent.

Dicit quintò, reformatio speciem non mutat cap. Relatum, ne clerici, vel monachi. Nos monasterium Rhenanum, & sancti Saluatoris reformauimus. Ergo sumus de illis antiquis canonicis Rhenanis. Respondeo falsum esse, quod reformatio speciem non mutat, neque hoc dicere illum, textum: nam aliquando reformatur collegium, quod erat relaxatum, reducendo illud ad pristinum statum, & tunc reformatio non mutat speciem: aliquando reformatur collegium cum immutatione status, vt cum Eremitæ Licetani facti sunt canonici, & similiter Ambrosiani, & tunc reformatio mutat speciem: aliquando verò reformatur Ecclesia, seu monasterium, & non collegium, & tunc reformatio mutat speciem, vt dicit textus allegatus, & docet quotidiana experientia, quare cum isti canonici reformauerint non antiquum collegium Rhenanum, quod erat extinctum, sed solum illius monasterium, potius concludendum esset, illos alterius speciei fuisse.

IX. **D**ecimò insertur, nullatenus verum esse, quod scribit libro octauo fol. octauo pag. secunda de hac illius congregatione locutum Diuum Antoninum in secunda parte Historiali titulo decimo quinto cap. vigesimo tertio S. secundo cum dicit: *Nam canonici regulares, qui dicuntur principium habuisse ab Augustino Gemma Doctorum, à regula sua relaxati erant, & deformati: sed reformati à Domino mediantibus duobus eximijs viris, scientijs, & vita præclaris: Nam Diuus Antoninus non dicit, quod ij duo viri reformauerint ordinem canonicum sub binas congregationes, vt suam comprehenderet, quemadmodum hic autor fingit, errorem incurrens, quem Ticinensi imponit eodem libro folio tertio, sed subdit statim, quinā fuerint canonici per dictos duos viros reformati, addēs: Et iā dilatati sunt per Italiā in fratribus, & monasterijs in regulari obseruatiā degentes, & primus horū locus fuit, & est propè Lucā, & dicitur Frisonaria vnde & congregatio illa, quæ sub vno capite gubernatur, dicitur de Frisonaria, & Abbatiam et*

Fesu-

Fesulanam possidet. & postea de hac noua congreg. canonicorum regularium s. Saluatoris de Bononia subdit: *Et post hos alij quidam religiosi ordinis eremitarum segregantes se ab ipso ordine, ut restrictius uiuerent, &c.* Ecce tibi, isti non sunt de illis primis à duobus uiris scientia, & Vita præclaris reformatis, quos Diuus Antoninus dicit à D. Augustino principium habuisse, sed alterius instituti nuper inuenti.

X. 11. **I**nfertur, sine causa eundem autorem nonnullis Historicis, & autoribus succensere toto lib. 8. & supra lib. 2. fol. 54. & lib. 4. fol. 2. & lib. 7. fol. 7. & toto illo volumine, cuius hic est præcipuus scopus, & finis, quod negent hanc suam congregat. originem ducere ab antiquis canonicis Lateranensibus, à s. Augustino, immo à ss. Apostolis institutis, sicut de nostris affirmant: ex quibus Doctoribus præter nostros Ticinensem, & Sinenium, nominat Volaterranum, Syluestrum Maurolicum, Hieronymum Platum, Hieronymum Sorbum, Thomam Bzouiu. potuisset addere Emanuelem Rodericum tomo 1. Quæstionum regularium. q. 3. art. 1. cum è contra, ut inquit, ipsi verè dicere possint, se descendere ab antiquis canonicis Lateranensibus, & illis iunctos, sicut & nostri: & quæ ratione Sixtus Quartus dixit, nostros Frigidonarios descendisse ab antiquis canonicis Lateranensibus, & ab Apostolis, eadem id ipsum de sua congregat. dicere debuisset: & quod ipsi per continuatum tramitem descenderunt à canonicis à D. Augustino institutis. nam etsi hæc omnia illo posses verificare quàm maximè optaremus, quæ nihil nobis obessent, sicut non obest, quod sint in Gallijs, Hispanijs, Belgio, & Alemania complura collegia canonicorum regularium, quos censemus, & pro comperto habemus esse de antiquis canonicis à D. Augustino, vel etiam ab Apostolis institutis: multum verò prodesse, ad amputanda iurgia, & occasiones altercandi de primatu cum admiratione, ac etiam scandalo eorum, qui nostras nugationes legunt. tamen timeo, hunc autorem, suos canonicos esse de antiquis clericis, vel Lateranensibus, vel à B. Augustino, & à sanctis Apostolis institutos, non nisi cum magno labore posse probare, propter duo quorum alterum est, quia notum est lippis, & tonsoribus, illos, non ex antiquis canonicis descendere, sed ex eremitis in domibus eremitarum auctoritate Apostolica canonicos creatos. nam si Pontifex modò unum, vel plura monachorum Benedictinensium, monasteria, aut etiam Capucinorum, in canonicos erigere uellet, & illos monachos canonicos creare, nunquid non essent verè canonici? & tamen risu faceret, qui contenderet illos esse de canonicis antiquis Lateranensibus. siue à D. Augustino, siue ab Apostolis institutis. Secundò quia ad probandam identitatem saltem specificam, requiritur identitas habitus substantialis, siue essentialis, ut notum est, & supponitur pro comperto ex ijs, quæ communiter tradunt scribentes post Glossam in Clementinâ 1. de Electione, in uerbo habitus. Verum istorum

canonicorum habitus etiam substantialis aliqua ex parte uidetur diuersus ab habitu antiquorum canonicorum Lateranensium à D. Augustino, & à ss. Apostolis institutorum, quod ostenditur. nam antiquorum canonicorum Lateranensium substantialis habitus est sola tunica linea, quam sub cappa deferunt, ut Io. Andreas in dicta Glossa communiter receptus tradit, & Benedictus XII. in Bulla Generalis reformationis canonicorum regularium in cap. de forma habitus, & idem autor fatetur: Verum isti canonici præter tunicam lineam habent pro habitu substantiali scapulare laneum cucullatum, quod sapit naturam habitus monastici, & non clericalis. nam quod dictum scapulare sit illorum habitus substantialis, fatetur idem autor lib. 3. fol. 21. pag. 1. maximè sine cuculla, hæc enim illius sunt uerba: *Neque canonico scapulare illud, quod neque accidit canonico, sed substantiale est &c.* & lib. 5. fol. 48. pag. 2. ubi ait, quod habitus professionis est habitus de substantia, & essentia ordinis, iunctis ijs, quæ scribit lib. 6. fol. 18. pag. secunda, & fol. vigesimo 2. & folio trigesimo secundo 2. ubi dicit, scapulare esse habitum professionis, in quo canonici illius congreg. profitentur, qui idcirco non datur Nouitijs, & ita etiam habetur in constitutionibus dictæ congreg. tum antiquis, tum etiam modernis Romæ editis 1612. cap. 19. quod est de professione. Deinde fatetur idem autor lib. 4. fol. 53 pag. 2. illa uerba Bullæ Martini V. per quam canonicos dictæ congregationis admisit ad Ecclesiam S. Saluatoris Bononiensis, retento illorum habitu, licet illi essent diuersi habitus, instituti, & obseruantia ab antiquis canonicis dictæ Ecclesiæ, de habitu essentiali esse intelligenda: illi autem canonici Ambrosiani non erant differentes ab antiquis Rhenanis in habitu, qui est tunica linea, sed quoad scapulare. Ergo illud est habitus essentialis. nam cappa exterior siue esset eadem, siue diuersa, in utriusq. accidentaliter erat habitus, non essentialis. immo scapulare multò magis uidetur habitus substantialis canonicorum dictæ congreg. quàm Rochettum: quia illi Rochettum concedunt etiam Conuersis, ex illorum constitutionibus cap. 8. de Vestibus, quibus tamen non concedunt scapulare, & tandem illud est habitus internus, ut idem autor concedit lib. quinto fol. quadragesimo secundo 2. & quinquagesimo secundo 2. habitus autem internus, idem est, quod habitus substantialis.

Quod autem eiusmodi scapulare sit habitus monasticus, fatetur ipse lib. 3. fol. 17. per totum, & fol. 18, pag. 2. & fol. 22. pag. 2. & quod rem urget lib. 3. fol. 21. pag. 2. ubi scribit, scapulare suorum canonicorum illud idem esse, de quo sub nomine cucullæ loquitur Concilium Aquisgrani cap. 125. hæc namque illius sunt uerba: *Ita illi, qui Ludouico Pio Imperatore in Concilio Aquisgrani eo scapulari usi sunt, sicut & nos utimur, illi correcti, nos à Iulio II. & Calisto III. adhuc retento scapulari, quod non contrarium esset habitui canonico, ueri Canonici regulares D. Augustini*

XI.

gustini decreti sumus. Porro scapulare illud, de quo Concilium Aquisgrani ibi loquitur, esse cucullam monasticam, quæ monachalis est habitus, quamque Concilium ibid. & text. in cap. Mandamus 19. q. 3. canonicis regularibus interdicit, res est tam certa, ut nulla probatione indigeat. Quare licet Papa potuerit novos canonicos instituere, & veros canonicos decernere, & nihilominus scapulare illis præscribere, quod illorum habitus esset essentialis, quæ non negamus, nec negari possunt, addo etiam, decernere illos esse veros canonicos ordinis s. Augustini, & pro talibus habendos. dubium nihilominus remanet, an illi canonici cum illo habitu sic nuper instituti sint verè de illis à B. Augustino institutis, & pars negatiua apparet verior: quia ordo D. Augustini non est corpus naturale, sed mysticum, cui sine sui immutatione noua species canonicorum per autoritatem Apostolicam addi potest. quid enim prohibet? sicut in corpore vnus Reipublicæ ad veteres familias nouæ addi possunt, quæ ex priuilegio sunt verè de corpore Reipublicæ, & tamen non sunt de illis antiquis familijs Reipublicæ, quid enim vetat?

Nec videtur sufficere, quod ait, scapulare non esse habitum professionis, sed signum habitus professionis, vel signum professionis. non enim Doctores alia ratione asserunt, habitum esse de essentia religionis, nisi quia est signum externum professionis internæ, ut notat D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. nec etiam sufficit, quod alibi ait, scapulare cucullatū, vel cū cuculla lata esse habitū monasticum, ceterū sine cuculla, vel cū cuculla stricta, & reformata esse habitum canonicalem. primò quia scapulare, quod Gregorius XII. & etiam Constitutiones recens editæ præscribunt, est cucullatum, & forma à Pontifice præscripta attendenda est, quæ etiam omitti non potest. secundò quod cappucium sit magis, vel minus strictum, non variat speciem cucullæ monasticæ. & demum attendendum est, non quid aliqui autoritate priuata faciant, sed quid ex præscripto legis fieri debeat.

XII. **M**ultò minus verum est, quod idem autor, & ante illum Io. Baptista Signius lib. 1. c. 9. per multas paginas comminiscuntur, scapulare dictæ congregationis esse antiquum habitum claustralium, deferri solitā etiam à canonicis regularibus præsertim Alexandrinis à D. Marco institutis, & à canonicis congregationis D. Marci de Mantua, & à Frigidionarijs, qui postea illud paulatim commutauerunt, vel abiecerunt, nisi forsan æquiuocatio lateat in nomine scapularis, ut sub hoc nomine comprehendantur omnia tegumenta scapularum, cuiusmodi sunt almutiæ, & quas vocant forcaturas, siue varotas, & cappucia, quæ à nonnullis super rochetto in choro deferuntur, de quibus in Constitutionibus Benedicti XII. in cap. de Forma habitus. hoc enim pacto concedimus, esse habitum canonicorum antiquorum, & modernorum, quo omnes passim etiam nunc vtuntur. At loquendo de scapulari, quod est hasta lanæa cum cucullo, qua-

le & monachi, & multi ex mendicantibus deferunt, nego illud fuisse habitum antiquorum canonicorum. & quod non fuerit habitus canonicorum Alexandrinorum, patet ex Cassiano lib. 1. de Institutis renunciantium cap. 7. illorum enim scapularia erant mauortes, quas nunc nos dicimus almutias, quod etiam canonici D. Marci de Mantua, eiusmodi scapulare non deferrent, quidquid somniet Mamphridus, patet ex illorum constitutionibus in cap. de Habitu. illorum enim scapularia erūt tum lanæa, tum pellicea. non ergo erant hastata, ut sunt illa canonicorum huius congregationis: sed erant pelles, & cappucia, quæ nunc super humeros, & brachia à canonicis tum regularibus, tum secularibus deferri solent, qualia scapularia Canonici nostræ congregat. deferunt Lucæ in monasterio S. Frigidiani, iuxta antiquam loci consuetudinem. multò minus verum est, quod nostri Frigidionarij eiusmodi scapularia, siue nigra, siue alba vnquam tulerint, sed sunt imposturæ de frigido cerebro haustæ, quas libro sequenti solida ratione, & demonstratione reiiciemus. illud autem multò magis mirandum, hunc autorem ad probandum quod canonici D. Marci, qui quicunque essent, ordinis D. Augustini non erant, gestarent super rochetti scapularia, allegare Io. Andream in Clementina 2. in verbo Habitus de electione, qui neque ibi, neque in toto libro Clementinarum de istis canonicis, vel vnum verbum habet.

12. **I**nfertur, exili admodum fundamento sub XIII. nixum videri, quod idem autor ait, Allegationes in causa præcedentiæ inter canonicos Lateranenses, & monachos Cassinenses pro eisdem Lateranensibus productas, æquè militare pro canonicis s. Saluatoris, & eosdem canonicos dictæ congregationis s. Saluatoris Bononiensis æquè comprehensos fuisse in eadem causa, & sententiam à Pio Quarto ad fauorem Lateranensium latam, æquè pro suis facere, in qua re probanda toto secundo libro insistit, & lib. 8. fol. 9. pag. 2. nam licet, saluo vinculo charitatis, & amicitia cum RR. Monachis, hoc maximè verum esse optaremus, tamen certum est canonicos dictæ congregationis in eadem causa ne per somnium quidem nominatos, sed neque laborum, vel expensarum participes fuisse. vnde illud in autorem quadrare posset, quod Iurisconsultus ait in l. si non fuerint partes. ff. pro socio. ironiam esse societatem, quæ quis prædæ, & lucri, non autem laboris, & dispendiorum socius esse cupit. Et quanquam maximè desudet tum in propugnaculo Ticinensis tum in Allegationibus per nostros, Cremonæ editis transcribendis, & ad fauorem suorum iurium aptandis, tamen timeo valdè, ne à scopo aberrer. nam totus status controversiæ ad duo capita, seu dubia tandem redactus est, nimirum, an nos essemus de antiquis clericis à D. Augustino, vel ss. Apostolis institutis: & an supposito, quod de illis verè essemus, vti clericis per essentiam ius præcedendi monachos competeret, qui non per essentiam, sed ex accidenti, siue ex dispensatione sunt clerici, qua-

quare ut iura pro nobis allegata, & sententia pro nobis lata suis prodesse possit, probandum erit, quod sui sint de veris, & antiquis clericis à D. Augustino, & à ss. Apostolis institutis, ad quod probandum non sufficit aliorum dignitatem imminuere, vel aliorum iuribus decahere. nam per hoc, quod domum vicini demolimur, & deprimimus, nostram non erigimus, nec subleuamus.

Caput quinquagesimumquartum.

De quibusdam alijs Congregationibus Italicis Canonicorum Regularium.

I. **R**ater congregationes numeratas fuerunt, & sunt etiam in Italia, aliæ nonnullæ, licet numero familiarum multò minores, ut quæ duo, vel tria monasteria ad summum non excedant. Hæ fuerunt congregatio Scholarium apud Bononiam, s. Iacobi Cellæ Volanæ in Episcopatu Comaclij in Roman-diola, & nunc sunt congregatio s. Spiritus Venetiarum, & s. Petri de Monte Corbulo in Hetruria.

Congregatio Scholarium fuit instituta apud Bononiam ante annum 1200. à nonnullis Scholaribus Bononiæ causa studij commorantibus. de qua Iacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis Episcopus Tusculanus in sua historia Occidentali cap. 27. hæc scribit: *Est alia Regularium canonicorum Deo grata, & hominibus gratiosa congregatio extra ciuitatem Bononia, non longè ab ea in castris eterni regis militantium, & eidem sub vnius maioris obedientia in seruire spiritus, & mensis excessu tam deuotè, quàm humiliter seruientium. Hi siquidem ad eo expediti post Dominum currunt, & nudi nudè sequuntur, quod omnem exteriorum curam, & temporalium possessionè à se penitus reiecerunt, omnia transitoria tanquam stercorea reputantes, ut Christum lucrifaciant. Sapienter enim pensantes, & prudenter attendentes, quod sufficit diæ malitia sua, in tantum de crastino non cogitant, quod elemosynas aliquas à fidelibus non recipiunt, nisi quantum sobria visa sua ad arctam necessitatem possit sufficere. Tribus in hebdomada diebus carnes, suis apponantur, non recusant, in refectorio manducantes, & in dormitorio quiescentes, & Horas Canonicas secundum D. Augustini regulam pariter in Ecclesia in voce exultationis, & confessionis Domino concinentes, immolantes Deo sacrificium laudis, & reddentes Altissimo vota sua. Ipsi autem ex numero Scholarium Bononia causa studij commorantium in unum Domino inspirante congregati, diuinarum scripturarum lectiones, uno eorum docente, singulis diebus audiunt, quæ autem diligenter audierint, Summi Pontificis auctoritate & S. R. E. institutione Christi fidelibus diebus festis in prædicationis, & doctrinæ gratia decorantes, & Prædicatorum ordinem Canonicorum ordini coniungentes. Hæc igitur dulcis mixtura bonorum multos ad imitandum allicit, prouocat, & accendit,*

& diebus singulis sancta, & honesta Christi scholarium Congregatio, & numero ampliatur, & charitate dilatatur. Attendentes enim sapienter fortes Athletæ Iesu Christi, quod nullum Sacrificium magis placitum sit Deo, quàm zelus, & salus animarum, & quod anima, quæ impinguat, impinguabitur, sumentes in vastis suis de optimis terræ fructibus, & ferentes viro munera, aquas suas in plateis diuidunt, & fontes eorum deriuantur foras, in agro Domini fructum centesimum recepturi unanimiter laborantes, ut animas peccatorum de faucibus Leuitan extrahentes, postquam ad scientiam eruderint multos, fulgeant tanquam stellæ in perpetuas æternitates

Vbi verò, siue in quo monasterio hæc congregatio fuerit instituta, nunquam reperire potui, nam tempore Iacobi de Vitriaco non solum in ciuitate Bononiæ, sed iuxta illam in Suburbij, vel collibus, aut agris vicinis multa canonicorum erant monasteria. si diuinare liceat, suspicor hanc congregationem erectam in monasterio s. Victoris primò quòd in literis Apost. præsertim Martini V. inueniatur illud monasterium fuisse caput aliorum monasteriorum, nam sub illo erat monasterium s. Ioannis in Monte in ciuitate. secundò quòd locus esset prope ciuitatem, vnde diebus festiuis canonici in ciuitatem ad verbum Dei prædicandum sese recipiebant. tertio quòd ipsum monasterium s. Victoris multorum doctissimorum virorum diuini, & humani iuris peritia clarissimorum olim domicilium esset, ut ex antiquis monumentis illius apparet, licet multæ scripturæ ad illud attinentes bellorum, ruinis, rapinis, & vastationibus perierint, ob quas apud Martinum V. iam annis quinquaginta ipsum monasterium debito numero canonicorum erat destitutum.

Congregatio s. Iacobi Cellæ Volanæ instituta II. Cest in Episcopatu Comaclensi in monasterio vetustissimo canonicorum, dum Archiepiscopi Rauennatenses quædam monasteria canonicis dicti monasterij tenenda, & secundum illius institutiones reformanda tradiderunt, ex quibus fuerunt monasteriū s. Adalberti in loco, qui nunc vocatur s. Albertus, necnò monasteriū s. Laurentij in Cæsarea foris Rauennâ, quod erat monachorū ordinis D. Benedicti, sed cū disciplina monastica penitus in eo defecisset, an. 1266. Philippus Rauennaten. Archiep. canonicis s. Iacobi Cellæ Volanæ reformandum comisit, publico instrumento vnionis confecto, sub hac forma.

In nomine Domini amen. Anno à natiuitate eius 1266. die 11. Nouemb. Indictione 9. Argentè in camera venerabilis Patris Domini Philippi Archiepiscopi Rauennaten. presentibus venerabilibus Patribus Domino Guido Leste Episcopo Pistoriensis &c. Saluator mundi ad patiendum rediens, commissa B. Petro, & in ipsius persona suis successoribus super cunctos generali iurisdictione, ac plenissima potestate, Apostolos per uniuersum mundum ad prædicandum misit, suis successoribus Episcopis tradita potestate in grege sibi commisso, ut euellant, & dissipent, & discent,

atque plantent, de ipsorum manibus gregis eiusdem sanguinem requisiturus, cum in tam diffusa commisionis, & protectionis custodia generalis Christi Vicarius ubique dirigere nequeat suae considerationis aspectum, reparando singula, cui sunt tradita uniuersa, ad instar illius, qui cum sit totus ubique, facit tamen Angelos suos spiritus, & ministros suos igne uerentes. Igitur nos Philippus Dei, & Apostolica gratia s. Rauennatensis Ecclesiae Archiepiscopus ad re-
stitutionem, & reformationem Ecclesiarum nostrae custodia commissarum solita benignitate, ac sollicita, & debita sollicitudine intendentes, cum inuenerimus monasterium s. Laurentij in Caesarea prope Rauennam ordinis s. Benedicti, quod olim per nigros monachos consuevit gubernari, collapsum in spiritualibus, & quasi totaliter in temporalibus etiam destitutum, & facta inquisitione, & examinatione habita diligenti, non possimus de monachis eiusdem ordinis sine iactura irreparabili ipsum monasterium restaurare, ex quibus destructio, & desolatio eiusdem monasterij iam processit, eodem monasterio nunc vacante, & nullo ibi monacho existente, prouidimus, atque disposuimus, habentes praeculis solum Deum, ipsum monasterium de religiosis, honestis, & discretis fratribus ordinis s. Augustini reformare. Quare iam dictum monasterium cum omnibus suis iuribus, actionibus, possessionibus, bonis, & rebus omnibus, honoribus, & oneribus eiusdem monasterij de consensu fratrum nostrorum Sinibaldi Archidiaconi, & Druidonis Praepositi Ecclesiae Rauennaten. praesentium concedimus, unimus, ac supponimus tibi presenti D. Vbertino Praeposito, ac Syndico Prioris, ac conuentus Ecclesiae s. Iacobi Cella Volanae recipienti, & stipulanti nomine, & vice ipsius Prioris, & conuentus, & pro ipso Priore, & conuentu, seu Ecclesiae supradictae, & ipsi Ecclesiae, & canonice s. Iacobi Cella Volanae ordinis s. Augustini Comacensis Diocesis, ita quod de caetero vnus, & idem sit Rector, administrator, & gubernator, & Prior, & Canonici ipsius Canonice s. Iacobi, & monasterij praebati, saluis, & reseruatibus nobis, & Ecclesiae Rauennatensis in ipso monasterio, & Rectore, iuribus, rationibus, & consuetudinibus, & honoribus omnibus, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, utraque lege Iurisdictionis scilicet, & ditione habetis praestitis, consuetis, & debitis nobis, & Ecclesiae Rauennatensis, ita quod per unionem huiusmodi nobis, successoribus nostris, & Ecclesiae Rauennatensis in aliquibus supradictis praedictum nullum fiat, quae omnia, & singula supradicta &c.

III. **E**T licet ex forma unionis videatur istud monasterium s. Laurentij eidem canonice s. Iacobi taliter unitum, ut vnus, & idem in utrisque monasterijs esset Prior, constat tamen in eodem erectum conuentum canonicorum sub Priore distincto a Priore, & conuentu s. Iacobi cum subiectione tamen ad ipsum Priorem s. Iacobi ex multis literis Apostolicis. reperitur autem idem monasterium de an. 1396. postea unitum canonicis s. Mariae in Portu, forsan quia canonici s. Iacobi illud cesserant, quibus vice versa reperiuntur ipsi Portuenles alia

bona, & iura cessisse, quae habebant in Episcopatu Comacensi.

Præter supradicta monasteria ad eandem congr. spectabant Ecclesia s. Iuliani prope Fauentiam, quam canonici s. Iacobi an. 1222. accepta compensatione concesserunt mensæ Episcopali Fauentinae. Item Ecclesia Parochialis loci Mordani, cum alia Ecclesia quae nunc tenent FF. Minores Conuentuales, quae omnia constant authenticis scripturis existentibus Ferrariæ in canonica nostra Abbatiali s. Io. Baptist.

Verum omnia hæc monasteria nunc solo sunt æquata, nam monasterium ipsum s. Iacobi nostrae congregationi unitum, prope Ferrariam ob aeris intemperiem translatum est, loco Cellæ Volanae omnino destituto. Similiter monasterium s. Laurentij, quod ab Eugenio IV. eidem congr. fuerat unitum, paucis ab hinc annis in quadam ciuitatis Rauenn. munitione, quod urbi esset nimis propinquum, euersum est, illius materia pro ædificio noui templi s. Mariae in Portu infra ciuitatem à Sede Apostolica concessa, in quo sinistro latere sacellum D. Laurentio sacrum ad antiqui monasterij memoriam cõseruandam, erectum est. monasterium uero s. Adalberti cum vico ab eo cognominato sæpius capto, combusto, & euerso destructum, tandem redactum est in Archipresbyteratum secularem.

Ex hac congr. prodijt Blasius de Nouellis Ferrariensis Lateranensis Basilicæ Pœnitentiarius, & deinde Adriæ Episcopus, qui cum esset Prior Monasterij s. Iacobi Cellæ Volanae, primò sui monasterij reformationi ex animo incubuit. Verum cum eam difficilem deprehendisset, illud nostrae congr. paulò ante reformatæ unendum curauit, cum quo ipsam congr. ingressus aliquot annis sanctissimè nobiscum vixit, ad Episcopatum Adriaticum postea assumptus, quem cum laudabiliter rexisset, non sine sanctitatis opinione ex hac vita ad coelestem migravit: cuius corpus Ferrariæ in Ecclesia nostri monasterij fuit tumulatum.

IV. **C**ongregatio s. Spiritus Venetiarum sub Martino V. suam originem habuisse dicitur circa annum 1424. in monasterio s. Spiritus prope Venetias, quod antea fuerat canonicorum regul. circa annum 1140. fundatum, sed postea circa an. 1380. canonicis destitutum monasterio Abbatiali s. Michaelis Brunduli unitum. Autores huius congr. feruntur quatuor clerici nobiles Veneti seculares, videlicet D. Andreas Bondimerio, D. Michael Mauroceno, D. Philippus Paruta, & D. Fraciscus Cõtarenno. hi zelo vite cõmunis, & religiosæ inflammati primùm apud locum intra lacunas s. Mariae de Nazareth cõuenientes, ubi erat monasterium eremitarum ord. s. August. Magistro Gabrieli Spoletano eximio illorum temporum concionatori, & eius loci Priori se ipsos tanquam Patri spirituali instituendos tradiderunt, cuius hortatu ipsum ordinem eremiticum ingressi, & professi, & de virtute in virtutem in dies proficientes paulò post monasterium s. Danielis in agro Patauino Abbate commendatario concedente, obtinuerunt. verum Abbatia alij collata, negotium

tium è manibus dissiluit. quare in Patriam reuersi, monasterium s. Spiritus Abbate Brundulensi concedente obtinuerunt, & canonicum ordinem in eo renouauerunt. nam an. 1424. ex commissione Martini Papæ Quinti, dimisso eremitico, canonicum habitum, & institutum sumpserunt, per manus D. Petri Marcello Episcopi Patauini, in cuius manibus iterato professionem emisertunt. Electus est Prior D. Andreas Bondimerio, qui multis annis ipsum monasterium religiosissimè gubernauit. Postea aliud monasterium Patauij obtinuerunt, quod S. Michaëlis dicitur. Priores habent annuos, per quos reguntur: Visitatores verò per singulos annos ex concessione apostolica ex alijs ordinibus, sine claustralium, sine mendicantium sibi deligunt, sub protectione Serenissimi Principis Venetorum degunt, Ex monasterio S. Spiritus prodierunt ipse D. Andreas Bondimerio ex Priori Patriarcha Venetiarum III. in ordine anno 1460. electus, & confirmatus, & D. Philippus Paruta, qui assumptus est ad Archiepiscopatum Cretensem anno 1458.

V. **C**ongregatio s. Petri de Monte Corbulo circa tempora Iulij Papæ II. fuit instituta. Ex Volaterrano lib. 21. locus primæ foundationis mons Corbulus in Episcopatu Florentino, sed propè ciuitatem Senarum milliario circiter duodecimo. autor quidam Petrus Regiensis, vel Mediolanensis, vt alijs placet, qui antea fuerat monachus Cartusianus, immo, & canonicus s. Saluatoris Bononiensis, vt Mozzagrugnus lib. 1. in fine scribit, qui cum in Francisci de Soderinis Volaterrani Episcopi, & Alexandri VI. Referendarij familiaritatem, & amicitiam deuenisset, eius fauore fretus in eo loco in Ecclesia Diui Michaëli nuncupata dictam congregationem inchoauit, sub inuocatione, & titulo Beati Petri Apostoli, quam à Iulio II. confirmatam scribit Volaterranus, aut à Leone X. vt autor est Benedictus de S. Geminiano eius congregationis canonicus. Addit Iosephus Mozzagrugnus ex Annalibus dictæ congregationis locum primarium institutionis non fuisse in Monte Corbulo, sed monasterium s. Mariæ de Bibona in Maritimis Pifanis, Volaterranæ tamen Diocesis. Habitus canonicorum dictæ congregationis ab initio fertur fuisse tunica grisei, seu leonini coloris, super quam rochetum, & super illo almutiam, siue cappucium ferebant. Verùm anno 1521. mutatus est color griseus in nigrum, & assumpta chlamis nigra, ad instar canonicorum s. Frigidiani Lucæ. Hi canonici in magna abstinentia, & paupertate viuunt, antiquorum clericorum Apostolicorum vitam, & mores æmulantes, operibus charitatis incumbentes, & de labore manuum viuentes, & in communi operantur omnia. Solitudinem diligunt, hospitalitatem sectantur, quorum mores, ac vitam vitanam vrbaniæ imitarentur. Horum meminerunt Volaterranus, Trullus lib. 1. cap. 10. & Mozzagrugnus loco citato, & alijs, ad quos remitto.

Caput quinquagesimū quintum.

De Congregationibus Canonicorum regularium Gallicanis, & reformatione facta per Beatum Iuonem in Ecclesia Beluacensi S. Quintini.



Seculum vndecimum, & duodecimum fausta, & scelericia multarum Ecclesiarum reformatione, & etiã fundatione plerarumque canonici ordinis congregationum in varijs mundi partibus extiterunt. I. nam quo tempore in Italia per canonicos sancti Frigidiani, Portuenses, Mortarienses, Bononienses, & alios fuit reformatus, & sub varijs congregationibus reparatus eodem in Gallijs, Hispanijs, & in Belgio per sanctos viros Iuonem, Theotonij, & alios legitur restitutus, & multarum congregationum institutione similiter propagatus. Cæterum de Gallicanis congregationibus verba facturi, à reformatione facta in Ecclesia sancti Quintini Beluacensi per B. Iuonem illius Ecclesiæ Præpositum, ac deinde Carnotensium Episcopum sermonem exordiemur. De hac enim reformatione Sigibertus Gemblacensis autor illorum temporum in suo Chronico sub anno 1078. scribit: *Ab hoc tempore cepit restorere in Ecclesia B. Quintini Beluacensi canonicus ordo, primùm ab Apostolis, postea à Beato Augustino Episcopo regulariter institutus, sub Magistro Iuone venerabili eiusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo.* His consentiunt Vincentius Beluacensis in Speculo Historiali, & ex illo D. Antoninus in 2. parte Historiali tit. 15. cap. 16. in fine, vbi eadem vtriusque autoris verba repetens, ait: *Circa annum Domini 1080. cepit restorere in Ecclesia S. Quintini Beluacensi ordo canonicorum regularium, primùm ab Apostolis, deinde à Beato Augustino Episcopo, & Doctore eximio regulariter institutus sub magistro Iuone venerabili eiusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo, qui post Isidorum fecit compilationem antiquorum Decretorum.* Astipulatur autor Supplementi Chronici. lib. 12. sub anno 1106. vbi de eodem Iuone differens inter alia huius sancti viri egregia facinora hoc memorat, quod cum incredibili sanctitate, & humilitate insignitus esset, etiam ordinem suum in Gallijs collapsum mirificè reformauit, & lib. 14. in vltima illius editione, ipso adhuc autore superstitite, & recognoscente edita anno 1506. fol. 363. inquit: *Ordo canonicorum regularium ab Apostolis primùm institutus, indeq; à Beato Augustino apud Hipponem Africæ urbem diuinis institutionibus decoratus restoruit, varijs postmodum temporum successibus in Hispanijs, Gallijs reliquisque per orbem regionibus, & per Italiam mirum in modum*

est profusius dilatatus, sed apud Burgundiam in Beluacensi Ecclesia sub magistro, sanctoque viro Iuone eiusdem Ecclesie Præpositio ad pristinam eiusdem ordinis obseruantiam esflorere cœpit vigesimo secundo imperij Henrici IV. anno. Allegat Vincentium, Antoninum, & autorem fasciculi temporum, & longius rem prosequitur, concordatque Onuphrius in Chronico sub anno 1080. Multa, ea que præclara in huius sanctissimi viri commendationem, ac illius doctrinæ, necnon constantiæ in eius seculi vitijs, & luxu arguendis, & corrigendis, & disciplina clericorum penè soluta reparanda, scribunt passim Historici, & in primis Cardinalis Baronius tom. I. I. qui hoc solum omittit, quod alij summæ illius laudi tribuunt, illum, & canonicum regularem, & canonici ordinis reparatorem in Gallijs extitisse. Verùm qui ea solum perfequimur, quæ ad ordinis reformationem, siue reparationem spectant, illis prætermittis, duas tantum epistolas proferemus, ex quarum altera apparet, hunc sanctum virum ex regulari canonico ad Episcopalis dignitatis gratiam euectum fuisse: ex altera verò illum non solum, in Præpositura sancti Quintini, verùm etiam in Ecclesia, & Episcopatu Carnotensi clericos canonicos habuisse. Prior epistola est Urbani Papæ Secundi ad Richerium Archiepiscopum Senonensem, qua illum de huius sancti viri assumptione ex ordine canonicorum regularium, & de illius consecratione in Carnotentem Episcopum certiorum reddit. Exemplum Epistolæ hoc est.

II. **V**Rbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Richerio Senonensi Archiepiscopo salutem, & apostolicam benedictionem. Quantas pro Gaufrido quondam Episcopo Carnotensi Ecclesia molestias sustinuerit, quante ad Apostolicam sedem querela perlata fuerint, dilectionis tue sireuuitas recognoscit. tandem rei veritate diligentius perquisita largiente Domino iustitiæ satisfecimus, & ab ipso in nostris manibus sine cuiusque tenore conditionis Episcopatus refutatus est, tunc ad suam fraternitatem scripta direximus, rei gestæ ordinem indicantes, & ut tuum Carnotensibus ad eligendum, & consecrandum antistitem, auxilium præberes flagitantes. Nostra itaque Carnotenses fultu locutione, venerabilem præbiterum Iuonem ex ordine canonico in Episcopum ordinauerunt. Cum autem consecrationis gratiam pro more Ecclesie petiisset, tua ei fraternitas manus imponere recusauit. ad nos ipsi venientibus, & consecrationis eiusdem gratiam postulautibus, nos qui viri religionem iam dudum noueramus, ac eius eligendi licentiam dederamus, petitioni iusta deesse nequiuimus. Consecratum igitur eum salua Ecclesie tue obedientia remittentes, dilectionis tue dulcedinem postulamus, ut omni litis famite consopito, benignitate eum debita complectaris, & ad Ecclesie regimen auxilium tuum largiaris. Porro Gaufridum, si Episcopatum relinquere, aut Ecclesiam infestare voluerit, ipsum, ipsiusq; fautores anathemati subiacere decreuimus. vale.

Altera epistola est ipsius Iuonis ad Petrum III. Pictauiensem pro quodam canonico regulari quem idem Petrus multis precibus ab ipso Iuone postulatum, & obtentum, ut cuidam suæ Ecclesie præficeretur, ac etiam canonicè electum, ut Abbatis. Cypriani satisfaceret, confusum ad suum monasterium remiserat. exemplum autem Epistolæ hoc est.

Reuerendo in Christo Fratri Petro Pictauiensi Episcopo Iuo humilis Ecclesia Carnotensis seruus. Sic bona plantare, ut non studeat bona conuellere. Si fraternitatem vestram in ius vocare possemus, quantum saluo charitatis vinculo possit fieri, iure a vobis multas exposularemus iniurias, partim communes, partim, proprias: quia clericum in Diocesi nostra Deo militantem, & pro pulchritudine, & dulcedine vita contemplatiue fontis totis desiderijs inbiantem, ad publicum redire quietem suam interrompere, vestra admonitione, vestra auctoritate compulsi. Quem cum vobis ad regimen cuiusdam regularis Ecclesie Diocesis vestre vestris episcopis crebro compulso concessimus, & canonicè electum ab ipsa Ecclesia transmissimus, non satis aptam a vobis passus est repulsam, quam præpostero ordine disceptare cœpistis, quando iam facta a fratribus, & collaudata a vobis eius electio in Prioratus sui sede eum sublimare noluisistis. in quo & illi fratri non modicam intulistis verecundiâ, & amico vestro non minimam fecistis iniuriam: non enim erat tanta precum instantia ab amico postulandus, qui ad iniuriam doni, & donantis tam facile mutata sententia fuerat refutandus. Nec satis tuentur fraternitatem vestram literæ Domini Papæ, quibus dictandis altari interfuimus, quæ confirmat Abbati sancti Cypriani ius illud prædictæ Ecclesie, quod se habere dicebat ex legitima concessione quorundam Monachorum, qui ut audiuimus, quietam possessionem clericorum approbant. Monachorum verò sancti Cypriani intrusionem prorsus improbant. Ad hoc prædictus Abbas modis omnibus nitebatur, ut prædictæ Ecclesie Prioratus ei a Domino Papa concederetur, quod Dominus Papa nobis reclamantibus, & libertatem clericorum pro posse nostro defendentibus, facere noluit, præcauens, sicut ipse dicebat, ne per hanc occasionem prædictus Abbas clericos moliretur excludere, & Monachos suos intrudere. Clericorum verò ordini publicam inferitis iniuriam, qui Monachorum ordinem ad tam ruinofam erigitis superbiam, ut clericos eis subiugare studeatis, quorum tanta debet esse excellentia, ut secundum Beatum Patrem Augustinum vix etiam bonus monachus bonum clericum faciat. Sed quia Clericus ista dixit de clericis, audamus monachum dicentem de monachis. dicit enim Hieronymus: Monachus non docentis, sed dolentis habet officium, & alibi: Clerici oues pascunt, ego pascor, & alibi: Si cupis esse, quod diceris monachus, id est salus, quid facis in uribus, quæ utiq; non sunt solorum habitacula, sed multorum. Habet unumquodque propositum principes suos

suos, & ut ad nostra veniamus, Episcopi, vel Presbyteri habent ad exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem habere nitantur, & meritum nos autem habemus propositi nostri Principes Paulum, Antonium, Iulianum, Hilarionem, Macharium, & alibi: Mibi oppidum carcer, & solitudo Paradisus, quid desideramus Urbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Possemus in hunc modum multa colligere de privilegio clericorum, & subiectione monachorum, nisi vitaremus prolixitatem epistole. nec tamen ista dicendo monachorum religioni detrahimus, immo ut verè monachi sint, id est verè singularem sectentur viam, tota mente desideramus. Laudamus quidem eos, si non transgrediantur terminos à Patribus suis positos, & tunc magis esse beatos, quam subesse magis studuerint, quam preesse, cum humilitas, & obediencia sit eorum summa prouectio: ambitio verò, & superbia lamentabilis, & superba deiectio. Hæc & his similia diligenter attendite, & ordinem clericorum, in quo estis, & cui estis, & cui Deo autore præestis, ad meliora prouocando honorate, & nulli alij ordini eum contra morem Ecclesiasticum subiugare permitte. Valete.

IV. **E**X his epistolis habes primò, beatum Iuonem ad apicem Episcopalis dignitatis ex ordine canonicorum regularium assumptum, quod omnes Historici aduertunt, vno excepto Cardinali Baronio. Secundò colligitur, beatum Iuonem non solum in Ecclesia sancti Quintini Beluacensi, verum etiam in suo Episcopatu Carnotensi clericos canonicos, siue regulares habuisse: nam clericus ille, quem Petrus Pictauiensis Episcopus postulauerat, de Diocesi Carnotensi erat, non de Beluacensi. Tertiò, quod quemadmodum tempore ipsius beatissimi Patris Augustini clerici ab illo reformati certatim à propinquis Episcopis, & ciuitatibus in Rectores suarum Ecclesiarum præficiendi postulabantur, ita etiam clerici regulariter reformati per hunc venerabilem virum sanctum Iuonem. Quartò habes hinc etiam zelum feruentissimum huius sancti viri in dignitate suorum clericorum more alterius Augustini, aduersus conculcantes ordinem canonicum acerrimè defendenda. Ne autem existimes, illum Carnotensium canonicorum curæ incumbentem, suorum Beluacensium sollicitudinem neglexisse, lege aliam illius epistolam, quam ex Episcopatu Carnotensi scribit ad Manasse Remorum Archiepiscopum, in qua inter alia hæc habet: *Quam crebris luporum incurfionibus aggrauata sit Beluacensis Ecclesia, non est necessarium vestram docere prudentiam: sed quia illa me genuit, & fundamenta Religionis in me posuit, cum illa infirmatur, non possum non infirmari; & rursus in alia ad suos canonicos Beluacenses; Præsens animo, corpore verò præsens exopto, & exhortor, ut pacem sectemini, & sanctimoniam. hæc vouistis, hæc debetis, hæc exhibeatis magis: per hæc bono odore diffuso, qui hæcenus à vobis processit, & facultates Ecclesie vestre multiplicabitis, & de virtute*

in virtutem ut filij pacis, in pace in idipsum dormietis.

V. **Q**uintò colligitur etiam ex supradictis epistolis, quam ob causam beatus Iuo, etsi nullius certæ congregationis autor fuerit, sed solum Beluacensem sancti Quintini præposituram, & alias in suo Episcopatu canonicas reformauerit, dicatur nihilominus canonici ordinis in Ecclesia Gallicana restaurator, id namq; duplici ratione verisimè dicitur. Et primò quidem, quia quemadmodum Episcopi Africani videntes clerum Hippo-nensem à Diuo Augustino reformatum, eius exemplo certatim suas Ecclesias regulariter instituere cœperunt, vnde reformatio per beatum Augustinum Hippone inchoata, breui per omnes Africæ, ac etiam aliarum Regionum prouincias obtinuit: ita exemplo beatissimi Patris Iuonis Episcopi, etiam alij Prælati Galliarum suos clericos iuxta normam antiquæ disciplinæ canonicæ instituere, seu potius restituere cœperunt. Secundò quia quemadmodum clerici à beato Augustino instituti ad cathedrales, & alias inferiores Ecclesias assumpti, ipsi quoque in suis Ecclesijs canonicos regulariter viuentes instituere cœperunt: ita clerici per sanctum Iuonem reformati, ipsi quoque alias Ecclesias reformare cœperunt.

Hinc demùm colligitur, vnde Ioachimi error corrigatur, qui alijs errandi occasio extitit, asserentibus, canonicos regulares, qui nunc sunt in Gallijs vel in Italia, non esse de illis à sanctis Apostolis institutis, & per beatum Augustinum, & alios Episcopos reformatis, & olim in cathedralibus existentibus, sed longè postea per beatum Arnulphum Episcopum Lugdunensem institutos, & ab illis prioribus diuersos: & de istis posterioribus loqui sacros canones, & Benedictum XII. in Bulla Generalis Reformationis, quod dixerunt Emanuel Rodriguez tom. 1. quæstionum Regularium, quæst. 3. art. 1. & ante illum Hieronymus Romano ab eodem relatus, & autor supplementi Chronicorum lib. 12. sub anno 1106. & 1107. & Antonius Massa Galleus in Allegationibus pro monachis Cassinensibus pagina 151. num. 31. & Ioannes Marquez Eremita Augustinensis supra cap. 2. relati. Errat enim primò, dum inquit canonicos regulares, qui nunc sunt in Gallijs, originem habuisse anno 1100. cum saltem dicere debuisset, originem habuisse circa annum 1080. ante quod tēpus iam beatus Iuo suam Ecclesiam reformauerat. Secundò cum ait, canonicos regulares in Gallijs, & in Italia à beato Arnulpho cœpisse, cum antea existerent in Gallijs canonicis per B. Iuonē reformati, & alij de quibus supra in progressu dictum est, ac etiam in Italia. Tertiò cū inquit, istos, qui nunc sunt, esse alterius rationis ab antiquis Cathedralibus, cum ius canonicum, & S. Concilia, & signanter literæ Benedicti XII. indistinctè de omnibus loquantur, & omnes illos eiusdem naturæ, ac instituti supponant. Sed de his supra cap. 2. dictum est, & inferius etiam cap. 68. aliquid addemus.

Caput quinquagesimum sextum.

De Congregatione Gallicana canonicorum Regularium sancti Rufi nuncupata.

I.



Icturus de antiqua, & præclara congregatione canonicorum sancti Rufi nuncupata, priusquam de illius primordijs, & procursum edifferam, nonnullos scribentium errores circa illius originem, tempus, & locum primariæ institutionis, ac etiam institutores retegendos, & refellendos necessarium existimaui. nam omnes ferè quotquot de hac ipsa congregatione scripsisse reperi, vaniloquum Prophetam, Ioachimum secutos, vel circa illius autorem, vel circa titulum, vel locum, vel tempus institutionis, vel tandem circa ipsum institutum hallucinatos, & deceptos inueni.

Primus autem scribentium error circa hanc congregationem fuit illorum, qui crediderunt, illam ab autore sancti Rufi nuncupatam, cum rei veritas sit, non ab autore sic dictam, sed ab Ecclesia, in qua prima ipsius fundamenta sunt constituta, quæ fuit Ecclesia sancti Rufi iuxta ciuitatem Auenionensem, vbi beati Rufi Christi discipuli, & primi illius ciuitatis Apostoli, & Episcopi sacra pignora quieuerunt, vt statim ostendemus.

Secundus error ferè communis fuit illorum, qui crediderunt, locum primarium illius institutionis fuisse prope ciuitatem Valentiam in Delphinatu nam secundum rei veritatem is locus non fuit Ecclesia sancti Rufi iuxta Valentiam, sed iuxta ciuitatem Auenionensem, licet circa annum Domini 1210. primo illo monasterio apud Auenionem per Hæreticos Albigenes vastato, & euerso, canonici Valentiam commigrantes, ibiq; nouam Ecclesiam sub titulo sancti Rufi excitantes consisterint, eandem Ecclesiam in caput vniuersale congregationis erigentes. Quod & Renatus Choppinus in suo Monastico lib. 2. tit. 1. S. 20. notauit, & satis euidenter ostendit literæ Paschalis Secundi ad Odoxenū Abbatem anno 1115. sub hac forma directæ: *Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Odoxeno Abbati canonice sancti Rufi, qua in Episcopatu Auenionensi est, eiusq; successoribus regulariter instituta in perpetuum. Religiosis desiderijs dignum est facilem præbere assensum, ut fidelis deuotio celerem sentiat effectum. ut prouida nos deuotione tuis precibus adiuues, beati Rufi Ecclesiam, cui Deo autore præses, cum omnibus ad ipsam pertinentibus sub tutelam Apostolicæ Sedis excipimus &c.*

Tertius error etiam communis fuit illorum, qui dixerunt cum eodem Abbate Ioachimo, hanc congregationem anno 1100. vel postea institutam. reuincitur autem hic error ex literis Urbani Secundi anno 1092. ad Abbatem sancti Rufi directis, quarum meminit Renatus Choppinus loco proxime

allegato, ac etiam Innocentius Octauus in privilegio eidem congregationi facto, & statim subiungendo, quibus literis ipse Urbanus monasterium sancti Rufi magna tunc laude sanctitatis celebre insigni privilegio communiuit, quas literas Ioannes Mauburnus lib. 1. Venatorij cap. 2. in principio & cap. 9. dicit suo tempore in Archiuo sancti Rufi Valentia extitisse, vt ab eius loci canonicis acceptat: casq; magna ex parte refert. directæ sunt Adalberto Abbati, & fratribus illius vitam canonicam professis, quibus institutionem canonicam miris laudibus extollit, illorum institutum probat, & districtè prohibet, ne cui liceat illum statum: *Quia, inquit, tantus in tot terrarum partibus fructus exuberat, ut plures Ecclesie vestri saporis dulcedine condiantur.* in alterum commutare.

Quartus error pariter communis fuit circa illius autorem, quem alij fecerunt quendam beatum Arnulphum Episcopum Lugdunensem, alij beatum Rufum Episcopum Auenionensem, alij Arnulphum cum Ruffo confundentes, aut Arnulphum Auenionensem, aut Rufum Lugdunensem Episcopum asseruerunt, quæ omnia illorum pace diuinando, verius errando dixerunt. Primò quia huius Rufi, siue Arnulphi, qui dictæ congregationis autor fingitur, nulla apud canonicos dictæ congregationis, siue ex vetustis illorum monumentis, siue ex maiorum traditione noticia habetur. Secundò quia præter beatum Rufum Christi Domini discipulum, & primum Auenionensem Episcopum nullus Rufus siue Arnulphus in Catalogo Episcoporum Auenionensium, aut etiam Lugdunensium notatus reperitur, saltem ab anno 1000. vsque ad 1200. Scio quidem memorari à Trithemio in Hirfaugia sub anno 1128. necnon à Platina in vita Honorij Secundi quendam Arnulphum, quem ferunt ex Gallijs in Italiam descendisse, per omnes ciuitates discurrerentem, vitia exaggerantem, populos ad poenitentiam hortantem, & demum Romæ, quòd luxum, & scandala clericorum vehementius obiurgaret, clam sublatum, nec tanti sceleris autores inueniri potuisse. Verùm esto ille de congregatione sancti Rufi prodierit, tamen Lugdunensis, aut etiam Auenionensis Episcopus esse non potuit, vt legenti Catalogos Episcoporum dictarum Ecclesiarum planum erit, sed nec etiam primus fundator eiusdem congregationis, quæ antea illius incunabula celebri iam fama coruscabat.

Quintus error est nonnullorum asserentium, canonicos dictæ congregationis non esse verè de illis à Diuo Augustino, & à sanctis Apostolis institutis, qui error ex superius dictis manet refutatus, & ex statim dicendis clariùs adhuc patebit.

V Era itaq; prædictæ congregationis institutio, II. diu, multoq; labore conquisita, tandemq; diligentia Reuerendissimi Patris Domini Gulielmi Emanuelis de La Fey Abbatis Generalis ex antiquis tabularijs accepta, & ad me nuper transmissa hæc est. Cum circa annum nostræ salutis 1000. cathedrales s. Mariæ Auenionensis canonici, quos ab

ab illorum institutione vsque ad Iulij Papæ Secundi tempora regulares fuisse, superius ostendimus, canonicæ disciplinæ iugum, & vitæ communis vinculum soluere, & abijcere cœpissent, quatuor ex illis pietate, & religione præstantiores, grauius admodum ferentes, disciplinam regularem in eorum conuentu relaxari, à conuocato capitulo Ecclesiam quandam perexiguam sancti Rufi ciuitati propinquam sibi concedi postulauerunt, & ab eodem venerando capitulo cum terra eidem adiacente obtinuerunt. Condebantur in illa beati Rufi reliquiæ, quem Simonis Cirenæi filium, de quo apud Marcum cap. 15. quemq; Diuus Paulus ad Romanos 16. salutat, extitisse, totius prouinciæ antiqua, & constans est traditio: ferunt enim illum cum Magdalena, Martha, & Lazaro quatruiduo resuscitato, Maximino, Trophimo, & alijs à Iudæis nauigio sine velis, & remis ad naufragium manifestum expositis, Deo duce ad littora Massiliensium appulisse, primumq; Auenionensibus verbum salutis annuississe, & illius ciuitatis Episcopum ordinatum, cuius tandem corpus in dicta Ecclesia sepulturam acceperit: iuxta quam Ecclesiam prædicti canonici se in vnum propositum colligentes, suos mores ad exemplar vitæ canonicorum Apostolicorum nascentis Ecclesiæ reformantes, in humilitate spiritus, & paupertate profunda cum omni pietate primam huius sanctæ congregationis lapidem posuerunt: & quia vt dictum est, in dicta illorum Ecclesia corpus beati Rufi Auenionensium Episcopi seruabatur, ad distinctionem canonicorum cathedralium sancti Rufi regulares canonici nuncupari voluerunt. ferunt extare adhuc Bullas in Archiuis dictæ congregationis, quæ huius fundationis meminerunt, & quia domus non super arenam, sed supra firmam petram fuit fundata, supra quam non iam lignum, aut stipulas, sed lapides, ferrum, argentum, & aurum per veram omnium temporalium abdicationem, & exactam vitæ Apostolicæ imitationem superædificare certauerunt, Deo adiuuante parua domus excreuit in ædificationem altam, & templum sanctum in Domino: nã multi eorum exemplo ad frugem vitæ melioris aspirantes, in illorum societatem confluentes, sese in amplissimam congregationem non solum per Gallias, sed etiam per Italiam, & Hispaniarum prouincias effuderunt, multis Abbatibus, & Prioratibus auctam, priuilegijs quoque Pontificum munitam, proprio etiam officio, & Constitutionibus, cum potestate congregandi Generale Capitulum more cæterorum ordinum donatam, cuius alumni ipsam sancti Rufi Ecclesiam in caput totius congregationis prætulerunt. stetit verò ipsorum caput penes ciuitatem Auenionensem in eadem Ecclesia vsque ad annum circiter 1210. quo tempore pestis Hæreticorum Albigenensium partes illas Galliarum inuadens, & monasterium sancti Rufi euertens, canonicos aliò migrare, & alias sedes sibi quærere coëgit. Quare iuxta Euangelium ex illa ciuitate in aliam migrauerunt, Valentiam, quæ est Vrbs in-

Delphinatu illi boni viri commigrantes, nouum ibi templum cum monasterio sub inuocatione sancti Rufi in caput totius congregationis erexerunt, cuius Abbas eiusdem congregationis vsq; in hodiernum diem caput, & Abbas Generalis vocatur.

DE prædicto Rufo primo Episcopo Auenionensi, necnon de prima congregationis institutione, & de monasterio, apud Auenionem in Ecclesia sancti Rufi excitato, illius euersione, canonicorum ad Urbem Valentiam commigratione, noui monasterij erectione, ac etiam priuilegijs dictæ congregationis multa videri possunt apud Renatum Choppinum in Monastico lib. 2. tit. 1. §. 20. vbi etiam Catalogum centum & duodecim illius Prioratuum ex parte describit, in duobus tamen corrigendus, & primò quidem in eo, quod ait, priuilegium Urbani Secundi anno 1092. Abbati sancti Rufi apud Valentiam collatum, cum tamen monasterium sancti Rufi apud Valentiam non ante annum 1210. fuerit excitatum, & ex literis Paschalis Papæ Secundi proximè relatis, quarum ipse meminit, appareat, Abbatiam sancti Rufi non in Valentino, sed Auenionensi Episcopatu tunc temporis constituisse. Secundò in eo, quod notat in Additionibus, dictum ordinem per Paschalem Secundum fuisse approbatum, saltem si de prima approbatione intelligi velit, cum extet priuilegium Urbani Secundi Abbati sancti Rufi ann. 1092. collatum, quo etiam prohibet, ne canonici dicti ordinis ad monachos transgredi possint, de quo in alio priuilegio Innocentij Octauo statim subiungendo expressa mentio habetur. Scribit etiam Augustinus Ticinensis in Dilucidario par. 2. §. de propagatione canonici ordinis in Ecclesia Auenionensi, vbi primordia dictæ congregationis ad tempora Gregorij Septimi, & Alexandri Secundi refert, illam quingentas olim Abbatias in remotis regionibus habuisse, nonnullosq; Prioratus recenset, licet cum admixtione nonnullorum errorum ex supra narratis, in quos impegit, Vincentium, & autorem Fasciculi temporum secutus. Porro quàm celebris fama dicta congregatio apud veteres claruerit, testantur illi sancti viri, qui alterius congregationis in extremis terræ partibus scilicet in Lusitania constitutæ fundamenta ponentes, ad Abbatem, & canonicos sancti Rufi pro exemplaribus miserunt.

Priuilegia verò à Summis Pontificibus eidem congregationi concessa, necnon Ecclesias, quas olim tenebat, ex vnico priuilegio ab Innocentio Octauo eidem collato, & Parisijs anno 1621. typis edito sic accipe.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Benignitas Apostolica Sedis consueta &c. Reliquum videatur ad longum in fine huius secundi Libri.

Prodijt ex eadem congregatione sanctus vir Arnulphus prædicator verbi Dei feruidissimus, & vitiorum obiurgator constantissimus, de quo

St iij Tri-

Trithemius in Historia Hirsaugica sub anno 1128. mandauit. Nauclerus volum. 2. Gener. 37. Platina in Honorio II. Autor supplement. Chronicorū lib. 12. sub anno 1107. illius vitam describentes, quæ apud illos videnda erit.

VI. **C**onradus quoque de Suburra Romanus Benedicti filius, ex Abbate Generali totius Ordinis S. Rufi primū presbyter Cardinalis S. Potentianæ, deinde Episcopus Sabinensis ab Honorio II. creatus, demum anno 1153. Summus Pontifex est renūciatus, & Anastasius IV. vocatus, ex Chronicis dictæ Congregationis, quibus Onuphrius in Chronico sub anno 1153. & lib. 1. de Ecclesia Lateranensi cap. 7. Massonius in vita eiusdem Pontificis, Ciaconius in Honorio II. Sigonius de regno Italiæ lib. 12. sub anno 1153. Ioannes Baptista de Caualerijs, & alij adstipulantur. quem etiam Baronius sub eodem anno canonicum Regularem fuisse affirmat.

Cui anno sequenti successit in Sede Pontificali Nicolaus Anglicus cognomēto Halifragus ex Abbate item Generali dictæ Congregationis S. Rufi S. R. E. Cardinalis, & Legatus Apolliticus in Noruegiam destinatus, quem falsò inter Monachos D. Benedicti refert Trithemius in suo libro Historiæ Hirsaugicæ sub anno 1154. cum Abbatia S. Rufi nunquam fuerit Ordinis D. Benedicti, de quo plura apud Onuphrium in Chronico, sub eodem anno, Ciaconium in Eugenio Tertio, & Anastasio Quarto, Baronium item sub eodem anno, Ioannem Pitium in lib. de Scriptoribus Anglicanis, & alios auctores.

Anglicus quoque siue Angelicus Grimaldi de Brisaco Mimatenſis diocesis Urbani V. frater secundum aliquos, veriùs ex fratris nepos, ex canonico Regulari dictæ congregationis primū Episcopus Auenionensis, deinde presbyter Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula ab eodem Urbano V. anno Domini 1362. creatus, qui ad Cardinalatum euectus Collegium eidem congregationi præclarissimū in monte Pefulano fundauit, cuius in supra narrato Innocentij Octauo priuilegio mentio habetur, de quo Onuphrius lib. 1. de Ecclesia Lateranensi cap. 3. Ciaconius in Urbano V. & alij.

Tandem verò hæc cōgregatio grauissima damna ab Hæreticis sustinuit, à quibus superioribus annis ipso Cœnobio S. Rufi apud Valentiam vastato, illius canonici intra Urbem in quadam dicti Ordinis Ecclesia sedes posuerunt. multa quoque illius monasteria vel commendata, & canonicis tandem sunt destituta, vel à secularibus occupata, & diruta. Retinet tamen formam congregationis sub vno capite, quod est ipse Abbas S. Rufi, cui omnes tanquam Patri subduntur, & reuerenter obediunt.

Caput quinquagesimum septimum.

De Congregatione Canoniorum Regularium S. Victoris Parisiensis.



St etiam in partibus Galliarū perantiqua, & cum primis illustri congregatio S. Victoris Parisiensis, cuius summa cum laude meminit Cardinalis Iacobus de Vitriaco in sua historia Occidentali cap. 24. ita scribens. *Sunt aliæ canonicorum Regulariū deuotæ, & humiles, & amabiles Deo congregationes, qui s. Victoris canonici nuncupantur, eo quod prædictus Dei martyr Patronus, & aduocatus sit eorum, in quibus huius Ordinis primordia claruerunt. Primus siquidem, & præcipuus huius sanctæ Religionis conuentus extra muros Parisiensis ciuitatis in Ecclesia, quæ dicitur s. Victoris quasi lucerna Domini super candelabrum posita, non solum propinquam ciuitatem, sed remotas circumquaque regiones, & ad Dei cognitionem illuminat, & ad charitatem inflamat, tanquam piscina probatica, & luter æneus in templo Domini scholaribus Parisijs commorantibus, & varijs populis undique confluentibus aquas purificationis subministrans. Hæc siquidem sancta, & omni acceptione digna militantium in castris Domini congregatio refugium est pauperum, consolatio lugentium, fulcimentum, & quasi basis debiliū, recreatio lassorum, releuatio lapsorum, portus tranquillissimum scholarium, quibus de munci huius naufragio euadere cupientibus, sinum misericordie aperit, & in gremio suo velut pia mater eos fouet, & nutrit. Multis à principio Parisiensibus magistris, uiris literatis, & honestis velut stellis fulgentibus illustrata, & quasi margaritis preciosis decorata. Inter quos nominatissimus, & præcipuus extitit Citharista Domini, organum Spiritus sancti magister Hugo de sancto Victore dictus, qui malogranata tinsinnabulis coniungens, exemplo sancta conuersationis multos ad honestatem incitauit, & melliflua doctrina ad scientiam erudiuit. Multos autem aquarum uiuentium puteos effodiens libris suis, quos de fide, & moribus tam subtiliter, quam suauiter differendo edidit, incerta, & occulta diuina sapientiæ pluribus aperuit, mortalem sui memoriam velut compassionem odoris, & opus pigmentarij, & in omnium ore quasi mel dulcoratum velut musicam in conuiuio vini, & tanquam naues poma ferentes posteros relinquendo. Hi siquidem prudentes, & honesti uiri extra Parisiensis urbis tumultum seorsum congregati, supra firmum, & stabile fundamentum Regulæ sancti Augustini institutiones honestas, & saluares obseruantias statuerunt. Nigris siquidem cappis, & tunicis albis laneis induti, pellibus agnitis, & lineis utuntur camisis. Carnes in refectorio non manducant. Certis temporibus, & horis*

horis constitutis infra terminos suos manibus suis corporaliter laborant: circa primam, vel secundam noctis horam ad matutinas surgentes in hymnis, & psalmis, & canticis spiritualibus Domino suaviter, & de more iubilando, residuum noctis plerumque expendunt. Aestatis autem tempore à vespera usque ad auroram, nocturnum frequenter protrahunt officium: Semel autem in anno omnes huius ordinis Abbates Parisijs apud sancti Victoris Ecclesiam Generale Capitulum celebraturi congregantur. Post diuina prædicationis epulas delicatas, & suaves, de his, quæ ad Religionem, & ordinis instituta pertinent, unanimiter pertractantes.

II. **O** Riginem huius Congregationis in annum circiter 1113. referunt Franciscus Belleforestus in sua Cosmographia, & Augustinus Ticinensis in Dilucidario p. 2. S. Institutio canonici Ordinis in Ciuitate Parisiensi: quo tempore piissimus Rex Ludouicus cognomento Crassus prope muros Parisiorum amplissimum, & Regale cœnobium sancto Victori Christi martyri nuncupatum excitauit, de cuius fundatione, quod superius cap. 33. satis sit dictum, nunc solum de viris sanctissimis, & doctissimis, qui tanquam sydera micantia Ecclesiam illustrauerunt verbo, & exemplo, & de monasterijs eiusdem Congregationis quædam breuiter attingemus. Nam quod ad viros sanctitate conspicuos attinet, habuit hæc congregatio complures, quorum nomina piè creduntur esse scripta in libro uiuentium in coelis, & reliquæ eorum tanquam Beatorum in ueneratione habentur apud homines in terris. Hi fuerunt Primus beatus Hilduinus dicti cœnobij primus Abbas. Secundus beatus Hugo cognomento de sancto Victore doctrina, & religione toti orbi conspicuus. Tertius beatus Riccardus natione Anglicus, sed à loco professionis de sancto Victore cognominatus, qui floruit circa annum salutis millesimum centesimum trigessimum septimum. Quartus beatus Gaufridus vir summe sanctitatis, qui Meldensium Episcopus cum esset, concedente Innocentio Tertio Episcopatu à se abdicato, in monasterio sancti Victoris seipsum diuinæ contemplationi arctius mancipauit. Quintus beatus Thomas martyr, & eiusdem monasterij Prior, qui uti alter Thomas Cantuariensium Episcopus pro ueritate, & iustitia, & defensione Ecclesiæ inter manus Stephani Parisiensis Episcopi crudeliter excerebratus, gloriosum martyriū consummauit. Sextus B. Raucherus Prior. Septimus B. Achardus Episcopus Abrincensis, de quibus supra c. 33. dictū fuit.

Doctores uero præclaros protulit in primis supra memoratos Hugonem, & Riccardum de S. Victore, quorum opera notissima sunt, & laudari opus non habent. Tertium quoque Petrum Lombardum cognomento Magistrum Sententiarum canonicum s. Genouefæ eiusdem congregationis. Quartū Petrum Comestorem auctore Historiæ Scholasticæ in Ecclesia s. Victoris cū Epitaphio tumulatū. Quintū uenerabile Thomā Abbatem s. Andree Vercellensis, cuius nomē incompertū habuit in sua Bibliotheca sancta

Sixtus Senensis in uerbo Abbas Vercellensis. Sextum Abbatem Absalonem. Septimum Magistrum Adamum, quorum opuscula manibus omnium teruntur, Octauum Magistrum Achardum Abrincensem Episcopum, de quo modo dictum fuit, qui teste Ioanne Pitfio multa præclare scripsit. Nonum Magistrum Riccardum Anglicum alterum ab eo, qui supra est relatus, nam hic posterior floruit supra circa annum Domini 1240. ex Pitfio de Scriptoribus Anglicanis. Decimum Guernerum eiusdem cœnobij Subpriorem, qui claruit anno 1400. ex Sixto Senensi in Bibliotheca.

Habeo qui scribant, ex hac Congregatione III. tres Cardinales S. R. E. assumptos fuisse. nam beatum Hugonem de sancto Victore ab Innocentio Secundo anno 1138. Cardinalem creatum scribit Ciaconius in Innocentio Secundo, & licet tæximæ dignitatis sibi collatæ alij non meminissent, illud forsan in causa extitit, quod ipse uita excesserit anno statim sequente antequam insignijs Cardinalibus donaretur. sed & aliū nomine Hugonem celebrem Theologum ex canonico sancti Victoris Cardinalem Episcopum Tusculanum à Martino Quinto anno 1431. creatum tradit Volaterranus lib. 21. in Vita sancti Patris nostri Augustini, licet nullus hoc nomine sub Martino Quinto ad Cardinalatum assumptus apud alios Historicos legatur. & fortè Volaterranus errauit in nomine, Hugonem ponens pro Ludouico: nam Martinus Quintus teste Ciaconio D. Ludouicum Alamanum natione Gallum, & professione canonicum regularem Archiepiscopum Arelatensem presbyterum Cardinalem sanctæ Cæcilie creauit, quem etiam ad Bononienses Legatum destinauit. Meminit etiam ibi loci Volaterranus alterius nomine Luonis ex canonico sancti Victoris ad Cardinalatum euecti. Cæterum cum neque tempus referat illius promotionis, nec Pontificem, qui illum ordinauit, apud eundem autorem sit fides. Hoc certum ex eodem monasterio plures Antistites ad cathedrales, & alias Ecclesias regendas assumptos: inter quos fuerunt beatus Achardus Episcopus Abrincensis, Stephanus Episcopus Parisiensis ex Abbate sancti Victoris, inter cuius manus beatus Thomas eiusdem monasterij Prior martyrium consummauit. Petrus Lombardus ex canonico sanctæ Genouefæ Episcopus Parisiensis. Beatus Gaufridus Episcopus Meldensis, Thomas primus Abbas cœnobij Vercellensis, qui obiit anno 1146. ut in Epitaphio eius sepulchro appposito notatur, Diuus Nicolaus Abbas, & reformator sancti Petri ad Aram anno 1133. 6. Calend. Aprilis creatus. Abbati sancti Victoris Parisiensis scribunt Innocentius Tertius in cap. cum dilecti de electione, & Gregorius Nonus cap. Ex insinuatione de rescriptis, & illius Priori idem Gregorius Nonus cap. Significauerunt, de testibus. Addit Augustinus Ticinensis ex Speculatore, in Cathedrali Parisiensi unum ex canonicis sancti Victoris antiquo more Magistrum ceremoniarum extitisse.

Catalogus monasteriorum eiusdem congregationis ex Ticinensi, & Syluestro Maurolico fuerat olim triginta Abbatiarum, octoginta Prioratum, & quadraginta Præpositurarum, ex quibus fuerunt Abbatia sanctæ Mariæ de Victoria Syluanectensis, & Abbatia sancti Martini apud Gemellos Ambianensis, & sanctæ Genouefæ in ciuitate Parisiensi, & alia in Compendio, & Cantipratana itē in Flandria, & Daniensis apud Brugas in Flandria, & alia partim in finibus Galliarum, partim in Belgio constituta, quarum plurimæ nunc etiam superlunt, etsi illarum nomina, & foundationes non teneam, quoniam Catalogus à Reuerēdo admodum Patre Domino Dionysio à sancto Germano eiusdem Cœnobij Priore transmissus ad manus meas non peruenit. Sunt pariter eiusdem congregationis complura Collegia sacrarum virginum Canonissarum Regularium in Gallijs, & etiam in Flandria, ex quibus sex recensentur ab Auberto Miræo de Collegijs canonicorum Regularium cap. 12. in fine, videlicet Gronembriensis Abbatia in vrbe Gandauenſi, Trudonensis Abbatia in vrbe Brugensi, Vuasmonsteriensis in agro Vuasienſi apud Teneramundam, Abbatia Pontis Roradi vulgo Roesbrugge in Flandria, Abbatia noui monasterij sancti Vuinoci in oppido Bergensi in Flandria, & monasterium sanctæ Margaritæ vulgo Nonnarum in ciuitate Antuerpiæ.

Cæterum etsi monasteria tam virorum, quam fœminarum sub regulari disciplina non pauca adhuc supersint, tamen ipsa Congregatio siue ob temporum difficultates, siue quod Abbatia sancti Victoris ex multo iam tempore Abbatibus secularibus commendetur, qui multoties bona temporalia, & lucra potius, quàm incrementa ordinum, & Dei gloriam sequuntur, ex multis annis (proh dolor) iam desijt, nec iam amplius Generale Capitulum cogitur, nec Visitatores ad Cœnobia iuxta sacrorum Canonum, & ordinis statuta visitanda ad vitia extirpanda, vitam canonicam instaurandam, & Dei cultum augendum designantur. & licet decreto sacri Oecumenici Concilij Tridentini sess. 25. de Regularibus statutum fuerit, vt Abbates, cæteri; Prælati monasteriorum, quæ sunt capita Ordinum siue Congregationum Regularem habitum sumere, & vota Regularium profiteri, & secundum illa viuere deberent, nihilominus, tam pium, sanctum, salubre, & necessarium decretum executioni hæctenus non fuit demandatum. Floret tamen in eodem Cœnobio Regularis Ordinis obseruantia sub regimine Prioris, estq; ibi loci Bibliotheca manuscriptorum præsertim Codicum longè præstantissima, quam omnes merito admirantur.



Caput quinquagesimum octauum.

De Congregatione Canonicorum Regularium S. Laurentij de Plebe Martyrum, siue de Vltio in Delphinatu.

Antiquiorem habet originem alia Congregatio à loco primariæ illius institutionis sancti Laurentij de Plebe Martyrum vocata. Est locus in prouincia Delphinatus inter iuga montium asperissima, quibus Italiae fines à Gallicanis diuiduntur, quatuor leucis ab arce munitissima Secusia nuncupata distans, propeq; oppidum, quod Vltium dicimus, vbi Cœnobium Sanctorum Monachorum martyri Laurentio dicatum, & vetustissimum etiam ante magni Patris Benedicti seculum fuisse, illarum gentium est traditio, vetustis monumentis comprobata, quæ in locum cum multi fideles Vuandalos fugientes sese recepissent, quod propter montium asperitatem prope inaccessibilis videretur, tandē ab ipsis Vuandalis post Italianam vastatam illac pertranscuntibus dirè trucidati, vnà cum monachis, ab illorum martyrio sancti Laurentij de Plebe martyrum loco nomen dederunt. Ferunt, occubuisse cum illis quendam monachum sanctissimum nomine, & re ipsa iustum, eiusq; postea reliquias Secusiam sub Manfredo Marchione ad Ecclesiam eius nomini erectam circa annum Domini 1030. translatas. Cæterum post transitum Vuandalorum, & Cœnobij euerſionem locus per multa secula penè desertus mansit, donec circa annum Christi Saluatoris 1050. Sacerdos Venerabilis, verè pius, Religiosus, & sanctus Gerardus nomine, de Vltio oriundus, diuina inspiratione paruum cellam in eodem loco sibi statuit, postea verò Cuniberto Taurinensium Episcopo consentiente, ac tradente, canonicorum regularium habitum, ac institutum assumpsit, monasterium dirutum refecit, illudq; cum nonnullis canonicis eiusdem instituti primus inhabitauit: Quorum sancta conuersatione excitati nonnulli Principes Episcopi, & alij viri diuites multis non solum prædijs, & redditibus, verum etiam Ecclesijs in diuersis Episcopatibus eidem monasterio attributis breui admodum congregationem multorum Collegiorum non ignobilem exererunt.

Nam constat imprimis anno 1057. Odonem I. Sabaudia Comitem cum Adeleide ipsius coniuge Secusiae Marchionissa, & Manfredi nouissimi Secusienſium Marchionis filia ipsi Gerardo, ac ipsius canonicis non solum dictam Ecclesiam de Plebe martyrum, verum etiam omnes Ecclesias, & Parochias locorum Sefanæ, Vltij, & Salabertani cum omnibus illarum bonis, & pertinentijs, necnon Ecclesiam sancti Iusti intra Secusiam à Berta dictæ Adeleidis matre inchoatam, & ab eadem Adeleide

Mar-

Marchionissa absolutam donauisse. feruntque extare instrumenta donationum apertissima eodem anno 1057. stipulata. Deinde anno 1065. antedictus Cunibertus Taurinensium Episcopus cum consensu, & voluntate suorum canonicorum cathedralium (erant per id temporis adhuc Regulares) non solum prædictam Odonis donationem siue concessionem suo diplomate firmavit (erat enim locus in Episcopatu Taurinensi) verum etiam multis alijs Ecclesijs, parochijs, & illarum bonis collatis auxit, quarum præcipua fuit Ecclesia sanctæ Mariæ in ciuitate Secusia, quæ poenitentialis, & quasi cathedralis, & vicem gerens Episcopalis dicebatur. Libet ad rei veritatem illustrandam, & ad huius congregationis antiquitatem, & dignitatem monstrandam, eiusdem Cuniberti priuilegium ex integro hic ponere, quod cum alijs eiusdem congregationis monumentis multo labore conquisitis tandem inuenit, & transmisit Reuer. admodum Pater Dominus Dionysius Vercellensis nostri monasterij Secusiani sancti Iusti Præpositus, quod huiusmodi est.

Priuilegium Cuniberti Taurinensium Episcopi.

In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Ego Cunibertus diuina miseratione Taurinensis Episcopus. Constans, & patens esse cognoscitur, canonicam institutionem ab Apostolis cæpisse exordium, sæcque deinde ex successione temporum habuisse incrementum exemplis, & documentis subsequentiū Patrum. Quocirca nobis, qui locum prælationis, & culmen regiminis videmur suscepisse, enitendum est summopere, ut id, ad quod vocamur ex nomine, tota mentis intentione studeamus adimplere: Siquidem exuperatis mundanæ tempestatis fluctibus portum salutis, & requietionis volumus contingere. Oportet itaque nos in Ecclesia Dei profectibus subditorum quam maximè inuigilare, videlicet deformia reformare, quod confractum est consolidare, quod abiectum est reducere, quodque perierat restaurare. Multiplex & varius est usus bonæ actionis, sed iam sectamur articulum ad executionem nostræ propositionis. Erat equidem intra fines nostri Episcopij, locus inter Alpes situs, qui Plebs martyrum nuncupatur, inter Secusiam, & Ianum montem, secus ripam Durie fluminis, reuerentia & religione reuera dignus, sed multo tempore incuria, & negligentia post persecutionem, & desolationem Paganorum usque ad nostrum tempus desertus: Postea verò reuelatione diuina sacerdos quidam Girardus nomine, qui postmodum in Cistariensis Episcopus est ordinatus, primum ad sanctis sibi Odolirico, & Danielmo adhuc bonæ indolis puerulo, necnon ibidem à nobis sanctæ Congregationis Præposito constituto, compertis quidem multis, & innumeris signis, & prædigijs, etiam consensibus loci illius adhortantibus, abrenuncians seculo diuina illustratione compunctus, habitaculum in eodem loco construxit. Pauco autem interiecto tempore ad nos veniens apud Taurinum huiusmodi nobis, & canonicis nostris, fecit professionem, ut collata sibi à nobis licentia, & auctoritate tam ipsi, quam ceteri, quos

diuina misericordia aggregasset, ibi omni tēpore canonicam tenerent institutionem. Huic igitur tā competentī petitioni gratuito acquieuimus, & quoniam inter gelidas Alpes illas algore niuium, & ad fundū horribili sublimitate insitum durus est, & difficilis incolatus, & asper, ut uehementiori studio, & cura diligentiori locus ille suis ab incalis ad plenitudinem perfectionis ducatur, & affectione, menteq; latiori semper inhabitetur. De vera pietatis, & misericordie visceribus utatorum immensa necessitati compatiens, ad Dei seruitium, eorumque recreationem, liberam, ac venerabilem canonicam, & bonis affluentiem ibi Spiritus sancti consilio fieri volumus, & maximè peroptamus. Ideoque fratrum nostrorum canonicorum communi consilio, ac voluntate huic sanctæ nouiter incepta regulari canonicorum congregationi s. Laurentij Vltiensis de martyrum præfata plebe præsentis, & futuræ Deo ibi famulanti iure perpetuo donamus, & concedimus cum primitijs, decimis, elemosynis, oblationibus, testamentis, parochijs, omni iure parochiali, & vniuersis omnino beneficijs, quæ illis pertinere dignoscuntur, & in futurum Deo fauente consigerint. Ecclesiam s. Ioannis Baptistæ de Sezana, Ecclesiam s. Sicarij, Ecclesiam s. Restituti, Ecclesiam s. Geruasij, Ecclesiam quoque s. Arigij, Ecclesiam s. Marci, Ecclesiam s. Mariæ de Vltio, Ecclesiam s. Gregorij de Sacculis, Ecclesiam s. Michaëlis de Bodulario, Ecclesiam s. Mariæ, ac s. Hippolyti de Bardoneschia, Ecclesiam de Salaberti, & si qualibet sint, vel fuerint alia bona, quæ nostra congruant Episcopali ditioni in iam dictæ Plebis martyrum toto plebanatu. Simili modo subdimus, conferimus, & donamus huic sanctissimo loco B. Laurentij de Vltio, & fratribus degentibus ibidem præsentibus, & futuris Ecclesiæ, plebem, & poenitentialem s. Mariæ, quæ sita est, & edificata infra ciuitatem Secusie cum omnibus pertinentijs, & possessionibus. Quæ scilicet longæua matrix, & baptismalis Ecclesia quadam prærogatiua & excellentia honoris nostram in omnibus, quibus licitum est in suo plebanatu dono, & assensu Taurinensis Ecclesiæ vicem gerit Episcopalem, & antiquitus multo iam tempore gerere consuevit, quippe tam in vrbe nobili Secusia quasi sedes est Episcopalis antiqua. Cuius plebanatus seu Archipresbyteratus appello Bonouonis ad pontem usque Voluncie fluminis extenditur, & à montium cacuminibus, & infra hinc inde longè, latèque comprehenditur, & terminatur. Huic siquidem prænominate Ecclesiæ B. Mariæ, cui prorsus vniuersa parochia Secusensis cum omni suo iure parochiali, & omnimoda clericorum, ac laicorum secularium sexus vtriusque sepultura à prædecessoribus nostris Taurinensibus Episcopis antiquitus, & à nobis datur, ac priuilegij in perpetuum confirmatur pro sumptibus canonicorum ibi Deo seruientium, & sustentatione iuris similiter perpetuo damus, & concedimus, cum primitijs, decimis, elemosynis, oblationibus, testamentis, parochijs, omni iure parochiali, & cunctis, omnino beneficijs, quæ illis pertinere cernuntur, & in posterum diuina miseratione perueniant. Ecclesiam de Exilijs, Ecclesiam

de Chaumontio, Ecclesiam de Tallone in Ciuitate Scussensi, Ecclesiam sancti Petri, & Ecclesiam sancti Pauli, Ecclesiam sancti Philippi, Ecclesiam sancti Iacobi, Ecclesiam sancti Saturnini, Ecclesiam sancti Martini, Ecclesiam sancti Marcellini, Ecclesiam sancti Euaxij, Ecclesiam sancti Constantij, Ecclesiam sancta Maria de Trauotio, Ecclesiam sancti Eusebii, Ecclesiam sancti Iacobi, & Christophori, Ecclesiam sancti Iuliani, Ecclesiam de Feristò, Ecclesiam sancti Petri, Ecclesiam sancta Petronilla, Ecclesiam de Maticis, Ecclesiam de Bozoleto, Ecclesiam sancti Laurentij, Ecclesiam sancti Basilij, Ecclesiam sancti Georgij, Ecclesiam de Vilario Folchardo, Ecclesiam de Chamuffo, Ecclesiam de Bruxolio, Ecclesiam sancti Desiderij ac sancta Maria, Ecclesiam de Fraxenirij, & omnes decimas totias Scussae Vallis, ea solùm excepta, quae Capella pertinet Arietaggi Secussensis oppidi. Sic videlicet hoc donum facimus, ut in omnibus prae nominatis locis, & Ecclesiis canonici fratres tunc Vltiensis congregationis, vel alii sacerdotes omni tempore, sicut ad necessitatem fuerit, pro voluntate, discretione, ac dispositione Praepositi Vltiensis substituuntur, & maneat. Ut autem amplioris affectu dilectionis, & dulcedinis inuicem omni tempore Taurinensis, & Vltiensis Ecclesia sese diligant, & venerentur, & haec illam sedula mente foueat, ampliet, & tueatur, & huic illa diutissime seruiat, & eam omnimodè reueratur, Te Nantelmum dilectum filium nostrum praefatum Vltiensem Praepositum in nostra maiori Taurinensi sancti Ioannis Ecclesia pro canonico nostro recipimus, statuantes, ut quicumque deinceps Praepositus Vltiensis Catholice fuerit ibi, canonicus noster in futurum perpetuum habeatur. Insuper etiam intra nostrum Episcopium quidquid decimarum, oblationum, elemosynarum Ecclesiarum, seu cuiuspiam honoris, & beneficii praedictae congregationis fratres iam sunt adepti, & deinceps poterunt adipisci, auctoritate quidem tam nostra, quam nostrorum successorum habita istis in praesentiarum presentibus, & postea pro tempore succedentibus pro anima nostra remedio, nostrorumque successorum eius, & Ecclesiae suae Vltiensis donamus, & concedimus. Denique fidelibus nostris tam clericis, quam laicis, & omni nostra posteritati notum fieri volumus, ut quandiu ibidem norma regularis tenebitur, Plebs illa Martyrum cum omni plebanatu suo, & possessione, quae in eo est, libera sit in omnibus in perpetuum, & ab omni nostra, posterorumque nostrorum obedientia, & in petitione penitus absoluta, salua tamen omnimoda reuerentia, & obedientia, quam sancto Ioanni, & nobis debite fieri volumus à Praeposito Vltiensis pro aliis Ecclesiis, & beneficiis, quae sibi, & Ecclesiae suae iam consulimus, & successores nostri Deo inspirante contulerint in subsequentibus. nec à nobis, & nostris successoribus aliqua oppressione locas ille molestetur unquam, vel inquietetur, vel aliquatenus minoretur: sed semper amplietur, & meliores. Quod si aliqua persona Diabolice spiritus vexata huius decreto nostro vlla modo praesumptis obviare, vel illud perfringere, & violare, sit, nisi

respuerit, & ad satisfactionem venerit, cum Dathan, & Abiron, & Iuda proditore anathematis vinculo innodata, perpetuaeque damnationi subiecta. Cunctis autem eidem Ecclesiae, quae sunt, aut fuerint sibi data seruantibus, sit Dei Summi pax in aeternum, & amor. Ut autem hoc apud nos, & posteros nostros ratum, & inconuulsum, abiecto omni scrupulo possit haberi, uocabula nostro propria manu subscripto fecimus insigniri, & canonicis nostris auctoritatem permixtus pariter subscribendi. Ego Cunibertus Taurinensis Praesul libens. Ego Albericus Censor laetus subscripsi. Ego Viubertus presbyter. Ego Albertus Subdiaconus. Ego Ioannes Acolitus. Ego Itdeprandus. Ego Araldus. Ego Albertus Acolitus scripsimus. Ego Gaufridus. Ego Gisalphus Primitius libens. Ego Adam Presbyter. Ego Oddo Subdiaconus. Ego Adiprandus Subdiaconus. Ego Nantelmus Acolitus. Ego Ioannes Subdiaconus. Ego Diaconus. Ego Ioannes Acolitus. Ego Albertus Subdiaconus. Ego Robaldus Archileuita. Ego Milla Archipresbyter. Ego Adam Praepositus libens.

Ob memoriam, & euidentiore obseruantiam istius beneficii duo in huiusmodi tenore fecimus priuilegia nostro Episcopati signo munita, ut omni tempore scilicet alterum haberetur in Vltiensis Ecclesia, alterum in Scussensis. factum hoc anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi 1065. indictione secunda. Datum Taurini per manum Ebrardi scriptoris, & Cancellarii Domini Cuniberti praefati Episcopi pridie Calend. Maij.

EX isto Priuilegio tria eliciuntur. Primum II. antiquitas dictae congregationis ante annum 1065. contra uaniloquum Ioachim, qui dicit coepisse canonicos regulares in Gallijs post annum 1100. autore quodam Archiepiscopo Lugdunensi Arnolpho à se conficto, de quo supra dictum fuit, secundo, quo tempore Gerardus monasterium sancti Laurentij instaurauit, Nantelmum, qui tempore concessionis dicti priuilegij erat Praepositus, adhuc puerulum fuisse, & consequenter primordia institutionis canonicorum regularium in dicto monasterio aliquot annis concessionem eiusdem priuilegij praecessisse: quod euidentius indicant illa uerba priuilegij, quibus de primo dicti monasterij fundatore mentio habetur: Postea uero diuina reuelatione sacerdos quidam Gerardus nomine, qui postmodum in Cistericensi Episcopus est ordinatus, Quo loquendi modo indicat Gerardum illum ea tempora praecessisse, & solo nomine Taurinensi Episcopo notum fuisse, & tempore concessionis dicti priuilegij iam suum diem extremum obiisse. Tertia colligitur, canonicos dicti monasterij, vel saltem illorum Praepositum Ecclesiae cathedralis Taurinensis canonicum fuisse; atque ideo vel canonicos Taurinenses tunc regulares fuisse, vel canonicos regulares in Ecclesijs secularibus constitui potuisse, ac etiam consueuisse; cuius consuetudinis alia nonnulla exempla inferius adducemus.

MVniueruae eandem congregationem suis IV. Priuilegijs Romani Pontifices non pauci nimirum

mirum Alexander II. anno 1072. Urbanus II. anno 1096. Eugenius III. 1148. Adrianus IV. 1158. Alexander III. anno millesimo centesimo septuagesimo secundo, & Lucius III. anno 1183. ex quibus duo postrema tantum referam, quod ex eis satis constare possit de numero Ecclesiarum dictæ congregationis.

Priuilegium Alexandri III.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Nicolao Præposito Vltiensis Ecclesie, quæ dicitur ad plebem martyrum, eiusq; fratribus tam presentibus, quam futuris canonicam vitam professis in perpetuum. Officij nostri nos admonet, & inuitat auctoritas, pro Ecclesiarum statu satagere, & eorum quieti, ac tranquillitati salubriter auxiliante Domino prouidere. Dignum namq; & honestati conueniens esse dignoscitur, ut qui ad earum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas & a prauorum hominum incursumus tueamur, & beati Petri, atque Apostolicæ Sedis patrocinio muniamus. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & prefatam Ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, ad exemplar Prædecessoris nostri bonæ memoriæ Adriani Papæ, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuantes ut ordo canonicus, qui secundum Deum, & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuolubiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quacunque bona eadem Ecclesia possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, seu alijs iustis modis præstante Deo poterit adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. In Episcopatu videlicet Taurinensi infra muros eiusdem ciuitatis ante maiorem Ecclesiam capellam sancti Martini, & canonicam, & domum Magistri Abrardi, extra muros Ecclesiam sancti Saluatoris cum pertinentijs suis, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Reuello cum capellis suis, & omnibus pertinentijs, Ecclesiam beati Ioannis de Plebe cum titulis suis, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Spina, Ecclesiam de Petra alba cum pertinentijs suis, Ecclesia de Gilba, Ecclesiam sanctæ Christinæ de Surzana, Ecclesiam sancti Pontij de Monte, Ecclesiam de Banniolo cum omnibus bonis suis. Ecclesiam de Monte Braone, Ecclesias de Valle Clussonis scilicet Ecclesiam de Mentulis, de Fenestrellis, de Vssello, de Prato Iallato, Ecclesias de Sezana scilicet sancti Ioannis, & sancti Restituti cum decimis, & pertinentijs suis, in Villa Vltio Ecclesiam sanctæ Mariæ, in Villa Beolario, Ecclesiam sancti Michaëlis, Ecclesiam sanctæ Mariæ, & sancti Hippolyti de Bardonescha, sancti Ioannis de Solaberta, sanctæ Mariæ de Exilijs, sanctæ Ma-

riæ de Cbalmonte, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Seuzia cum titulis suis, & pertinentijs, Ecclesias scilicet sancti Martini, & sancti Saturnini, sancti Philippi, sancti Marcellini, de Gellone, de Matigis, de Bozoleto, de Bruxolio, Ecclesiam sancti Desiderij de Fraxinerijs, de Vilario Fulchardi, Eleemosynariam domum sanctæ Mariæ de Seuzia cum omnibus bonis suis, & Ecclesiam de Auellana cum titulis suis, & pertinentijs, Ecclesiam de Villareto, & Ecclesiam de Almesio. In Albanensi Episcopatu Ecclesiam sancti Stephani cum capellis, & pertinentijs suis omnibus, & titulis. In Aquensi Episcopatu Ecclesiam sancti Thomæ cum capellis, & pertinentijs suis, Ecclesiam sancti Michaëlis de Ripa alta cum capellis suis, Ecclesiam sancti Georgij de Monte. In Saonensti Episcopatu Ecclesiam sancti Ioannis de Vadio cum titulis suis. In Ebredunensti Archiepiscopatu, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Brienxum cum capellis suis, Ecclesiam sancti Theofredi, Ecclesiam de Salla, & sancti Petri de Podio, sancti Michaëlis de Serueria, sancti Pancratij, Ecclesias de Capreria, Ecclesias de Iarentona, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Calme, sancti Pelagij de Neuaſcha. In parochia de monasterio medietatem decimarum. In Vapincensi Episcopatu Ecclesiam Arigij, Ecclesiam sancti Laurentij de Tilmonte cum Ecclesijs parochialibus, & capellis, & omnibus decimis, & pertinentijs suis. In Campoſancto tertiam partem decimarum inter duas Seuarias. In Episcopatu Gratianopolitano Ecclesias de arenis, Ecclesiam de Parisio, de Leuto, de Becijs, de Clauaone, de Mysoen, de Fresneto, de Auris, de Vesso, de Reculatis, Ecclesiam de Garda, de Vulgania, de Offio, de Allemo, Ecclesias de Valle Nanigij, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Comerio, sancti Petri, sancti Georgij, sanctæ Agnetis de Gardesno, sancti Petri de Auellana, & decimas Castri, quod dicitur Mota, Ecclesiam sancti Christophori de Pascherio cum capellis suis, & decimis. In Diensi Episcopatu Ecclesiam sanctæ Mariæ de Sinardo, de Auenione, de Claramonte, & Ecclesiam sancti Pauli, & sancti Gulielmi cum omnibus decimis, & pertinentijs suis. In Viennensi Archiepiscopatu Ecclesiam sancti Donati cum omnibus Ecclesijs, & decimis ad eandem pertinentibus. In Claromontensi Episcopatu Ecclesiam sancti Ioannis Euangelistæ, Ecclesiam de Anzac, & Ecclesiam de monte Grezisco cum omnibus pertinentijs suis. Obeunte verò te eiusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilij sanioris secundum Dei timorem, & beati Augustini regulam prouiderint eligendum. Prohibemus insuper, ne cui liceat infra parochiam vestram sine vestro, & Diæcesani Episcopi assensu Ecclesiam, vel Oratorium edificare. Saluis priuilegijs Romanæ Ecclesie. Chrisma verò, Oleum sanctum, Consecrationes Altarium siue Basilicarum, Ordinationes canonicorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi,

à Diocæsano suscipiatis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, & ea gratis absque ulla prauitate uobis uoluerit exhibere: alioquin liceat uobis, quem malueritis, adire Antistitem, qui nostra fretus auctoritate, quod postulat indulgeat. Et ne cui post factam in eodem loco professionem proprium aliquid habere, vel absque libera Præpositi, siue Fratrum licentia de claustro discedere liceat prohibemus. Cum autem generale interdictum terra fuerit, liceat uobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis diuina officia suppressa uoce celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum deuotioni, & extreme uoluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obstat, salua tamen iustitia matricis Ecclesiæ. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, & integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & in supradictis Capellis Diocæsananorum Episcoporum canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularis uè persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè uentre tentauerit, secundo, tertio uè commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris Nostri IESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem premium æternæ pacis inueniant. Amen. Ego Alexander Catholica Ecclesiæ Episcopus. Ego Vbalduſ Ostiensis Episcopus. Ego Gualterius Albanensis Episcopus. Ego Ioannes presbyter Cardinalis tit. sanctæ Anastasiæ. Ego Gulielmus Cardinalis tit. sancti Petri ad uincula. Ego Bozo presbyter Cardinalis sanctæ Pudentiænæ tit. Pastoris. Ego Petrus presbyter Cardinalis tit. sancti Laurentij in Damasa. Ego Ioannes presbyter Cardinalis tit. sancti Marci. Ego Cimbrius Diaconus Cardinalis sancti Adriani. Ego Mampbridus Diaconus Cardinalis sancti Georgij ad Velum aureum. Ego Hugo Diaconus Cardinalis sancti Eustachij iuxta templum Agrippæ. Ego Vitellus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ. Datum Anagninæ per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi, & Notarij, septimo Idus Aprilis, Indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno M. G. LXXI. Pontificatus uerò Alexandri Tertij, anno decimoquarto.

Priuilegium Lucij Tertij eidem Congregationi concessum.

LVeius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Martino Præposito Ecclesiæ sancti Laurentij de Plebe Martyrum, eiusq; fratribus tam presentibus, quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Religiosis desiderijs dignum est facilem adhibere consensum, ut fidelis deuotio celerem sortiatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij uestris iustis postulationibus præbentes assensum, præfatam locum, in quo diuino mansipati estis obsequio, ad exemplar felicitis recordationis Adriani Papæ prædecessoris nostri sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Sciantes, ut ordo canonicus perpetuis ibidem futuris temporibus inuolabiliter obseruetur. & ne cui post factam professionem proprium aliquid habere, vel absque libera Præpositi, vel fratrum licentia de claustro discedere liceat. Concedimus etiam uobis in Ecclesijs uestris absque Episcoporum contradictione, saluo scilicet iure Ecclesiastico canonicos, siue presbyteros instituere, & quæcunque eadem Ecclesia in presentiarum iuste, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, uel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis cooperante Domino, poterit adipisci, firma uobis, uestrisq; successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc duximus proprijs exprimenda uocabulis, locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentijs suis. In Episcopatu Taurinensi infra muros eiusdem Ciuitatis ante maiorem Ecclesiam Capellam sancti Martini, & Canonicam &c. reliqua sequuntur sicut in priuilegio Alexandri III. & est Datum anno 1183. Pontificatus Domini Lucij Papæ III. anno secundo.

EX prædictis priuilegijs, & ex actis Generalis VI. Capituli dictæ congregationis in Ecclesia sancti Laurentij de Plebe Martyrum anno 1342. celebrati colligi potest Catalogus Ecclesiarum, & Prioratum, siue Præpositurarum, & Conuentuum ad eandem congregationem spectantium numero uiginti octo, quorum nomina sunt, quæ sequuntur.

Primus. Præpositura sancti Laurentij de Plebe Martyrum propè oppidum Vltij, in Diocesi Taurinensi uetustissima, quam ferunt ante irruptionem Vuandalorum in Gallias fundatam, prius monachorum Coenobium, post cuius euerſionem circa annum Christi 1050. per Venerabilem, & sanctum Virum Gerardum Vltiensem sacerdotem restaurata, in Collegium Canonicorum Regularium, & caput congregationis fuit erecta: nam illius Præposito ceteri omnes dictæ congregationis subduntur, & debitam obedientiam, & reuerentiam exhibent. Degebant in eadè canonica tempore antedicti Generalis Capituli cano-

canonici viginti quinque videlicet Præpositus, decem Sacerdotes, tres Diaconi, tres Subdiaconi, & octo clerici. nunc verò sexdecim. testatur Iacobus Philippus Bergomensis autor supplementi Chroniconum, eandem Ecclesiam cum conuentu canonicorum à Marchionibus Montis Ferrati fundatam, & dotatam, quod ne priuilegio Cuniberti Taurinensium Episcopi proximè relato contrarium videatur, ex quo venerabilem sacerdotem Gerardum dictæ Ecclesiæ, & conuentus autorem tenemus, dici potest ipsos Marchiones eidem venerabili sacerdoti Gerardo tum impensas conferendo, tum etiam dotem augendo, manus adiutrices porrexisse. Conduuntur autem in Ecclesia sancti Laurentij innumeræ sanctorum martyrum Reliquiæ, qui cum sancto Iusto pro fide Catholica ibidem ab infidelibus trucidati gloriosum martyrium consummauerunt.

Secundus Prioratus sanctæ Mariæ Maioris ciuitatis Secusiæ, quæ in dicta ciuitate, & in toto plebanatu Secusiensi vicem gerit Ecclesiæ cathedralis, ex antiquissima, & approbata consuetudine, etiam ante datum priuilegium Cuniberti Episcopi Taurinensis anno 1065, quemadmodum ex eodem priuilegio apparet, in qua insignes Sanctorum Reliquiæ conduuntur, ac in primis tres particulæ ex ligno viuificæ Crucis Domini nostri Iesu Christi, vna ex Costis sancti Christophori martyris, Brachium sancti Saturnini martyris Tolosani, digitus sancti Barnabæ Apostoli, & digitus sanctæ Mariæ Magdalænæ. degebant olim in eadem canonica nouem canonici, nunc quatuor sub Priore.

Tertius Prioratus sancti Saturnini in Diocesi Taurinensi, & plebanatu Secusiæ, cuius mentio habetur in supradictis priuilegijs, degebant duo canonici sub Priore.

Quartus Prioratus de Auilliano eiusdem Diocesis. ex dictis priuilegijs, & actis Capituli Generalis. Habebat Priorem cum tribus canonicis.

Quintus prioratus sancti Donati in Archiepiscopatu Viennensi. Habebat quatuor canonicos, qui adhuc ibi manent. ex dictis priuilegijs.

Sextus sancti Petri de Garda prioratus in Episcopatu Gratianopolitano. Habet quatuor canonicos sub Priore.

Septimus prioratus Vallis Nauigij eiusdem Diocesis, habens sex canonicos numerato Priore.

Octauus prioratus s. Mariæ de Comerio eiusdem Diocesis, sunt in eodem prioratu octo canonici computato Priore.

Nonus prioratus sancti Laurentij de Bellomonte in Episcopatu Vaprinensi, habens canonicos duodecim.

Decimus prioratus sanctæ Mariæ de Sinardo in Episcopatu Diensi habens Priorem, & octo canonicos.

Vndecimus prioratus sancti Erigij Vaprinensis habens Priorem, & canonicos duos.

Duodecimus prioratus sanctæ Mariæ de Calma in Diocesi Ebredunensi habens Priorem, & cano-

nicos tres.

Decimustertius prioratus de Valle puta habens Priorem, & canonicos tres.

Decimus quartus prioratus sanctæ Mariæ de Vignalibus in Diocesi Ebredunensi habens Priorem, & vnum canonicum.

Decimus quintus prioratus Mentularum Vallis Clusionis in Diocesi Taurinensi, habens Priorem, & tres canonicos.

Decimus sextus prioratus de Banniolo eiusdem Diocesis, habens Priorem, & duos canonicos.

Decimus septimus prioratus de Villaralmerio eiusdem Diocesis habens Priorem, & canonicum vnum.

Decimus octauus plebanatus Reuelli eiusdem diocesis habens plebanum, & tres canonicos.

Decimus nonus prioratus de Reuello ibidem habens Priorem, & vnum canonicum.

Vigésimus Archipresbyteratus sancti Ioannis de Vadio in diocesi Sauonensi, habens Archipresbyterum, & duos canonicos.

Vigésimus primus prioratus in ciuitate Salutiarum habens Priorem, & duos canonicos.

Vigésimus secundus prioratus Castri Versolij habens Priorem cum duobus canonicis.

Vigésimus tertius Archipresbyteratus s. Stephani de Coilano habens Archipresbyterum, & duos canonicos, extat in Episcopatu Albeni ex priuilegio Lucij Tertij.

Vigésimus quartus Archipresbyteratus sancti Gorgonij de Veximenri, habens Archipresbyterum cum duobus canonicis.

Vigésimus quintus Præpositura de Ripolis in diocesi Taurinensi habens Præpositum, & vnum canonicum.

Vigésimus sextus prioratus s. Christinæ in diocesi Taurinensi.

Vigésimus septimus prioratus in Girba.

Vigésimus octauus prioratus in Venieto, quorum omnium in dicto Capitulo Generali anno 1342. mentio habetur.


Nec dubium præter Ecclesias memoratas plures alias tum in prædictis, tum in alijs Episcopatibus existentes ad eandem congregationem olim spectauisse. nam in ciuitate Taurinensi erat propè cathedralem quædam canonica, cuius meminerunt Alexander Tertius, & Lucius Tertius, & in Diocesi Taurinensi recensentur viginti Ecclesiæ dictæ congregationis omnes ferè parochiales, præter illas, quæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Secusia subdebantur. Item in Episcopatu Aquensi in Monteferrato Ecclesia sancti Thomæ cum capellis, & pertinentijs suis. Item Ecclesia sancti Michaëlis de Ripa alta, & sancti Georgij de Montibus cum pertinentijs suis. Verum nunc maxima pars dictarum Ecclesiarum, vel ab Hæreticis diruta, vel à clericis secularibus obtenta, vel à laicis occupata, & quod grauius est, præpositura, quæ est caput ordinis, secularibus clericis est commendata.

T t ij Vnde

Vnde non mirum, si hæc congregatio ad valde paucos canonicos sit redacta. manent tamen hodie quoque in dicta Præpositura sexdecim canonici Regulares sub Priore claustrali, & Regulari.

Caput quinquagesimumnonum.

De Congregatione Canonorum Regularium Sanctæ Crucis Colimbricensi.

I. ongregatio sanctæ Crucis Colimbricensis tū apud Lusitanos amplissima, tum etiam in cunctis Hispaniarum regionibus celebris, & maxima in veneratione habitæ, in ciuitate Colimbricæ, quæ est in Regno Portugallensi, autore Venerabili sacerdote Tellone Ecclesiæ Colimbricensis tunc Regularis canonico regulariter professo, & Archidiacono, cooperantibus alijs vndecim pijs, & religiosissimis viris circa annum humanæ salutis 1131. originem accepit. Id verò quemadmodum acciderit, ex indiculo foundationis monasterij sanctæ Crucis Colimbricensis vetustissimo, in illius cartophilacijs adseruato, cuiusque exemplum transmisit Reuerendissimus Pater Dominus Antonius à Cruce ipsius congregationis nunc Prior Generalis, breuiter, ac per compendium, quod tempus narrationi longiori non suppetat, fideliter recensere. Fuit in ciuitate Colimbricæ sacerdos quidam miræ probitatis, & pietatis, sanctæ Colimbricensis Ecclesiæ canonicus, & Archidiaconus Tello nomine, patre Odario, matre Eugenia ciuibus Colimbricensibus mediocris (vt aiunt) fortunæ, verum honestis, & pijs genitus, corpore venustus, sed mente pulchrior, & moribus comprus, humilis, modestus, omnibus amabilis, & Colimbricensi Episcopo Mauritio summè charus, cuius Ierosolimitanæ peregrinationis triennio comes fuit, ac etiam illius in Episcopali sede successori Gondifaluo, quo similiter decedente, in eius locum à toto Clero, & Populo summis precibus Episcopus fuit postularus, licet Deo aliter disponente, & ad maiora famulum suum Tellonem secundum altitudinem sui diuini consilij reseruante; nam sanctissimus, & religiosissimus Dei sacerdos inter alias illorum temporum calamitates verè deplorandas, canonicam institutionem, quam profitebatur, non solum in sua Colimbricensi, verum etiam in omnibus Ecclesijs Lusitanis penitus relaxatam, & ex alto ruentem animaduertens, de illa reparanda vehementius apud semetipsum cogitare coepit, sapius animo gerens, & mente reputans, quam ratione prouinciam tam arduam aggredi, & ad finem optatum perducere valeret, præsertim quòd ad tantum opus nec locum opportunum, nec adiutores haberet idoneos, ac necessarios, pro quo

sæpissime diuinum auxilium obnixè implorabat. Huius igitur sancti Viri conatus pijsissimus misericordiarum Pater, bonæ illius voluntati occurrens, vanos, & irritos esse diu passus non fuit. Venerat namque per ea tempora iuuenis quidam de partibus Galliarum nomine Ioannes, cognomine Peculiaris, cuius consilio, & prudentia erectum fuerat monasterium apud sanctum Christophorum. Hunc Venerabilis Tello accitum, patefacto consilio de Cœnobio clericorum canonicorum, regulariter viuentium erigendo, tanti laboris, & præmij participem fieri rogauit, & obtinuit. Sed & pijsissimus Princeps Alphonus Henrici Comitis, & Tharasiæ Reginæ filius, qui Portugallia Regnū postea obtinuit, cognito illius instituto, & voluntate, Balneas Regias in Colimbricæ suburbio positas pro monasterio exstruendo confectis tabulis donauit. Emit præterea idem Venerabilis Archidiaconus à Bernardo Episcopo; & canonicis Colimbricensibus hortum balneis contiguum, pro elaustro exstruendo, quod fontem aquarum haberet largum, & satis copiosum: statimq; in tam præclaro, & tam pio opere non paucos nactus fuit coadiutores, quorum auxilio anno 1131. quarto Calendas Iulij in Vigilia Principis Apostolorum posita sunt prima fundamenta monasterij sub inuocatione salutiferæ Crucis, ijsq; iactis nondum elapso anno die 24. mensis Februarij proximè sequentis anni 1132. in festo sanctissimi Apostoli Matthiæ duodecim viri Apostolici ieiunio, & oratione muniti sese in vnum Collegium sub B. Patris Augustini Regula, & habitu iungentes, & anno tyrocinijs expleto solemnem professionem trium votorum emittentes, huic amplissimæ congregationi prima fundamenta locauerunt. Hi autem fuerunt in primis ipse Domnus Tello sanctæ Colimbricensis Ecclesiæ Archidiaconus, Domnus Michael eiusdem Colimbricensis Ecclesiæ Prior, Domnus Ioannes eiusdem Ecclesiæ canonicus, & Magister Scholarum, Domnus Theotonius primus Prior monasterij sanctæ Crucis, Domnus Odorius sancti Iacobi presbyter, & eiusdem monasterij sanctæ Crucis Prior claustralis, Domnus Sifnandus montis maioris sanctæ Mariæ Præpositus, Domnus Petrus presbyter, qui postea fuit Episcopus Portugallia, & alij quinque, quorum nomina ad meam notitiam non venerunt, quæ vt omnia firma iugiter manerent, eodem Venerabili sacerdote, & Archidiacono vnà cum socio Ioanne cognomine Peculari ad Sedem Apostolicam profecto, maximè quòd cathedrales canonicos in eo opere aduersarios iam experiri cœpissent, sub immediata tutela, & protectione Sedis Apostolicæ, se cum monasterio, & omnibus illius bonis ac iuribus recipi supplices rogauerunt: quod perbenignè præstitit Romanus Pontifex Innocentius II. datis literis Apostolicis tum ad Priorem, & canonicos ipsius sanctæ Crucis, tum etiam ad Bernardum Colimbricensem Episcopum, & ad Alphonsum Portugallia Principem, tenoris qui sequitur.

Inno-

II. **I**nnoctius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Odorio Priori, & fratribus Ecclesia sancta Crucis in Colimbricensis Ciuitatis Suburbio sita, eorumque successoribus canonicam vitam professis in perpetuum. Desiderium quod ad Religionis propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, autore Deo sine aliqua est dilatione complendum, ut fidelis deuotio celerem sortiatur effectum. Proinde dilecti in Domino filij per interuentum filij nostri Telsonis Colimbricensis Archidiaconi vestris postulationibus affectione paterna gratum prebemus assensum, & Ecclesiam sancta Crucis, in qua estis diuinis obsequijs mancipati, in beati Petri tutelam, protectionemque suscipimus, & presentis scripti pagina communimus, statuentes, ut Ordo canonicus, qui secundum beati Augustini regulam ibidem cooperante Domino noscitur institutus, perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruetur. Sanè possessiones, & bona, quae eadem Ecclesia in presentiarum iuste, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis prestante Domino poterit adipisci, vobis, vestrisque successoribus, & per vos dictae Ecclesiae sanctae Crucis privilegio confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prænominatam Ecclesiam perturbare: aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integrè conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Salua nimirum Diocesani Episcopi reuerentia. Ad indicium autem perceptae huius à Romana Ecclesia libertatis duos bizantios annis singulis nobis, nostrisque successoribus persoluetis. Si quae igitur in futurum Ecclesiastica, secularisue persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè uententauerit, secundo, tertioe commonita, si non satisfactione congrua reatum suum correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se existere diuino iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini Nostri Iesu Christi aliena sit, atque in extremo examine districta ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiae sua iura seruantiibus sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum iudicem premia aeternae salutis inueniant. Amen. Amen. Amen. Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus, &c. Datum Pisis septimo Calend. Iulij, indictione duodecima, Incarnationis Dominicae anno millesimo centesimo trigesimo quinto, Pontificatus Domini Innocentij Papae Sexto.

III. **I**nnoctius Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio illustri viro Alphonso Portugalliae Duci salutem, & Apostolicam benedictionem. Quod personam, & honorem tuum paternis affectibus diligamus, saepe cognoscere potuisti. De tua itaque

probitate plurimum confidentes, rogando mandamus, quatenus sicut nos pro Colimbricensi Ecclesia tuis precibus acquieuimus, ita nihilominus pro Ecclesia sanctae Crucis Colimbricensis postulationes nostras exaudias, ut uidelicet pro beati Petri, & nostrae reuerentia fratres eiusdem loci attentius diligas, & honores, & à nullo infestari permittas. per hoc enim tam in presenti, quam in futuro saeculo maiorem laudem, & gloriam consequeris. Datum Pisis decimo tertio Calend. Iulij.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Bernardo Episcopo, & dilectis filiis Clero, & populo Colimbricensi salutem, & Apostolicam benedictionem. In beati Petri Cathedra disponente Domino, constituti, Colimbricenses Ecclesiam, & vos ipsos paterno affectu diligimus, & vestris postulationibus secundum Deum assensum prebemus. Ceterum nobis gratum est, quod in Ecclesia sanctae Crucis Colimbricensis, quae in Ciuitatis Suburbio sita dignoscitur, cooperante Domino religionem accepimus institutam. Ea propter dilectioni vestrae rogando mandamus, ut locum ipsum, & fratres inibi Domino famulantes pro Omnipotentis Dei reuerentia diligatis, & propensius honoretis, nec eis iniuriam, aut molestiam inferatis, nec inferri ab alijs patiamini: quatenus & ipsi liberius, & quietius valeant vacare obsequijs, & vos pro impensa eis beneuolentia tam temporaliter, quam spiritualiter ab Omnipotenti Deo retributionem percipere mereamini. Datum Pisis 13. Calend. Iulij.

IV. **P**raedictis autem literis acceptis, idem venerabilis Archidiaconus cum socio ad Patriam remeans, Auenionem ad sancti Rufi canonicos regulares tunc sanctae conuersationis fama celebres diuertere voluit, cumque apud illos esset parumper commoratus, benignissime ab illis tractatus, à veneno etiam sibi à quodam nefario parato diuinitus praeseruatus, tandem cum socio, & literis Apostolicis ad suos est reuersus. vbi dum operi perficiendo totus incumberet, post quinque circiter menses morbo, qui Arabicè Aluaramal falzamuni, latinè Apostema dicitur correptus, huius vitae finem sibi imminere sentiens, plurimis signis verae poenitentiae monstratis, omnibusque Ecclesiae Sacramentis rite perceptis, inter Fratrum adstantium, & collacrymantium manus, quas saepius osculabatur, illa verba pronuncians: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, animam suo Creatori, ac Saluatori reddidit, corpore de more abluto, quod solenibus exequijs pie, & religiosè persolutis, in dextro latere Ecclesiae prope altare in honorem sancti Spiritus erectum, est tumulatum.

V. **H**is verò peractis ipsi canonici in vnū cōgregati susceptū vitae regularis institutū cōibus vobis denuò firmauerunt. Verū quia praeter ipsam B. Patris Augustini regulam nodum aliqua peculiaria statuta

statuta ex condito decreuerant, comperta iam, fatis optima fama religiosissimæ conuersationis canonicorum sancti Rufi proximè commemorati, illorum institutiones, & laudabiles viuendi consuetudines perquirere, & secundum illas deinceps viuere communi consensione pariter decreuerunt. quã ob causam pro illis discendis, & obtinendis Petrum presbyterum Salomonis filium, eiusdem monasterij canonicum, ad sancti Rufi canonicos datis literis sequentibus miserunt: *Dominis, & Patribus s. Rufi Abbati Gulielmo, sancto religiosq; conuentui, s. Crucis Prior, etsi indignus, atq; humilis congregatio morum disciplina, & nostrarum medela animarum quantamcunq; participationem. Quantas Deo, vestraq; sanctitati persoluemus gratias pro beneuolentia, & charitate deuota in Dominicum Diaconum, & Ioannem tunc magistrum, nunc autem Archiepiscopum, & Tellonem Archidiaconum, cuius anima requiescat in pace, & nunc quia vestri cupimus esse discipuli, quod nondum habuimus, per Petrum fratrem eius pro amore fraternitatis mandari nobis obnixè obsecramus. Valete.* Quibus cum literis ad illos veniens, & humanissimè exceptus, cum illis à festo s. Martini vsq; ad festum Paschæ Dominicæ Resurrectionis commemoratus, omnem illorum vitæ rationem exactè didicit, cum eisdem in Choro, Capitulo, refectorio, & dormitorio tanquam vnus ex ipsismet canonicis imprætermisè conuersatus, ac tandem dicti monasterij institutiones, & totius anni morem plenissimum, siue quod vocant Ordinarium, vel Calendarium s. Rufi secum referens, paulò ante festum s. Ioannis Baptista ad suum Colimbricensem conuentum s. Crucis repedauit: & hinc ortum habuit notitia constitutionum, & Ordinarij congregationis s. Rufi apud canonicos colimbricenses, & cæteros Lusitanos. quod nonnulli viri docti nescientes, in errorem prolapsi, alijs etiam errandi occasionem præstiterunt, asserentes, canonicos s. Crucis Colimbricenses, & alios Lusitanos non esse de illis à beato Augustino institutis, sed à beato Arnulpho Lugdunenli Archiepiscopo, & de dicta congregatione sancti Rufi, quia in monasterio Colimbricensi sanctæ Crucis adhuc sunt constitutiones, & regulæ, secundum quas dicebant officium diuinum secundum institutum sancti Rufi. Quod ex multiplici capite falsum esse conuincitur, vt ex dictis cap. 2. & 55. liquet. Verùm quod ad rem attinet, canonicos sanctæ Crucis esse de veris antiquis clericis per Diuum Augustinum institutis conuincitur ex primis dictæ congregationis autoribus, ex quibus tres saltem regulares canonici Colimbricensis Ecclesiæ cathedralis extiterunt, videlicet Domnus Tello Archidiaconus, Domnus Michaël Prior, & Domnus Ioannes Magister Scholarum, qui postea fuit Archiepiscopus Bracharensis, eosdè verò de congregatione sancti Rufi nunquam extitisse, sed solum illius constitutiones, & ritum, celebrandi diuinum officium obtinuisse, certo certius erit, vetustissima dicti monasterij monumenta reuoluentibus, neque enim ex eo, quod Colimbricenses constitutiones sancti Rufi, & regulas reci-

tandi diuinum officium iuxta illius congregationis consuetudinem habebant, legitimè inferri potest, illos eidem congregationi aggregatos: alias inferendum esset canonicos sanctæ Mariæ de Rheno propè Bononiam, & Nicosenses in agro Pisano fuisse de cōgregatione canonicorum Portuensium, quòd illorum constitutiones Apostolica concessione, vel etiam iussione seruandas acceperunt.

Contigit autem eo tempore, quo Colimbricenses prædictum presbyterum ad sancti Rufi canonicos miserunt, Ioannem Peculiarem, detuncto Pelagio Bracharensis Ecclesiæ Archiepiscopo, in eius locum eligi, & ordinatum Romam ad Sedem Apostolicam destinari. quare iidem canonici optimam se occasionem nactos arbitrati, miserunt cum illo duos ex ipsismet canonicis, videlicet Petrum presbyterum, & Menandum, vt priuilegij per venerandæ memoriæ Tellonem Archidiaconum impetrati confirmationem procurarent: quod Deo fauente foeliciter præstiterunt, nouis literis Apostolicis obtentis ad Bernardum Colimbricensem Episcopum, & Alphonsum Portugalliæ Ducem, quarum exemplum est.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Bernardo Colimbricensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex diuina legis præceptis quod nobis fieri nolumus, proximis nostris facere prohibemur. Hoc nimirum intuitu fraternitatis tue mandamus, atque præcipimus, vt fugitios fratres de Ecclesia sanctæ Crucis, que utique consualis est beati Petri, neque ipse suscipias, neque ab aliquibus infra tuum Episcopatum suscipi patiaris: quin potius si qui fratres ipsos absque Prælati sui licentia suscipere ausi fuerint, si quod absit, prælatis suis reddere recusauerint, usque ad satisfactionem tam ipsorum transfugam, quam eius temerarios defensores excommunicationi subicias. Eos etiam, qui fratres præfata Ecclesiæ iniuste opprimunt, & eorum bona diripiunt, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerint, simili sententia punias. Studij quoque tui erit, vt iura Ecclesiarum præfata Ecclesiæ sanctæ Crucis pertinentium, quæ per te, ac tuos auferri accepimus, eidem in pace dimittas, & eos, qui circa præfata Ecclesiam commorantur, eam visitare, & pro sua deuotione adire nullatenus prohiberi permittas. sum enim vniuersa, qua habes, tibi ab Apostolico sint collata, indignum tibi non debet videri, si specialia loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in tuis partibus augeantur, & tuo studio à quibuslibet turbatoribus defensentur. Datum Laterani 5. Kal. Maij.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Alphonso Illustri Portugalliæ Duci salutem &c. honorum Principum est, Ecclesiæ Dei fibiali affectione diligere, easq; pro collata sibi à Deo potentia defensare. Huius rei gratia nobilitati tuæ per presentia scripta rogando mandamus, quatenus Ecclesiam sanctæ Crucis, quæ utique consualis est B. Petri, & specialiter

sub

sub eius tutela confisus, pro reuerentia sanctorum Apostolorum, & nostra manuteneas, & defendas, & nullis iniurijs, vel molestijs fatigari permittas. Datum Laterani s. Calend. Maij.

VII. P Ræstitit porrò idem pijsimus Princeps seipsum eiusdem monasterij cunctis diebus vitæ suæ, ac etiam post mortem benefactorem largissimum, & tutorem zelantissimum: nam in primis locum Balnearum Regiarum ad cœnobium extruendum ipse concessit: Deinde præter multa ad Ecclesiæ, & Sacrorum Altarium ornamenta, & supellestem spectantia, copiosos redditus, prædia, villas, & castra cum omnimoda iurisdictione, regia munificentia donauit: Iura monasterij manu regia tutatus est, & pro illius immunitate, ac incolumitate apud Sedem Apostolicam non semel egit, vt evidens est ex literis ad Adrianum IV. & Alexandrum Tertium directis, quarum exempla in cartophilacijs eiusdem monasterij custodiuntur: Huic Principi mos erat, cum cœnobium ingrederetur, gladium ad ostium ponere, & superpellicem canonicum induere, & semper donec monasterium egrederetur, gestare, quod etiam, cum prælium ingrederetur, super thoracem ferreum induebat, Regalia stemmata acupicta retro & ante monstrans: quod superpellicem post illius obitum ad ægros, & foeminas ob partus difficultatem laborantes deferri consueuerat, & melius habebant. Denique in Ecclesia sanctæ Crucis sibi, & suis sepulchro designato, naturæ debito perfoluto, cum eodem canonico superpelliceo tanquam vnus de numero canonicorum voluit sepeliri. nam cū olim ipsum Regem à Mausoleo mouissent, veste instar pallæ vulgo Guarnaza nuncupata, & superpelliceo canonicorum illius temporis indutū inuenerunt, quod diu in monasterio seruatum est, donec casu igni fuit consumptum.

VIII. H Anc ob causam ipsi canonici tantorum beneficiorum memores, vt erga tantum Principem grati illorum animi significationem aliquā exhiberent, beato Theotónio Priore statutum, quod hic sequitur, fecerunt, probauerunt, & perpetuò à canonicis dicti loci seruandum in tabulis scripserunt: *Autoritate Domini Nostri Iesu Christi huius Ordinis capituli, & beati Petri Apostolorum Principis, & istorum fratrum nostrorum, qui in presentiarum habentur, Domini Ioannis Archiepiscopi Bracharæ, & Petri Portugalliæ Episcopi decreuimus, & decretum scripto posteris mandamus, quod nunquam postmodum ab ullo poterit infringi, vt amodo, & vsque in sempiternum quandiu hæc domus, & eius congregatio extiterit, centum pauperes inuis in refectorio ad mensas seniorum pane, vino & carne, seu piscibus unoquoque anno saturentur pro eius anima (scilicet Regis Alphonsi, & cum Syphis, & scutellis seniorum eis seruiatur. In festis vero principalibus, id est Natalis Domini, Cœnæ Domini, sanctæ Crucis, Pentecostes, & sancti Augustini Patris nostri uni pauperi tantum detur, quantum uni seniorum in refectorio sumendum datur. cum vero eius anima in pace pausauerit, festiuitas*

illa centum pauperum in eius anniuersarium vno quoque anno celebretur, & in refectioe vnus pauperis per triginta dierum spatium, seu in diuinis obsequijs, sicut unicuique nostrum, nec illas principales suas pauper perdat festiuitates, siquidem quod substantiarum habemus ab eo habemus, & ab eo defensamur, magnum, etsi hoc munusculum & in vita, & in morte pro eo agendum statuamus.

Quibus verò difficilè videtur credere, prædictum monasterium Regis donatione tot bonis locupletatum, ex vno discant, quod legitur in Vita beati Theotonij primi Prioris: cum enim Rex Alphonfus Castrum Leiriense de manibus Saracenorum eruisset, ipsumq; cum seculari, ac etiam Ecclesiastica iurisdictione cœnobio sanctæ Crucis dono obtulisset, ac postea Saraceni resumptis viribus, ipsum castrum sub illorum potestate redigissent, cum illius custodibus, ac præfecto Goterre, quem in vincula statim coniecerunt, sanctus vir Theotonius conuocatis cœnobij clientibus, & vassallis Transtaganam Saracenorum regionem inuadens, oppidum de Arronches occupauit: quo itidem tempore Rex Alphonfus Castrum Leiriense iterum de manibus Saracenorum liberatum suæ potestati subdidit, relictaq; ibi valida militū manu ad custodiam, Colimbriam cum Victoria est reuersus.

V Erum parua hæc sunt comparatione spiritalium thesaurorum, quibus idem monasterium est ditatum, nam inter alia plurima, quæ in illo memoratu digna reperiuntur, conduntur in illo septem corpora Sanctorum videlicet beati Patris Theotonij primi eiusdem cœnobij Prioris, & sanctorum quinque Martyrum ex ordine beatissimi Patris Francisci Marochij occisorum, & beatæ Cobbæ, præter alias penè innumerabiles Sanctorum Reliquias oculis aureis, & argenteis margaritis pretiosis affabrè intextis reclusas, quæ in quodam sanctuario repositæ mira veneratione coluntur. Cernitur etiam in angulo vnus è claustris monasterij sacellum ossibus mortuorum arte compositis circumquaque exornatum, quæ esse militum Christianorum pro fide Catholica iuxta Ciuitatem Colimbriam in certamine contra Saracenos occisorum, vetus, & constans est traditio, inter ossa Saracenorum superna reuelatione per quendam claritatis fulgorem super illis apparentem indicata, & in vnum collecta, ac in sacello à canonicis ordine collocata.

Conditum est in eodem cœnobio cadauer pijsissimi Regis Alphonsi primi Regis Portugalliæ in Mausoleo à latere Euangelij superpelliceo canonicorum indutum, de quo proximè dictum fuit. Huc Alphonsum Lusitani pro beato colunt. item Regina Maphaldæ ipsius Alphonsi coniugis, & canonicæ in eodem Mausoleo repositum. Item Domni Santij Regis eiusdem Alphonsi filij Secundi Regis Portugalliæ, cum cadauere Domnæ Dulciæ Reginæ illius coniugis. Item Domni Henrici Infantis filij Regis Santij, & duarum eiusdem Regis agnatarum

tarum Domnæ Constantiæ, & Domnæ Tarasiæ. Item Domnæ Beringellæ Infantissæ Santij Regis filia, ac tandem Domnæ Santiæ filia naturalis eiusdem Santij Regis.

X. **S**ed nec istud omittendum, in fundatione prædicti monasterij alterum locum, siue claustrum ab illo canonicorum in altera parte Cœnobij exstructum pro nobilibus, & illustribus foeminis, quæ spretis seculi delicijs, seipsas Deo sub B. Patris Augustini Regula, & sub obedientia Priorum dicabāt, quæ Domnæ vocabantur, vt ex sequenti scheda professionis cuiusdam Domnæ Moniæ apparet. *Ego Monia Martini filia timens Deum, & ultimi diem iudicij, trado me ipsam Deo, & Colimbricensi monasterio sanctæ Crucis, ac vobis quoque Domino Theotonio eiusdem monasterij Priori, & cæteris canonicis ibidem in perpetuum commorantibus, & offero ibi mecum villam nomine Almasum integram iuxta fluuium Mondui sitam, pro qua ego dedi aliam villam, quæ dicitur Tirroso ultra Dorium &c.* Inuenitur etiam in veteri libro defunctorum Regina Domna Maphalda sanctæ Crucis canonissa, cuius descriptio obitus talis est. *Obijt Domna Maphalda inclita Regina Portugalliæ, coniux Domini Alphonsi primi Portugalliæ Regis canonica sanctæ Crucis, nonis Decembris.* & alia eiusdem Regis filia nomine Domna Constantia inter canonissas dicti monasterij recensetur: quæ canonissæ ibidem permanserunt vsque ad tempora secundæ reformationis dicti monasterij, quæ facta est tempore Ioannis III. huius nominis Portugalliæ Regis, quo tempore illæ penitus fuerunt extinctæ. Reperitur autem in Sacello Reliquiarum capsula quædam, in qua vnus prædictarum canonissarum ossa custodiuntur, quam tum antiqui, tum recentiores pro illius sanctitate in maxima veneratione habere consueuerunt: Verumtamen de miraculis non constat. Erat etiam in quodam sacello intra idem claustrum imago Sanctissimi Domini Nostri IESU CHRISTI Crucifixi, quam vnâ illarum super petitione iniusta ferunt allocutam: *Nescitis quid petatis.*

Hoc Cœnobium non est dubium, paulò post illius fundationem in cōgregationem multorum collegiorum excreuisse, quandoquidem ab antiquo tempore ex alijs monasterijs ad istud sanctæ Crucis transibant, & ex hoc ad alia, vt de sancto Ferdinando monasterij sancti Vincentij Vlyssiponensis canonico, postea s. Antonio de Padua nuncupato statim dicemus. Verùm quòd lapsu temporis congregatio fuerit soluta, & multa ex antiquis monasterijs ob summam annonæ caritatem, & pestilentiam secutâ est 1394. scilicet anno Christi 1356. canonicis omnino destituta, in beneficia secularia fuerint commutata, vel à laicis occupata, & ipsum sanctæ Crucis Cœnobium Munda fluuiò erumpente totum pene cum cartophilacijs aquis inundatum, & suffocatum, ac in eiusmodi alluione magna pars veterum illius scripturarum deperdita, omisso Catalogo monasteriorum, quæ dicta congregatio obtinebat ante reformationem, de ijs solis dicemus, quæ post

reformationem sub Ioanne Tertio Portugalliæ Rege secutam eidem congregationi fuerunt vnita, quod in sequenti capite præstandum erit.

Caput sexagesimum.

De Reformatione prædictæ Congregationis, & de illius monasterijs.



Nre primam reformationem an. 1527. I. inchoatam, mos erat canonicis sanctæ Crucis Colimbricensis, & aliorum dictæ congregationis Cœnobiorum, per Priores perpetuos à Conuentibus canonicè electos gubernari. Quo tempore nimirum à prima dicti monasterij institutione vsque ad annum 1527. duos ac viginti perpetuos Priores habuisse perhibetur. Quorum primus fuit sanctus Theotonius vnus è primis illis duodecim prædicti monasterij fundatoribus, & antea Prior Vifiensis Ecclesiæ, quæ nunc est Cathedralis: nam Venerabili Tellone in humanis superstite, nullus erat Prior titularis canonicè, & Capitulariter electus, sed erat tantum Prior claustralis Odorius nomine, ad quem diriguntur literæ Innocentij II. superiori capite memoratæ. post obitum, verò eiusdem Venerabilis Archidiaconi primò canonicè electus est in Priorè maiorem, ac titularem (etsi reluctans & inuitus) ipse Beatus Theotonius, qui tandem regimine suscepto, zelo, & prudètia, & vitæ sanctitate munitus, pro canonica disciplina, bonis, ac iuribus monasterij conseruandis, & augendis magna, & mirabilia patrauit, priuilegia complura à Summis Pontificibus Lucio Secundo, Eugenio Tertio, & Adriano Quarto obtinuit, Deo & hominibus charus, & amabilis, cuius gestorum narratio non intra vnus paragraphi ambitum perstringi potest, sed integrum librum requirit. qui demum grandæuus, nimirum annum octogesimum attingens, bonis operibus plenus, miraculis etiam in hac vita conspicuus, ex terreno huius corporis ergastulo ad coelestem patriam migravit, anno salutis 1162. die 18. Februarij, quo illius festum solemnè veneratione celebratur. Huic secundus successit Dominus Ioanes Theotonius eiusdem B. Theotonij nepos, & in regimine coadiutor, ad quem scripsit Alexander III. an. 1163. obiit anno 1181. Tertius alius Dominus Ioannes, qui tribus tantum annis vixit in regimine. obiit anno 1184. Quartus Dominus Petrus. obiit anno 1191. Quintus Dominus Petrus de Froes. huic Cœlestinus III. dedit insigne priuilegium contra inuasores bonorum monasterij anno 1196. Calendis Augusti, Pontificatus sui anno quinto, quod Pius V. confirmauit, & est aduertendum ab ijs, qui gaudent priuilegijs dictæ congregationis. Eo verò obeunte, successit sextus in ordine D. Ioannes de Magistris, sub cuius regimine sanctorum quinque Martyrum ex Ordine Minorum reliquit, qui pro fide Catholica passi sunt apud Marochiū, an. 1220.

Colim-

Colimbriam sunt delatæ: quas cum Dominus Petrus infans Alphonfi Regis huius nominis II. eò vehendas curasset, vt in Ecclesia cathedrali Colimbriæ conderentur, adiuuante ad opus illius Sacellano Domino Ioanne Roberto sanctæ Crucis canonico, cuius custodiæ ipsæ reliquæ fuerant traditæ, mirabile dictu, mula, quæ pignora in capsis condita ferebat, ad fores Coenobij sanctæ Crucis substitit, nec loco moueri potuit, donec apertis templi valuis illud ingressa, ante altare maius genibus flexis procumbens, non prius surrexit, donec sacra pignora deponerentur. Aderat ibi loci B. Antonius de Padua nuncupatus antea Dominus Ferdinandus de Bullohes eiusdem congregationis, ac Coenobij Regularis canonicus, in qua congregatione iam vndecim annis viuens, virtutum, & miraculorum gratia, & splendore coruscare incipiebat. hic deuotionis feruore in sanctos Martyres commotus, quos paulò ante in eodem monasterio adhuc viuentes hospitatus fuerat, martyrium sitiens, à supradicto Priore ad Ordinè B. Francisci transeundi licentiam impetrauit. Obijt dictus Ioannes Prior anno 1236. quinquennio post obitum ipsius B. Antonij seu Ferdinandi, cui septimus in regimine successit Dominus Ioannes Petri obijt anno 1270. Octauus Dominus Bartholomæus, qui Brachium sancti Vincentij Martyris à Rege Alphonso Henrico illuc delatum, thecis aureis, & argenteis gemmis ornatis inclusit, vixit vsque ad annum 1274. Nonus Dominus Petrus, qui annis decem Prioratum tenuit. obijt anno 1284. Decimus successit Dominus Laurentius Petri, vixit vsque ad annum 1294. Vndecimus Dominus Durandus Pelagij. obijt die nona Septembris. Duodecimus Dominus Dominicus, qui obijt anno 1322. Tertiusdecimus Franciscus Petri vsque ad annum 1332. Decimusquartus Dominus Valascus de Bayo. Decimusquintus Dominus Alphonfus, sub quo Munda fluuio erumpente, horribilis monasterij inundatio accidit, cum maxima scripturarum, & aliarum rerum iactura. Decimus sextus Dominus Gondifaluus, hic zelantissimus iurium, & bonorum sui monasterij spiritualium, & temporalium fuit propugnator, ac defensor tum aduersus Aluarum Colimbriæ Episcopum, tum contra Præfectum, & Populum Ciuitatis, quem Deus & B. Rex Alphonfus Henricus inibi tumulatus miraculosè non semel adiuuerunt: nam & nepos Episcopi villam quandam monasterij per vim inuadens, dum in eadem villa coenaret, ante oculos eiusdem Episcopi repente vita priuatus est, & Præfecti filius, qui in gratiam ciuium Colimbriensium aquam noui fontis ad iura monasterij spectantem abduxerat, in aquis est præfocatus, & quidam Petrus Alphonfus, qui infantem D. Petrum Regis filium, & ipsum Ciuitatis Præfectum ad aquas abducendas incitauerat, morte subitanea correptus, & Martinus Dominici auditor Ducis Colimbriæ, qui monasterij vineas inuaserat; repentina paralisi correptus, ex loco vinearum domum delatus, intra paucos dies animam exhalauit. Huius Prioris virtus in operi-

bus misericordiæ erga pauperes mirificè resplenduit tempore magnæ sterilitatis, quo modius tritici tribus quinarijs stabat: nam horreo aperto multorum modiorum hordei, ac millij pleno pauperum multitudinem innumerabilem à periculo mortis liberauit. Vixit in Prioratu annis 52. Obijt autem anno 1403. 17. Calend. Maij. Decimus septimus fuit Dominus Gomefius, qui olim Florentiæ Camaldulensium Abbas fuerat, nuncius Apostolicus ad illas regiones à Pontifice destinatus. tenuit Prioratum vsque ad annum 1441. cui decimus octauus successit Dominus Ioannes à Costa. Decimus nonus D. Ioannes de Moronza ex nobili, & generosa familia Marchionum villæ Regalis. Obijt an. 1506. Vigessimus Dominus Petrus, qui fuit Episcopus Igitanensis. rexit monasterium vsque ad annu 1516. Post cuius obitum consecutus est Prioratû Dominus Alphonfus S. R. E. Cardinalis, & Regis Emanuelis filius adhuc infra annos ætatis legitimæ constitutus, cui per resignationem ab eodem Alphonso Cardinali factam successit Dominus Henricus infans illius frater, qui postea fuit Cardinalis, & denique Rex Portugalliæ. & hic fuit vitimus Prior sanctæ Crucis ante primam reformationem: nam licet anno 1541. à Rege Ioanne successus esset quidam eius filius nothus nomine D. Eduardus, ille breui interuallo ex hac vita migravit.

CAeterùm quod tractu tanti temporis siue **II.** pro humanæ fragilitatis conditione, cui proprium est ad ima tendere, & in deterius labi, siue quòd prædictum monasteriû Prioribus fiduciaris, quos Commendatarios vocamus, regendum traditiam tandem cœpisset, cœperunt etiam ipsi Colimbrienses canonici paulatim relaxari, & à primæ institutione sanctissimorum virorum Theotonij, & aliorum dictæ congregationis parentum, ac fundatorum deflectere, & iugo regularis disciplinæ ferè abiecto, vitam potius secularem ducere. Quod animaduertens clementissimus, & religiosissimus Portugalliæ Rex D. Ioannes III. & mente gerens, quantum operam illius maiores Portugalliæ Reges in eiusdem monasterij splendore, bonis, ac iuribus fouendis, & augendis contulissent, illorum pietatis, ac religionis verè æmulator, ad illius ruinam reparandam animum adiecit. Quare facultate prius à Sede Apostolica impetrata, necnon etiam ex commissione Illustriss. & Reuerendiss. Domini Henrici S. R. E. Cardinalis eiusdem monasterij Prioris Commendatarij, cuius Cardinalis tunc in minoribus constituti idem Rex tutelam agebat, fratrem Blasii de Braga ex Ordine s. Hieronymi ad Priorem claustralem, & canonicos dicti monasterij reformandos destinauit. Cœpta est reformatio anno Christi 1527. die 13. Octobris, vt ex scripturis authenticis apparet: & quidem hisce legibus, institutis, & sub tali, & tanta Regularis disciplinæ distractione, præsertim in clausura, & silentio seruandis, vt nec illa celeberrima Cartusiensium congregatio illi præstaret. Quam ob causam à publicis processibus, quibus priores canonicos ante ipsam reformationem adesse

adefse oportebat, Apostolica indulgentia fuerunt dispensari. Selecti sunt ad eam perficiendam optimi iuvenes bonæ indolis, & virtutibus imbuti, alij etiam Nouitij additi à pristinis canonicis iam admissi. Demum hæc sancta reformatio adeo utilis, adeo insignis fuit, vt illa mediante, institutio canonica ad pristinam vitæ integritatem in Regno Lusitanæ sit exactissimè restituta, & canonici ipsi, qui prius ob illorum vitam parum religiosam contemptui habebantur, cunctis populis, ac in primis ipsis Serenissimis Regi, ac Reginae summæ venerationi essent, ac etiam admirationi. Extant literæ Serenissimæ Reginae Domnæ Catharinæ ipsius Regis Ioannis III. relictæ, & Philippi II. Regis Hispaniarum sororis ad Summum Pontificem in commendationem eorundem canonicorum, & eorum laudem scriptæ, & vix credibilia narrantes.

III. **I**N hac reformatione prædicti monasterij regimen est penitus immutatum: nam Priores, qui antea erant perpetui, postea triennales esse cœperunt. Porro in eadem reformatione quod canonici Priorem maiorem siue ritularem ex gremio illorum Capituli non haberent (erat quippe fiducarius siue secularis commendatarius, nempe ipse Dominus Henricus S. R. E. Cardinalis) facta est diuisio, aut separatio quædam bonorum dicti monasterij. vt enim Prior claustralis, & canonici reformati congruam sustentationem haberent, nonnulla loca, redditus, & census à mensa Priorali sunt dismembrata, & mensæ conuentuali canonicorum reformatorum applicata: & deinde idem Henricus prior Commendatarius maior factus, vt eadem reformatio suum plenum, & integrum sortiretur effectum, nec vnquam successu temporum impediretur, quominus in dies ad vberiore statum, & perfectionem cresceret, omnem iurisdictionem, dominium, superioritatem, potestatem, & correctionem, quæ ad Priorem maiorem pro tempore existentem spectabat, à semetipso abdicatum Priori claustrali pro tempore existenti, & iuxta dictæ reformationis statuta electo remisit, & plenissimè in illum transtulit, quæ omnia postmodum Paulus Tertius probauit, & confirmauit.

Non tamen omnia bona monasterij in eadem reformatione, quæ à Commendatarijs tenebantur, illi sunt restituta, quin potius prædictus Rex D. Ioannes ex parte vestigalium, quæ ad mensam Priorum maiorum pertinebant, Colimbricensem Academia condidit, & erexit, & castrum Leiriense, quod ad dictum monasterium spectabat, in Episcopatum erigendum curauit, & castrum de Arronches, quod S. Theotonius primus Prior è Saracenorum manibus eruerat, ipse Rex Episcopatu de Portalegre adiecit.

IV. **P**orro reformatione ipsius monasterij S. Crucis foeliciter absoluta, idem Rex animum adiecit ad duo alia Cœnobia in Episcopatu Vlyssiponensi constituta, eaq; olim conspicua reformanda, videlicet monasterium sancti Vincentij, & monasterium sancti Saluatoris de Ecclesiola nuncupatum,

quod pari foelicitate, ac facilitate obtinuit. Demum idem Rex Pontificatus Pauli Quarti anno secundo ab eodem Pontifice obtinuit, vt tria prædicta monasteria sanctæ Crucis, sancti Vincentij, & sancti Saluatoris de Ecclesiola sic reformata, in formam vnus congregationis more congregationum Italicarum iungeretur, vnà cum alijs monasterijs in Regno Portugalliæ reformandis, vel denuo fundandis, & alijs iuste acquirendis, cuius congregationis caput esset Prior ipsius Cœnobij sanctæ Crucis, & ab illo congregatio sanctæ Crucis Colimbricensis in posterum vocaretur. Cuius concessionis extant literæ, seu illarum exemplum in nostro Archiuo Romano totam seriem reformationis dicti monasterij, & aliorum, ac etiam creationis illorum in vnâ formam, & vnum corpus congregationis continentes, Datæ apud sanctum Petrum sub sigillo officij Sacræ Pœnitentiariæ 17. Calend. April. Pontificatus Domini Pauli Papæ Quarti anno secundo, quas breuitatis gratia omitto. Exinde verò cœpit ipsa congregatio numero monasteriorum antiquorum, sed reformatorum, ac nonnullorum, quæ postea sunt fundata, & etiam numero canonicorum per totam Lusitaniam crescere, & multiplicari, quorum monasteriorum Catalogus, quod supra cap. 32. positus fuerit, nunc inutilis repetitionis euitandæ gratia aliqua notabilia, & memoria digna circa nonnulla ex prædictis monasterijs solum aduertemus.

Primum igitur, ac princeps huius congregationis collegium, quod cæterorum omnium est caput, est ipsum Illustrissimum, ac celeberrimum, regiumq; cœnobium S. Crucis, cuius Prior, qui singulis triennijs in Generalibus comitijs totius congregationis eligitur, eiusdem est Prior siue Superior Generalis. de cuius fundatione, priuilegijs, & sanctorum Reliquijs in eo reconditis cum Regibus, & Regina, & filijs, & filiabus Regum Portugalliæ dictum est in cap. præcedenti.

Secundum est collegium sancti Vincentij Martyris propè ciuitatem Vlyssiponam ad plagam Orientalem, ab Alphonso Henrico primo Portugalliæ Rege anno 1148. fundatum, cuius fundandi occasio hæc fuit. Anno 1148. Alphonso Rex Portugalliæ Henrici Comitissæ, & Reginae Tharasiæ filius, inimicorum Crucis Christi extirpator mirificus anno regni sui 18. ætatis 40. collegit exercitum, & obsedit Vlyssiponam tunc ciuitatem Saracenorum, habuitq; auxiliarem electam manum fortium virorum, quos illi Dominus zelo fidei succensos in auxilium misit cum centum sexaginta nauibus ex partibus Septentrionis, videlicet Theotoniorum, Francorum, & Anglorum. Hi de nauibus proficientes intrepidi, ex parte maris ciuitatem alabantis sua contra illam castra disposuerunt, quique per generationes, & linguas suas. Theotonici suburbia Orientalia Saracenis fugatis occupauerunt: Angli cū Britannis, & Aquitanis suburbia, quæ sunt ad Solis occasum similiter tenuerunt: nam Septentrionalia Rex cum Ducibus, & equitibus sua multitudine

titudine obsidebat. cum autem multi de Franchis, quod spreta pro Christo vita, seu morte propius ad moenia ciuitatis accederent, ictibus telorum, & machinarum desuper irruentium occumberent, ut illorum cadauer à pro Christo morentium religiosè more Catholicorum sepulturam acciperent, ipse Rex accersito Reuerèdis. Bracharèsi Archiepiscopo Ioanne (is vnus erat ex duodecim primis cœnobij s. Crucis Colimbriæ fundatoribus) cum eo egit, ut statim propè stationes illorum duo cœmeteria designaret, & latices aspergendo ritu Ecclesiastico sanctificaret, votum vouens, quod si Dominus in manum illius traderet ciuitatem, duas ibi Ecclesias cum duobus collegijs religiosorum hominum, qui pro salute occisorum deprecarentur, statim extruendas curaret. Igitur Archiepiscopus Ioannes cœmeterijs designatis, duos quoque lapides cõsignatos pro fundandis duabus Ecclesijs Regi offert, quos ille vota præueniens statim locauit, alterum in cœmeterio Theotonicorum, vbi nunc situm est monasterium s. Vincentij martyris: alterum in cœmeterio Anglorum, vbi est Ecclesia sanctæ Mariæ ad Martyres, propter eos sic dicta, qui vsque ad mortem pro Christo certantes ibidem sepulti fuerunt. His ita gestis cœpere Franci secundum Ecclesiæ consuetudinem interfectos suos Ecclesiasticæ mandare sepulturæ, & super eos Ecclesias ædificare, ac de proprijs sumptibus proposito Regis, cuius animum pijsimum cernebant, operæ ferre. Theotonicæ Basilicæ s. Vincentij, quæ in eorum cœmeterio extruebatur, præposuerunt presbyterum nomine Roardum, qui singulis diebus Missas cantaret, & oblationes acciperet à populo ad fabricam Basilicæ erigendam. cum autem anno Domini 1148. mense Octobr. in die festo ss. Crispi, & Crispiniani capta Vlyssipona Rex votum suum vellet opere complere, accersito ciuitatis antistite nomine Gilberto, quem recens ordinari fecerat, ut quam vellet ex duabus Ecclesijs prædictis, sibi, & suis clericis eligeret, optionem dedit. qui Ecclesiam s. Mariæ ad Martyres, quod vrbi esset vicinior, postulauit, & obtinuit: altera verò sancti Vincentij Rex cum omnibus suis iuribus suæ dispositioni reseruauit. Cumque de constituendo in ea collegio religiosorum virorum cogitaret, ecce Gualterus Abbas singularis sanctitatis canonicus regularis ex ordine Præmonstratensi natione Flamungus, cum quatuor sui ordinis fratribus Vlyssiponam venit, quem Rex eidem Ecclesiæ statim præfecit, ac exinde agros, vineas, & redditus pro stipendijs fratrum in ea commorantium necessarijs eidem cœpit donare. Verùm quod dictus Gualterus eam suo Præmonstratensi monasterio vellet subijcere, ut esset eius filia, Rege contradicente, dimissa Ecclesia ad suos reuersus est. Quare Rex canonicum quendam regularem monasterij, quod dicebatur de Balneo, Godinum nomine, qui postea fuit Episcopus Lamacensis, eidem Ecclesiæ Priorem constituit: quo ad Episcopatum euecto rexit eadem alius dicti monasterij de Balneo canonicus

nomine Menendus octo annis, cui successit Dõnus Pelagius canonicus eiusdem monasterij de Balneo, qui in viuis agebat anno Dom. 1188. & hæc omnia fideliter excepta sunt ex cartha foundationis dicti monasterij vetustissima, ab autore illorũ temporum exarata, & in archiuis eiusdem monasterij vsque in hanc diè incorrupta seruata, per quã constat non solum de antiquitate foundationis dicti monasterij, & de illius fundatoribus, sed etiam cuius instituti fuerint primi illi regulares canonici in eodem monasterio constituti, nimirum ex monasterio de Balneo vetustissimo, non autem ex congregatione sancti Rufi Gallicana, ut quidam auctores gratis asserunt, & sine fundamento.

De hoc monasterio nonnulla lib. 1. cap. 35. in fine annotauimus, quæ omnia videnda erunt: nam ex illis habebis, vnde plures errores Ioannis Marquez Eremitæ Augustinensis emendes in suo libro de Origine Fratrum Eremitarum. Habuit autem istud monasterium viros sanctitate, & virtute illustres Domnum Godinum primum illius Priorem, ex ordine canonicorum regularium, postea Episcopum Lamacensem, denique Archiepiscopum Bracharensem, Domnum Ferdinandum de Bullohes, postea Antonium de Padua nuncupatum, & inter Diuos relatum, Domnum Stephanum Petri Episcopum de Tala, Domnum Nunium Episcopum Tingitanensem, D. Didacum Ortiz de Villegas primò Episcopum insulæ s. Thomæ, postea Episcopum Visiensem, Domnum Ferdinandum de Menezes regium sacellanum maiorem, & Lamacensem Episcopum, ac deinde Vlyssiponensem Archiepiscopum, qui omnes fuerunt etiam Priores dicti monasterij ante illius reformationem, quæ facta est sub Ioanne III. anno 1540. per quam Priores perpetui mutati sunt in triennales more Priorum s. Crucis Colimbriæ, quorum etiam omnia priuilegia, & immunitates eidem canonici s. Vincentij sic reformati obtinuerunt Pontificatus Pauli III. anno 6. Datis literis apud s. Petrum 4. Idus Octobr. sub sigillo officij Pœnitentiariæ, ac demum eisdem canonicis Colimbricis fuerunt vniti in vnum corpus congregationis, ut supra dictum fuit.

Tertio loco inter monasteria dictæ congregationis recensetur collegium s. Augustini Colimbriæ, quod ob antiquo tempore in ipso monasterio s. Crucis fuerat erectum, sed paucis abhinc annis in eum locum, in quo nunc est translatum. Nam cum in Comitijs Generalibus in eodem monasterio s. Crucis anno 1590. habitis, certis de causis visum esset Patribus, ipsum collegium extra septa monasterij statuere, existente Generali Reuerendiss. Patre D. Accursio à s. Augustino, designatoque ad id opportuno loco intra moenia ciuitatis, positus est primus lapis fundamentalis dicti collegij anno 1593. 3. Calend. Iunij per Illustriss. Domnum Alphonsum à Castrobranco Ciuitatis Episcopum, & continuo per ipsum Generalem, & illius successores opus ad cõsumationem perductum, primusq; illius Rector designatus idem Dominus Accursius

curfus . Hoc collegium inter omnia Colimbricenis Academiae secundum obtinet locum . Loci verò amoenitate, & operis magnificentia omnibus antecellit . Degunt in eo canonici numeratis Rectore Regente, Magistris, Lectoribus, & Procuratore numero quadraginta, & amplius, frequentaturq; à pluribus scholasticis, tum regularibus, tum secularibus praesertim cum fiunt publicae disputationes.

De alijs verò monasterijs, quae omnia computatis proximè dictis sunt numero decem, & nouem, vide, quae supra cap. 32. notauiimus . quia non vacat de singulis prolixiorē contexere sermonem.

Caput sexagesimum primum.

De viris Illustribus praedictae Congregationis Colimbricensis.

I.



Abuit haec congregatio tum antea, tum post ipsam reformationem viros sanctissimos complures, virtute conspicuos, quorum nonnulli inter Diuos sunt relati, & vt tales in veneratione habentur, inter quos primo loco ponendus

S. Theotonijs primus Prior monasterij Colimbricensis, cuius festum sollemniter agitur die 18. Februarij non solum à Canonicis dictae congregationis, verum etiam à nostris Lateranensibus Pio Quinto Pontifice concedente.

Secundus est B. Antonius de Padua, Domnus Ferdinandus de Bullohes antea vocatus, hic enim cum in Vlyssiponensi D. Vincentij monasterio canonicorum habitum suscepisset, & professionem emisisset, vt parentum, & amicorum frequentiam declinans totus Deo coniungeretur, biennio ibidem expleto Colimbriam ad coenobium s. Crucis migravit: vbi nouem annis in meditationibus, & studijs diuinarum litterarum, & alijs pijs, & religiosis officijs seipsum exercens, perfectus possessor coelestis doctrinae, ac sanctitatis euasit, qui tandem ob martyrii amorem, accepta à Priori licentia, ad ordinem s. Francisci abiens, Deo aliter disponente, in Italiam venit, & Patauij spiritum Deo reddidit, inter Sanctos relatus, tum viuus, tum mortuus miraculis innumerabilibus coruscans, quae ego in me ipso expertus ad Dei, & sancti sui gloriam certissima fide contestor.

Tertius D. Ioannes Robertus canonicus professor monasterij s. Crucis, D. Petri Regis Santij primi huius nominis filii Sacellanus, qui quo tempore quinque martyres apud Marochium pro fide Christi occubuerunt ibidem aderat, & illorum reliquias custodiuit, ac seruauit, quod obsequium sancti Martyres dupliciter compensare voluerunt. primò namque cum eques quidam nomine Petrus à Rosa ob ingens desiderium illorum reliquias contemplandi, scalam ascendisset, illico dirigit, cuius magnis eiulatus hic sanctus vir accurrens, illius criminibus confessione expiatis, caput vnus dictorum martyrum eius pectori admouit, quo facto, ille

statim perfectè pristinam salutem recuperauit. Deinde cum Rex D. Alphonfus Secundus dictorum sanctorum martyrum reliquias ad Cathedralem Colimbricensem deferri statuisset, illae diuino miraculo in monasterio s. Crucis substituerunt, ac ibidem ipsi martyres illorum pignora condi voluerunt, vt constat ex Chronologijs ipsius Regis Alphonfi, necnon ex Chronicis Franciscanis lib. 1. cap. 19. quod piè credendum est in recompensationem laboris praestitum, quem sanctus hic canonicus eius loci professus impenderat in eorum reliquijs custodiendis.

Quartus fuit B. vir D. Petrus Moniz spectatissimae vitae, & omni virtutum genere probatissimus, Vrracae Reginae praefati Alphonfi Regis coniugis à sacris confessionibus. Hic post dictorum martyrum reliquias eò translatas, qua hora ipsa Regina, iuxta quod à sanctis martyribus sibi antea fuerat prophetatum, ex hac vita migravit, cum esset Sacristiae praefectus, nocturno tempore vidit innumerabilem cateruam FF. ordinis s. Francisci, chorum s. Crucis processionaliter ingredientem, & matutinas suauissimè cōcinentem, ac in medio illorum quendam ceteros praecedentem quem alii quinque, aliis excellentiores sequebatur. Haec ille cernens, ac stupens, quoniam modo nocturno tempore clausis foribus, & nec dum signis datis ad canonicos ad matutinū vocandos tanta illa fratrum multitudo ingredi potuisset, ab vno illorum, quinam essent, & qua via, clausis ianuis, nocturnis horis illuc ingressi esset, quesiuit. at ille, nos, inquit, omnes, quos vides, fratres Minores sumus, qui nunc in caelis Deo fruimur: ille aut, quae tanta gloria circumdarum vides, B. est Franciscus Assisius, quae tanto desiderio in hac vita videre cōcupisti. alii quinque, qui inter ceteros quasi excellentiores eminent, sunt fratres, qui Marochii pro nomine Christi palmam martyrii impetrauerunt, & in hoc monasterio venerantur. Et quia tu es Reginae cōfessor, & Deum timens, hanc visionem voluit Dñs tibi reuelari. Et te minimè lateat, Regina Vrracae hoc tēporis intervallo è vita discelsisse: & quia illa ex toto corde nostrū ordinē dilexit, nos Dñs Iesus Christus, vt ei exequias praestaremus, & matutinales horas recitarem, demisit. De obitu Reginae non dubites: cū n. hinc profecti fuerimus, indubitabile nuncium accipies. quod ita euenit: protinus nāq; Reginae clientes ianuam pulsauerunt monasterij, & eius transitū denunciauērunt, postulantes, vt ad eius exequias persoluendas canonici adirent. Constat ex Chronicis ipsius Regis D. Alphonfi, & ex Chronicis Franciscanis lib. 1. c. 23. Hic autem D. Petrus, quod sanctitatis fama commēdaretur, ac etiam ob istam visionem ad pedes sanctorum sepulturam accepit.

Quinto loco recensendi sunt martyres Alphonfus, & Petrus eiusdem coenobii canonici apud Marochium pro fide catholica à Saracenis interfecti, quorum memoria in Catalogo vetustissimo defunctorum dicti monasterij habetur: cum illorum vita, & martyrium in monasterij inundatione perierit cum alijs plurimis scripturis vetustissimis.

Sexto

II. **S**exto loco numerari debet B. Gudinus primus Prior s. Vincentij, & antea monasterij de Baneo canonicus, postea verò ad Episcopatum Lama-censem, & tandem ad Archiepiscopatum Bracharensem assumptus: quem Archiepiscopatum cum annis duodecim, mensibus septem, & diebus viginti septem sanctissime rexisset, ex hac vita ad æternam migravit 3. Calend. April. anno Domini 1188. ibiq; sepultus pro Sancto colitur, & in magna veneratione habetur. Quem Gaspar Alvarez de Loufada Macado D. Augustini Bracharensis Archiepiscopi olim Chronista in suis memorijs narrat, miraculorum gloria floruisse.

Septimus fuit D. Gondisalvus sextus s. Vincentij Vlyssiponensis Prior, de quo in Vita B. Aegidij ex Ordine fratrum Prædicatorum per Andream de Resende Lusitanum scripta, quæ in monasterio sancti Andreæ Scalabitano custoditur, hæc habentur. *Vlyssipona in Cœnobia Regularium D. Augustini vixit illo tempore conspicua sanctitatis vir Gondisalvus Menendus, qui à pueritia Deo dicatus, cum annos plurimos innocentissime vitam egisset, meritis exigentibus, Cœnobiarcha factus est: in qua administratione cum neque potentia, neque prauis cupiditatibus ullo modo efferretur more eorum, qui honoribus ad superbiam, & voluptates abutuntur, sed potius in dies melior, sanctiorq; euaderet, tandem post quadraginta annorum curriculum, quibus in sancta conuersionis studio desudauerat, ad palmam cælestem vocatus est. In hora obitus eius contigit, virum Dei Aegidium in Cœnobia Sanctirimensi sacris altaribus operari, & ecce in subita mentis abstractione raptus vidit Gondisalvum à nobis modò memorati animam, terrena mole iam deposita, fulgentissima luce radiantem, per immensi aëris huius spatia Angelorum manibus sursum ferri, quo visu mirum in modum voluptate affectus, posteaquam in illo raptu immoratus aliquandiu fuerat, rediit ad se, nec præ gaudij magnitudine risum poterat continere. Rector Cœnobitarum, qui ad raptum eius videndum aduocatus fuerat ab Aedituo, cum & contra seueritatis suæ morem, & contra consuetudinem aliorum raptorum, post quos crebra semper suspiria, & gemitus emittebat, eürisisse admiraretur, peracto sacrificio, illum non modò obnixè rogando, verum etiam autoritate interrogando urgebat, ut causam in tempestiuo risus indicaret, tū ille simplici animo tetulit, quod viderat: & notata hora compertum est, virum illum Deo charum ex hac vita migrasse. Is qui ante nos viri vitam conscripsit, ait, se à Martino Ecclesie Vlyssiponensis Archiepiscopo viro doctissimo in frequenti sacerdotum, & populi conuentu rem ita se habuisse confirmante, hoc audiuisse. Hæc ille.*

III. **O**ctauus est B. Sefnandus Portugallensis ciuitatis Episcopus, quo tempore sedes illa Cathedralis erat regularis. Hic senio iam proximus in monasterium s. Mariæ de Villa bona discessit, quod ille vnà cum fratre suo Domino Monione fundauerat, vbi ambo fuerunt canonici Regulares, & in quo ipse Germanus Prioratum gessit. In hoc Cœnobia

B. Sefnandus orationi, contemplationi, & sanctis exercitijs totus deditus martyrij coronam taliter impetrauit. Huic sancto Episcopo mos erat statutis hebdomadæ diebus sacellum quoddam petere, quod in quodam monte octo stadijs à Cœnobia distabat, ad rem sacram faciendam. id Mauris vicina incolentibus cum innotuisset, positis insidijs, vt primum opportunitatem nacti sunt, & illum sacrum fecisse agnouerunt, sacris vestibus indutum, interficientes, discesserunt. quod canonici agnoscens, & protinus accurrentes, vt illum iam exhalasse animam viderunt, multa lacrymarum vi profusa, illius cadauer in monumento lapideo, in eodemq; sacello condiderunt, quod post multos annos ad monasterium translatum plurimis fuit miraculis: cuius gloriosi triumpho historia in pariete supra illius sepulchrum est depicta. Inter alia huius sancti Viri miracula, istud non est silentio prætereundum, cum post aliquot annos à die translationis corporis illius ad monasterium quidam agricola illius lapideum sepulchrum è sacello iam diruto, plaustro impositum efferret, à quodam interrogatus, quo sepulchrum illud deduceret, respondit, vt suis pastum præberet. & ecce necdum verba compleuerat, cum plaustrum in frustra totum illicò est confractum, cumque in proposito sistens plaustrum aliud adduxisset, sepulchro imposito, bobus adhibitis nunquam loco potuit moueri. & cum secundum, & tertium iuga bobum, & quotquot habebat, adhibuisset, re inconfecta, & funes, & plaustra disrupta sunt, atque conuersa. Quare Agricola tædio affectus sepulchrum in medio itinere dereliquit, vbi plus quadraginta annis stetit vsque ad annum 1596. quo anno monasterij tunc commendati Vicarius facultate illud in monasterium transferendi sibi facta, ad Dei, & Sancti sui gloriam sine labore, sine bobus, duabus solis vacuis plaustro suppositis, illud ad monasterium detulit, vbi nunc in veneratione habetur.

Nonus fuit Beatus Menendus canonicus, & Prior sancti Saluatoris de Ribas, quod monasterium nunc est commendatum, cuius sepulchro, ob eius sanctitatem, post illius obitum statim inscriptum fuit: *Hic iacet D. Menendus huius monasterij Prior, qui nunquam dum vixit, pedem mouit, nisi ad obsequium Dei.* Quod Epitaphium à veridicis inscriptum, compertum est anno 1565. annis circiter quadringentis ab illius depositione transactis, cum Rodericus de Mellò eius monasterij Commendatarius ob famam illius sanctitatis sepulchrum aperiri præcepit: nam repertum est cum eodem Epitaphio corpus reliquum in cineres solutum præter pedes, & crura integra, & cum carne quasi animata, cum caligis, & calceis, quæ crura, & pedes tegebant, quæ illaesa, & integra sunt reperta, ad viri Dei sanctitatem, & Epitaphij veritatem probandam, & hi quidem ante ipsius congregationis reformationem in eadem congregatione floruerunt.

IV. **C**Aeterum etsi post illius reformationē ob sum-
mam vitæ regularis obseruantiam, austeritatem,
claustrum, & silentij rigidissimam custodiam, & cætera-
rum virtutum exercitia, quibus cum maxima totius
Lusitaniæ, ac etiam finitimarum Prouinciarum ædifi-
catione d. Congregatio mirificè flores, omnes eius
alumni sancti merito dici possunt, præ cæteris tamen
refulsit D. Laurentius, qui totius Congreg. Præfer-
tura ter functus est, diuinæ contemplationi summè
deditus, & cæteris omnibus virtutum insignibus cõ-
decoratus adeo, vt ad eius sanctitatem testandam
præter miracula nihil aliud desideraretur: quæ sibi
post mortem non pauca edidit, vt Philippus II. Rex
Hispaniarum sua quadam epistola manu Regia ad Pa-
trum dictæ congreg. tunc Generalem scripta testa-
tus fuit. Cum .n. tempore altercationis inter ipsum
Philippum II. & D. Antonium Priorem de Crato pro
successione ad Regnum Lusitaniæ idem D. Laurenti-
us pater D. Antonij sequeretur, & ab illo in suo
monasterio s. Crucis mori filiorum Regum Portugallie
ab infantia fuisset educatus, ab eodem Philippo II.
iussus est in Legionensi s. Isidori cõnobio regularium
canonicorum relegari: quod vir Dei maxima cum ani-
mi tranquillitate, ob Dei amorem tolerauit. tandem
eo vita functo, Rex literas ad Priorem Generalem in
hunc modum dedit: *Abbas cõnobij s. Isidori me ser-
uatore fecit, vestrum patrem D. Laurentium iam in illo
defunctum miracula agere. Quod ipsi Generali, & eius
canonicis optimam illius vitam à primis annis in re-
ligione optimè perspectam habentibus admirationi
non fuit. Obijt 12. Calend. Decemb. anno 1583.*

Nec reticendus Ven. Anselmus s. Crucis canoni-
cus, vir in omni vita sua inculpatissimus, & cæteris
canonicis exemplar omnium virtutum. hic quadam
die dum ad altare B. Theotonij humi prostratus sub
lampade, quæ ante illud ardebat, oraret, lampas fu-
niculo soluto descendens miraculo in aere sine fra-
ctione, vel olei effusione, ad illius sanctitatem compro-
bandam stetit. Hujus dies sui obitus à Deo fuit reue-
latus, quem statim canonicis denunciatis, in lectulum
se proiecit, petens Ecclesiæ sacramenta sibi mini-
strari, quæ canonicis, quod vires adhuc integras ha-
beret, illi præbere nolentibus, in eadem petitione in-
sistebat; tandemq; omnibus summa cum deuotione
perceptis, candelam succensam manu tenens, & Sym-
bolum fidei recitans 9. Calend. Augusti 1557. ad
Dominum migravit.

V. **H**is addendi Dominus Urbanus, qui in adole-
scentia consummatus in breui expleuit tem-
pora multa, cui Deus sexdecim dies antequam è vita
migraret, diem sui obitus, & horam reuelauit. qui obijt
anno 1598. 10. Calend. Febr. D. Blasius, qui cum an-
norum 40. in summa asperitate, & regulæ obseruantia
vitam in Religione transegiisset, toto tempore vitæ
sue nullum ieiunium siue ex præcepto Ecclesiæ, siue
ex instituto Religionis omisit, nunquam diuinum of-
ficium prætermisit, præter Vesperas vnus diei, causa
vehementis intestini cuiusdam doloris, vt ipse morti
proximus retulit. Obijt anno 1571. pridie Calend.
Maij. D. Paulus primus professor s. Crucis post re-

formationem, in omni vita sua vniuersus, & rectus,
cuius vitæ sanctitas omnium ore est laudata, pauper-
tatis amator adeo, vt nihil indumentum haberet, præter
illud solum, quo tegebatur, nec in cella aliquid aliud
præter tabulam, in qua B. Mariæ Virginis imago erat
depicta. Defunctus est anno 1591. 4. Idibus Octob.
Dominus quoque Galpar à Plagis Prior s. Mariæ de
Beflorijs apud Limã, ieiunij, & abstinentiæ amator
singularis, & diuini honoris zelator ieruditissimus,
qui obijt anno 1618. 3. Ianuar. ac tandem vt alios
innueros omittam, D. Antonius à Plagis, cuius
sanctæ conuersationis, & singularis eruditioris fa-
ma percepta, Paulus V. dum Romæ negotia sue Re-
ligionis ageret, eum Generalem congregationis, &
Visitorem Apostolicum destinauit.

VI. **H**æc congregatio post reformationem viginti,
Hæc nouem Priores Generales habuit, qui sin-
gulo triennio, vt dictum est, canonicè in Generali-
bus Comitij eliguntur: Dominica 2. post Pascha
Resurrectionis, quorum nouissimus, qui nunc præest,
ac verè dignus, vt eius memoria illorum Catalogus
obsignetur, est Reuerendiss. Pater D. Antonius à
Cruce in liberalibus artibus apprime eruditus, &
omnium virtutum laude ornatissimus, qui summa
prudentia congregationem moderatur.


Prodierunt ex eadem congregatione viri digni-
tate cum primis illustres, ad diuersos Episcopatus, &
Archiepiscopatus assumpti. Primus D. Ioannes Pe-
culiaris vnus ex duodecim primis illius fundatori-
bus Episcopus Portugallensis, & postea Archiepi-
scopus Bracharensis. 2. D. Godinus primus Prior
s. Vincentij Episcopus Lamacensis, & postea Archi-
episcopus Bracharensis. 3. D. Stephanus canonicus
s. Crucis Archiepiscopus Bracharensis. 4. D. Pela-
gius Prior s. Vincentij primus Episcopus Elborensis
post ipsam ciuitatem à Saracenis recuperatam. 5. D.
Sefnãdus canonicus monasterij Villæ bonæ Episco-
pus Portugallensis, & martyr. 6. D. Michaël cano-
nicus Colimbricensis Episcopus Colimbricensis.
7. D. Petrus Rabaldi canonicus s. Crucis Episco-
pus Portugallensis. 8. D. Petrus Seguin canonicus
s. Crucis Episcopus Auriensis. 9. D. Menendus ca-
nonicus s. Crucis Episcopus Oxoniensis. 10. D. Gu-
dinus canonicus s. Crucis Episcopus Lamacensis.
11. D. Ioannes canonicus s. Crucis Episcopus Sa-
biensis, Legatus Apostolicus in Regno Lusitaniæ,
& S. R. E. Cardinalis, qui Ecclesiam s. Crucis con-
secrauit. 12. D. Rodericus canonicus s. Crucis Ae-
gitanensis. 13. D. Aegeas Pelagij canonicus s. Cru-
cis Episcopus Lamacensis. 14. D. Nicolaus cano-
nicus s. Vincentij Episcopus Vissensis. 15. D. Ste-
phanus Petri, canonicus s. Vincentij Episcopus Ta-
la, & capellanus Summi Pontificis. 16. D. Didacus
Ortiz Prior sancti Vincentij Episcopus insulæ san-
cti Thomæ, & postea Vissensis, qui fuerat Ioan-
nis Tertij Regis Magister, & Colimbricensis A-
cademiæ Cathedralis. 17. D. Stephanus Epi-
scopus de Follia. 18. D. Nonius Prior sancti Vin-
centij Episcopus Tingitanensis. 19. D. Ioannes
Galicao canonicus sanctæ Crucis Episcopus Co-
lim-

limbria postea Archiepiscopus Bracharensis .
20. D. Petrus canonicus sanctæ Crucis Episcopus
de Guarda .

VII. **T**andem habuit semper hæc congregatio, & in præsentiarum habet viros in omni scientiarum genere versatissimos, quorum multi Doctores graduati fuerunt in Academia Colimbricensi, quorum nonnulli varia opuscula eruditionis plena in lucem ediderunt. Horum vnus nostro seculo præcipuus, & præstantissimus fuit D. Petrus à Figueyro, qui ob exactissimam linguarum Latinæ, Græcæ, Chaldaicæ, Arabicæ, & præcipuè Hebraicæ cognomento Hebraicus est nominatus, subtilissimus diuinarum Scripturarum indagator, & explanator, & eximia vir sanctitatis, cuius fama per totam Lusitaniam euulgata, cum ad aures Philippi Regis peruenisset, ei; primam cathedram sacrae paginæ in Colimbricensi Academia obtulisset, ille ob humilitatem, & clausuram, quam profitebatur, seruandam, humiliter recusauit. Scripsit super Hieremiæ Lamentationes volumen vnum, item super totum Hieremiam, & nonnulla capita Isaïæ, & super viginti quatuor priores Psalmos tomum alterum. tertium quoque in duodecim Prophetas minores, quæ Lugduni recens edita vidi, & ex parte legi. quartum contra Iudæos edendum. quintum in Logicam Aristotelis, quod similiter in lucem proximè edendum ab illius congregationis canonicis accepti.

Caput sexagesimumsecundum.

De Congregatione Belgica S. Nicolai de Aroasia.

I.  Congregatio Aroasiensis, à loco Aroasia prope oppidum Bapalma in Artesia, vbi est monasterium s. Nicolai, quod illius est caput, sic denominata suam foundationem, seu institutionem debet duobus sanctissimis, & religiosissimis viris Cononi, & Helde-
maro, vt autor est continuator Sigiberti sub anno 1114. & ex illo Aubertus Miræus de Collegijs canonicorum Regularium cap. 10. & 46. Hi namq; Religiosissimi viri cum aliquando vitam solitariam siue Eremiticam duxissent, anno Domini 1097. monasterium Aroasiense sub institutione canonica, & B. Augustini Regula fundauerunt, & quidem tali, ac tanta regularis vitæ distinctione, & obseruantia, vt breui ex vno Collegio in numerosam congregationem multorum Cœnobiorum excreuerint, quorum aliqua prius fundata sese in illius sodalitiū addiderunt, & subdiderunt: alia verò sub eiusdem Aroasiensis cœnobij institutione denuo erecta, quorum numerus teste eodem Miræo, & Ioanne Molano in Natalibus Sanctorum Belgij, die 4. Maij, erat olim octo supra viginti Abbatiarum videlicet
Primum Monasterium ipsum S. Nicolai Aroasiense, quod totius congregationis erat caput.

Secundum B. Mariæ Henniense, siue S. Martini de Henniaco .

Tertium B. Mariæ Boloniense anno 1159. fundatum. Verum anno 1544. ab Henrico VIII. Rege Anglorum vastatum .

Quartum S. Eligij fontis in Caluiaco, alias à Caluiato, Gallicè Chanij .

Quintum S. Marci siue Nicolai in Pratis iuxta Tornacum .

Sextum S. Calisti Cisoniense anno 838. à sancto Euerardo comite fundatum .

Septimum S. Ioannis Baptistæ iuxta Chocques Artesiæ pagum in agro Bethuniensi .

Octauum S. Mariæ de Bello loco, quod à monasterio iuxta Chocques originem suam habet .

Nonum S. Mariæ Zunebecanum, quod an. 1578. per tumultus bellicos fuit euersum .

10. S. Mariæ à Castricijs .

11. S. Ioannis Baptistæ Valentianis in Hannonia, quod à monasterio S. Crispini in Cauea apud Sueffiones originem traxit anno 1112 .

12. S. Bartholomæi apud Brugas, Quercetanū nuncupatum, quod originem traxit à monasterio s. Marci siue s. Nicolai in Pratis apud Tornacum anno 1050 .

13. Bethlehemiticum in Alemannia .

14. S. Patricij in Hybernia, fortè illud, quod s. Laurentius Dublinensis Archiepiscopus constituit in eadem Ciuitate, ex Surio tom. 6. ad diem 14. Nouembris .

15. S. Mariæ in Nemore nunc Guiseauilla, vel Riuouilla nuncupatum .

16. S. Crispini in Cauea apud Sueffiones .

17. S. Vlmari Boloniense in Gallijs, quod Henricus VIII. Rex Anglorum euertit .

18. S. Leodegarij apud Sueffiones .

19. S. Amandi Mareolense à sancta Bertilia virgine fundatum .

20. Monasteriū, quod à Claro fageto nuncupatur .

21. Sanctorum Petri, & Pauli Varnestunense vulgo Vvarneston .

22. Castellionense, quod originem habet à monasterio B. Mariæ in Nemore .

23. Monasterium à Dondelliauilla, siue à Dondeuilla nuncupatum .

24. S. Mariæ de Sagano in Silesia in diocesi Vrtilauiensi, cuius Abbas nomine Alardus notatur in Catalogo defunctorū monasterij Aroasiensis .

25. s. Christophori Fanopiense apud Insulas Flandriæ Urbem, anno 1039. fundatum .

26. s. Mariæ, & s. Huberti in Atrio alias ab Aleriaco in Vosago .

27. Dulcis Vallis prope Midelburgum in Flandria, quod à monasterio s. Bartholomæi Brugensi initium habuit anno 1215. ex Meyero, quod anno 1578. dirutum fuit per tumultus bellicos .

Vigesimalium octauum monasterium ad meam notitiam non peruenit. & hæc monasteria penè omnia nostra etiam tempestate supersunt, partim in Belgio, partim in Gallijs. Caterum illorum

vno in vnum corpus congregationis sub vno capite iam multis ab hinc annis soluta est: vnde nec Generale Capitulum iuxta morem ceterarum congregationum celebrare amplius consueverunt.

II. **P**raestat verò ad illius exactam canonicæ vitæ disciplinam commendandam, Illustriss. Cardinalis Iacobi de Vitriaco testimonium hoc loco ponere, quod ille profert in sua historia Occidentali cap. 23. *Sunt, inquit, alij Regulares Canonici, qui de Asia nuncupantur, eo quod prima huius institutionis Abbatia, quæ caput est omnium aliarum, sic vocetur, in diocesi Atrebatensi sita. Hi siquidem fundamentum Regule B. Augustini retinentes, ut carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs arctius crucifigerent, carnes a refectorio suo subtraxerunt, carnisque insuper non utuntur, sed cum sunicis laneis nocte in dormitorio suo quiescunt. Quasdam etiam alias institutiones necessarias, & honestas supra prædictum fundamentum prudenter edificantes, contra imminens pericula sibi præcauentes addiderunt. Et quoniam nihil magis virtutem Religionis conseruant, ubi plures sunt Congregationes, & Conuentus, quàm respectus ad vnum Superiorem, qui diuersa sub se membra regit, & continet quasi summum, & supremum caput, semel in anno sub primo, & principali Abbate Generale Concilium celebraturi conueniunt, ut omnes unanimiter huius Ordinis Abbates, secundum quod religioni viderint expedire, corrigant corrigenda, resercent superflua, instituunt, & addunt, quæ fuerint superaddenda, vel secundum temporum, aut rerum mutationem, quæ fuerint commutanda commutent, & nouis superuenientibus ita vetera reijciantur, quòd vetustissima veterum, prima scilicet antiquorum Patrum instituta firmiter, & inuariabiliter obseruentur. Principalis siquidem Abbas filias suas, inferiores scilicet Abbatias per se, vel per viros idoneos studiosè visitando, quantum religioni subministret falcimentum, ne per negligentiam defluat, vel per dissolutionem status Religionis enervatus corruat, ex his liquet Conuentibus, & Congregationibus, quæ ex vno tantum Abbate pendentes, & vni soli Superiori intendentes, cum corruente plerunque corruunt, cum non habeant, vnde alias fulciantur. Va siquidem soli: quia si ceciderit, non habet subleuantem. funiculus autem multiplex non facile rumpitur, frater enim fratrem adiuuans est quasi ciuitas munita. Si autem corrupto capite ad Prælatos seculares recurrerint, Scyllam fugientes, frequenter Carybdim incurrerunt, & fugientes arma ferrea in arcum arcum inciderunt. Quidam enim Ecclesiarum Prælati regularium dissensionibus tantò magis exultant quantò velut in aqua turbata copiosorem reperientes piscationem, ab altera vel vtraque parte hac occasione pecuniam emungere non formidant. Quid si fortè iustos, & timoratos inuenerint Prælatos, qui ab omni munere manus excusientes eorum partes intercedente pecunia fouere reuerent, tandem facta ad Dominum Papam appellatione, discurrendi, & euagandi materiam libenter inueniunt, & inutilibus expensis ex vtraque parte miserabilem domum eorum*

obligantes, redditus copiosos, & amplas plerunque consumunt possessiones.

Porro ipse Cono, siue Cuno alter ex primis autoribus dictæ cōgregationis à Paschali II. S. R. E. Cardinalis Episcopus Prænestinus creatus, & in partibus Orientalibus nomine Sedis Apostolicæ Legatus, multa viriliter tum ibidem, tum in Occidentè reuersus in multis Ciuitatibus gessit pro defensione Sedis Apostolicæ contra Henricum IV. Imperatorem, quibus nomen æternum sibi comparauit, quæ pluribus prosequuntur Continuator Sigiberti sub anno 1114. & Cardinalis Baronius tom. 12. sub anno 1111. & 1114. & alibi, licet dicat illum assumptum ex professione Eremitica, quod verum non est immediate. hunc per errorem nonnulli vocant Corradum.

Tandè huius congregationis meminere Innoc. III. in epist. ad Episcopum Lebusensem lib. 2. pag. 305.

Caput sexagesimum tertium.

De Capitulo, siue Congregatione Belgica Vuindesimensi nuncupata.



Quo tempore per reformationem I. Frigidionariam congregatio Lateranensis, & totus ordo canonicorum regularium in Italia fuit collectus, & instauratus, eodem in Belgio, immo per vtranque Germaniam inferiorem, & superiorem reparatus est per foundationem præclarissimæ congregationis Vuindesimensis nuncupatæ, per quam Deo adiuuante, non solum multa Collegia canonicorum regularium secundum formam veteris instituti sunt erecta, sed etiam complura ex vetustioribus, quæ disciplina canonica relaxata casum minabantur, ad pristinam obseruantiam sunt restituta, quæ cum maximo diuini cultus incremento, & animarum profectu, & populorum ædificatione pluribus in locis nunc florent. Huius congregationis primordia, & autores, ac etiam progressus, & viros illustres latè describit Ioannes Buschius (hunc per errorem Arnoldum Trithemius appellauit) in suo Chronico Capituli Vuindesimensis duobus libris digesto, & nuper edito Antuerpiæ, ex quo, quæ hic per summam, siue per compendium subijciemus, fideliter deprompsimus.

Fuit in oppido Dauentriæ Traiectensis diocesis Diaconus valdè celebris, religiosus, & doctus, & zelator feruentissimus salutis animarum, nomine Gerardus, Groot vulgo appellatus, qui virtute, & sanctitate magni cognomen veriùs, & rationabiliùs assecutus est, quàm illud quiuis alius ambitione quaesiuisset. Hic zelo diuini honoris, & salutis proximorum vehementer accensus, cum esset in vita spiritali apprimè doctus, & exercitatus, hoc vnum Deo dante firmiter animo statuit, non solum sibi ipsi vacare, verum etiam aliorum salu-

salutem omnibus, quibus posset modis, præsertim per diuini Verbi prædicationem procurare. Quam ob causam in Ecclesia Traiectensi militiæ clericali primò initiatus, & deinde per gradus singulos vsque ad Diaconatum ascendens, plenariam licentiam, & potestatem prædicandi Verbum Dei publicè in omnibus ciuitatibus, oppidis, & villis Traiectensis diocesis ab ipso Traiectensi Episcopo impetrauit: quia obtenta, illud munus prædicationis cum tanto spiritus ardore per omnes illas regiones cœpit exercere, vt breui complures à via iniquitatis auersos in viam salutis dirigeret, & à seculi vanitatibus abstractos, ad rerum secularium contemptum, & ad coelestem vitam in terris agendam perduceret. Inter alia huius sancti viri præclarè gesta hoc fuit præclarissimum, nec silentio tegendum, quod Conuentum clericorum Dauentriæ collegit, qui sanctorum Patrum libris exscribendis (eo quippe tempore artis impressoriæ vsus nondum extrabat) & ad fidem exemplarium verorum corrigendis operam nauarent, inter quos fuit vnus deuotus vir D. Florentius Radiuini Dauentriæ Vicarius, & ipse ad meliorem frugem prædicationibus Gerardi magni conuersus, cuius potissimum suasionibus, iidem clerici vitam communem inter se statuerunt, eodem Magistro Gerardo probante, quam postea tempore non modico summa cum laude tenuerunt; immo verò recogitantes apud se, communem vitam esse viam ad eam vitæ perfectionem assequendam, quæ vigeat in primitiua Ecclesia, quæque summopere laudatur in Actis Apostolorum, illud vitæ communis institutū perpetuo tenere sub obedientia eiusdem Domini Florentij, excepta solemnī professione votorum, communi decreto firmauerūt, victum, vestitum, & cætera necessaria labore manuum in communi procurantes. Quod in causa fuit, vt exinde etiam mutua charitate maiori affectu se inuicem diligere inciperent, & plures non solum clericos, verum etiam laicos contempta huius seculi foelicitate ad idem vitæ genus verbo, & exemplo traherent, & seipos vitæ Apostolicæ, & perfectionis Euangelicæ exemplaria monstrantes, multarum congregationum virorum, ac etiam foeminarum per Belgium, & Alemanniam initia ponerent.

II. **C**Um autem præfatus vir Venerabilis Gerardus animaduerneret, illud vitæ genus, quod sub nullo instituto Regulari à Sede Apostolica probato esset fundatum, diu subsistere non posse, maximè quòd in seipos sibi haberet nonnullos ex ordinibus mendicantium (ex quibus vnum nomine fratrem Bartholomæum Dordracensem, qui in publicis concionibus de eiusmodi vitæ instituto fuerat oblocutus, & obloquendo doctrinas erroneas addiderat, idem Gerardus in Curia Traiectensi Hæreseos conuicit) tanquam pius pater, ac prouidus, vt filijs benè consulere, morte instante aliquem ordinem ex approbatis assumere suaseret. Interrogatus verò, quemnam potissimum assumere deberent, an Cartusianorum, an Cisterciensium, quos penè solos

in illis regionibus reformatos intelligebant, respondit, non hos assumatis, quia graues sunt, nec cunctis hominibus portabiles: Ordinem verò canonicorum Regularium laxiori vitæ inseruientem omnibus penè Deo in Religione seruire volentibus bene congruentem, in loco, quem Dominus elegerit, quanto citius assumere debetis: quia non multum à vestra iam deuota conuersatione videtur discrepare, nisi quòd in illo professi seruant ex professione, & voto, vos sine voto seruatis charitatem, & tria vota substantialia. Gesserat ipse animò propositum monasterium ædificandi, secundum institutum canonicorum Regularium, adductus potissimum exemplo venerabilis, & sancti viri Domini Ioannis Rusbroschij primi Prioris monasterij Vallis viridis apud Bruxellam, & clericorum sanctissimè in eodem monasterio conuersantium, quos cum in Brabantia personaliter visitasset, illorū viuendi forma mirificè oblectatus, eam sibi, ac suis imitandam proposuerat, vt in illius vita Ven. Thomas de Kempis cap. 15. notauit: sed cum pro loco religioni, & Cœnobio fundando apto diligenter instaret, mortalitate præuentus non potuit perficere, quod optauit. His dictis eundem D. Florentium artium magistrum, & in Ecclesia Dauentriensi Vicarium, virum valde pium, & religiosum illis in Rectorem præfecit, & vt patrem loco suo honorandum dimisit, ac mutua dilectione illis commendata, in Domino obdormiuit: Cuius vitam, & res præclarè gestas Venerabilis Dei sacerdos Thomas de Kempis dictæ congregationis canonicus longa narratione est prosecutus. Nos solum referemus epitaphium eidem inscriptum à Magistro Vuilelmo Doctore, & Cantore Parisiensi, & Leodiensis Ecclesiæ in Brabantia Archidiacono, quod eiusmodi est.

Sacra recordationis Magister Gerardus dictus Magnus feliciter migravit ad Dominum. & verè Magnus, quoniam in omnibus scientijs liberalibus, naturalibus, moralibus, ciuilibus, canonicis, & Theologicis nulli erat secundus in orbe: erat enim tanta sanctitatis, & exemplar in mortificatione carnis, in abnegatione temporalium, & contemptu mundi, in fraterna charitate ad omnes, in desiderio salutis animarum, in efficacia prædicationis, in reprobatione, & detestatione vitiorum, in opponendo se hereticis, in persequendo secundum iura Canonica concubinos, in conuertendo ad vitam spiritualem viros, ac mulieres prius secundum seculum viuentes, in fidelitate ad Dominum nostrum Vrbanum VI. quòd multa millia personarum testificantur de credulitate, quod credunt, eum non minorem fuisse in dictis virtutibus, quàm in antedictis scientijs. Hæc Doctor prædictus, quæ referuntur in Chronico Capituli Vuindesimensis lib. 1. cap. 5. ad finem.

Defuncto itaque prædicto Venerabili Gerardo III. ipse Dominus Florentius cum cæteris clericis prædictæ congregationis de monasterio secundum consilium ipsius magni Gerardi erigendo sedulo cogitare, & inter se consulere cœperunt, & tandem post longam consultationem rebus hinc

inde ponderatis locum opportunum nacti prope Zuuollam Vuindesimensem nuncupatum, obtento etiam à Vuilmo Geldriæ Duce, necnon ab Episcopo Traiectensi consensu cum speciali facultate, monasterium pro congregatione canonicorum in eo statuenda construere cœperunt, in quodam alodio, quod ciuis prædiues Bertholdus Tenhaue ad eundem effectum illis donauit: & ita ex eo loco Capitulum Vuindesimense cum tota congregatione est denominatum. Currebat annus nostræ salutis 1386. cum illud monasterium cœpit ædificari, ad quod perficiendum missi sunt ex Dauentria sex fratres de dicta Domini Florentij congregatione, quod opus multi viri pij, & foeminae religiosæ, collata pecuniarum quantitate non modica, ex animo adiuuerunt. vnde factum est, vt sequenti anno, videlicet 1387. absolutum per Dominum Hubertem Ippusensem Episcopum Reuerendissimi Domini Florentij Traiectensis Episcopi suffraganeum consecratum fuerit in honorem sanctissimæ Dei Genitricis, & Beatissimi Patris Augustini. Quinimmo peracta consecratione, sex de illis fratribus Dauentriensibus, qui prius ea de causa in monasterio canonicorum Regularium in Emsteim sub fratre Simone Præposito Regulam, institutū, cæremoniasq; canonicorum Regularium optimè didicerant, statim per manum eiusdem Domini suffraganei Episcopi Traiectensis illius vice, ac nomine canonicorum Regularium habitum susceperunt, & solemnē professionem emisertunt, quorum vnus in Rectorem ab eodem Suffraganeo illis datus est, donec ipsi de Prælato canonicè eligendo prouiderent. Et hæc fuerunt huius amplissimæ congregationis exordia, humilia secundum seculum, sed alta secundū Deum, in humilitate, & paupertate profunda, & vitæ asperitate constituta.

Caput sexagesimumquartum.

Catalogus Monasteriorum Congregationis Vuindesimensis tam mulierum, quàm virorum recensetur.

I.



Ost foundationem, & institutionem supradicti Capituli Vuindesimensis cœpit statim nouella plantatio per famam optimæ conuersationis, odorem suauissimum circumquaque diffundere, ac inde propagines longè, latèq; distendere, & in congregationem amplissimam virorum, tum etiam sacrarum virginum paulatim augeri. nam vt ex prædicto Chronico Ioannis Buschij, & ex altero Ven. Thomæ de Kempis, & ex Capituli eiusdem Vuindesimensis Catalogo, vna cū illius constitutionibus Traiecti edito an. 1552. colligi potest; hæc congregatio ante aliquot annos in Belgio, & per vtranque Germaniam centum, & viginti monasteria canonicorum perfringebat, exce-

ptis monasterijs Sanctimonialium. Nunc post deuastrationes, quas vel causa bellorum, vel ab hæreticis passa est, octoginta circiter possidet, quæ nos sparsim in descriptionibus monasteriorum Belgij, ac Germaniæ recensuimus. Quorum Catalogum ex Auberto Miræo acceptum, qui illum ex prædictis Chronicis collegit, iterum repetemus.

Primum igitur dictæ congregationis monasterium, quod cæterorum omnium est caput, est ipsum monasterium sanctæ Mariæ Vuindesimense prope oppidum Zuuollam, tertio ab vrbe Dauentria miliario ad flumen Isalam in cliuo, fundatum anno 1387.

Secundum Beatæ Mariæ Nuffiense in Diocesi Colonensi, quod ideo secundo loco ponitur in catalogo dictæ congregationis, quia illud erat caput peculiaris duodecim monasteriorum, quæ se Capitulo Vuindesimensi in vnum corpus, & in vnâ congregationem vniuerunt circa annum Domini 1430. ex 1. lib. Chronici Vuindesimensis cap. 44. antequam annum Capitulum Vuindesimense alia plura monasteria obtinebat.

Tertium Viridis vallis, quod ante ipsum Vuindesimense fuit fundatum prope Bruxellam secundo lapide anno 1349. sed postea eidem Capitulo Vuindesimensi vnitum.

Quartum Beatæ Mariæ in Bethlehem in oppido Zuuollensi prope Dauentriam.

Quintum S. Pauli in Rubea valle prope Bruxellas anno 1373. fundatum.

Sextum S. Mariæ, & duodecim Apostolorum in vrbe Vltraiectensi, quod dicitur ad Regulares.

Septimum S. Saluatoris in Eemstheym prope Dordracum anno 1382. exstructum à Rainaldo Minebodio ciue Dordracense.

Octauum B. Mariæ ad septem fontes prope Bruxellam fundatum anno 1388. per Aegidium Bredeiquium primum eius loci Priorem.

Nonum fons B. Mariæ prope Arnhemum Geldriæ oppidum Diocesis olim Vltraiectensis, nunc Ruremundensis. fundator Dux Iuliacensis an. 1392.

10 Monasterium sancti Ioannis Euangelistæ prope Ambsterlodamum, nunc in Heglo prope Alcmariam Hollandiæ oppidum Diocesis olim Vltraiectensis, nunc Harlemensis. fundatum anno 1394.

11 Monasterium B. Mariæ in Noerthoern. in Vuestphalia diocesis Monasteriensis.

12 Monasterium B. Mariæ in Corfendonca, prope Turnhoutum Campaniæ Brabantiae municipium diocesis olim Cameracensis, nunc Antuerpiensis. fundatum anno 1393.

13 Mons S. Agnetis prope Zuuollam diocesis olim Vltraiectensis, nunc Dauentriensis.

14 Monasterium B. Mariæ in Valle Angelorū in Leydendorp in Hollandia diocesis olim Vltraiectensis. fundatum anno 1398.

15 Monasterium B. Elizabethæ prope Brielam Hollandiæ oppidum diocesis Vltraiectensis. fundator Hugo Henflitius anno 1406.

16 Monasterium beatæ Mariæ in Goes donck propè Goch in Geldria diœcesis olim Colonienſis, nunc Ruremundenſis. floret .

17 Monasterium beatæ Mariæ in Nouiomago Gelriæ oppido diœcesis olim Vltraiectenſis, nunc Ruremundenſis .

18 Monasterium Viſitationis beatæ Marię propè Harlemum Hollandiæ oppidum diœcesis olim Vltraiectenſis, nunc Harlemenſis. anno 1407. inchoatum .

19 Monasterium ſancti Saluatoris in Thabor propè Sneçam Friſiæ Occidentalis oppidum diœcesis olim Vltraiectenſis, nunc Leouardiſis, anno 1406.

20 Monasterium beatæ Marię in Bethlehè propè Louanium Brabantia oppidum diœcesis olim Leodiſis, nunc Machlinienſis, 1408.

21 Monasterium ſancti Meynulphi Confessoris in Bodicken diœcesis Paderbornenſis floret. Fundauit Gulielmus Episcopus Paderbornenſis. 1409.

22 Stagnum beati Petri Apoſtoli propè Bomeſiam Gelriæ oppidum diœcesis olim Vltraiectenſis, nunc Syluiducenſis. Fundatum à Domina in Brackel anno 1407.

23 Monasterium beatæ Mariæ in Romerſuaël Zelandiæ oppido diœcesis olim Vltraiectenſis, nunc Middelburgenſis .

24 Thronus beatæ Mariæ propè Harentaliam oppidum, & Grobbendonch Brabantia pagum diœcesis olim Cameracenſis, nunc Antuerpienſis . 1414.

25 Monasterium ſancti Ioannis Baptiſtæ in Vrbe Aquifgranenſi diœcesis Leodiſis. floret .

26 Monasterium beatæ Mariæ in Bircket propè Amersfordiam, nunc Curia beatę Marię in Amerſfordia diœcesis Vltraiectenſis oppido .

27 Vallis Pacis propè Vltraiectum, nunc monasterium ſancti Ioannis in Amerſfordia diœcesis Vltraiectenſis. Vnitum anno 1417.

28 Monasterium Vallis beatæ Mariæ, aliàs Elzeghem propè Aldenardam Flandriæ oppidum, diœcesis Tornacenſis. Fundatum anno 1418.

29 Monasterium beatæ Mariæ in Dumo propè Endouiam Brabatiæ oppidum diœcesis olim Leodiſis, nunc Syluiducenſis, hodie in Vrbe Syluiducenſi ſitum. Cœpit anno 1419. vnitum. 1421.

30 Căpus beatæ Marię in Friſia Orientali propè Ezinghen diœcesis Bremenſis .

31 Mons beatæ Mariæ in Bodighen propè Zyberch in Ducatu Montenſi diœcesis Colonienſis. floret .

32 Monasterium ſancti Saluatoris in Euuich propè Attendoren diœcesis Colonienſis. floret .

33 Monasterium Paſſionis Chriſti, & beatæ Mariæ in oppido Tungrenſi diœcesis Leodiſis cœpit anno 1424.

34 Monasterium beatæ Mariæ in Vuittemberga Saxonie oppido diœcesis Hildeſimenſis .

35 Monasterium ſancti Martini in Lunenkercke, nunc Aclum in Friſia Orientali propè Herlin-

ghen diœcesis olim Vltraiectenſis .

36 Monasterium beatæ Mariæ in Sion propè Beuerteyck in Hollandia, diœcesis olim Vltraiectenſis .

37 Monasterium beatæ Marię in Ryckemberch in Saxonia diœcesis Hildeſimenſis .

38 Vallis beatę Elizabeth propè Ruremundam Gelriæ oppidum diœcesis olim Leodiſis, nunc Ruremundenſis. floret .

39 Monasterium beatæ Elizabethæ bonorum puerorum in Vrbe Leodiſi diœcesis eiufdem. floret .

40 Monasterium beatæ Marię in Nazareth propè Bredeuoert, diœcesis Monasterienſis .

41 Monasterium beatæ Mariæ in Aningen in Friſia, diœcesis olim Vltraiectenſis .

42 Monasterium ſancti Bartholomæi in Zulta iuxta Hildeſem diœcesis Hildeſemenſis floret . Ad alteram Vrbiſ Hildeſemenſis partem floret, hodieq; Cartuſia .

43 Monasterium beatę Mariæ in Hertzenhagen iuxta Francofurtum, diœcesis Moguntinenſis .

44 Monasterium beatæ Mariæ in Mello iuxta Gandauum in Flandriæ Comitatu, diœcesis olim Cameracenſis, nunc Gandauenſis. floret .

45 Monasterium ſancti Dionyſij in Molembekke, diœcesis Mindenſis .

46 Hortus beatæ Mariæ Virginis iuxta Vuormatiam, diœcesis Vuormatiſis .

47 Buſcum Domini Iſaac iuxta Niuellam Brabantia oppidum, diœcesis olim Cameracenſis, nunc Namurcenſis floret. ann. 1416. fundatum .

48 Monasterium beatæ Mariæ, & Ioannis Euangeliftæ iuxta Seghenberch in Holſatia diœcesis Lubecenſis .

49 Monasterium ſancti Hieronymi in Ruremunda Gelriæ oppido, diœcesis olim Leodiſis, nunc Ruremundenſis . est nunc collegium Societatis Ieſu . Canonici cathedrales habent annuos redditus monaſterij .

50 Monasterium ſancti Petri Apoſtoli in Hegeſne in Comitatu Lingenſi, diœcesis Vuormatiſis .

51 Monasterium beatæ Mariæ in Inſula propè Confluentiam, diœcesis Treuerenſis .

52 Monasterium beatæ Mariæ in Sylo propè Emdam in Friſia Orientali, diœcesis olim Monasterienſis .

53 Monasterium ſancti Antonij Confessoris in Albergen in Tuenta, diœcesis olim Vltraiectenſis .

54 Monasterium ſancti Nicolai in Bergum propè Leouardiam, diœcesis Vltraiectenſis, nunc Leouardiſis .

55 Monasterium Corporis Chriſti in Vrbe Colonienſi diœcesis eiufdem. floret .

56 Monasterium ſancti Petri in Daelem, diœcesis Baderbornenſis floret .

57 Monasterium ſancti Viti propè Naerden Hollandiæ oppidum diœcesis olim Vltraiectenſis, nunc Harlemenſis .

58 Monasterium ſancti Nicolai in Trutenhuſen diœcesis

- diocesis Argentinensis. Fundatum à nobili Familia Lanspergiorum, qui hodie illud sibi vindicant.
- 59 Monasterium sancti Pancratij in Hamersleue diocesis Halberstadenfis, floret.
- 60 Monasterium sancti Spiritus in Vden, siue Vallis gratiæ in Ducatu Cliuiæ diocesis Colonienfis, floret.
- 61 Monasterium s. Ioannis Baptistæ in Rebdorp diocesis Eistetenfis floret.
- 62 Monasterium sancti Hieronymi propè Leidam Hollandiæ oppidum diocesis olim Ultraiectensis, nunc Harlemensis.
- 63 Monasterium sanctæ Mariæ Virginis in Clusa, diocesi, Treuerensis, floret.
- 64 Monasterium sancti Martini in Vrbe Louanienfi diocesis olim Leodiensis, nunc Machliensis anno 1447. vnitum.
- 65 Monasterium sancti Irenæi Martyris in Marbach, diocesis Basileensis ad Rhenum fluuium ex opposito Brisgoiæ oppidi floret.
- 66 Monasterium beatæ Mariæ in Bircling diocesis Herbipolensis.
- 67 Monasterium sancti Leonardi in Vrbe Basilea, diocesis eiusdem.
- 68 Monasterium Rosæ Vallis B. Mariæ in Hasca, in Frisia Occidentali diocesis olim Ultraiectinæ.
- 69 Monasterium beatæ Christinæ in Hirdeuulle, diocesis Argentinensis.
- 70 Monasterium sancti Ioannis Baptistæ in Volkardinkufen, diocesis Padebornensis.
- 71 Monasterium beatæ Mariæ Magdaleneæ in Maiori Franckendael diocesis Vuormatiensis. Ex hoc monasterio factum est oppidum Frankendael à Caluinistis è Belgio profugis, permittente Comite Palatino Rheni.
- 72 Monasterium beatæ Mariæ Virginis in Suauenheim, diocesis Moguntinæ.
- 73 Monasterium in Rauensberghen, diocesis Moguntinæ.
- 74 Monasterium beatæ Mariæ in Arena propè Stralen Geltriæ oppidum, diocesis Colonienfis, nunc Ruremundensis, floret.
- 75 Monasterium sancti Martini iuxta oppidum Turicense, diocesis Constantiensis.
- 76 Monasterium Corporis Christi in Bloemenberch, diocesis Padebornensis.
- 77 Monasterium sancti Martini in Zindelfinghen, diocesis Constantiensis.
- 78 Monasterium beatæ Mariæ Montisfagorum vulgo Berenherch, diocesis Constantiensis.
- 79 Monasterium sancti Laurentij in Hissa propè Sarburch, diocesis Metensis.
- 80 Monasterium beatæ Mariæ in Bardersholm in Holsatia diocesis Bremensis.
- 81 Monasterium sancti Ioannis Baptistæ in Merkeshusen in Hassia, diocesis Moguntinæ.
- 82 Monasterium sancti Georgij martyris in Sâbeco, diocesis Ratisponensis.
- 83 Mons beatæ Mariæ propè fluuium Iasonis, diocesis Caminensis.

Canobia Monialium Capituli Vuindesimensis.

Primum monasterium Campi beatæ Mariæ in Vrbe Amsterlodamensi in Hollandia, diocesis olim Ultraiectensis.

Secundum monasterium Vallis sanctæ Barbaræ in Thenis oppido Brabantia, diocesis olim Leodiensis, nunc Mechliniensis.

Tertium monasterium beatæ Mariæ, & sanctæ Agnetis in Diepenvene propè Dauentriam diocesis olim Ultraiectensis, nunc Dauentrienfis.

Quartum monasterium beatæ Mariæ in Redinchem propè Vuageningam in Ducatu Geldriæ, diocesis Ultraiectensis.

Quintum monasterium sancti Ioannis Baptistæ in Bronopia propè Campos oppidum, diocesis olim Ultraiectensis, nunc Leouardiensis.

Sextum Vallis Angelorum in Bonna oppido, diocesis Colonienfis, floret.

Septimum monasterium Hierusalem in Vrbe Ultraiectensi eiusdem diocesis.

Octauum monasterium sanctæ Agnetis in Dor-draco Hollandiæ oppido, diocesis Ultraiectensis.

Nonum monasterium beatæ Mariæ in Bethania propè Machliniam diocesis olim Cameracensis, nunc Machliniensis, floret.

10 Monasterium beatæ Mariæ in Bethania propè Arnhemum Geltriæ oppidum, diocesis Ultraiectensis.

11 Monasterium beatæ Mariæ in Vrbe Gandensi, diocesis olim Tornacensis, nunc Gandensis, floret.

12 Monasterium beatæ Mariæ in Facons, siue Facens in Vrbe Antuerpia, diocesis olim Cameracensis, nunc Antuerpiensis.

13 Monasterium beatæ Mariæ in Neomago Geltriæ oppido, diocesis olim Colonienfis, nunc Ruremundensis, est nunc valetudinarium, seu nocosomium.

14 Domus Præsentationis beatæ Mariæ Virginis fundata in Oostmall, translata in Antuerpiam, eiusdemq; diocesis.

Hactenus ex Ordinario Capituli Vuindesimensis supra citato.


Est & monasterium Virginum Regularium in Oostmal Brabantia pago diocesis Antuerpiensis.

Ceterum canonici Regulares Capituli Vuindesimensis proprium habent Breuiarium ad horas canonicas legendas, ac cantandas, Louanij anno 1546. excusum.

Fuit itaque olim longè celeberrima, atque amplissima congregatio Vuindesimensis, sed quæ plurima post hereses in Germania, ac Belgio enatas monasteria amisit-

Caput sexagesimumquintum.

De Viris Illustribus, qui floruerunt in eadem Congregatione Vuindesimensi.

I.  Loruit hæc congregatio multis viris eximijs sanctitate, & doctrina illustribus, & per Dei gratiam in præsentiarum floret, cuius Anglicam in terris conuersionem sibi futuram gratissimam ante illius fundationem certissimis indicijs Deus ipse monstrauit. scribit .n. autor Chronici Vuindesimensis lib. 1. c. 7. quod sæpè in loco illo, vbi nunc Chorus, & Ecclesia & totus claustrum ambitus in Vuindesè sunt constructi, dealbatorum virorum Angelicæ visiones ab vtriusque sexus colonis Villæ de Vuindesem frequenter visæ sunt, & auditæ, laudes Deo concinnentes, processiones peragentes, mirisq; modis Ecclesiæ Dei militantis ritum, iubilumq; præferentes, & simili etiam modo in alijs locis Ordinis, & Capituli Vuindesimensis, vt B. Mariæ propè Horn. & montis sanctæ Agnetis, & in Nazareth Vuestphaliæ ante primam ipsorum fundationem dealbatorum virorum apparatus nonnunquam cum multo lumine, sonitu nolarum, tinntu cymbarum auditi, & visi referuntur, vulgaribus eorum incolis veritati testimonium perhibentibus, cultum diuinum, & Ecclesiasticum præsignantes officium, sacramentorumq; ministeria perpetuis ibi futuris temporibus à fidelibus peragenda.

Nec illud silentio tegendum, quod de monasterio Rubæ Vallis, & de canonicis eiusdem loci R. admodum Pater, & de nostro ordine optimè meritus Heribertus Rosuueidus in epistola liminari ad Chronicon Vuindesimense scribit: *Sanctitatis elucere specimina in Ioanne, cui à sapientia cognomen erat, qui ita ardentes ad Deum preces effundebat, vt immensum sæpè lumen circa caput eius fulgere visum sit, Ioannes Gielemannus puerulum gestasse à Ioanne Duce, qui ei sacris operanti ministrabat, conspectus est. Tanta quoq; pietate re diuinam faciebat Gulielmus Broeckius tertius Prior, vt Cameracensis Artistes sæpius se Bruxellis subtraheret, vt in Rubæ Valle viri sancti sacrificio interesset, & à tam sancto fonte pietatis fluente in suam familiam deriuaret. Vuinandus etiam coquus prophetiæ gratia dotatus legitur.*

II. **Q**uid dicam de venerabili viro Ioanne Rusbrochio, ad quem magnum Gerardum audita illius fama per longinqui itineris spatium perrexisse ad videndam illius præsentiam corporalem, & vt eius vocem tanquam Spiritus sancti fistulam audiret sua verba resonantem scribit in eius vita venerabilis Thomas de Kempis cap. 10. quem Dionysius Cartusianus tract. 2. de Donis Spiritus sancti virum mirabilem, & alterum Dionysium Areopagitam à Spiritu sancto instructum, Ioannes Mo-

lanus in Additionibus ad Martyrologium Vsuardi sub die 2. Decembris virum doctrina, & sanctitate clarum, ac demum Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis virum diuinæ contemplationi addictissimum vocauerunt, alijq; autores fide digni illius sanctitatem, & eruditionem miris elogijs, & epithetis docuerunt, quorum attestaciones in libello Antuerpiæ nunc edito, & ad me Romam transmissis sanctissimo Domino nostro Gregorio XV. pro ipsius venerabilis viri Ioannis Rusbrochij beatificatione præsentando, copiosissima videri possunt.

Non sunt etiam omittendi sex illi boni viri, III. qui eidem Capitulo Vuindesimensi prima fundamenta posuerunt, quorum nomina hæc fuerunt. Primus Domicus Henricus Clingibile de Huxaria sacerdos. Secundus Vuernerus Keynkamp de Lochem. Tertius Henricus Vuissen de Kampis. Quartus Ioannes de Kempis frater venerabilis Thomæ. Quintus Henricus Vuelde de Busco Ducis, & Sextus Bertholdus Tenhaue, qui dedit allodium ad construendum ipsorum monasterium Vuindesimense, qui omnes in multis probati sanctè, & laudabiliter in Religione vixerunt, quiq; ad prælaturas euecti, verbo, & exemplo congregationem multis locis, & personis auxerunt. Horum res gestas, & multorum aliorum prosequitur autor eiusdem Chronici toto lib. 2. quæ idcirco apud illum videri possunt, ac etiam in Chronico Capituli montis sanctæ Agnetis per venerabilem Thomam à Kempis compilato, quorum nomina piè credendum est, fuisse à Domino signata in libro Electorum in coelis. Ac etiã illorum Catalogo illos additos, qui an. Christi 1572. ab Hæreticis Geusijs pro Fide Catholica crudeliter extincti fuerunt, videlicet frater Gerardus Guibrandi in monasterio nouæ lucis apud Hornam Hollandiæ oppidum strangulatus, frater Ioannes Otteruicanus Rector Monialium suspendio necatus, frater Theodorus Arduini vulneribus confusus, frater Arnoldus Somerens, & frater Ioannes Gonghel sacerdotes professi monasterij sancti Hieronymi Ruremundæ dire laniati, quos omnes ex relatione Reuerendissimi Patris Fratris Pauli Scoofij eiusdem congregationis Prioris Generalis didici. Item canonicus alius incerti nominis ex antenna suspensus referente Surio tom. 5. sub die vigesima sexta Octobris.

Floruerunt etiam in monasterijs eiusdem congregationis, ac ex illis prodierunt multi viri docti, & in omni scientiarum genere versatissimi, vt potè ex monasterio Viridis Vallis Ioannes Rusbrochius eiusdem loci Prior proximè nominatus, de quo Cardinalis Bellarminus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Ioannes Rusbrochius natione Belga Prior monasterij Vallis Viridis, vir diuinæ contemplationi addictissimus scripsit lingua sua patria, quæ in Latinam linguam conuersa edita sunt Colonia 1552 sunt autem summa totius vite spiritualis. Speculum salutis æternæ. Commentaria in tabernaculum Moyses, Tractatus de præcipuis virtutibus. Liber de fide, & iudicio*

iudicio, de quatuor tentationibus, de septem custodijs, de septem gradibus amoris, de Nuptijs spiritualibus libri tres. Viuebat hic autor anno 1390. Hunc etiam Doctorem carpsit Ioannes Gerson, & defendit Dionysius Cartusianus, id enim accidere solet ijs, qui scribunt de Mystica Theologia, ut eorum dicta ab alijs reprehendantur, ab alijs laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur. Hæc ille. Qui verò illius libros è Germanica in linguam Latinam vertit, is fuit Laurentius Surius. sed præter Dionysium Cartusianum habuit idem Rusbrochius defensorrem acerrimum contra Gersonem Ioannem Sconhouium eiusdem monasterij Vallis Viridis canonicum, & Subpriorem, doctrina eruditissimum, & eloquio facundissimum, ac disertissimum, de quo Ioannes Trithemius in lib. de Viris Illustribus Germaniæ scribit.

Ioannes de Sconhouia ordinis canonicorum Regularium sancti Augustini monasterij Viridis Vallis in Brabantia Cameracensis Diocesis, in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, & secularis literaturæ non ignarus, ingenio subtilis, sermone compositus, vita, & conuersatione deuotus, scripsit quadam non spernenda lectiois opuscula, quorum lectio deuotis fratribus perquam utilis iudicatur, ex quibus ista feruntur Exhortatorium spirituale ad nepotem suum liber unus. de cursu monachi lib. 1. de Profectu monachi lib. 1. Defensorium Ioannis Rusbrochij contra Ioannem Gerson lib. 1. sermones quoque varios edidit, & plures ad diuersos epistolas, & alia complura. claruit sub Sigismundo Imperatore tempore Concilij Constansensis an. Do. 1420.

Arnoldus Buderick monasterij Vallis Rubæ apud Bruxellas canonicus profectus, & monasterij in Elzingen propè Aldenardam Flandriæ oppidum fundator, de quo hæc habet Heribertus Rosuueidus in epistola liminari Chronici Vuindesimensis: Eruditionem suam posteris præbarunt Arnoldus Buderich initiator monasterij in Elzingen propè Aldenardam, qui stricta solutaq; oratione valuit. Odarum de laude Dei libros duodecim, in psalmum septuagesimum tractatus tredecim, aliaq; opuscula concinnauit.

Refert ibidem dictus autor alios duos viros ex eadem congregatione insignes Ioannem Gielemanum, & Antonium Gheens, quorum Prior tam sedulus scriptor fuit, ut ultra viginti volumina sua manu exarauerit: posterior verò quatuor tomos de Vitis Sanctorum posteritati reliquit.

V. **T**homas de Képis toti iam orbi cõpicius, de cuius laudibus cū multi multa præclare scribant, tum in primis edisserunt Trithemius in lib. de Viris Illustribus Germaniæ, & in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cardinalis Bellarminus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & nouissimè Heribertus Rosuueidus in lib. quem Vindicias Kempenses ad titulauit, cuius viri opera, quòd modò notissima sint, & piorum omnium manibus terantur, illorum indicem hic texere opus non erit. Scripsit autem inter alia opus illud aureum, nec satis vnquam laudatum, & vel ab ipsis Turcis, & infidelibus magno

in pretio habitum, de Imitatione Christi quatuor libris distinctum. Hoc opus à caulis Kempensibus abegerat Constantinus Caietanus monachus ex ordine sancti Benedicti, ut suo cuidam Ioanni Gessen, siue Gersen, siue de Gessate, (nec dum enim de cognomine illi satis constitit) adscriberet, quem in monasterio sancti Gratiani Castri Aronæ ad litus Verbani in Agro Mediolanensi olim sui ordinis sancti Benedicti Abbatem finxit. Ceterum idem opus ab autore non vero, & illegitimo Domino vindicatum, suo legitimo restituit Heribertus Rosuueidus libello ea de causa edito, cuius est titulus *Vindiciæ Kempenses*: in quo euidenter probat, ipsum opus de imitatione Christi, quod incipit: *Qui sequitur me*, & c. ipsi venerabili Thomæ de Képis adscribendum, ex multis, tū ex autographo eiusdem Thomæ characterè exarato, quod in suo Belgio fatetur adseruari. Scio replicasse Constantinū Caietanū. Verū quod in eius repetitione noui nihil additum, nec vbi liber impressus fuerit, vel cuius autoritate ex illius impressione constare potest, nec ipse Rosuueidus plura addere dignum æstimauit, nec ipse addo.

Ioannes Buschius (hunc per errorem Trithemius vocat Arnoldum) ex Trithemio de Viris Illustribus Germaniæ canonicus Regularis sancti Augustini monasterij Vuindesimensis in Diocesi Traiectensi, & aliquanto tempore Prior in Sultia Saxonie Diocesis Hildesimensis, vir studiosus in Scripturis sanctis, moribus honestis, conuersatione deuotus. Scripsit aperto sermone non abiicienda opuscula, quorum lectio deuotis fratribus, & salutaris suæ amatoribus utilis iudicatur, è quibus tamen pauca in manus nostras meminisse peruenisse. legi volumen illud, quod scripsit de viris illustribus Ordinis sui, & monasterij Vuindesimensis lib. 1. de Origine quoque modernæ deuotionis, & reformationis Ordinis sui lib. 1. epistolam prolixam de modo proficiendi in Religione. Cetera quæ scripsit, ad manus meas non uenerunt. Claruit sub Friderico Imperatore III. anno Domini 1470.

Vuilhelmus de Velde Patria Geldrensis canonicus regularis ordinis sancti Augustini in Franchendael, Vuormatiensis diocesis, vir in diuinis Scripturis studiosus, & eruditus, & secularis literaturæ non ignarus, Philosophus, & Astronomus, Cosmographusque celebris, ingenio profundus, acutus, & valde subtilis, sermone compositus, vita & conuersatione deuotus, scripsit quædam perpulchra, & miranda volumina, quibus acrimoniam ingenij sui legentibus patenter ostendit, è quibus sunt statuta ordinis sui lib. 1. opus subtilissimum de toto vniuerso lib. 1. de Mundi principio, medio, & fine, quod prænotauit. Empireale maius lib. 14. item compendium huius operis, quod prænotauit Empireale minus lib. 7. Tabule quoque multe in diuersis materijs non minus utiles, quam subtiles, sermones etiam complures ad populum, epigrammata, & diuersa carmina, sed & quadam non abiicienda in Mathematica: hæc ex Trithemio de viris illustribus Germaniæ; qui etiam addit, illum epistolas plures ad se, & alios scripsisse, ac denique, nonnulla alia, & vixisse quinquagenarium in Darmoteia Villa

Villa Vuormaciensis territorij plebanum, quo tempore Trithemius librum suum scribebat ann. 1495. VII. I. Ioannes quoque Mauburnus Bruxellensis Abbas sanctæ Mariæ Liurjacensis propè Parisium inter istius cōgregationis canonicos numeradusest, si vera sunt, quæ de illo Trithemius in lib. de Viris Illustribus in hunc modū scribit: *Ioannes de Bruxellis oppido Brabantia oriundus, ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, monasterij sanctæ Agnæ propè Zuuollas, vir in diuinis Scripturis studiosus, & eruditus, & secularis literatura non ignarus, ingenio clarus, & cumptus eloquio, scripsit volumen magnam, & non inutile ad institutionem omnium Christianorum, quod prænotauit Rosæam exercitiorum spiritualium, & sacrarum meditationum lib. 2. Item de viris illustribus sui ordinis lib. 1. & quadam alia nobis incognita. Viuit adhuc, ut insedigo in oppido Campis socius Confessorij Monialium & varia scribit sub Maximiliana anno 1495. illum verò fuisse canonicum dictæ congregationis habes ex ipsomet in venatorio lib. 2. cap. 125.*

Thilmannus quoq; Dulmaniensis Patria Vuestphalus ordinis sancti Augustini canonicus in Bodiken monasterio dictæ congregationis, quod est in Padebornensi diocesi, & Prior in Drutrenhusen, vir in diuinis Scripturis studiosus, & eruditus, ingenio promptus, sermone compositus, vita, & conuersatione deuotus, scripsit insigne volumen de Laudibus Beatæ Mariæ Virginis, quod Coronam sanctæ Mariæ prænotauit. Item super illis verbis Domini: Nisi quis conuersus fuerit sicut paruulus longam, & non inutilem tractationem lib. 1. alia quoque nonnulla scripsisse dicitur. viuebat anno 1495. ex Trithemio.

Martinus Lypsius Iusti Lypsi patruus, & sancti Martini Louaniensis canonicus, cuius ingenium, pietatem, & eruditionem Aubertus Miræus in egijs vicorum illustrium sui Belgij sic commendat. *Martinum Lypsum ciuem meum à se, & Iusto Lypso Cl. V. cuius patruus maior fuit, celebrem, si prudens præerit, improbus sanè, si imprudens, negligens merito videat. fuit in hoc viro multiplex eruditio, exacta lingue tum Græcæ, tum Latine cognitio, sacrarumq; rerum baud mediocri intelligentia. Illud verò solide virtutis, ac pietatis specimen fuit, quod fallaces huius vitæ spes secum reputans, mente diuinitus monita, vitæq; ratione conuersa, ambitioque Urbis Aulicæ Bruxellensis, in qua honesto loco natus erat, se subtraxit, & diuino se cultui totum mancipauit, in vetustum sub Dami Martini patrocinio canonicorum Dni Augustini Louaniense cœnobium, velut in portum se recepit. Hic in Bibliothecam se abdens, Macroby, Hilarij, Augustini, Hieronymi, aliorumq; veterum Scriptorum opera cum membranarumq; comparando, eadem mirifice illustrauit. Chromatij etiam homilias, & Symmachij Urbis Præfetti epistolarum libros in luce donauit. Post ut erat singulari prudentia sodalibus suis præfictus, in meaus etiam muneris sui curio, molestijq; nullam animo requiem dedit: neque suis diuitias laboribus Republica prædes-*

se statuit: sed & discipulos in ijs Garetiū, Lathmū, Costerium, Vlimmerium, qui in eadem bene merendi palæstra diu, multumq; desudarunt, eduxit. Aetate grauis Crucelensis agri Leodiensis ad Huenje oppidum sacris Virginibus Cœnobiarcha datus, eximia morum innocentia complures annos præfuit, ibique cum veteribus amicis, id est libris assidue versatus placidissima demum morte pius senex à vita excessit anno 1555. Sodales Martiniani hoc illi monumentum &c.

*Squallida multa situ veterū monumēta iacebāt,
Abdebatq; iuxta Bibliotheca sinu.*

*Eruit hæc tenebris, & castigauit uterq;
Lypsius, antiquum restituitq; decus.*

*Sic par conditio est Martinum sacra decebant
Iustus Romanam restituit hystoriam.*

Ioannes Garetius Louanij natus, atque in studijs foeliciter educatus, cum eidem Martiniano in patria monasterio se dicasset, Mischagensibus agri Antuerpiensis Virginibus sacris præficitur, quibus aliâ commigrantibus, ipse Gandauum ad similem provinciam accersitur, vbi in Cornelij Iansenij Antistitis doctissimi familiaritate acquieuit; cumq; imminentem Belgio cladem animo prævideret, coepit, ut erat antiquitatis peritissimus, Classes nouem de vera Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentia aduersus sacramentariam pestem, è sanctis vtriusque linguæ Patribus, ætatis cuiusq; habita ratione, summa industria colligere, ac bono publico foras dare, sed & mortuos precibus viuorū iuuari, sanctoq; à nobis rectè inuocari, quæ in dubium vocari à sectarijs solent, adiuuante Iacobo Pamelio Brugensi, pari methodo adstruxit. vir certè de Ecclesia, qua scribendo, qua concionando, nã & disertè ad populum de verbo Dei differebat, bene meritus, & à Francisco Turriano, & Roberto Bellarmino Societatis Iesu Theologis doctrinæ, atque industriæ nomine apprime laudatus. Gandauo Louanium veniens, à sodalibus humaniter exceptus, calculi, qui familiaris doctorum hominum morbus est, doloribus extinguitur, anno 1571. Iusta carmine perfoluit Ioannes Lathomus collega. ex Miræo ibidem.

Parem Ioanni Lathomus, quam viris doctrina illustribus à Paulo Iouio Nucero Episcopo celebratis gratiam præstitit, quid ni referam? Hic Belgis ad zoniæ fluiuium apud Brabantos natus, Thronianis iuxta Herentaliam canonicis Augustinianis Cœnobiarcha multos annos cum laude præfuit, eumq; ad poësim quasi natus videretur. Psalterium, & ipse versibus, ut alter Iacobus Lathomus reddidit: sed difficultate temporum præpeditus, non euulgauit, inter varia puri, & candidi sermonis latini poëmata, quæ ad Louiana lusit elogia, immortalem sibi gloriam peperit, ut qui vnâ cum Iouio viuere in singulis videatur Romam negotiorum sui ordinis causa profectus, indeq; reuertus, Antuerpiæ moritur 7. Calend. Sextilis anni 1578. atque in cœnobio sacrarum virginum Faconinarum humo mandatur.

Caput sexagesimum sextum.

De quatuor alijs Congregationibus videlicet Marbacensi, Vallis Viridis, Nussienfi, & Olomutiensi omnium Sanctorum nuncupatis.

I.



Reperit duas supradictas Congregationes Aroasensem & Vuindesimensis, sunt, qui scribant fuisse olim in Belgio, & in utraq; Germania tres alias Congregationes, quarum prima dicebatur Marbacensis, secunda Vallis Viridis, tertia Nussienfi, quarta verò, quæ nunc etiam extat, omnium Sanctorum Olomutiensis in Moravia.

Prima Congregatio Marbacensis ab Oppido Marbach in Alsatia sic dicta circa annum Christi Saluatoris 1090. vel 1094. sua primordia suscepit: de qua Ioannes Mauburnus in venatorio lib. primo cap. 9. sic scribit: *Circa hæc etiam tempora, sed quo anno non tam certum est, videtur exorta Marbacensis monasterij Capitularis congregatio, quæ tum erat florentissima, ut patet ex Bulla Honorij, ita dicentis: Honorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Gernardo Preposito, & eius fratribus Marbacensis Ecclesie canonicis sal. & ap. ben. Quia spreto proprijs secularibus &c. Quæ domus quàm latè effloruerit, quàm districtam vitam duxerit, quàm sublimata fuerit, testimonio sunt capitularis congregatio ferè 300. monasteriorum, Constitutiones, Reliquiæ, caput siquidem sancti Matthæi, brachium diui Christophori, & alia complura huiusmodi Sanctorum insignia ibidem habentur. Præterea, & ætissima habent statuta de silentio, de non vescendis carnibus, & penitentijs agendis, ita enim in ipsorum cap. 78. habetur, si quis superbus frater &c. aliud non vidi.*

Congregationem Vallis Viridis Syluester Maurolicus in sua Historia omnium Christianarum Religionum, mare Oceanum vocata, scribit à cœnobio Vallis Viridis propè Bruxellas in Brabantia, tanquam à capite, suam originem, & nuncupationem deduxisse: eamq; per Italiam, Siciliam, & alias Europæ regiones non modicè propagatam. indicio esse nonnulla monasteria canonicorum regulariũ, & canonicarum sub hoc nomine Vallis Viridis in quibusdam ciuitatibus erecta: nam propè Cremonam erat monasterium Vallis Viridis nuncupatum ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, quod postea monasterio sancti Petri de Pado eiusdem ordinis fuit vnitum. poterat addi monasterium canonicarum eiusdem ordinis, & instituti intra ciuitatem, quod canonicis destitutum, monialibus ordinis Cisterciensis est traditum, quæ in præfentiarum illud tenent: deficientibus enim canonicis in monasterio extra ciuitatem posito, etiam canonicæ in monasterio intra ciuitatem constituto defecerunt, sed in ciuitate Messana in Vltiori Si-

ciua extat monasterium, quod sanctæ Catharinæ Vallis Viridis vocatur, canonicarum ordinis sancti Augustini, ante ann. 1200. à quadam Regina Cypri foris ciuitatem, sub inuocatione beate Mariæ Vallis Viridis fundatum, quod anno 1200. intra ciuitatem sub titulo sanctæ Mariæ, & sanctæ Catharinæ Vallis Viridis fuit translatum. Extat aliud eiusdem instituti in ciuitate Panormi sanctæ Lucie Vallis Viridis, aliud in Taormina, aliud in Castro veteri, eidem monasterio Messanensi subiecta: nam illius monasterij Abbatisa ante Concilium Tridentinũ hæc omnia monasteria visitabat, & nunc etiam horum Abbatisa, ac Priorissa per Abbatisam sanctæ Catharinæ ciuitatis Messanæ confirmari solent, subdunturq; prædicta monasteria immediatè Sedi Apostolicæ. Gestabant olim tunicam lineam, siue rochetum, vt canonici. Verùm deficientibus ibi canonicis, sub quorum regimine debebant, ob immutationem Dominorum temporalium, & attritiones bellorum, ipsæ canonice paulatim numero, ac etiam dignitate imminutæ, aliud regimen, & cum eo nigrum habitum sumpserunt, retenta semper Diui Augustini regala, & etiam rochetto, quod induunt cū ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumendum accedunt: Hæc Maurolicus, & alia multa ibidem, vbi inter viros illustres dictæ congregationis Ioannem Rusbrochium, & Ioannem Schonhouiun. recenset monasterij Vallis Viridis apud Bruxellas canonicos, quorum mentio capite præcedenti est habitæ.

II. Cæterum si vera sunt, quæ traduntur de prima eiusdem monasterij fundatione, illud scilicet anno 1349. primo sub beati Augustini regula institutum, cum antea non monasterium canonicorum, sed locus esset quorundam eremitarum, primumq; illius Priorem fuisse memoratum Ioannem Rusbrochium, qui anno 1381. 2. Decembris in Domino obdormiuit, cum monasteria, quæ Maurolicus in Italia, & vltiori Sicilia ex eadem congregatione numerat, longè antiquiorem habeant originem, & fundationem; non video, qua ratione consistere possit, prædictam congregationem ab hoc monasterio suam originem duxisse: nam à priori posterius deriuat, non prius à suo posteriori, ac præsertim, quod ipsum cœnobium Vallis Viridis apud Bruxellam paulò post illius fundationem Capitulo Vuindesimensi in vnum corpus congregationis se sociavit, procurante in primis Ioanne Schonouio illius Superiore, vt ex lib. 1. Chronici Vuindesimensis cap. 40. superius est narratum. Verùm vt fuerit de capite, constat ex varijs monasterijs virorum, & mulierum eiusdem nominis, & instituti in varijs locis, & prouincijs constitutis, fuisse olim congregationem canonicorum regularium, quæ Vallis Viridis vocabatur: etsi nec illius originem, nec Catalogum monasteriorum teneamus. Ad quam congregationem puto spectauisse monasterium s. Mariæ Vallis Viridis foris Bononiam propè portam s. Mariæ, quod nunc mensæ episcopali est vnitum. Ex Catalogo beneficiorum diocesis Bonouien.

Con-

III. **C**ongregatio Nussiensis apud Nussiam nunc Nouesium oppidum Colonienſis diocēſis circa tempora Philippi XLIV. Colonienſis Archiepiſcopi, qui in viuis agebat 1170. ortum habuit ex Molano lib. 1. de canonicis cap. 14. vbi de antiquis canonicis corruptam vitam vſum abiicientibus diſſerens, hæc habet: *Sed hæc etiam Colonia immutata ſunt ſub Philippo XLIV. Epifcopo: laxioribus enim promulentibus, alij in vite regularis obſeruantia permanere volentes Nuffienſe monaſterium inchoauerunt.* Unde habes, iſtam congregationem non ab aliquo prius alterius inſtituti excogitatam, ſed ab antiquis canonicis in regulari obſeruantia, quam à maioribus didicerant, manere volentibus, inchoatam. De hac congregatione ita ſcribit autor Chronici Vuindesimēſis c. 44. *Hinc eſt, quod Patres Capituli Generalis Nuffienſis, duodecim habentes monaſteria ſibi vnita frequentius ad hoc inſiſterunt, vt Generali Capitulo noſtro de Vuindesem ex toto vnirentur, quod tamen plurimis de cauſis partis vtriuſq; multis annis fuit impeditum, & non omnino inutiliter ſic dilatatum, cum vnum aliud in feruore niſum fuit ſemper præire, ac plura ſibi monaſteria ad reformandum conaretur. Vnde tandem ipſi Patres ad ſe inuicem, mutuamq; charitatem dextera Dei obſtricante, coeuntes, certum modum conceperunt, quo in habitu, & ſtatutis perfectè ſe conformarent, & cum in vnum conueniſſent, capitularem vniōnem deſiderantes Patres, & conuentus Capituli Nuffienſis, ab omnibus Patribus Capituli Generalis de Vuindesem hoc modo ſunt admiſſi, ſi vota fratrum omnium, & ſingulorum conuentuum ſigilla ad præmiſſa aſpirantium Capitulo de Vuindesem præſentarent, & impedimenta colligationi huiuſmodi obſtinentia remouerentur quancumq; videlicet quod ſtatuta, & priuilegia Capitali de Vuindesem ad rigorem ordinis ſpectantia inuiolabiliter obſeruari, nihil inde immutantes, niſi ſecundum formam ſtatutorum, & quod Capitulo de Vuindesem parati ſint ſe ſubmittere, & eius conſuetudinibus omnino ſe conformare, & quod nullus à Sede Apoſtolica, aut loci Ordinario contrarium impetraret, & cappam pluuialem ſecundum formam à Patribus conceptam, quæ etiam in Conſtantiēſi Conſilio olim fuit recepta, & bene approbata, de cætero formaret. Capitulum enim de Vuindesem cappam portare conſueuit circa faciem non reflexam: & cappa Capituli Nuffienſis circa collum fuit rugata, circa faciem reflexa, & liripipium ſive rimpam recto latam duplicè, & oblongam per dorſum habens dependentem.*

In iſtorum ergo vniōne Capitulum Vuindesimēſe Capitulum aſſumpſit illam cappam in anteriore parte reflexam, & Capitulum Nuffienſe rugis circa collum à cappis depoſitis, cucullam Capituli de Vuindesem pro rimpâ ſuſceperunt. plurimis igitur annis ſuper præmiſſis diligenti deliberatione præhabita, tandem omnes concordati Capitulo Generali de Vuindesem voluntariè ſe ſubmiſerunt, iuxta formam iam præſcriptam, literas, & ſigilla ſuorum conuentuum aſſenſum eorum continentes, ad Capitulum ſecum deferentes. Quapropter cantu pariter exhilarati: Te Deum laudamus in iubilo cordis in choro

pariter concinerunt, & quia vnum tunc corpus fuerant effecti, & vnum Capitulum Generale de Vuindesem nuncupati, idcirco continuo de vtriſque tamen Capitulis Definitores tunc ſunt electi, & ita vſque in præſens libenter continuati. Hanc autem cordium ſuorum vniōnem, & capitularem colligationem inuiolabiliter, & inconfractè cuſtodierunt vſque hodie per annos iam triginta tres, cum iſta conſcribimus. Hæc dictus autor.

Ex quibus habes, Capitulum Nuffienſe ante annum milleſimum quadringēteſimum trigēſimū, quo iſta vniō cum Capitulo Vuindesimēſi facta eſt, fuiſſe congregationem duodecim monaſteriorum diſtinctam à Vuindesimēſi, ſua ſtatuta, & ſuum habitum exteriorem certis notis diſtinctum, ab habitu Vuindesimēſium habentem, & canonicos dictæ congregationis affectu charitatis corda illorum excitante in ſocietatem, & in vnum corpus cum Vuindesimēſibus tranſire voluiſſe, quod vtriam omnes noſtri ordinis canonicis æmularentur.

IV. **C**ongregatio omnium Sanctorum in ciuitate Olomutiēſi in Morauia ante Alexandrum Sextum fuit inchoata, ſicut ſuperius diximus, cum de ipſa fundatione monaſterij omnium Sanctorum, verbâ faceremus. Hanc congregationem Alexander Sextus titulo, & priuilegijs noſtræ Lateranenſis congregationis ſuo diplomate donauit, quod ab egregio viro Domino Ludouico Sanctolino dictæ congregationis Romæ procurationem agente mihi oſtenſum legi. Habet aliqua monaſteria, ex quibus tria ſolummodo propter nimiam diſtantiam locorum, & præſentium temporum difficultates ad meam notiſiam deueniunt.

Primum eſt ipſum monaſterium omnium Sanctorum Olomutiēſe, cuius Præpoſitus vtitur Pontificalibus, & habet locum, & votum in Comitijs Generalibus ſtatuum Morauie. Secundum Fulneſenſe. Tertium Sternbergenſe, præter Langſtronenſe dirutum ab Hæreticis, ſunt tamen nonnulla alia monaſteria, vt ex quadam electione ab illis facta, cuius exemplum Romam fuit tranſmiſſum, vidi. Aliud de hac congregatione non noui.

Caput ſexagesimum ſeptimum.

De Congregatione canonicorum Domini Sepulchri Ieroſolimitana.

Hæc congregatio circa an. Dom. 1110. in Eccleſia Domini Sepulchri Ieroſolimitana, quæ erat Patriarchalis ſub piſſimo Principe Gotifredo fuit inſtituta, ſiue potius, & verius reſtituta, nã ipſa Patriarchalis Ieroſolimitana ab illius prima inſtitutione fuit regularis, vt ſup. hoc eod. lib. c. 41. oſtēſū eſt. Cū autē Chriſtiani Duce Gotifredo ciuitatē Ieroſolimã de manibus Saracenorū eruiſſet, ipſe Gotifredus canonicos regulares, quos de partibus Occidentibus ſecū adduxerat, cū religioſis monachis in Eccle. Dom. Sepulchri

& templi Domini, & alijs supra memoratis auctoritate Apostolica sibi facta collocavit, ut testatur Diuus Antoninus in 2. par. Histor. tit. 16. cap. 13. §. 8. in fine, & Iacobus de Vitriaco supra allegatus, ex quibus Ecclesijs ipsa patriarchalis non tantum fuit præcipuum, & peculiare canonici ordinis collegium, verum etiam caput præcipua congregationis complurium Ecclesiarum, & collegiorum eiusdem ordinis, quæ Ecclesiæ siue collegia non solum in partibus Orientalibus, verum etiam in Europa, videlicet in Italia, Sicilia, in Gallijs, & in Hispanijs olim erant constituta, ex quibus, quæ vel ex literis Apostolicis, vel ex Iacobo de Vitriaco, & alijs probatis autoribus expiscari licuit, hic subiunguntur.

Prima igitur Ecclesia, & caput totius congregationis, à qua tota congregatio nomenclationem obtinebat, erat ipsa Patriarchalis Domini Sepulchri, cuius Prior cum cæteris canonicis Patriarcham eligebant, qui erat eis loco Abbatis, de qua vide supra cap. 41.

Secunda sancti Petri in ciuitate Ioppe, quæ ciuitas non habebat Episcopum, sed Ecclesia maior, quæ sancti Petri dicebatur, per canonicos Domini Sepulchri regebatur, ex Iacobo de Vitriaco in Historia Orientali cap. 58. & ex literis Cœlestini Papæ Secundi ad Petrum Priorem Domini Sepulchri, quas statim reddemus.

Tertia Ecclesia Domini Sepulchri in Ciuitate Aconensi, quam cum multis prædijs, & domibus eiusdem canonicis donauerat nobilis vir Lambertus Hals.

Quarta Ecclesia sanctæ Mariæ de Numaz in territorio ciuitatis Aconensis.

Quinta Ecclesia sanctæ Mariæ in ciuitate Tyro cum pertinentijs suis.

Sexta Ecclesia sancti Sepulchri in monte peregrino cum pertinentijs suis.

Septima Ecclesia sancti Georgij in montanis Iudeæ cum pertinentijs suis.

Octaua Ecclesia sancti Sepulchri in ciuitate Brudusio in Italia.

Nona Ecclesia sancti Sepulchri in Barleto, quod est oppidum in Apulia satis nobile.

10 Ecclesia in ciuitate Venusina, quam dono dederat Nicolaus Episcopus.

11 Sancti Sepulchri iuxta Troiam ciuitatem in Apulia.

12 Sancti Theodori Martyris propè ciuitatem Beneuentanam.

13 Ecclesia in pago Trendort diocesis Constantiensis, cuius, & omnium supradictarum in dictis literis Cœlestini II. mentio habetur.

14 Ecclesia sanctæ Crucis propè ciuitatem Messanam.

15 Sancti Andree in ciuitate Platea nuncupata in Regno Siciliae, de quibus vide, quæ adnotauimus supra cap. 29.

16 Sancti Sepulchri de Calatao, siue de Calatambio in ciuitate Tiralonenti prouinciæ Cala-

rangustanæ, de quo vide supra cap. 31.

17 Sanctæ Crucis Limburgensis in confinibus quatuor ditionum transiosanorum.

18 Herensaliensis vulgo Chanaij in diocesi Leodiensi.

19 Ruremundensis in Geldria propè dictam ciuitatem.

20 Vdemensis in Cliuia. Harum quatuor posteriorum meminit Aubertus Miræus in libello nuper edito de tribus congregationibus canonicorum regularium. aliud collegium refert Mauburnus lib. 1. Venatorij cap. 9. quod dicit extare in Huyo oppido diocesis Leodiensis.

Quæ supradictæ omnes Ecclesiæ vocabantur Prioratus excepta decimasexta, quæ nunc titulo Abbatiali est insignita, & aliquæ illarum erant sine dubio collegiata & conuentuales, licet de omnibus id mihi non constet. præstat verò ad veritatem prædictorum confirmandam, & præteritorum memoriam conseruandam, ipsas Cœlestini Papæ II. literas subijcere, quarum hoc est exemplum acceptum ex Authentico, quod in Ecclesia Archiepiscopali Rauennatensi seruetur.

Cœlestinus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Petro Priori, & fratribus sancti Sepulchri Ierosulimitani, tam presentibus, quam futuris canonicè substituendis in perpetuum. Si mansuetudo, & liberalitas sancta Romana Ecclesia vniuersis Christianis debet opportuna solatia ministrare, multo magis his, qui Religiosam vitam ducunt, & Omnipotenti Deo familiariter adbarere videntur, id ipsum conuenit propensius impartiri. Quia igitur dilecti in Domino filij iuxta Regulam beati Augustini viuere decreuistis, & in loco, ubi steterunt pedes Domini, adorantes apud gloriosum Sepulchrum eius, in quo triduo corporaliter requieuit, & alia sacratissima loca, in quibus Redemptor mundi pro salute nostra vincula, flagella, Crucis ignominiam, vulnera, mortemque sustinuit, regulariter militatis maiori vos beneuolentia, & gratia dignos esse censemus, & paternis vos affectibus volumus conseruare. Vestris ergo postulationibus debita benignitate accommodantes assensum, sacrosanctam Ecclesiam sancti Sepulchri, in qua diuinis obsequijs insistentes passionem Dominicam, & Victoriosissimæ Crucis triumphum assidue oculata fide recolitis, nec non etiam personas vestras sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti pagina communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quacunque bona eadem Ecclesia in presentiarum canonicè possidet, quæcunque etiam ab egregia memorie viri, Duce videlicet Godefrido, & utroque Rege Balduino, venusto quoque, & alijs Patriarchis eidem loco iuste collata sunt, aut in posterum à Patriarchis, vel alijs Dei fidelibus rationabiliter conferrentur, firma vobis, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulij, Medietatem videlicet oblationum sancti Sepulchri, & omnes oblationes Dominicæ Crucis, necnon & omnes oblationes altarium in Ecclesia sancti Sepul-

Sepulchra existentium, sicut Patriarcharum dono vobis rationabiliter donata sunt, domos, stationes, & furnos omnes civitatis Ierusalem, exceptis duobus, Hospitalis videlicet, & Ecclesia sancta Maria Latina, sicut dono Ducis Godofridi, & fratris eius Regis Balduini, & aliorum bonorum hominum vobis legitime concessa sunt, casaliaq; que possidetis in territorio Ierusalem, Mabumeriam videlicet, cum pertinentiis suis, Sabaret, Casarcab, Galandriam, Armociam, Ramittam, Berteligel, Bersari, Dessans cum pertinentiis suis, in territorio Ramensi Beta, Casale, cum pertinentiis suis. In territorio Casariensi Castellum Fenicali cum pertinentiis suis. In territorio Tyri Casale de Riva cum pertinentiis suis, hortum, quem habetis inter murum, & ante murale civitatis Tyri, Hortum, & molendina, & alias possessiones, quas habetis infra, & circa Antiochiam. Ecclesiam Quarantene cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Petri in Ioppe cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Sepulchri in Acon cum terra, & domo, quam dedit vobis Lambertus Habs, & alijs pertinentiis suis in territorio eiusdem civitatis. Ecclesiam sancta Maria de Numias cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancta Maria in civitate Tyri cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Sepulchri in monte peregrino cum pertinentiis suis. Ecclesiam s. Georgij in Romanis cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Sepulchri in Brundisio civitate cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Sepulchri in Barleto cum pertinentiis suis. Ecclesiam, quam habetis in Venosa civitate dono Nicolai eiusdem civitatis. Episcopi cum pertinentiis suis. Ecclesiam s. Sepulchri iuxta Troiam civitate cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Theodori Martyris ante portam Beneventana civitatis cum pertinentiis suis. Castellum Cervet cum pertinentiis suis, quod nobilis vir Albertus Blandracensis Comes Ecclesie sancti Sepulchri donavit. Ecclesiam, quam habetis in Episcopatu Constantiensi in Villa, que vocatur Detren dorf. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam Ecclesiam temere perturbare, aut etiam possessiones auferre, aut ablatas retinere, minuire, seu quibuslibet molestijs fatigare: sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis pro futuris. Salva Apostolica Sedis, & Patriarche Ierosolimitani reverentia, & Episcoporum, in quorum Parochijs Ecclesia vestra sita sunt, canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostre Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundò, tertioque communita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamq; se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiacet. Cunctis autem eidem loco iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem premia æternæ salutis invenient. Amen. fiat

pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. sanctus Petrus, sanctus Paulus, Cælestinus PP. II.

Ego Gregorius Presbyter Cardinalis tituli sancti Calisti subscripsi.

Ego Gorzo Presbyter Cardinalis tituli sancte Cæcilie subscripsi.

Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli sancte Praxedis subscripsi.

Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli SS. Iohannis, & Pauli subscripsi.

Ego Cælestinus Catholica Ecclesie Episcopus subscripsi.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Theodericus sancte Rufine Episcopus subscripsi.

Ego Albericus Hostiansis Episcopus subscripsi.

Ego Stephanus Prenestinus Episcopus subscripsi.

Ego Imarus Tusculanus Episcopus subscripsi.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergij, & Bacchi subscripsi.

Ego Orco Diaconus Cardinalis sancti Georgij ad velum aureum subscripsi.

Ego Octavianus Diaconus Cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano subscripsi.

Datum Laterani per manum Gerardi Sancte Romane Ecclesie Presbyteri Cardinalis, ac Bibliothecarij 4. Idus Ianuarij indictione 7. Incarnationis Dominice M. C. XL. III. Pontificatus vero Domini Cælestini Pape II. anno primo.

CAeterum Ierosolima iterum ab infidelibus capta, & Patriarcha cum canonicis, aut interfectis, aut loco exactis, tota congregatio fundita est eversa, præter vnicum monasterium Abbatiale sancti Sepulchri de Calatâbio, quod nunc etiam floret, & duo vel tria ex postremo loco narratis. Ecclesie dictæ congregationis in Italia, & vltiori Sicilia constitutæ partim sunt commendatæ, partim militibus hospitalarijs s. Iohannis Ierosolimitani vulgo Melitenibus unitæ, quas antea milites sancti Sepulchri Ierosolimitani, qui Patriarchæ subijciebantur, obtinebant, verum & illi & canonicis nunc ferè extincti.

Plura de hac congregatione Sylvester Matrolicus lib. sæpè allegato, contendens, aliam fuisse à Lateranensi, quod illius canonici non albis tunicis vti Lateranenses, sed nigris sub rochetto vterentur, super quo pallium nigrum crucibus rubeis insignia Regni Ierosolimitani referentibus signatum gestarent. Verum levia hæc sunt: nec ipsi Lateranenses, quod viderim, dixerunt, congregatione Dominici Sepulchri eandem fuisse cum illorum congregatione, sed ambas eiusdem ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, sola accidentaria differentia, non autem essentiali distinctas, vt cap. statim sequenti ex instituto ostendemus.

Caput sexagesimum octauum.

Quod Canonici dictarum Congregationum essentialiter sint vnus, & eiusdem Ordinis inter se, & cum antiquis Canonicis à beato Augustino, & à sanctis Apostolis institutis.

I.



Qvod supradictæ canonicorum congregationes suis quæque institutis, ac legibus, ac etiam habitu tum inter se, tum etiam ab antiquis canonicis per diuum Augustinum, & per sanctos Apostolos institutis distinguantur, visum est nonnullis, canonicos dictarum congregationum non solum essentia ab inuicem esse distinctos, verum etiam ab antiquis clericis regularibus, præsertim cathedralibus, longè diuersos, quam sententiam præter nonnullos cap. secundo allegatos, probant saltem implicite Molanus lib. primo de canonicis, & Ioannes Trullo Aragonensis, & sanctæ Mariæ de Columna Casaraugustanæ regularis canonicus lib. primo de ordine canonicorum regularium cap. vndecimo. Nam primus etsi concedat, veteres canonicos, præsertim cathedralium, communis vitæ institutum tenuisse, & sub certis regulis intra claustra propè suas quosq; Ecclesias vitam duxisse, atque ob eam causam canonicos regulares à Canone, qui est regula, non ab annuo canone, siue pensione, quam annuatim percipiebant, sic denominatos: tamen dum illorum vitæ rationem explicandam aggreditur, in eam sententiam ore rotundo, & quatuor pedibus descendit, in qua semper sibi est constans, vt dicat, canonicos illos suos regulares nullatenus vota emittere consueuisse, & clericos per votorum emissionem fieri monachos, & clericos, qui cum beato Augustino tria vota profitebantur, omnes monachos fuisse, atque vt semel dicamus, omnes clericos regulares, qui tria vota Religionis emittunt, esse veros monachos, & distingui ab illis prædictis canonicis regularibus in cathedralibus degentibus, sicut monachi distinguuntur à canonicis regularibus. videatur idem autor lib. primo de canonicis cap. 11. 12. & duobus sequentibus, vnde alia plurima eiusdem autoris loca interpretanda, in quibus de canonicis regularibus reformatis, siue professis perinde, atque de monachis, & sub nomine monachorum semper loquitur, vt antiquorum canonicorum laudes, & merita ad suos seculares traducat. Aliter verò scilicet Ioannes Trullo, etsi libro citato capite decimo in gratiam nostræ Lateranensis, & aliarum congregationum, nonnulla scribere videatur contra illos, qui perperam opinati sunt, veterem illum canonicorum regularium ordinem in his rigidioribus congregationibus

non esse conseruatum, aut continuatum, sed in alios novos ordines immutatum, tamen capite vndecimo immediatè sequenti in gratiam suorum, Hispanorum scribit, suos Hispanos, vt etiam quosdam alios Galliarum, & aliarum prouinciarum, solum illud primarium Augustini institutum colere, ac retinere, à prædictarum congregationum institutione longè alienum, & diuersum. quod institutum longè diuersum esse ab institutis prædictarum congregationum, ex multis probat, sed præsertim ex habitu: & tandem concludit, canonicos dictarum congregationum ad monachorum, & fratrum formam transiisse, vt quidam Historici de nostris Lateranensibus censuerunt. Vtinam autem non ipsi Hispani, & aliarum prouinciarum, canonici à monachorum nomine, vel institutis resiliens, in manifestam secularitatem re ipsa, si non solo nomine recurrant, cum canonicis ordinis & tot collegiorum iactura, quæ in dies abiecta regula, ex regularibus secularia fieri videmus.

II.

At decipiuntur profecto hi autores, & cum in fundamento, tum etiam in assertionem à scopo veritatis plurimum aberrant. nam quod ait Molanus, prædictos canonicos regulares nuncupatos siue in cathedralibus, siue etiam extra cathedrales in claustris, siue monasterijs degentes, tria vota minimè profiteri solitos, etsi de quibusdam, verum id esse minimè detrectauerim, vt fuerunt Dauentræ illi à Gerardo Magno instituti, & sunt nunc Romæ, quos Sacerdotes congregationis Oratorij nuncupamus: tamen in vniuersum, & vt in pluribus etiam acceptum falsum esse, præter ea, quæ supra hoc libro capite tertio, & libro primo capite secundo, de votorum emissionem notauimus, ostenditur inductione facta per omnes canonicos omnium prouinciarum, priusquam essent in mundo congregationes reformatæ, quæ nunc visuntur. nam in primis certum est in Italia canonicos Lateranenses, Lucenses, Perusinos, Tiphernates, Engubinos, & alios innumeros aliarum cathedralium regulariter cum emissionem votorum vixisse, cum dictæ Ecclesiæ ab illarum institutione fuerint regulares, & constat in illis fuisse canonicos professos, & constat quo tempore profiteri desierunt, non autem constat, quo tempore professionem emittere coeperunt. Rursum Alexander Secundus in capite Præter trigesima secunda distinctione præcipit, canonicos regulares seruare obedientiam, castitatem, & vitam communem, sicut ante consueuerant, quod non faceret, nisi illi professionem emisissent: sicut modo Papa non potest præcipere canonicis non professis vitam communem. Item Urbanus Papa in cap. Mandamus, & cap. Statuimus decima nona, questione tertia præcipit, ne canonici post emissionem professionem transeant ad monachos. & hic Pontifex fuit ante ortas ferè omnes congregationes reformatas. Idem habes in Concilio Romano sub Inno-

Innocentio Secundo celebrato cap. 9. & 26. præter quod institutum vitæ communis, quod Augustinus in Africam inuexit, ab Italis accipit, vt supra dictum fuit: clerici verò per diuum Augustinum reformati vota emittebant. De Hispanis idem constat ex cap. obseruandum. 15. quæstione secunda, quod est Canon Concilij Tarraconensis ann. 520. celebrati, nam in eo Canone prohibentur Sacerdotes, & clerici pro patrocinijs præstitis munera accipere, idq; sub pœna degradationis, & reatus vsurarum, quod Gratianus ostendit necessariò exponendum de clericis regulariter professis. Consentiant Glossa, & omnes Doctores communiter circa illum locum. Adde, ante congregationes reformatas fuisse in Hispanijs complures Ecclesias, in quibus erant canonici regulariter professi, vt Cæsaraugustanam, sanctæ Mariæ Runceuallis, Pampilonensem, Colimbricensem, Portugallensem, Bracharensem, & alias, de quibus supra dictum fuit. Idem constat de Ecclesijs Anglicanis, in quibus B. Augustinus ex iussione magni Gregorij canonicos, siue clericos instituit more clericorum primitiue Ecclesiæ viuentes, cap. Quia tua fraternitas. 12. quæstione prima: clericos verò primitiue Ecclesiæ tria vota profiteri solitos ostendimus supra cap. 5. immo circa ann. nongentesimum sexagesimum cum clerici Anglicani à prima illorum institutione desciscissent, optione illis facta, an profiteri vellent, an monasterijs excedere, ipsi laxiorem vitam eligentes, loco excefferunt, & in monasterijs constituti sunt monachi, ac etiam in Ecclesijs Vintoniensi, & Vigornienti, vt supra dictum fuit. Idem patet de clericis Gallicanis: nam canonici Auenionenses sine dubio profitebantur, quorum viuendi modus vsque ad tempora Iulij Secundi perseuerauit. Idem patet de Ecclesia Tholosana, & Burdegalensi cap. Præterea. de Præbendis, & de alijs multis, quorum supra habita est mentio in cap. trigesimo tertio. & sanè cum beatus Iuo Beluacensis in Gallicana Ecclesia canonici ordinis reparator ex omnium scribentium consensu prædicetur, ac laudetur, & illius canonici professionem votorum emitterent, euidens argumentum est, canonicos regulares Ecclesiæ Gallicanæ, quorum ille disciplinam reparauit, tria vota profiteri consueuisse, & saltem de canonicis in monasterijs sub Abbatibus degentibus, quorum Concilia Turonense, Cabilonense, & alia meminerunt, videtur nullatenus negari id posse, cum dicta Concilia eodem modo de prædictis canonicis, sicut de monachis disponant.

Sed de suis Belgicis, & Germanis, in quorum ille gratiam ista commentatus est, æquè certum, & constans hoc esse debet: id enim constat ex veterum historijs, quæ cum aiunt, veteres cathedrales regularem vitam in suis Ecclesijs duxisse, non ob hoc dicunt, illos fuisse verè monachos, accepto nomine monachorum, vt à clerico regulari è Religione distinguitur, vt Molanus putat, qui censet, clericos non posse regulariter profiteri, quin fiant verè monachi, & si veteres illi cathedrales vitam re-

gularem cum emissionem votorum non tenebāt, quid innuere volunt verba, quæ cap. decimo quarto lib. primo de Canonicis idem autor subdit? *sed hæc etiam Colonia immutatae sunt sub Philippo Quadragesimo quarto Episcopo, laxioribus enim prævalentibus, alij in regulari obseruatione permanere volentes Nussienſe monasterium inchoauerunt.* Nussienſes enim profiteri solitos, nec ipse Molanus, vt puto negabit.

Demum hæc Molani imaginatio est contraria, modo loquendi receptissimo apud omnes scribentes, quippe qui canonicos distinguunt, in regulares, & seculares, & nomine regularium intelligunt professos, & dicunt, tunc primum exortam istam distinctionem in Ecclesia, cum cœperunt esse, qui regulariter profiterentur, & qui non profiterentur. Similiter Regulares prima diuisione distinguunt in monachos, & clericos: Hic autem autor canonicos regulariter professos inter monachos ponit, & solos non professos vult olim fuisse dictos canonicos regulares, quod est nomina, immo res confundere, & fines Patrum transferre, & confundenda distinguere, & confundere distincta.

ERant præterea præfati autores in ipsa assertionem, ad quorum errorem reuincendum statuo hanc contrariam assertionem, quod *Canonici dictarum congregationum sunt, & fuerunt essentialiter vnus, & eiusdem ordinis, ac instituti inter se inuicem, & etiam cum antiquis regularibus canonicis cathedralibus à Diuo Augustino, siue à sanctissimis Apostolis instituti.* Hanc verò assertionem verissimam esse ostendo, primò inductione, deinde ratione ostensiuâ. Et quidem inductione facta, per singulas congregationes; apparet, duabus, aut tribus exceptis, illas omnes ab antiquis canonicis cathedralibus fundatas, & ab antiquis canonicis Apostolicis deriuatas. Et primò de nostra Lateranensi sunt decisiones Pontificiæ post causæ cognitionem, & discussionem, quæ videri possunt inter Constitutiones Pij Quarti constitutione nonagesima quinta de congregatione sancti Frigidiani, Mortariensi, Portuensi, Rhenana, & sanctæ Mariæ de Crescentiaco Italicis, necnon de Colimbricensi in Lusitania, sancti Rufi, sancti Victoris, sancti Laurentij in Gallijs, Aroasiensi, & Nussienſi in Belgio, & sancti Sepulchri Ierosolimitana, idem apparet ex illarummet foundationibus, de quibus supra dictum fuit, & licet de tribus, vel quatuor non constet, illas ab antiquis canonicis successiuâ continuatione deriuatas, hoc nihil refert, sufficit enim, illas sub eodem habitu canonico, & eadem Regula cum emissionem eorundem votorum, & eisdem legibus esse institutas. aliàs moniales, quæ ab Ordinarijs diuersis in locis pro tempore instituuntur sub habitu, & regula sanctæ Claræ, vel Diui Dominici &c. non essent essentialiter eiusdem ordinis, & instituti cum cæteris monialibus sanctæ Claræ, vel sancti Dominici: & antiqui canonici, qui ab Episcopis in illorum diocæcesibus passim leguntur instituti, nõ fuissent ve-

rè eiusdem ordinis cum cæteris antiquis canonicis, quod asserere vanum esset, ac risu dignum, potius quàm ratione confutandum.

IV. **S**ecundò probatur eadem assertio ratione ostensa. nam quæ conueniunt in nomine, definitione, & qualitatibus, conueniunt etiam in essentia, ut notum est, nec probari indiget. sed canonici dictarum congregationum conueniunt cum antiquis canonicis à diuo Augustino institutis, seu reformatis, in nomine, definitione, & qualitatibus. nã quod conueniant in nomine patens est, quia sicut illi, sic isti vocantur clerici, ut cap. primo deduximus. & licet vocentur etiam canonici, vel canonici regulares, nihil refert: quoniam promiscuè omnibus istis nominibus vocari consueuerunt, ut ibidem ostensum est, & in subiecta materia omnia ista nomina, & alia ibi explicata idem significant. Quod conueniant in definitione probatur, nam sicut illi à diuo Augustino instituti erant clerici regulariter viuentes cum emissionem trium votorum, ut supra ostensum fuit, ita etiam isti, & quemadmodum illis per se clericatus inerat, & non ex accidenti, ita etiam istis, ut notat diuus Thomas communiter receptus in 2. 2. quæstione 189. articulo octauo. ad 2. Tandem quod conueniant in qualitatibus, probatur, quoniam sicut illorum proprium erat, populum Dei pascere, & regere cap. alia 16. q. 1. ita etiam istorum, nam canonici regulares ex propria natura, & sine vlla dispensatione sunt capaces omnium beneficiorum, & admitti possunt ad regimen animarum personarum secularium, ut tradit Innocentius Tertius in cap. Quod Deitimorem, de statuta monachorum, & decisum est per Dominos Auditores Rotæ die veneris 6. Martij 1598. sub Domino Seraphino Razalio. Deinde canonici regulares dictarum congregationum primorum Christianæ Religionis clericorum normam, & traditiones, & instituta sectantur, ut inquit Eugenius Quartus in Bulla, per quam canonicos regulares reduxit ad Ecclesiam Lateranensem. Ergo conueniunt cum illis in qualitatibus, nec refert quod Pontifex non loquatur vniuersaliter de omnibus, sed solum de nostris Lateranensibus, siue Frigidionarijs: quia eadem est ratio de alijs, qui æquè imitantur normam, traditiones, & instituta clericorum Apostolicorum, sicut nostri Lateranenses, & vbi eadem ratio, idem ius seruari debet. capite Translato, de Constitutionibus.

V. **T**ertio probatur eadem assertio ex identitate habitus istorum, & illorum primitiue Ecclesiæ clericorum. nam ex identitate habitus essentialis inferitur identitas essentialis ordinum à posteriori, & à signo, quia habitus est signum externum professionis internæ, ut tradit diuus Thomas, quem communiter sequuntur Doctores in 2. 2. quæst. 185. articulo octauo, & in Clementina prima de electione: verum horum canonicorum habitus, & illorum primitiue Ecclesiæ saltem essentialis vnus, & idem est nempe tunica linea, quæ sola est habitus essentialis canonicorum regularium, ut notat Ioan-

nes Andreæ in Clementina prima in verbo Habitus de electione.

Quartò varietas congregationem orta est in Ecclesia non tam per nouam institutionem, quàm per reformationem eiusdem ordinis. At ista non mutat speciem, ut ex textu in cap. relatum, & ibi obseruant communiter Doctores ne clerici, vel monachi, & l. opponebatur de Iudicijs. notat Romanus consilio centesimo nonagesimo octauo, & alij.

Nec obstat, quod opponit Ioannes Trullo libro VI. primo capite vndecimo, dicens, longum esse discrimen antiqui ordinis à supradictis congregationibus, quod antiquus ordo cathedrales, & alias collegiatis obtinet, & habet dignitates, Archidiaconatus, officia, personatus, & alia plurimum simplicia, tum curata beneficia regularia, illis canonicis conferenda, & per illos regenda, quæ canonici dictarum congregationum à se prorsus exploserunt, & in formam monachorum prorsus transferunt. tum quia absolutè falsum est, aliquos saltem ex dictis congregationibus omnia supradicta non habuisse, nam nostri Lateranenses habuerunt Ecclesiam Lateranensem, quæ est omnium Ecclesiarum mater, & princeps, & non solum cathedralis, verum etiam patriarchalis, neque illam obtinuerunt ex dispensatione, sed tanquam proprii, & veri clerici originarij prædictæ Ecclesiæ, & licet per violentiam fuerint exacti, sunt tamen nunc etiam veri clerici dictæ Ecclesiæ, ac si actu essent de gremio Capituli Lateranensis, ut illorum priuilegiorum verba sonant. Habent autem pro Archidiaconatibus Prioratus, & Abbatiales dignitates, & dignitas Abbatialis maior nunc est Archidiaconali, quidquid olim esset, quando Abbates nondum erant clerici. Immo omnes Abbates vtuntur insignijs Pontificalibus, quibus non vtuntur omnes Archidiaconi. Habent etiam Præpositos, & Archipresbyteros saltem in nostra congregatione, tenent beneficia complura regularia tam curata, quàm simplicia, quæ per illos reguntur. Immo, & secularium beneficiorum sunt capaces. demum esto istis omnibus carerent, non propter hoc inferri posset, illos hæc omnia à se abieciisse, ut in formam monachorum transfirent, vel non esse illorum capaces. nam aliud est non habere aliquid: aliud est non posse illud habere, si ei conferatur. fatemur, canonicos dictarum congregationum non habere nunc Ecclesias cathedrales, non quod ex illorū natura habere nõ possint, sed quia ipsi cathedrales canonici illorū reformatione suscipere noluerunt, & in tantū à reformatione abhorruerunt, ut ad omnimodā secularitatē potius se cōtulerint, & quia nullus est, qui modò Regularibus Ecclesias reformandas tradere velit. ne dicā, si fieri posset, quàm libentissimè complures bona ipsorū regulariū ab ipsis cōgregationibus ablaturos.

Caput sexagesimumnonum.

De multiplici habitu eorundem Canonico-
rum Regularium.



I. Contra assertionem superiori capi-
te firmatam vnicum restat dubiū,
quod oritur ex multiplici habitus
varietate, seu potius diuersitate,
quam intueri licet tum inter cano-
nicos prædictarum congrega-
tionum inter se inuicem, tum etiam inter illos, &
veteres canonicos cathedrales, & alios antiquioris
instituti: nam alij sunt, qui vestem lineam ad for-
mam camisiæ Romanæ deferunt, quæ vulgo apud
nos rochetum dicitur, vt Itali, & apud Gallos Vi-
ctorienses, & apud Belgas, & Germanos, Vuindesi-
mensis, & quidam alij peculiarium locorum: alij
rochetum sine manicis deferunt, vt Poloni, & non-
nulli ex Bauaris, & Sueuis: alij superpelliceo vndi-
que clauso, sed tamen sine plicis circa collum vtun-
tur, vt Colimbricenses: alij nec superpelliceum,
nec rochetum deferunt, sed hastam lineam strictam
ad latitudinem quatuor digitorum à collo penden-
tem, & sub sinistro latere ligatam, vt plurimi ex
Gallis, Belgis, & Germanis, qui extra congregatio-
nem viuunt: alij supparis siue tunicis albis sub ve-
ste linea vtuntur, vt omnes Itali, ex Hispanis Co-
limbricenses, ex Gallis S. Rufi, & S. Victoris, ex Bel-
gicis, Vuindesimensis, & multi ex Germanis: alij
nigras portant, vt Cathedrales Hispani, & Galli, &
qui extra congregationem viuunt tum in dictis lo-
cis, tum etiam in multis Germaniæ: alij violaceis
vtuntur, vt olim in Italia canonici S. Ioannis de Vr-
be veteri, nunc quoque in Belgio canonici S. Au-
berti Cameracensis, & sancti Eligij, & quidam cano-
nici Anglicani ante illius Regni defectionem à
fide Catholica: alij etiam sunt, qui pallium more
clericorum secularium deferunt: alij cappam cum
cappucio, vt Itali, & in Belgio, Vuindesimensis: alij
almutijs vtuntur, vt ante 25. annos omnes nostri
Lateranenses, & in Lusitania Colimbricenses, & in
Belgio, & Polonia: alij cappucijs laneis quæ super
humeros deferuntur, vt antiqui canonici S. Frig-
diani, qui mos etiam nunc à nostris ibi loci seruatur:
alij pellibus siue cappucijs, vel scapularib⁹ pelliceis,
quæ in Constitutionibus Benedicti XII. vocantur
foraturæ, vt canonici Victorini in Gallijs, & Vuin-
desimensis, & quidam alij in Belgio. Hæc autem
tam multiplex varietas in habitu tum accidentali,
tum etiam essentiali, vix ac ne vix quidem cum
identitate essentiali vnus ordinis cōsistere videtur:
nam si ab vnitatem habitus ad vnitatem ordinis nobis
argumentari licitum est, cur non etiam à diuersitate
eiusdem habitus ad diuersitatem ordinum arguere
licebit? si enim affirmatio est causa affirmationis,
etiam negatio negationis causa erit. Et hic est car-
do rei, circa quem totius controuersiæ pondus re-

uoluitur, & nodus difficultatis, pro cuius solutione,
suppositis, quæ supra hoc eodem libro cap. 8. &
lib. 1. cap. 22. notauimus de habitu clericorum.
D. Patris Augustini, & aliorum clericorum primiti-
uæ Ecclesiæ, recolenda nobis est distinctio illa vul-
garis de duplici habitu, altero interno & essentiali,
altero externo & accidentario, quam subiectæ ma-
teriæ applicando, dico internum habitum, & essen-
tialem omnium, & singulorum canonicorum Regu-
larium esse solam tunicam lineam, siue illa ad for-
mam rocheti, siue superpellicei, siue cum manicis
strictis, siue latis, siue etiam sine manicis sit forma-
ta: nam forma peculiaris non est ex vsu, vel tradi-
tione Apostolica, vel Ecclesiæ in specie determina-
ta, sed solum in genere, vt aliàs dictum fuit. Quod
autem hic solus sit proprius, & essentialis habitus
canonicorum Regularium, & cætera omnia indu-
menta sint illis accidentaria, siue illorum formam,
siue materiam, siue colorem attendamus, præter ea,
quæ supra locis proximè notatis deduximus, pro-
batur euidenter autoritate Glossæ communiter re-
ceptæ in Clementina prima in verbo *Habitus de*
electione, vbi dicit, quod habitus canonicorum Re-
gularium est sola tunica lineæ, quam sub cappa
deferunt.

II. **S**ecundò probatur expressa definitione Benedi-
cti XII. in Bulla generalis reformationis cano-
nicorum Regularium in cap. de Forma, & honestate
habitus, & vestimentorum, vbi præscribitur habi-
tus, & omne genus vestimentorum, quibus ijdem
canonici vti possunt tam quoad materiam & colo-
rem, quàm etiam quoad formam. Et nomine ha-
bitus Pontifex solam vestem lineam intelligit, vt il-
la eius verba indicant: *Vestis quoque superior habi-
tui proxima sit rotunda per circuitum &c.* & infra:
*Qui autem exhibens se in publicum habitum super in-
dumenta scilicet lineæ temerè occultauerit &c.* vbi vi-
des, Pontificem distinguere habitum à veste exte-
riori siue superiori, & nomine habitus intelligere
vestem lineam, quod non nisi de habitu essentiali
intelligi potest, & vide illud caput, quia in eo po-
nitur varia, & multiplex forma eiusdem vestis lineæ
per Pontificem approbata, vt inde habeas habitum
essentialem canonicorum Regularium non habere
formam in specie determinatam, sed in genere
tantum.

Sub habitu verò accidentali eorundem canoni-
corum comprehenduntur alia omnia vestimentorū,
ac superindumentorum genera, quibus ijdem cano-
nici in diuersis prouincijs diuersimodè vtuntur, vt
sunt tunica talaris, vestis superior, quæ dicitur cap-
pa siue pallium, cappæ chorales, cappæ pluuiiales, al-
mutiæ, cappuciæ, quæ alio nomine dicuntur scapula-
ria, pelles, quæ dicuntur varotæ, siue foraturæ: hæc
enim omnia comprehenduntur sub habitu acciden-
tali, quia variari, ac etiam omitti possunt iuxta lau-
dabiles consuetudines locorum: & quoad habitum
accidentalem canonici Regulares, nisi per constitu-
tiones suarum congregationū id prohibeatur, om-
nibus indumentis vti possunt, quibus clerici secu-

lares licitè, & laudabiliter vtuntur. quod patet non solum ex prædicto cap. Constitutionum Benedicti XII. de forma habitus, sed etiam ex Innocentio III. in cap. Deus qui. de vita, & honestate clericorum, vbi rescribens Episcopo Liuoniensi, cum quo erant complures diuersorum ordinum regulares, & consequenter diuersi habitus, ac inter illos multi canonici Regulares, illos omnes Pontifex iubet retento habitu interiori, cum cæteris in habitu exteriori se conformare. Adde vsu Ecclesiæ Romanæ, qui etiã præscribitur in Cæremoniali nuper edito, quo Episcopi ex Ordine clericorum Regulariũ assumpti dimissis omnibus indumentis illorum ordinis, excepta veste linea, habitum clericorum secularium assumunt. & ita etiam ante annos centum iudicialiter decreuit Leo X. causa prius cognita, cuius decretum videri potest in libro Indultorum congregationis Lateranensis per Sirenium nostrum compilato fol. 475. vnde argumentum euidentius desumitur, cætera omnia indumenta, & paludamenta præter lineam tunicam, ad habitum accidentalem spectare: aliàs nec mutari, nec omitti possent etiam per assumptionem ad Episcopatum, vel etiam Cardinalatum, vt decernitur in cap. Statutum 18. q. 2. notat D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. in corpore, & videmus seruari in praxi in Curia Romana.

IV. **H**is de habitu essentiali, & accidentali constitutis. Dico primò, identitatem ordinis non ex habitu accidentali, sed ex habitu essentiali attendendam esse. 2. omnes canonicos Regulares dictarum congregationum tum inter se, tum etiam cum antiquis cathedralibus, & alijs aliorum collegiorum in habitu essentiali conuenire: patet quia omnes deferunt tunicam lineam, nec refert quod hæc sit sub forma rochetti, illa sub forma superpellicei: quia istæ formæ particulares non sunt ab Ecclesia determinatæ.

Verùm contra hanc nostram assertionem duplex insurgit dubium. Primùm quia modò sunt multi canonici Regulares, qui non deferunt habitum lineum, sed tantum deferunt fasciam seu hastam strictam lineam à collo pendentem, quæ tunica lineæ non est, nec vllatenus dici potest.

Respondeo nihilominus, istos canonicos deferre tunicam lineam saltem statutis horis, puta cum interfunt officijs diuinis. Cæterùm extra claustra, deberent etiam tunicas lineas deferre, id enim videtur iubere Benedictus XII. cum præcipit, vt nullus se in publico exhibens audeat illam temerè occultare: nam multò magis videtur præcipi, ne deponant. Cæterùm quia in multis Collegijs priuatis, quæ non sunt vnita certis congregationibus, disciplina canonica paulatim est relaxata, paulatim etiam coepit omitti ipse habitus: sed ne omnino videretur dimissus, & ne illum sic dimittentes inciderent in pœnam canonis cap. 2. ne clerici vel monachi in 6. & etiam, quia in Concilio Senonensi celebrato anno 1523. in 2. parte cap. 22. ita cauetur. *Et ne notorium illum abusum, quo nonnulli Regularium apostasiam incurranò sine habitu regula-*

ri etiam in publicum incedere non erubescunt, sub dissimulatione pertrāsire videamur, statuimus, quòd Canonici Regulares de cætero super veste exteriori togam lineam tam intra, quàm extra monasterium ferre omnino teneantur. Ideo nonnulli ad apostasiam vitandam, paruam illam hastam lineam super cætera indumenta assumpserunt, ne sui habitus desertores, & apostatæ viderentur, quam paruam rochetum vocant, quæ potius signum est vestis lineæ, quàm verus essentialis habitus clericorum Regularium.

V. **S**ecundum dubium est, quia sunt nonnulli canonici Regulares, qui vltra tunicam lineam ad habitum internum, & essentialem addiderunt hastam laneam cucullatam, seu scapulare laneum, qui est illorum essentialis habitus, siquidem in illo habitu ipsi profitentur, vt canonici Regulares S. Saluatoris Bononiensis.

Respondeo si admittamus, eiusmodi scapulare spectare ad illorum habitum essentialem, difficile admodum videri, defendi posse, illos non etiam aliquo modo differre ab antiquis canonicis Augustinianis, quare qui concedunt, huiusmodi scapulare ad illorum habitum essentialem spectare, sibi ipsis consulant. hoc certum, nullum ex antiquis canonicis eiusmodi scapulare tulisse: nam quod ex Augustino Mamphrido comminiscuntur, canonicos D. Marci Mantuanos, vel canonicos à D. Marco institutos illud detulisse, frigidum est: non enim erat scapulare hastatũ ad modum cucullæ, sed capucium laneum, vel pelliceum, quò antiqui canonici ad tegendas scapulas vtentur, quod nunc etiam à multis tum regularibus, tum secularibus super humeros vel brachia in Ecclesijs deferri consueuit. Mihi autem probabilius videtur dicendum, istud scapulare ad habitum essentialem nullatenus spectare, cuius rei argumentum est, quod canonici ex prædicta congregatione ad Episcopatum assumpti illud dimittunt, quod non facerent, si esset habitus essentialis, sicut non dimittunt rochetum, & fortè ad lites amputandas omnino dimitti posset, salua ordinis, & habitus integritate.

Caput septuagesimum.

De Canonicis Regularibus Præmonstratensibus, & alijs quibusdam Ordinibus, qui dicuntur Canonorum Regularium.



Diximus præter canonicos Regulares, quos hactenus recensuimus, sunt alij Ordines clericorum sub D. Augustini regula militantium, licet non sint de illis per B. Augustinum vel Apostolos institutis, sed per nonnullos p. os, & sanctos virum postmodum fundati, quorum nonnulli habent etiam institutum mixtum quodammodo

ex clericali, & monastico. horum primus est ordo
 canonicorum Regularium Præmonstratensium à san-
 ctissimo viro, & diuini Verbi prædicatore eximio
 Norberto nobili Lotharingo, in loco Præmonstrato
 nuncupato anno Domini 1120. fundatus. de cuius
 fundatione continuator Chronici Sigiberti sub eo-
 dem anno 1120. hæc scribit: *Vir Dei Norbertus à
 Papa Calisto Bartholomæo Laudunensi Episcopo spe-
 cialiter commendatus, cum ei Ecclesia B. Martini à
 prædicto Episcopo offerretur, tum propter vrbis vici-
 niam, tum quia eiusdem Ecclesie clerici, propositi, &
 vite eius austeritatem horrebant, eam reliquit, & ab
 Episcopo diuersis eiusdem Prouincie locis religioni ræ-
 gruentibus sibi ostensis, tandem diuinitus in loco Præ-
 monstrati resedit, ibiq; solitaria religiosam vitam
 agere cepit, & tempore Quadragesime ad colligendos
 socios solus egressus, ante Pascha cum vicedecim socijs
 redijt, & cum ijs in Præmonstrato loco secundam ca-
 nonicæ institutionis normam ad tenorem regule beati
 Augustini Deo militare cepit. Consentiant Vincen-
 tius Beluacensis in Speculo Historiali lib. 27. cap. 28
 Baronius tom. 12. sub anno 1120. & posteriores
 omnes Historici, plura de hoc viro sanctissimo, &
 de fructu incomparabili, & lucro animarum per
 verbum, & exemplum narrantes; præsertim Lau-
 rentius Surius tom. 3. sub die 6. Maij, ex Hugone
 illius discipulo, qui eius vitam exarauit. Aduerten-
 dum tamen, ipsum Norbertum, antequam nouam
 familiam Præmonstratensium institueret, fuisse pro-
 fessione canonicum Regularem, vt autor vitæ illius
 cap. 22. scribit, quod nouam familiam volens in-
 stituere, ne professioni canonicæ, cui ille, & qui cum
 illo vivere volebant, intulati fuerant ab infantia,
 iniuriam inferre viderentur, regulam B. Augustini
 afferri præcepit. immo Calistus II. & Bartholo-
 mæus Episcopus Laudunensis primò posuerunt il-
 lum in monasterio S. Martini, quod tunc erat cano-
 nicorum Regularium, quamuis satis relaxatum.
 vnde quoddam canonici monasterij illud vitæ genus æ-
 grè ferrent, Præmonstratum iuit. Sed quod ad or-
 dinem per illum plantatum attinet, hic ordo etiam
 viuente eodem S. Norberto per omnes ferè prouin-
 cias occidentales mirum in modum fuit propaga-
 tus, & dilatatus, vt etiam in regionibus orientali-
 bus suos palmites extenderit, vt Continuator Sigi-
 berti sub anno 1131. & ex illo Baronius tomo 12.
 sub anno 1134. in fine testantur. quanquam ex-
 actum illius monasteriorum catalogum hic describere
 nullatenus possim, tum propter illorum nimiam
 multitudinem, tum etiam, quia (proh dolor.) ordo
 in Ecclesia Dei tam præclarus nostro seculo prope-
 modum collapsus conspicitur, & pleraque illius cœ-
 nobia, vel diruta, & bona à rapientibus occupata,
 vel commendata ita, vt ex innumeris, quæ olim in
 Italia possidebat, ne vnum quidem superfit. Repe-
 riuntur autem in lib. taxarum Camere Apostolicæ
 notata monasteria huius ordinis circiter tria supra
 quinquaginta, Sed & Gaspar Bruschius, licet dâ-
 nati nominis autor, in Chronologia monasteriorum
 Germaniæ aliorum multorum meminit. Sunt etiã*

in Hispanijs potissimum in Regnis Leonis, & Castel-
 læ viginti circiter eiusdem instituti Collegia refor-
 mata, quod ex relatione Reu. admodum P. Fratris
 Bernardi de Leon illorum congregationis in Ro-
 mana curia Procuracionem agentis, accepi.

Meminit huius ordinis Innocentius III. in cap.
 Edoceri. de Rescriptis, reperiuntur etiam inter epi-
 stolas huius Pontificis complures Abbatibus eius-
 dem ordinis directæ. quæ multa, eaq; eximia con-
 tinent priuilegia. Cæterum ipse Norbertus sub
 Honorio II. ad Magdeburgensem Archiepiscopatu
 euectus tum viuus, tum mortuus signis innumeris
 suam sanctitatem testatus, tandem in album San-
 ctorum fuit relatus, quem veluti sanctum veneran-
 tur D. Bernardus, Petrus Cluniacensis lib. 4. epi-
 stola 3. Continuator Sigiberti, & Surius locis pro-
 ximè allegatis.

Fuit alius ordo canonicorum in Anglia, qui Gil- II.
 bertini vocabantur à quodam Gilberto ex lo-
 co Sempingam quandoque ordo Gilbertinorum,
 quandoque verò de Sempingam nuncupatus, de cur-
 ius fundatione, quæ apud Ioannem Pittium in lib.
 de Scriptoribus Anglicanis inueni, hic referam.
 Gilbertus, ait, de Sempingam natione Anglus, patria
 Lincolnensis, patre locelino viri equestris ordinis pro-
 genitus, vir corpore pusillo, & nonnihil deformi, animo
 tamen erecto, & magno nobilitatem generis animi
 virtutibus illustrioram reddidit. postquam humanio-
 res litteras in Anglia didicisset, ad maiora studia pro-
 gressurus, Academias Gallie frequentauit, & vt cor-
 ruptis defectus animi virtutibus velaret, strenuè bonis
 literis, & virtutum studijs operam dedit. vbi semel
 cum literis salutaria fidei præcepta, & religionis, di-
 uinaq; glorie zelum euissimè imbibisset, hausissetq;
 fontem aque salientis in vitam æternam, in prouin-
 ciam Lincolnensem reuersus, talentum, quod ei Deus
 donauerat, in multarum animarum salutem impendi-
 dere omni conatu, ac industria nixus est. Sic enim ex
 Labando colligo. videns itaq; regulam S. Augustini
 non tam accuratè obseruari, quam par erat, & ipse ce-
 peret, anno Domini 1148. vt scribit Stropus, &
 Capagius, quandam illius ordinis reformationem in-
 cepit, cuius renouata discipline cultores ab isto Gilber-
 to primo fundatore Gilbertini vocabantur. primò
 suis monasterium erexit in pago sua natalis, & pa-
 terna hereditate Sempingam: cuius laboribus Deus
 ita benedixit, hominib; tam longam vitam tribuit, vt
 ipse adhuc in viuis existens normas viuendi suis re-
 ligiosis prescripserit, eaq; à Papa Eugenio III. simul
 cum ipso ordine, & instituto confirmari fecerit. Et li-
 cet hic ordo nunc, vt & omnis ordo ex Anglia sic
 sublatus, ille tamen ante suum obitum vidit in tre-
 decim, quæ fundauerat monasterijs huius sui insti-
 tuti monachos septingentos, sanctimoniales plus
 minus 1110. Hic ordo maximè florebat tempore
 Henrici VIII. numero canonicorum, & canonissa-
 rum, & vocabantur canonici albi S. Augustini, ad
 differentiam aliorum, qui vocabantur canonici ni-
 gri S. Augustini, vt habes ex Catalogo Ecclesiarum,
 & monasteriorum Anglicanorum, quæ per Henri-
 cum

tum VIII. sunt euerſa, quem Latine redditum, auctore Ioanne Speed; videre poteſ ad finem Hiſtorie Anglicane Nicolai Harpſfeldij Archidiaconi Cantuarienſis nuper editæ Duaci, ad quem Catalogum vitandæ gratiæ prolixitatis, remiſſo. Regulas autē ſuas potiffimum decerpiſit ex religioſis præceptis S. Auguſtini, & S. Benediſti, quæ intulauit Gilbertinorum ſtatuta. obiit anno 1189. ætatis ſuæ 106. ſepultus in ſuo monaſterio Sempingam, poſtea relatus in album Sanctorum. Huius ordinis mentio habetur in Prouinciali Romano, & in Præſentia Cancellariæ Apoſtolice.

III. **E**ſt alius ordo canonicorum regularium S. Auguſtini, qui dicitur S. Iacobi de Spata. Hunc ordinem dicitur initium habuiſſe à Ramiro Rege Legionenſi circa annum Chriſti 830. ex Radefio in ſuis Commentarijs. Verum primus ex Romanis Pontificibus, qui illum probauit, & confirmauit ſub Regula D. Auguſtini, videtur fuiſſe Alexander III. cuius extat Bulla approbationis numero quinta inter Bullas huius Pontificis, ex qua tamen apparet, hunc ordinem circa tempora eiufdē Alexandri III. primitus inſtitutum. quanquam in dicta Bulla nulla fiat mentio canonicorum regularium, aut Regula D. Auguſtini: ſed ſolum approbetur ipſe ordo in duas claſſes diuiſus, alteram militum, alteram clericorum, quos Conuentualiter ſimul viuere ſub vnius Prioris obedientia iubet, & ſuperpelliceum deſerre. Verum eiufmodi clerici, regulares canonici ſub Beati Auguſtini Regula degentes vocantur ab Adriano VI. conſtitutione prima, & Clemente VII. conſtitutione 32. quæ in Bullario nuper edito videri poſſunt. Hic ordo nonnulla vetuſta canonicorum regularium Collegia ex conſeſſione Apoſtolica obrinuit, quæ in præſentiarum poſſidet, vt S. Marci Legionenſis, & S. Iacobi de Vcles, & alia, de quibus ſupra in Catalogo monaſteriorum Hiſpaniæ, & Luſitaniæ dictum fuit.

Alius eſt ordo canonicorum regularium S. Auguſtini, qui dicitur S. Mariæ de Metri de Pœnitentia martyrur, cuius canonici ſub vno Generali degunt. Hic ordo floret in Regno Poloniæ, ac præſertim in Ducatu Lituanie. meminit Martinus Baroniſ in lib. de Vita, & geſtis B. Eſayæ Poloni, item B. Stanilai Cracouienſis nuper edito Cracouiæ 1610. pag. 7. 10. & in Vita B. Stanilai pag. 10. Aliud de hoc ordine non vidi.

IV. **A**lius eſt ordo canonicorum regularium ſub Regula S. Auguſtini, qui dicitur S. Antonij de Vienna, cuius alumni ſuam fundationem ponunt ſub anno 1095. temporibus Urbani Papæ II. Auctor huius ordinis fuit Gaſto vir nobiliſſimus, cum quodam eius filio. Locus primæ inſtitutionis apud Viennam in Delphinatu Mota nuncupatus. ex Auctore Chronice Antonianæ par. 2. cap. 23. Verum per illa tempora ante Bonifacium VIII. profeſſores dicti ordinis nec clerici erant, nec ſub B. Auguſtini Regula militabant: ſed laicalem vitam ducentes, hoſpitalitatem ſectabantur, & inſirmis ſacro igne correptis inſeruebant: ſed Bonifacius VIII. Abba-

tiam S. Antonij erectam, regendam illis tradidit, & canonicos ſub Regula B. Auguſtini creauit, & vocari præcepit. Extat illius Bulla numero quinta inter conſtitutiones dicti Pontificis: & ita ordo canonicorum regularium S. Antonij ſub Regula B. Auguſtini vocari cœpit, & in multis prouincijs eſt mirabiliter propagatus, cuius domus vocantur præceptorie, & caput totius ordinis eſt Abbas S. Antonij apud Viennam. Hic ordo à Summis Pontificibus, Imperatoribus, & alijs Principibus maximis priuilegijs eſt munitus, & decoratus: de quibus conſulendus eſt Aymarus Fulco in ſua Hiſtoria Antoniana.

V. **M**eminit etiam Rhenatus Choppinus in ſuo Monaſtico lib. 1. tit. 1. S. 7. & tit. 2. S. 9. & lib. 2. tit. 1. S. 21. cuiusdam ordinis Cruciferorum, qui vocantur canonici regulares ſub Regula S. Auguſtini. Hi videntur inſtituti circa annum 1248. in Belgio in Huyo oppido diœceſis Leodiſenſis referuntur enim literæ Innocentij IV. ad Henricum Leodiſenſem Archiepiſcopum, quibus illi mandat, dare prædictis fratribus. Conſtitutiones: hi ad beneficia curam animarum habentia, ſicuti cæteri canonici regulares admittuntur, eſt illorum habitus à canonicali ſit omnino diuerſus. differunt autem à Cruciferis Italicis tum habitu, tum etiam ordine, vt patet. Videatur idem autor in locis citatis, & lib. 1. tit. 3. S. 16. vbi referunt Bullam Benediſti XII. in qua concedit Priori Generali dicti ordinis, vt poſſit corrigere canonicos, & conuerſos dicti ordinis, vocans illos canonicos.

VI. **P**oſtremo eſt alius ordo canonicorum antea ſecularium, nunc verò regularium S. Georgij de Alega Venetiarum circa annum Domini 1400. inſtitutus in perantiquo monaſterio canonicorum regularium ſancti Auguſtini S. Georgio in Alega nuncupato, locum cedente Venerabili viro Ludouico Balbo eius monaſterij canonico-profeſſo, & Priore, qui poſtea ad monachos Benedictinos traſſiens, ſanctiſſimæ reformationis monaſtici ordinis autor fuit in monaſterio Patauino ſanctæ Juſtinæ, & conſequenter præclariffimæ congregationis monachorum antea S. Juſtinæ, nunc verò Caſſinenſis nuncupatæ. Huius autem ordinis primi auctores feruntur religioſi quidam, & piſſimi viri ex Patricijs Venetis, qui eſt clerici ſeculares eſſent, ſuaſſionibus, & prædicatione Venerabilis viri, & Verbi Dei prædicatoris feruidiſſimi D. Bartholomæi Columnæ nobilis Romani, tunc clerici ſecularis, poſtea canonici regularis in monaſterio S. Mariæ de Frigidionaria, mundo vale dicentes, & communem vitam ſine vlla tamen vororum emiſſione inuicem deliberantes, primò apud S. Auguſtinum prope Vicentiam ſeſe colligentes, multitudinem iuuenum, & ſacerdotum ad illos ex ſeculi naufragio fugientium receperunt; ac deinde ad dictam monaſterium S. Georgij de Alega, cedente loci Priore Ludouico Balbo, commigraverunt, probante huiusmodi ceſſionem Gregorio Pontifice huius nominis XII. vt videre eſt in conſtitutione dicti Pontificis prima, ex quo loco toti congregationi nomen

nomen inditum. fuerunt inter primos dicti Ordinis autores D. Antonius Coraius, & D. Gabriel Gondulmerius Gregorij XII. nepotes, quos ille ambos ad Cardinalatum euexit: posterior verò summum etiam inijt Pontificatum, & Eugenius IV. est appellatus. cum autem ex eo loco illorum sanctissimæ vitæ bonus odor circunquaque diffunderetur, ijdem numero Collegiorum in multis locis Italiae multiplicati sunt, habueruntq; viros complures sanctitate, & dignitate illustres, ac inter illos Beatum Laurentium Iustinianum primum Patriarcham Venetum, cuius temporibus dignitas Patriarchalis; quæ in Ecclesia Gradensi residebat, ad Ecclesiam Castellanam seu Venetiarum fuit translata. Hi canonici ante Pium V. tria vota regularium absque vlla solemnè corundem votorum emissionè, seu professione obseruabant, & canonici seculares dicebantur: Verùm eodem Pio V. mandante, ipsa vota solemniter profiteri cœperunt. Retinent nihilominus nunc etiam nomen, ac priuilegia canonicorum secularium, ne cæteris regularibus clericis in publicis processionibus præire compellantur.

Caput septuagesimum primum.

De Canonici Ordinis eminentia, & iure præcedendi tum in Concilijs, & publicis processionibus, tum in alijs quibusdam actibus publicis, & priuatis.

I. **I**cet complura, eaq; amplissima priuilegia à Summis Pontificibus antedictis canonicorum congregationibus iuxta temporum, & rerum exigentias fuerint elargita, vix tamen aliquod toti ordini generaliter concessum iauenitur, ijs exceptis, quorum mentio in iure Pontificio passim habetur, quæque ad duo genera potissimum rediguntur, nimirum ad ius præcedendi cæteros ordines tum in Concilijs, tum in publicis processionibus, & alijs actibus publicis, & priuatis, & ad facultatem siue capacitatem obtinendi cuiusuis generis beneficia, curata, & non curata, tum regularia, tum etiam secularia, de quorum primo in præsentè, de secundo in sequenti capite aliquid dicemus. Et quidem circa ius præcedentiæ sciendum est, multis modis posse fieri comparationem, primò inter canonicos regulares, & alios regulares aliorum ordinum: secundo inter canonicos regulares, & canonicos, siue clericos seculares. Rursus inter canonicos, & alios regulares aliorum ordinum duplex comparatio fieri potest, nam vel comparamus totum ordinem cum toto ordine, vel Collegium vnius ordinis cum Collegio alterius ordinis: vel comparamus singulares personas vnius ordinis cum singularibus personis alterius ordinis, puta canonicum regularem cum monacho, vel Abbatem ordinis canonicorum regula-

rium cum Abbate ordinis monachorum, quapropter singula colligendo circa istud ius præcedendi, quod asserimus competere canonicis regularibus comparatione aliorum ordinum regularium, & etiã clericorum secularium, triplex dubium emergit. Primum, an totus ordo canonicorum regularium de iure præcedere debeat omnes alios ordines regulares, siue an hoc Collegium & Capitulum huius, vel illius monasterij ordinis canonicorum regularium præcedere debeat hoc, vel illud Collegium, & Capitulum monachorum, vel aliorum ordinum, facta comparatione ordinis ad ordinem, & Capituli ad Capitulum, & monasterij ad monasterium. Secundum an facta comparatione inter personas singulares puta inter Prælatum ordinis canonicorum regularium, & prælatum ordinis monachorum, quando simul concurrunt sine Capitulis, & Conuentibus, vel inter canonicum, & monachum præcedere debeat canonicus regularis, an monachus. Tertiũ an canonicis regularibus competat ius præcedendi canonicos siue clericos seculares, & hi tres articuli fuerunt olim longa concertatione iudicialiter examinati, & terminati vt statim dicemus nã.

Circa primum articulum controuersia orta est. Circa annum Domini 1500. inter canonicos regulares nostræ congregationis Lateranensis ex vna, & Ven. monachos S. Benedicti congregationis Cassinensis ex altera, super iure præcedendi tã in processionibus, quàm in Concilijs, & in alijs actibus publicis, & priuatis. quam post longum examen, & dispendiosum nimis, altercationem, omnibus hinc inde collatis, & ponderatis Sanctiss. D. N. Pius IV. habita relatione trium Illustrissimorum. S. R. E. Cardinaliũ Ioannis Baptistæ Cicada, Ioannis Michaëlis Saraceni, & Bernardini Scoti, quibus dictæ causæ cognitio motu proprio eiusdem Pontificis fuerat demandata, decreto fatali, & sententia inappellabili tandem sic terminauit.

Christi nomine invocato pro tribunali sedentes, & solum Deum pro oculis habentes per hanc nostram definitiuam sententiam, quam fortissimè in his scriptis in causa, & causis, quæ coram nobis, & quas dilectis filijs nostris Ioanni Michaëli Saraceno tituli S. Anastasia, Ioanni Baptista Cicada tituli S. Clementis, ac Bernardino Scoto S. R. E. Cardinalibus primò audiendas, cognoscendas, & per eos decidendas, & terminandas, & deinde per præfatos Cardinales per Apostolica nostra rescripta nobis referendas commissimus, inter dilectos filios Abbates, Prælatos, & canonicos regulares ordinis S. Augustini congregationis Lateranensis, & uniuersam eorum congregationem ex vna, & Prælatos, Abbates, & monachos ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, alias sanctæ Iustina de Padua nuncupatos, & dictam eorum congregationem, de & super præcedentiâ, & iure inter eos præcedendi tam in processionibus, quàm in generalibus, & Synodalibus seu Provincialibus Concilijs, omnibusq; actibus publicis, & priuatis, rebusq; alijs in actis causis, & causarum huiusmodi latius deduc-

Etis, & illorum occasione, que in prima, seu alia ver-
se fuerunt, & veriebantur instantijs, partibus ex al-
tera, causa huiusmodi coram dictis Cardinalibus ad
plenum ventilata, ac sepius auditis partibus, & du-
bijs in ea plene discussis, & resolutis, ac visis de iure
videndis, & demum per dictos Cardinales nobis ma-
tura desuper facta relatione. Pronunciamus, senten-
tiamus, decernimus, Abbates, Prelatos, & canonicos
regulares congregationis Lateranensis, uti clericos di-
missa superiori veste, pallio, seu cappa, in linea veste,
clericali;q; habita incedentes (quod etiam in alma no-
stra Vrbe Romæ consuetum fuit, & nunc observatur)
in processionibus, & omnibus alijs actibus publicis, &
priuatis tam in dicta Alma Vrbe nostra, nostraq; &
successorum nostrorum conspectu, quam alias vniuersi-
tis, ac quibuscunque alijs ciuitatibus, terris, oppidis,
ac locis, dictis Abbatibus, Prelatis, & Monachis
ordinis S. Benedicti Cassinensis precedere debuisse, ac
debere, eosdemq; Abbates, Prelatos, & canonicos re-
gulares, dictamq; eorum congregationem, ut supra
incedentes dictis Abbatibus, Prelatis, & Monachis
S. Benedicti, & eorum congregationi in omnibus, &
singulis premissis preferendas, anteponendas, & in
digniori loco collocandos fore, & esse. Abbates verò
dictarum congregationum Lateranensis, & S. Benedi-
cti singulariter, & de per se, absque eorum conuenti-
bus in Concilijs Generalibus, Prouincialibus, & Syno-
dalibus, & alijs actibus publicis, & priuatis, in qui-
bus Abbates de iure, vel de consuetudine locum, &
votum habent, vel pro tempore quomodolibet habeant,
inter sese iuxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem
interuenientium priorem, & antiquiorem promotionem
ad Abbatiam, ac illa promotione duntaxat, non autem
congregatione, & ordine, cuius fuerint, attentis, præ-
cedere, ac præferri, & in digniori loco collocari de-
buisse, ac debere, prout præferimus, antepouimus, col-
locamus, præferriq; anteponi, & collocari respectiue
mandamus, ne assures quoque molestationes, opposi-
tiones, perturbaciones, vexationes, & impedimenta,
quacunque per præfatos Abbates, Prelatos, & Mona-
chos dicti ordinis S. Benedicti, & dictarum eorum con-
gregationum, & Abbatibus, Prelatis, & canonicis
regularibus dicti ordinis, & eorum congregationi de,
& super præfatis omnibus, & singulis, & illorum oc-
casionibus quomodolibet factas, præfatas, & illatas, fa-
ctasq; præfatas, & illatas, fuisse, & esse temerarias, illi-
citas, indebitas, & iniustas, temerariq; illicitas, in-
debitas, & iniustas, ac de facto præsumptas, & præsum-
ptas, illasq; & illa præfatis Abbatibus, Prelatis, &
Monachis fecisse, & facere minimè licuisse, nec li-
cere de iure. Et propterea de, & super illis, ac dicto
iure precedendi, ut supra, omnibusq; alijs, & singu-
lis premissis perpetuum silentium imponendum fore,
& esse, ac imponimus. Veramque partem in expensis
iustis de causis absoluentis. Ita est. Ita refero, &
censuro pronuntiandum esse Io. Michaeli Cardinalis
Saracenus.

Ita refero & censuro pronuntiandum esse Io. Bapti-
sta Cardinalis S. Clementis.

Ita refero, & censuro pronuntiandum esse Bernardi-

nis Cardinalis Trauen. lecta, lata, & in scriptis
promulgata præfata, & diffinitiva sententia, sub an-
nulo Piscatoris signata per eundem S. D. N. D. Pium
PP. IV. Roma in Palatio S. Mariae de Aracoeli in
Palatio eiusdem S. D. N. PP. anno à Natiuitate eius-
dem Domini 1583. Indictione 6. die vero 23. mensis
Septembris, Pontificatus S. D. N. D. Pij diuina prou-
identia PP. IV. anno quarto, presentibus ibidem Reu-
D. Alexandro Palanzerio Alma vrbe Romæ Guberna-
tore, & Ill. D. Com. Annibale. Attempo ad præ-
missa, & singula vocatis specialiter, habitis, asque
rogatis.

Addidit idem Pontifex motum proprium, per
quem omnes, & singulos tum processus, tum senten-
tiæ defectus etiam substantiales, si qui forsan inter-
uenissent, auctoritate Apostolica suppleuit, & dictam
sententiam ab omnibus inuiolabiliter obseruari
mandauit.

Motus proprius eiusdem Pij IV.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad futu-
ram rei memoriam. Sedis Apostolica prouidentia
circumspecta, que rursus ea, qua in controuersijs inter
personas, Ecclesiasticas præsertim, Altissimo sub re-
gulari professione famulantes, exortis, pro tranquillo
religionis statu prudenter ordinauit, in molestos con-
trouersionis aufertur relabantur, maiorem solet, dum id
res ipsa requirit, adhibere cautionem. Sane nuper post-
quam sicut nobis innotuerat, ab antiquis vsque tem-
poribus etiam supra centum annos retroactos, &
causa seu controuersia inter dilectos filios Rectorem
Generalem, & canonicos regulares S. Augustini con-
gregationis Lateranensis ex una, ac Monachos sancti
Benedicti Ordinis Cassinensis alias sanctæ Iustine de
Padua congregationem partibus ex altera, super il-
lorum præcedentia, seu iure precedendi subortia, &
coram diuersis iudicibus etiam in nostro Palatio Apo-
stolici auditorio contestata, ac demum non sine animi
nostri molestia in Oecumenico Concilio Tridentino in-
ter earundem congregationum Abbates renouata fue-
rat. Nos considerantes, lites, & controuersias huius-
modi in Ecclesia præsertim inter religiosas, & refor-
matas personas, que velitis mundi vanitatibus, votu
suum in humilitatis spiritu Domino, & Deo nostro, qui
se pro nobis vsque adeo humiliavit, ut formam serui
acciperet, persolvere proficentur, non modicum illi præ-
clara, Deoq; præcipue dilecta virtuti, que est humili-
tas labem infundere, populoq; scandalum generare, &
propterea illas omni ratione submouendas, publiceq;
Religionis tranquillitati, ac ministrorum Dei reconcili-
ationi, & mutue dilectioni quamprimum consulen-
dum esse rati. Motu proprio dictas causas, & con-
trouersias, ubilibet, & coram quibusuis iudicibus mo-
tas, & in quibusuis instantijs indolis pendentes, ab
eisdem iudicibus ad nos aduocauimus, illasq; dilectis
filijs nostris Io. Michaeli S. Anastasia Saraceno, Io.
Baptista S. Clem. Cicade, ac Bernardino S. R. E. nun-
cupatis S. R. E. presbyteris Cardinalibus audiendas, co-
gnoscendas, & decidendas per quatuordecim motus proprii
secu-

scdalam, & deinde illas per aliud nostrum rescriptum
 eisdem Cardinalibus per eos audiendas tantum; no-
 biq; referendas commisimus. qui quidem Cardinales
 dictis partibus, earumque Procuratoribus, & Aduo-
 catis pluries auditis, dubijsq; emergentibus ad plenum
 discussis, & resolutis, comperto satis per eos ex com-
 pluribus literis Apostolicis, diuersisq; alijs rationibus,
 & probationibus, quod ipsi canonici fuerunt, & sunt
 de illis clericis à S. Augustino, quinimmo à sanctis
 Apostolis institutis, eisdem canonicos tam suæ anti-
 que institutionis huiusmodi, quam etiam dignitatis
 clericalis, qua eos, statim quod professionem regula-
 rem emittunt, insignitos esse oportet, aliarumq; qua-
 litatum in eis existentium ratione, dictamq; illorum
 congregationem Lateran. prefatos monachos, & eo-
 rum congregationem Cassinen. precedere debere cen-
 fuerunt, & concluderunt, suamq; conclusionem huius-
 modi ad audientiam nostram iuxta ultimi nostri re-
 scripti prefati tenorem retulerunt. unde nos illorum
 relatione intellecta, eaq; per nos diligenter examinata,
 quoniam eam in omnibus suis partibus veritati, & iu-
 sti consonam comperimus, per nostram diffinitiuam sen-
 tentiam pronunciauimus, sententia uimus, decreuimus,
 & declarauimus, Abbates, Praelatos, & Canonicos re-
 gulares congregationis Lateranensis, uti clericos, dimis-
 sa superiori veste, pallio, seu cappa in linea veste, cleri-
 cali; habita, incedentes (quod etiã in alma Vrbe con-
 suetum fuerat, & tunc obseruabatur) in processibus,
 & omnibus alijs actibus publicis, & priuatis, in di-
 cta Vrbe, nostrisq; & aliorum Romanorum Pontificum
 successorum nostrorum conspectu, quam alias in uni-
 uersis, & quibuscunque alijs ciuitatibus, terris, oppidis,
 & locis Abbates, Praelatos, & monachos ordinis S. Be-
 nedicti congregationis Cassinen. predictos precedere
 debuisse, & debere, ac eosdem Abbates, Praelatos, & ca-
 nonicos regulares, dictamq; eorum congregationem,
 ut praefertur, incedentes dictis Abbatibus, Praelatis, &
 monachis sancti Benedicti, & eorum congregationi
 in omnibus, & singulis praemissis preferendas, antepo-
 nendos, & in digniori loco colloquandos fore, & esse.
 Abbates uero dictarum congregationum singulariter,
 & de per se, absque illorum Conuentibus in Con-
 cilijs Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus, ac
 alijs actibus publicis, & priuatis, in quibus Abbates,
 de iure, uel consuetudine locum, & uotum habent, uel
 pro tempore quomodolibet habebunt, inter sese iuxta
 singulorum ipsorum Abbatum ibidem interuenientium
 priorem, & antiquiorem promotionem ad Abbatiam,
 & illorum promotione duntaxat, non autem congrega-
 tione, & ordine cuius sint assentis, precedere, &
 praeferrè, & in digniori loco collocari debuisse, & debe-
 re, prout ex tunc praetulimus, anteposimus, & colloca-
 uimus, praeferrèq; anteponi, & collocari mandauimus.
 incedationes quoque, molestationes, oppressiones, pertur-
 bationes, vexationes, & impedimenta quacunque per
 Abbates, Praelatos, & monachos predictos, & eorum
 congregationem Cassinen. eisdem Abbatibus, Praelatis, &
 canonicis regularibus congregationis Lateranen. super
 prefatis omnibus, & singulis, & illorum occasione quo-
 modolibet factas, praestitas, & illatas, factas, praestitas, &

illatas, fuisse, & esse temerarias, illicitas, indebitas, &
 iniustas, temerariaq; , illicita, indebita, & iniusta, ac
 de facto praesumptas, & praesumptas, illasq; , & illa Ab-
 batibus, Praelatis, & monachis congregationis Cassinensis
 huiusmodi fecisse, & facere minime licuisse, neque lice-
 re de iure. Et propterea de, & super illis, ac dicto iure
 procedendi, omnibusq; , & singulis alijs praemissis per-
 petuum silentium imponendum fore, & esse, & tunc im-
 posuimus, prout in rescripto, relatione, & sententia pra-
 dictis plenius continetur. Ne autem de sententia, alio-
 rumq; praemissorum ualiditate ullo unquam tempore du-
 bitari, ac propterea, uel alio quouis praetextu re mature
 discussam, & iudicatam rursus in controuersiam retra-
 hi, neue denuo in Ecclesia Dei inter tales personas reli-
 giosas cõsentiones exoriri, ac populo scandala generari
 contingat, tempestiue providere, ac supremam huic ne-
 gotio manu apponere cupientes, necnan ueriores litera-
 rum singulorum praedecessorum, ac rescripti, processus, re-
 lationis, sententiarumq; praefatorum, & inde secutorum
 tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes
 motu simili, non ad ipsorum Abbatum, Praelatorum, & ca-
 nonicorum regularium congregationis Lateran., uel al-
 terius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam,
 sed ex mera deliberatione, & certa scientia nostras, ac
 de Apostolica potestatis plenitudine ad effectum execu-
 tionis d. sententiae sum omnes, & singulos processus, & sen-
 tentiae praefatorum defectus, etiam substantiales, si qui for-
 san in eisdem interuenerint, barum serie supplemus, ac
 eandem sententiam unã cum eius processu ualidos, & effi-
 caces esse, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri,
 & inuolabiliter ab omnibus obseruari debere, nec par-
 tes ipsas ab eis ullo unquam tempore, quouis praetextu,
 quaesituẽ colore resiliere posse, sed ad illorum obserua-
 tionẽ teneri, censurisq; , & poenis tam Ecclesiasticis,
 quam pecuniarijs ad id cogi, & compelli, neque mona-
 chos, eorumque congregationẽ aduersus sententiam, aliaue
 praemissa in pristinum statum quouis quaesito colore, uel
 ingenio restitui, nec illa oppugnates audiri, praesentesq;
 literas de subreptionis, uel obreptionis uitio, aut intimo-
 nis nostra, aut alio quouis defectu notari, seu impugna-
 ri posse. Sicq; , & non aliter per quoscunque Iudices, &
 Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, &
 eorum cuiuslibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi
 facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac
 quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter,
 uel ignoranter attentari contigerit, irritum, & ina-
 ne decernimus; praemissaq; omnia perpetuo statuimus,
 & quod ita fiant, & obseruentur volumus, atque man-
 damus. Similiter Venerabili fratri Episcopo Ame-
 rin. & dilectis filijs nostro in alma Vrbe, & eius di-
 strictu Vicario in spiritualibus, ac Curia causarum
 Camera Apostolicae auditori Generalibus per praesen-
 tes motu pari mandantes, quatenus ipsi, uel duo, aut
 unus eorum per se, uel alium, seu alios praesentes lite-
 ras, et in eis contenta quacunque ubi, et quando opus
 fuerit, ac quoties pro parte Reclorũ Generalis, et Ab-
 batum, Praelatorum, ac regularium canonicorum sancti
 Augustini congregationis Lateranensis praefatorum, uel
 alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publican-
 tes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praestatio-

assistentes, faciant auctoritate nostra illos suppletionem, decreto, statuto, voluntate, & mandato, alijsq; premissis pacifice frui, & gaudere: non permittentes, eos, vel eorum quempiam desuper per quosunque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras etiam Ecclesiasticas, & pecuniarias etiam arbitrio suo moderandas, & applicandas, quam etiam priuationis singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum per ipsos contradictores obtentorum penas, aliq; iuris remedia appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus, illos sententias, censuras, & penas huiusmodi incurrisse declarando, illosq; etiam iteratis vicibus aggravando, & interdictum Ecclesiasticum imponendo, inuocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus premissis, ac scilicet. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò quispiam praesentium vigora ultra tres dietas ad iudicium non trabatur, ac alijs quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon monasteriorum, & ordinum, ac congregationum praefatorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumq; superioribus, ac personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac eum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq; , & alijs decretis in genere, vel specie, etià motu, & scientia similibus quomodolibet concessis, ac etià iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus. Contrarijs quibuscunque, aut se aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod praesentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, in iudicio, & extra, ubilibet locorum, plena, & indubia, eademq; prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibita vel ostensa. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 18. Ianuarij M. D. LXIV. Pontificatus nostri anno quinto.

III. **H**aec constitutio cum sententia ab eodè Pontifice lata refertur etiam in Bullario nuper edito inter Constitutiones Pij IV. & est numero 95. circa quam notanda sunt verba illa: Qui quidem Cardinales dictis partibus, earumque Procuratoribus, & advocatis pluries auditis, dubijsq; emergentibus ad plenum discussis, & resolutis, comperto factis per eas ex compluribus literis Apostolicis, diuersisq; alijs documentis, rationibus, & probationibus, quod ipsi canonici fuerunt, & sunt de illis clericis à S. Augustino, quinianno à SS. Apostolis institutis, eodem canonicos

tam suae antiquae institutionis huiusmodi, quàm etiam dignitatis clericalis, qua eos statim, quod professionem emittunt, insignitos esse oportet, aliarumq; qualitatatum in eis existentium ratione, dictamq; illorum congregationem Lateranensem, praefatos Monachos, & eorum congregationem Cassinensem praecedere debere censuerunt &c. Pro quorum verborum intelligentia sciendum est, vt ex relationibus dictorum Cardinalium colligitur, totum pondus causae ad tria dubia redactum. videlicet an nostri Lateranenses essent verè de illis clericis à D. Augustino, siue à sanctis Apostolis institutis, & circa hoc dubium conclusum fuit affirmatiuè. Secundò an supposito, quod canonici Lateranenses essent verè de illis clericis à S. Augustino, & à sanctis Apostolis institutis, deberent praecedere monachos D. Benedicti; & conclusum fuit affirmatiuè, per iura in eisdem relationibus allegata. & haec fuerunt duo praecipua fundamenta, quibus nixus est Pius IV. in eadem sententia pro clericis Lateranensibus contra monachos ferenda, videlicet prioritas institutionis, & dignitas clericalis, quia ipsi canonici Lateranenses sunt clerici essentialiter, & non ex dispensatione, vel priuilegio, sicut monachi: & quod est tale per essentiam, debet praecedere illud, quod est tale per accidens, & ex dispensatione. Et hinc deducitur, omnes canonicos regulares, qui sunt verè de illis à D. Augustino, & à Sanctis Apostolis institutis, ratione prioris illorum institutionis, & etiam ratione dignitatis clericalis, quae illis per essentiam, & non ex accidenti inest, omnes Monachos praecedere debere: licet in dicta sententia de solis Lateranensibus mentio habeatur, quia à paritate & identitate rationis optimè inferur ad paritatem, & identitatem iuris. Processus totius causae cum allegationibus pro vtraque parte deductis, & relationibus Illustrissimorum DD. Cardinalium, & causae conclusionem cum sententia, & motu proprio eiusdem Pontificis typis editus est Cremonae an. 1567. apud Vincentium Comitem.

IV. **C**irca secundum dubium lis orta est primò in Concilio Constantiensi inter Abbatè canonicorum regularium de Crutzelingen prope muros Constantiae ex vna, & Abbatè monasterij in Petri domo ultra pontem Constantiae ordinis S. Benedicti ex altera, super iure praecedendi in dicto Concilio Constantiensi: quam litè primò Ioannes XXIII. Papa nuncupatus in dicto Concilio, postmodum verò Innocentius VIII. per sequens decretum in hunc modum terminauit. Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Prouisionis nostrae debet praeuenire subsidio, ut suum ius cuiuslibet conseruetur. Hinc est, quod nos tenorem quarundam literarum Concilij Constantiensis in registro ipsius Concilij reperitarum, pro eo quod sicut exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Abbatis, & Conuentus monasterij in Crutzelingen extra muros Constantiae Ordinis S. Augustini petitis continebat, ipsi eo indigere noscuntur, de verbo ad verbum transferri, & ad ipsorum supplicantium instantiam praesentibus annotari

notari fecimus, qui talis est. Sacrosancta, & Generalis Synodus Constantiensis ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit, & conuenit honestati, ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet tempore, quo Papatui praesuit, litera Apostolica super illis confecta non fuerint, suum consequantur effectum. Sanè dudum pro parte dilectorum filiorum Erardi Abbatis, & conuentus monasterij Crutzelingen. extra muros Constantiae Ordinis S. Augustini Baldasari, tunc Ioanni Papa XXIII. exposito, quod licet ipsius ordinis regularis institutio, ac eius per Apostolicam Sedem subsequens approbatio longè præcederent institutionem, & etiam per eandem sedem factam approbationem Ordinis sancti Benedicti, praefatusq; Abbas in Abbatialis dignitatis promotione directus Ecclesiae filium Ioannem Abbatem monasterij in Petri domo ultra pontem Constantiae dicti Ordinis sancti Benedicti longè præcesserit, necnon Abbas pro tempore existens supra dicti monasterij Crutzelingen. mitra, & annulo, caeterisq; Pontificalibus insignijs, & speciali privilegio Sedis eiusdem, cui non est in aliquo derogatum, uti, & gaudere ab olim consueuisset, quibus dictus Abbas monasterij Petri domus minime utebatur, seu gaudebat, ac eidem Abbati monasterij in Crutzelingen existenti pro tempore, ut Patri Abbati etiam alia plura monasteria dicti Ordinis S. Augustini in diuersis locis consistentia secundum eiusdem ordinis regularia instituta per sedem ipsam ex certa scientia approbata subessent, in quo, eorumq; personas degentes pro tempore in eisdem, ius seu superioritatem visitandi, corrigendi, & puniendi habere, & propterea Abbas, & Conuentus praedicti, necnon canonici eiusdem monasterij Crutzelingen, in quibuscunque actibus solemnibus, necnon processionibus generalibus, quae fierent pro tempore in ciuitate Constantiae, ac etiam in Generali Concilio Abbati, & monachis existentibus pro tempore, ac Conuentui dicti monasterij Petri domus praeferrari, atque in digniori loco, suae ordine collocari deberent. Tamen cum idem Ioannes Abbas, & Conuentus monasterij Petri domus contrarium asserentes, iactarent ex aliquibus confectis, & minus validis rationibus se in talibus ipsis Abbati, Canonicis, & Conuentui eiusdem monasterij in Crutzelingen. fore praeferrandos. quodq; timebatur ex hoc inter partes ipsius exoriri lites, iurgia, & scandala, quae forsitan de facili reparari non possent, ac pro parte dictorum Erardi Abbatis, & Conuentus monasterij Crutzelingen. eidem Baldasari tunc Pontifici humiliter supplicato, ut in praemissis de benignitate Apostolica salubriter prouideret. idem Baldasar tunc Papa desiderans pacem, & concordiam inter Abbatem, & Conuentum, ac Canonicos, & Monachos huiusmodi monasteriorum praefatorum perpetuo stabilire, huiusmodi supplicationibus voluit, & concessit videlicet 5. Calend. Decembris Pontificatus sui anno 5. quod Abbas existens pro tempore in Crutzelingen. praefato Abbati etiam pro tempore existenti in Petri domo praedictorum monasteriorum, necnon canonici in Crutzelingen. etiam existentes pro tempore monachis, similiter existentibus pro tempore in Petri domo monasteriorum praefatorum

tam illis, quam processionibus huiusmodi dicti Concilij Constantiensis, & quandiu illud duraret, quam etiam quibusdam alijs processionibus, congregationibus, necnon actibus solemnibus, & publicis, in quibus eos pro tempore. insimul conuenire contingeret, praeferrari, ac in locis dignioribus huiusmodi perpetuis temporibus collocari deberent. Non obstan. etiam quibuscunque priuilegijs, indulgentijs, & literis Apostolicis generalibus, & specialibus eisdem Abbati, & Conuentui Petri domus, ac ordinis S. Benedicti concessis quorumcunque tenorū existerent, per quae literis dicti Baldasaris tunc Papa, si super his confecta fuissent, non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediiri valerent quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda esset in eisdem literis mentio specialis. Ne autem pro eo, quod super voluntate, & concessione praefatae literae dicti Baldasaris tunc Papa, interim quod Papatui praesuit, confecta non fuerint, praedicti Abbas, & Conuentus, monasterij in Crutzelingen. voluntatis, & concessionis praedictarum frustreretur effectum, volumus, & tenore praesentium decernimus, quod voluntas, & concessio praedicta, a dicta die videlicet 5. Calend. Decembris perinde suum consequantur effectum, ac si litera dicti Baldasaris tunc Papa super illis sub ipsius diei datis confecta fuissent. Quodq; praesentes litera ad probandum plenè voluntatem, & concessionem praedictas, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae voluntatis, & constitutionis refringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datū Constantiae 16. Calend. Septembris, anno à Natiuitate Domini 1415. Apostolica sede vacante. Caeterum ut earundem literarum tenor praedictus insertus omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, Apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eandem vim, & eundem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quae habent originales literae supra dictae, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubiquecunque siue in iudicio, siue alibi, ubi fuerit exhibitus, vel ostensus, & eidem tenori firmiter stet in omnibus, sicut eisdem originalibus literis staretur, si forent exhibita, vel ostensa. Per hoc autem nullum ius cuiquam de nouo acquiri volumus, sed antiquum conservari tantummodo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Dat. Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1489. 5. Calend. Maij Pontificatus nostri anno quinto.

Quo tamen decreto non obstante eadem controuerfia denuo nascitur in Concil. Trident. inter Abbates congregationis Lateranensis ex vna, & Abbates congregationis Gassinensis ex altera, super eodem iure praecedendi. Quae res in causa fuit, ut in Catalogo Abbatū, qui eidem Concilio subscriperunt, nullus

ex nostris sit notatus, quod nostri de licentia Superiorum ad lites tollendas posteriori loco subscribere noluerunt. & istud fuit tertium dubium coram eisdem Illustrissimis Cardinalibus à Pio IV. delegatis propositum, & examinatum, & conclusum per eosdem Illustrissimos Cardinales, quod in tali casu seruarietor ordo, qui seruari in Abbatibus perperuis, & in Episcopis, vt nimirum attendatur antiquior promotio ad Abbatiam, vt habetur in cap. Episcopus 16. d. & cap. finali 75. d. & ita per eundem Pium IV. decisum fuit in dicta sententia in illis verbis: *Abbatibus verò dictarum congregationum Lateranensis, & S. Benedicti singulariter, & de per se, absque eorum conuentionibus &c.*

V. Verum circa huiusmodi sententiam, & decisionem aliud dubium suboritur, quod per illam non videtur plenè decisum, neque resolutum, an cum in congregatione Lateranensi non omnes Prælati monasteriorum sint Abbates, sed quidam Abbates, quidam Priores, alij Præpositi, alij verò Archipresbyteri, dicta sententia solos Abbates comprehendat, an verò ad cæteros etiam Prælatos extendatur. Nec desunt, qui velint, illam ad alios Prælatos etiam non Abbates extendi, quòd illi eandem in sibi subditos habeant auctoritatem, & iurisdictionem, quã habent Abbates in suis monasterijs. mihi tamen, saluo iudicio melius sentientium, distinguendum videtur de alijs Prælati canonicorum præter Abbates: nam alij sunt, qui ex priuilegio Pontificalium vsum obtinent, & sibi subditis primam tonsuram, & quatuor minores ordines conferre possunt, & alia munera, quæ Abbatibus ex priuilegio competunt, exercere; quales sunt Prior S. Frigidiani Lucensis, & S. Catharinæ Firmanæ, & S. Mariæ de Columna Cæsaraugustanæ, & Præpositus S. Crucis Mortariensis, & alij plerique. Alij verò sunt, qui eiusmodi priuilegio non gaudent. Si de Prioribus loquamur, puto sententiam Pij IV. ad illos posse extendi, ac debere, ita vt iuxta priorem promotionem ad huiusmodi Prioratum competat illis ius præcedendi Abbates posterius promotos. Primò quia huiusmodi Priores gaudent eisdem priuilegijs Abbatum. Ergo eodem modo præferendi sicut Abbates. Secundò, quia quando Ecclesia Lateranensis erat Regularis, Prior dictæ Ecclesiæ, quia habebat vsum Pontificalium, præcedebat omnes Abbates Urbis, vt notat Onuphrius in libro de septem Urbis Ecclesijs in Lateranensi: Eodè modo Prior sanctæ Mariæ de Columna Cæsaraugustanus præcedit omnes Abbates in Regno Aragoniæ, & Valentiniæ: similiter Prior S. Frigidiani, & Præpositus sanctæ Crucis Mortarij. Idem autem puto esse de alijs Prioribus habentibus similem vsum Pontificalium. Tertio, quia licet nunc dignitas Abbatialis sit maior dignitate Priorali, posteaquam Abbates facti sunt clerici ex priuilegio, tamen ab initio non erat sic, sed quilibet non solum Prior canonicorum, sed quilibet canonicus maior erat quolibet Abbate, vt est textus expressus in cap. à Subdiacono 93. d. nam quilibet ostiarius præcedebat Abbatem. quare quod nunc Abbates præ-

cedant Priores canonicorum, id non habent ex natura, sed ex priuilegio. Ergo vbi Priores habent eadem priuilegia, quæ habent Abbates monachorum, censendi sunt pares ipsis Abbatibus, immo superiores, propter dignitatem clericatus, quæ canonicis inest essentialiter, monachis verò non nisi per accidens, & ex dispensatione. Si autem loquamur de alijs Prioribus, vel Prælati similia priuilegia non habentibus, puto ius præcedendi Abbates illis minime conuenire, quod ius à priuilegio deriuat.

VI. Circa eundem articulum alia controuersia exoritur in casu, quo canonici regulares non Abbates, neque Prælati cum monachis non existentibus Abbatibus, neque Prælati sine Capitulis deper se conueniunt, an præcedere debeant canonici, an monachi. quæ controuersia nonnullis ab hinc annis excitata Patavij in congregatione Sapientia nuncupata, in qua vnus ex nostris canonicis Lateranensibus, & vnus ex monachis Cassinensibus conuenerant, per S. Congregationem Illustrissimorum Dominorum Cardinalium super causis Regularium habito verbo cum Sanctissimo per hoc decretum fuit terminata.

Cum superioribus diebus, die videlicet 4. Augusti presentis anni 1603. S. D. N. Clemens Papa VIII. in Congregatione Illustrissimorum DD. Cardinalium super negotijs Episcoporum, & Regularium, & ex voto eiusdem congregationis super controuersia inter canonicos regulares Lateranenses, & monachos S. Benedicti congregationis Cassinensis orta, occasione precedentis in congregatione nuncupata Sapientia, qua in ciuitate Patavij celebratur coram Episcopo, interuentibus in eorum ex Canonicis, & vno ex Monachis predictis, mandauerit obseruari sententiam alias inter eosdem canonicos, & monachos latam à fel. rec. Pio Papa IV. prout iacet. Cumque deinde alia noua differentia in eadem congregatione Patavina inter eosdem orta sit, prætendens monachus Cassinensis, vt non solum canonicus regularis Lateranensis (ad hoc vt iuxta dictam sententiam sit præferendus, & anteponeendus in digniori loco) teneatur dimittere superiorem vestem palli, seu cappam nigram, sed etiam induere super linea veste, quam rochetum vocant, aliud superpelliceum lineum, vulgo cottam nuncupatum, quemadmodum solet fieri ab ipsis canonicis regularibus in publicis processibus. Eadem Sacra congregatio negotio maturè discusso declarauit, sufficere, vt ipsi canonici regulares Lateranenses in omnibus actibus publicis, & priuatis, & sic etiam in eadem congregatione Patavina, remaneant (dimissa tantummodo superiori veste nigra) in linea veste, videlicet in rochetto, absque alio superpelliceo, & tunc intelligantur esse in habitu clericali iuxta eandem sententiam Pij IV. & ita obseruari mandauit. Roma die prima Septemb. 1603.

VII. Ad id, quod ante illud decretum eandem controuersiam terminauerat Pius V. per suum motum proprium anno 1570. 10. Calend. Ianuar. emanatū, quo decreuit, & declarauit, omnes, & singulos canonicos nostræ congregationis in omnibus proces-

processionibus, & alijs actibus publicis, ac etiam priuatis primum, & digniorem locum super omnes Regulares tenere immediatè post clericos seculares, forma prædicti motus proprii talis est.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum ex ordinum uniuersitate, qui in Dei Ecclesia reperiuntur, illa castrorum aciei comparetur, illius autem gubernium Rom. Pont. B. Petri uero successori sit demandatum, mirum nemini uideri debet, si ille cura sibi diuinitus commissa inuigilans, cuilibet quod suum est, benignè concedendo, & quæ clara etiam sui ipsorum natura sunt, ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, opportuna declarationis, ac nouæ concessionis remedio consolidat, ut quibusuis sublatis obstaculis, quilibet pacis amoenitate frui liberè possit, ac scandalorum occasio penitus tollatur. Cum itaque sicut accepimus, dilecti filij uniuersi canonici regulares Ordinis S. Augustini congregationis Lateranensis, qui ab Apostolis originè traxerunt, quique ab eodem S. Augustino eorum reformatore iterum per reformationis uiam mûdo geniti meritò prætereundè possunt, se omnes alias personas Ecclesiasticas tam seculares, quàm regulares in processionibus, & alijs actibus publicis præcedere debere. Cum tamen nõ liceat membra à capite separare, sed tamen eis locum debitum assignare, ipsorumq; indemnitati, ut sine populi scandalo in publicum prodire, exemploq; potius cæteris Christi fidelibus esse possint, consulere uolentes, atque omnium, & singularum litium, quæ forsitan super præmissis exortæ sint, aut exoriri quoquo modo possint, status, & merita, nominaq; & cognomina Iudicum, & colligantium præsentibus pro expressis habentes. Motu proprio, non ad dictorum canonicorum, uel alicuius alterius pro eis super hoc nobis oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, & de Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulos canonicos prædictos ubicunque locorum existentes, quos deinceps processionibus, & alijs actibus publicis, uel priuatis interesse contigerit, statim ipsum clerum secularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo præcedunt: dum uerò præcedendo præcedunt, illi immediatè sequi debere, autoritate Apostolica per præsentis declaramus. ac insuper in omnibus locis, in quibus talis uiget consuetudo in processionibus, ut dicti, clerici non exempti præcipuè quando canonici alicuius Ecclesiæ Cathedralis paramenta Ecclesiastica induunt, ut cultus diuinus magis uigeat, ac ut Sanctissimũ Corpus Christi, seu alia reliquia, quæ processionaliter deferuntur, decentiùs, & honorificentius associantur: aut quando hoc ipsius Ordinarij mandato continget, ipsi canonici similiter, ac illi plunialia, planetas, tunicellas, & alia paramenta super eorũ clericalem habitum deferre, necnon pro Cruce associanda quacunque luminaria deferre liberè, & licitè possint, statuiamus, & ordinamus. Districtius inhibentes quibusuis locorum Ordinarijs, etiamsi Patriarchali, Prouinciali, Archiepiscopali, Episcopali, aut alia dignitate præfulgeant, sub excommunicationis maioris, & indignationis nostræ pœna, ne eosdẽ Canonicos, seu aliquem eorũ molestare, aut præmissa quouis

modo declarare, uel interpretari audeant. Decernentes, presentes literas nullo unquam tempore subreptionis, uel obreptionis uicio, aut intentionis nostræ, uel quopiam alio defectu etiam ex eo, quod locorũ Ordinarij, aut alij forsitan interesse habentes uacati nõ fuerint, aut nullitatis notari, imputari, inuaidari, ad terminos iuris deduci, in ius uel controuersã uocari, causamq; uel causas, quare præmissa à nobis emanauerint, uerificandũ nullatenus teneri, nec ob id uiribus carere, minusq; sub quibusuis similibus, uel dissimilibus gratiarum reuocationibus, sustentationibus, limitationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus comprehendendi: sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinũ statum restitutas, repositas, ac plenariè reintegratas, etiã sub Dat. per ipsos Canonicos eligenda esse, sicq; ab omnibus censi. Et ita per quoscunque Iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, & ipsosmet Ordinarios, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & autoritate iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane, si secus super his à quocũque quauis autoritate scienter, uel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filijs d. Congregationis Protectori, seu eius Viceprotectori, & causarũ Curia Cam. Apost. Generali auditori, ac Vicario Ven. fratris nostri Episcopi Laudens. in spiritualibus generali per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, uel duo, aut unus eorũ per se, uel aliũ, seu alios, presentes literas, & in eis contenta quacunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte canonicorum prædictorum, uel alicuius eorũ fuerint requisiti, solemni ter publicè, illisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant autoritate nostra eosdẽ Canonicos, illorũq; singulos præmissis omnibus, & singulis uel presentium contentia, & tenore pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos, seu eorũ aliquẽ de super per quoscunque in debite molestari, perturbari, & inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parètes per censure, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, illas censure, & pœnas ipsas incurrisse declarãdo, necnõ eas etiã iteratis uicibus aggravando, inuocato etiã ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstant. fwl. rec. PP. Bonifacij prædecessoris nostri, etiã qua caueatur, ne quis extra suam Ciuitatẽ, uel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & illis ultra unã dietam à fine suæ dioc. ad iudiciũ euocetur, seu ne iudices à Sede Apost. deputati extra Ciuitatẽ, uel diocesim in quibus deputati fuerint, cõtra quoscunque procedere, aut alij, uel alijs uices suas committere præsumãt, ac de duabus dietis in consilio generali edita, dummodo ultra tres dietas quis uigore presentium ad iudiciũ non trahatur, ac alijs Apostolicis in Prouincialibus, ac Synodalibus Concilijs editis specialiter, uel generaliter constitutionibus, & ordinationibus, ac etiã iuramento, confirmatione Apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiã immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusuis Ecclesijs, Congregationibus,

Capitulis, Collegijs, monasterijs, & alijs locis, eorumq; superioribus, & personis sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, irritantibusq; , & alijs decretis, motu, scientia, & potestate similibus, etiam consistorialiter concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma illis tradita obseruata, inserti forent eisdem presentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alijs in suo robore permansuris; hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus. Contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel diuissim ab Apostolica sit Sede indultum, quod in eerdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1570. 10. Calend. Ianuarij, Pontificatus nostri anno 5. CC. Alp. Dia. Io. de Monsoi. pro comp. G. Deldado. V. Macaran. Alex. Peregrinus. A. Canitranen. Ru. Bonifolus. C. Marb. à tergo in calce registratum in Cam. Apost. lu. Mandosius.

VIII. **C**irca tertium articulum seu dubium, an canonici regulares præcedere possint, & debeant canonicos siue clericos seculares, difficultas oritur, quia pro parte negatiua facit, quod membra suum caput sequuntur, vnde cum clerici seu canonici seculares habeant caput dignius, qui est Episcopus, qui omnes clericos siue regulares, siue seculares antecedit, etiam seculares suum caput sequentes, clericos regulares præcedere debebunt. Verùm pro contraria parte affirmatiua facit antiquitas illorum institutionis, & clericatus, qui per se illis competit: nam canonici regulares sunt essentialiter clerici, & sic quoad hoc, pares sunt ipsis clericis secularibus. Sunt autem quoad institutionem priores, & antiquiores clericis secularibus: quia omnes clerici ab initio erant regulares, & clerici seculares orti sunt ex regularibus, vt supra in principio huius secundi libri deduximus. Ergo canonici regulares sunt præferendi. iuxta regulam vulgatam. Prior tempore potior in iure, & alia superius hoc eodem libro cap. 30. notata. Et confirmatur ratio: quia sicut nullus ex propria malitia debet commodum reportare, ita nullus perseuerans in bono statu debet fieri deterioris, & inferioris conditionis: canonici autem regulares permanent in bono statu clericorum primitiuæ Ecclesiæ. ergo non debent fieri deterioris, & inferioris conditionis à clericis secularibus, qui ab illo statu descuerunt. Confir-

matur secundo, quia de facto canonici regulares sanctæ Mariæ de Columna Cæsaraugustanæ per sententiam latam in Generalibus Regni Aragoniorum comitijs supra cap. 30. recitatam, & ex antiqua consuetudine omnes canonicos, & clericos seculares totius Regni Aragoniorum, exceptis Metropolitanis Ecclesiæ Cæsaraugustanæ præcedunt; & cum ipsis Metropolitanis pares incedunt in publicis processionibus, & alij etiam in alijs Ciuitatibus canonicos seculares præcedere consueuerunt. Immo Pius V. in motu proprio nunc recitato fatetur, ipsos canonicos regulares meritò præterdere posse omnes alias personas Ecclesiasticas tã seculares, quàm regulares in processionibus, & actibus publicis præcedere debere. In hac controuersia, in qua hinc inde sunt validissimæ rationes, mei non est articulum definire, sufficitq; dubitandi rationes attigisse: optimum autem erit, vniuscuiusque iura, & laudabiles consuetudines locorum cum moderamine inculpatae tutelæ vnumquodque collegium pro viribus tueri.

Caput septuagesimumsecundū.

Canonicos Regulares sine speciali dispensatione obtenta à Sede Apostolica, cū sola licentia suorum Superiorum Regularium, posse beneficia secularia, etiam in titulum obtinere.



Aliud caput, ex quo canonici I. ordinis dignitas, & eminentia dignoscitur, est capacitas, siue aptitudo ad quæuis beneficia etiam secularia tum regenda, tum in titulum obtinenda, quæ canonicis regularibus inest ex vi illorum professionis absque aliqua speciali Sedis Apostolicæ dispensatione, vel concessione. de qua nunc consequenter aliquid breuiter dicturus, ante omnia præmitto, beneficia Ecclesiastica esse in duplici differentia, nam alia sunt, quæ habent annexam curam, & regimen animarū, quæ vulgò Curata nuncupamus: alia, quæ tale regimen adiunctum non habent, quæ idcirco vocantur beneficia simplicia. quæ tamen sunt in duplici differentia: nam alia sunt, quæ vocantur dignitates, vel quæ dignitatem adiunctam habent, vt Archidiaconatus, Præposituræ, Decanatus, & similiū in Ecclesijs Cathedralibus, siue Collegiatis: alia verò, quæ neque sunt dignitates, neque dignitatem adiunctam habent, vt simplices canonicatus, cappellanæ, & id genus, & quoniam non eodem modo de omnibus antedictis generibus beneficiorum loquuntur Doctores: ideo distinctè de singulis generibus dicendum erit. & Primò quod spectat ad beneficia, quæ animarum secularium curam, & regimen adiunctum habent, resolutè dicendum est, canonicos regulares de iure communi absque speciali

speciali dispensatione Sedis Apostolicæ habita licentia à suis Superioribus regularibus, posse ad huiusmodi beneficia secularia admitti, & promoueri. Hæc assertio, quæ verissima est, probatur primò ratione demonstratiua deducta ex ipsamet natura institutionis, & ordinis ipsorum canonicorum regularium, quæ sola benè inspecta, sufficit non solum ad hanc veritatem in meridiana luce collocandam, verum etiam ad omnes cauillos soluendos, quos Scioli quidam nouiter excogitauerunt. nam canonici regulares essentialiter sunt clerici, & de veris, & antiquis clericis à sanctis Apostolis ad regendas Ecclesias institutis, immò in ipsis canonicis regularibus nobilius viget, ac splendet institutum canonicorum clericorum, qui ab Apostolis, & illorum successoribus ad regendas Ecclesias, & animarum curam gerendam fuerunt instituti. Ergo canonici regulares ex vi illorum institutionis, & ex intrinseca natura æquè sunt capaces regiminis omnium Ecclesiarum, & animarum secularium, sicut quiuis clericus secularis. Hanc rationem insinuauit Diuus Thom. in 2. 2. quæst. 189. art. 8. ad secundum ponens hoc discrimen inter canonicos regulares, & monachos, quòd canonici regulares per se sunt instituti, & ordinati ad ea, quæ aguntur in diuinis mysterijs, & ideo per se illis competit, vt sint clerici religiosi, ad quæ per se non sunt ordinati monachi, & ideo illis per se non competit, vt sint clerici, sed solum ex accidenti. Declaratur eadem ratio, & roboratur.

In primitiua Ecclesia omnes Ecclesiæ siue curam animarum habentes, siue non habentes, regebantur per canonicos regulares, quia nulli alij præter illos erant clerici in Ecclesia Dei, vt ex dictis in principio huius libri apparet. Ergo etiam modò sùt capaces regiminis Ecclesiarum, quæcunque illæ sint, quemadmodum & tunc erant. Sequela patet, quia nemo perseverans in bono statu debet per hoc fieri deterioris conditionis, sicut nemo, in eo, quod malè facit, debet fieri melioris conditionis, vt dicitur in l. non solum. ff. de noxialibus actionibus. Ergo canonici regulares, qui perseverauerunt in bono statu clericorum apostolicorum, non sunt effecti deterioris conditionis, neque minus capaces cuiuscunque regiminis animarum, & Ecclesiarum, quàm essent tempore Apostolorum, & in primitiua Ecclesia. Neque clerici seculares, per hoc, quòd perfectionem vitæ regularis primorum nascentis Ecclesiæ clericorum abiecerunt, facti sunt magis apti, & idonei ad curam animarum gerendam, quàm illi qui in bono statu permanserunt.

II. **C**onfirmatur autem ratio ex vsu, qui rem dubiam declarat. ante exortas congregationes reformatas, quæ nunc cernuntur in Ecclesia, certum est, maiorem partem Ecclesiarum, siue cathedralium, siue non cathedralium per canonicos regulares regi consueuisse, cum omnes ferè cathedrales, & parochiales in Italia, Galliis, Hispanijs, Anglia, Hybernia, & Germania essent regulares. post exortas verò reformationes, & congregationes reformatas in tantum abfuit, vt Episcopi, & Romani

Pontifices censuerint canonicos regulares effectos incapaces talis regiminis Ecclesiarum etiam secularium, vt certatim innumeras parochiales illis regendas tradiderint, quin immo à secularibus eas auferentes, perpetuo ipsorum regularium regimini subdiderint, vt patet de nostra Lateranensi, de Frigidiana, de Mortariensi, & alijs Italicis, quæ plurimas adhuc parochiales ab aliquo tempore sibi collatas retinent. Idem patet de congregationibus Gallicanis, nam congregatio s. Rufi, & s. Laurentij de Vltio, siue de Plebe Martyrù còplures parochiales habebat, quarum multas adhuc retinet, vt patet ex illarum priuilegijs supra narratis, idem verò de reliquis dicendum. Nec obstat, quòd Scioli quidam dicant, has parochiales per vnionem ex secularibus effectas fuisse regulares. isti enim sic dicentes, nodum difficultatis, & vim rationis non attingunt: nodum enim difficultatis est positus in hoc, an canonicus regularis ex sua institutione sit aptus ad regimen animarum personarum secularium, nam si est aptus, tam potest regere parochias, quæ non sunt vnitæ suo ordini, quàm quæ sunt vnitæ: etsi enim parochia per hoc, quòd vnitur monasterio, dicatur fieri regularis ex parte Rectoris, non tamen fit regularis ex parte eorum, qui reguntur: nam Parochiani ita sunt seculares in parochijs vnitis monasterijs, & quæ reguntur per regulares, sicut in parochijs, quæ non sunt vnitæ, & reguntur, per seculares. quare si canonico regulari repugnat regimen animarum, æquè repugnat regere parochias suo monasterio vnitas, sicut repugnat regere non vnitas: & si non repugnat regere vnitas, nec etiam repugnat regere non vnitas. Quod adhuc magis explicatur, nam quia monachis ex vi illorum institutionis non conuenit regimen animarum, cap. Monachus, & cap. Alia 16. quæst. 1. quia monachi est doceri, & pasci, non docere, & pascere, vt ibi dicitur: ideo Ecclesiæ parochiales eorum monasterijs vnitæ, non reguntur per monachos, sed per clericos, ab ipsis tamen monasterijs deputandos, vt tradunt Doctores post text. cap. Monachi, cum glossa. de statu monachorum, ne singuli per villas, & oppida vagentur, vt ibi dicitur, in text. & est textus expressus in cap. 1. de capellis monachorum, qui est acceptus ex Concilio Claramont. sub Urbano Secundo. Ergo è contrario canonici regulares, quia ex vi illorum institutionis sunt idonei ad regimen animarum, æquè præfici possunt Ecclesijs non vnitis, sicut præficiuntur vnitis. & ita conceptis verbis videtur dicere Innocentius Tertius in cap. Quod Dei timorem, de statu monachorum, vbi inquit, quòd licet in Concilio Lateranensi cautum sit nè monachi singuli per villas & oppida per quascunque parochiales ponantur Ecclesias, hoc tamen non prohibetur canonicis regularibus, qui regulæ inseruiunt laxiori.

Tertio principaliter probatur eadem veritas III. per textum expressum proximè allegatum in dicto cap. Quod Dei timorem, vbi Summus Pontifex hunc casum in terminis resoluit. cum enim quæsitum fuisset, an Plebanus sancti Gauini, qui de

sua conuersione promissionem fecerat in manibus Prioris sancti Victoris Bononiensis ordinis canonicorum regularium, posset post emissam professionem Plebanatum retinere, Pontifex affirmatiue respondit, dictum Plebanum licite posse in suo Plebanatu, & regimine animarum manere, dummodo si fieri posset, vnum socium sui ordinis haberet, quia licet sit interdictum monachis, ne singuli præficiantur Ecclesijs parochialibus, hoc tamen non est vetitum canonicis regularibus, quia regulæ inseruiūt laxiori. vbi vides, aptitudinem canonicorum regularium ad regendas parochiales in natura, & essentia illorum regulæ, ac instituti fundari, & textus est clarus, peruius, & ad hoc propositum ponderatus, & allegatus ab Abbate ibidem, & à Dominis Auditoribus Rotæ Romanæ in decisionibus statim subiiciendis.

Dicetur, Pontificem non concedere, quod canonicus regularis post emissam professionem possit beneficium seculare obtinere, sed solum permittere, vt qui antea seculare beneficium habebat, possit profiteri, & illud retinere. Verum hoc nihil refert, cum sint paria, retinere beneficium prius habitum post emissam professionem, & nouum adipisci. Immo ex hoc textu colligitur euidenter, clericum secularem habentem beneficium curatum posse religionem canonicorum regularium ingredi, & profiteri, retento nihilominus beneficio seculari, accedente tamen consensu sui Superioris regularis, ac etiam Episcopi, in cuius diocesi est beneficium, quod licet videatur nouum, habetur tamen ex dicto textu, vt legenti patebit.

IV. **Q**uartò probatur eadem assertio alia euidenter ratione, quia vnicuique licitum est, quod ei per nullum ius prohibetur, neque per aliquid ei repugnat: sed canonico regulari, dummodo habeat sufficientem doctrinam, & vitæ probitatem, & licentiam à suo prælato regulari, ex nullo capite repugnat assumi ad regimen animarum personarum secularium. Quod probatur inductione, nam primò hoc illi non repugnat ex natura sui instituti, quia canonici regulares per se sunt clerici, & ex primaria illorum institutione ad Sacramenta populis ministranda, verbum Dei prædicandum, & populum Dei pascendum, & regendum instituti, cum illi fuerint primi Ecclesiarum Rectores in Ecclesia Dei per sanctos Apostolos, & illorum successores constituti, ac ordinati. vt sæpè dictum fuit, non etiam repugnat illorum instituto, quod soli per villas, & oppida discurrat occasione regiminis animarum, sicut repugnat monachis, quia canonici regulares inseruiunt regulæ laxiori, vt dicit text. qui consultò hanc repugnantiam sustulit in dicto cap. Quod Dei timorem. Secundò non repugnat eisdem canonicis regularibus tale regimen ex vi illorum professionis, tum quia non repugnat post emissam professionem manere in regimine parochialis antea habitæ ex dicto cap. Quod Dei timorem. Ergo non repugnat post emissam professionem nouam parochialem obtinere: tum quia nonnulli canonici

regulares in eorum professione conceptis verbis hoc exprimunt, præsertim nostri Lateranenses: nam in forma nostræ professionis, quæ habetur lib. 1. nostrarum Constitutionum cap. 42. hoc formalia verba exprimuntur: *Et quod nunquam absque licentia Capituli Generalis, vel eius auctoritate fungentis aliquod cum cura, vel sine cura beneficium acceptabo inuis, vel extra ordinem nostrum. renunciando omnibus iuribus, & priuilegijs, & consuetudinibus in contrarium mihi competentibus, vel quomodolibet competentibus.* Et hac forma profitendi semper vsi sunt nostri canonici ab initio nostræ reformationis vsque in præsens, vt videri potest in antiquis Constitutionibus ante annos 180. editis, quarum exemplum in Pergameno per ea tempora scriptum habeo. quod indicat, hunc modum profitendi apud nostros esse vetustissimum. Tertio non repugnat eisdem canonicis regularibus tale regimen ex qualitate ipsius regiminis; quia regimen animarum secularium solum requirit, ac postulat, vt Rector sit clericus, habens sufficientem scientiam, & bonam conscientiam: hæc autem omnia cæteris paribus supponuntur nobilius inesse clerico regulari, quam seculari, sicut status clerici regularis est perfectior, & excellentior statu clericorum secularium. Immo de facto, & per experientiam videmus hæc tria perfectius, & nobilius inesse clericis regularibus, quam secularibus. nam quod spectat ad clericatû, clerici seculares eatenus dicuntur clerici, quatenus communicant, & participant de regularitate, vt notat Glossa, & cum illa Abbas cap. licet, de officio Ordinarij: & clerici instituti ab Apostolis in primitiua Ecclesia sunt clerici regulares, non seculares, qui postea ex regularibus sunt exorti per relaxationem. Vterius quod spectat ad scientiam, nulli dubium est scientiam necessariam ad regimen animarum cæteris paribus, longè nobilius, & abundantius inesse clericis regularibus, quam secularibus. nam vt de cæteris taceam, ex nostris Lateranensibus saltem duæ partes ex tribus sunt vel Doctores, vel Licentiati in Sacra Theologia. puto autem omnes alios nostris longè doctiores esse, & meliores. Deinde cum oporteat Parochum idoneum esse ad verbum Dei suis subditis prædicandum, certum est etiã, & vtinam ita non esset, pro vno clerico seculari mediocriter idoneo ad munus prædicationis, centum clericos regulares aptissimos in claustris reperiri, quos quotidie oportet à claustris ad Ecclesias cathedrales, & ad alias parochiales ad supplendum defectû scientiæ clericorum secularium, ad verbum Dei prædicandum exire. Oportere autem Parochos sufficientem scientiam ad munus prædicationis legitime exercendum habere, res nota est adeo, vt propter huiusmodi scientiam antiqui Canones ipsos monachos ad regimen animarum idoneos censuerint, quod expressè notauit Innocentius Tertius in dict. cap. Quod Dei timorem, de statu monachorum. Demum clericis regularibus cæteris paribus, inesse meliorem conscientiam, negari non potest nisi ab homine prorsus ignorante, quid interfit inter

ter statum vitæ regularis, & secularis. quod ne quis ex partium studio ad concitandam inuidiam describere arbitretur, referam pulchram sententiam venerabilis, & sancti viri Iuonis Carnotensis, de hac ipsa re scribentis aduersus Episcopum Lemouicensis epist. 93. *Quantum intellexi, inquit, ex literis ex vestra parte mihi nuper oblati, grauiser fert vestra fraternitas, quod Lemouicensis Episcopus in Synodo agens interdixit omnibus regularibus clericis, & regimen parochiarum, & confessionem Pœnitentium. qui rectius quidem fecisset, se omnes Sacerdotes ad regularem vitam inuitasset, quàm regulariter viuentes à Dominicanorum omnium custodia penitus remouisset, quibus tantò plus displicet aliena malitia, quansò longiùs discesserunt à sua: Hæc ille, quæ vellem ponderarent nonnulli, qui sub prætextu pietatis, magnum se aliquid in Ecclesia Dei molituros arbitrantur, si iura regularium imminuendi novos modos meditentur, & Superioribus exequendos proponant.*

V. **Q**uintò probatur eadem assertio ex Sacro Concilio Tridentino sess. 14. de Reformatione cap. 11. vbi prohibet, canonicum translatum assumi ad beneficium seculare etiam curatum. nam à contrario videtur innuere, non translatum posse assumi ad talia beneficia, & ita istum textum intellexit, & adduxit Rota in Decisionibus statim adducendis.

Sextò probatur per Decisionem Dominorum Auditorum Rotæ, in quadam Papiensi iurispatronatus sub Seraphino Razalio die 6. Martij 1598. quæ talis est. *Fuit quaesitum an canonico regulari cum licentia Superioris possit prouideri de beneficio curato seculari, & fuit conclusum posse per text. in cap. Quod Dei timorem. de statu monachorum, & ibi Abb. in sum. de statu monachorum, idemque videtur sentire sacrum Concilium Tridentinum cap. 11. sess. 14. dum vult, canonicum regularem translatum ad alium ordinem, non esse capacem beneficii secularis Curati: Tamen tunc innuere videtur, non translatum esse capacem: Idem voluit Rota decisione 5. de Iure patronatus in nou. quidquid sit de alijs monachis quia isti habent regulam laxiorem. Egid. decis. 751. ante fin. Frederic. cons. 136. Roch. de Iure patro. in verba honorificum, quest. 5. num. 13. Proposit. in cap. Priscus num. 4. distinct. 56. Sylua de benef. part. 4. quest. 70. ver. aut est curata Nauar. cons. 9. de præben. Lambert. lib. 2. par. 1. art. 19. 7. quest. principali, cum alijs, & tenuit Rota referente Guidobono decis. 96. cui decisioni circa illam art. An requiratur dispensatio Episcopi, vel sufficiat licentia sui Superioris, magis est standum, quàm decis. 85. part. 1. Caputaq. cum Guidobonus fuerit relator illius cause, & ita per Dominos conclusum.*

VI. **T**andem posset eadem sententia confirmari innumeris exemplis collationum, quæ olim factæ sunt, & nostris etiam temporibus fiunt ab Episcopis sine alia dispensatione, solum habita licentiâ à Superioribus Regularibus, ex quibus vnum referam sanctum Carolum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

Cardinalem, & Mediolani Archiepiscopum, qui ann. 1584. Domnum Theophilum de Varisio canonicum nostræ congregationis cum sola licentiâ obrenta à Rectore Generali admisit ad concursum Ecclesiæ parochialis sancti Remigij Vicemodroni, & idoneum reperimentum ad illius regimen promouit, vt videri potest ex literis collationis dictæ Ecclesiæ eidem Domno Theophilo factæ, quæ referuntur in libro Indultorum nostræ congregationis fol. 628. quas hoc loco ad futurorum memoriam subiicio.

Audoenus Ludouicus I. V. D. vtriusq; Signatura sanctissimi D. N. Referendarius Archidiaconus Cameracensis Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Caroli tit. sanctæ Praxedis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Archiepiscopi sanctæ Ecclesiæ Mediolanen. Vicarius Generalis. Dilecto nobis in Christo Reuer. Don Theophilo Varisio de Triuiglio canonico regulari congregationis Lateranensis salutem in Domino. Inter cetera, quæ pro iniuncti nobis officij debito prestare cupimus, illud præcipue nobis cordi est, vt parochialibus Ecclesijs, quibus de Rectoribus per nos prouidendum est, tales præsciamus, qui officio, & ministerio cura animarum, quod omnium grauissimum est, laudabiliter satisfaciant. Cum itaq; sicut accepimus, parochialis Ecclesia sancti Remigij Vicemodroni Pleb. Secrai Mediolanen. Diœcesis, quæ alias ven. Presbyter Ioannes Bonarotus illius vltimus possessor obtinebat, per resignationem eiusdem Ioannis in manibus nostris sponte, & liberè factam, ac per nos admissam nuper vacauerit, & ad præsens vacet, nos eidem Ecclesiæ, ac animabus illi subditis de idoneo Rectore prouidere volentes, tibi facultatem à Reuer. Generali tuo suscipiendi beneficia Ecclesiastica etiam in hac diœcesi habenti, qui à Reuerendis Patribus examinatoribus in Synodo Diœcesana Mediolanen. deputatis in concursu iuxta Sacri Concilij Tridentini præscriptum examinatus, moribus, & doctrina ad hanc parochialem Ecclesiam regendam, eiusq; curam per te ipsum gerendam idoneus nobis renunciatus fuisti, & quem nos ipsi præ cæteris, qui ad eandem idonei nobis renunciari fuerunt, delegimus, parochialem Ecclesiam prædictam cum illi forsitan annexis, ac omnibus iuribus, & pertinentijs suis vniuersis conferimus, & assignamus; deq; illa te coram nobis propter hoc flexis genibus humiliter constitutum, & acceptatam per birreti capiti tuo impositionem inuestimus. Quo circa vniuersis, & singulis personis Ecclesiasticis, Notarijsq; ac Tabellionibus publicis ciuitatis, & diœcesis Mediolanensis in virtute sanctæ obediencie, ac sub pœnis, & censuris contra inobedientes Superiorum mandatis à iure inflictis, & arbitrio nostro infligendis per præsentem præcipimus, & mandamus, vt cum pro parte tua vigore præsentium requisiti fuerint, vel eorum aliquis requisitus fuerit, ad ipsam parochialem Ecclesiam personaliter accedere, itq; vel procuratorem tuum pro te in corporalem, realem, & adualem possessionem parochialis prædictæ, ac omnium illi annexorum, iuriumq; & pertinentiarum prædecessorum seruatis seruandis inducans, autoritate nostra, & defendans inductum, amoto exinde quolibet

bet illicito detentore, quem nos etiam harum serie amouemus, & denunciamus amotum. fideiabilibus vero, colonis, & alijs arrendatarijs de parochialis predicta, ac omnium illi annexorum, iuriumq; & pertinentiarum predictorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, & obuentionibus uniuersis integrè tibi, vel procuratori tuo legitime debito tempore respondeant, ac ab alijs quantum in se fuerit, responderi faciant. In quorum fidem presentes manu nostra signatas, & per infrascriptum Cancellarium Archiepiscopalem subscrip-
 ptas, sigilloq; Archiepiscopali sancti Ambrosij munitas fieri iussimus. Dat. & act. Mediolani in Palatio Archiepiscopali, anno à Natiuitate Domini 1584. 4. Idus Ianuarij, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuina providentia Papæ Decimi tertij ann. 12. Præsentibus hinc inde D. Io. Andrea Pionnio Sac. Theologiae Doctore, & D. Io. Petro Gluffiano Doctore, testibus idoneis ad præmissa omnia, & singula vocatis, atque specialiter rogatis.

VII.

Nec obstat, quod in contrarium scribit Stephanus Quaranta in suo Bullario in verbo Canonicus regularis, hodie nullos regulares, etiam si sint canonici, habere posse sine dispensatione Apostolica beneficia curata, nec in perpetuum, nec ad tempus, & ita in praxi obseruari, vt testatur D. Hieronymus Gonzalez in Comm. ad Reg. Canc. gloss. 7. num. 53. referens etiam declarationem congregationis Sacri Concilij Tridentini videlicet: *Sanctissimus D. N. Gregorius XIII. noluit licere canonicis regularibus congregationis Lateranensis etiam de licentia suis Generalis, absq; permissu Summi Pontificis, assumere curam animarum etiam ad tempus; multoq; minus beneficium curatum ad tempus.* Primò quia cum hic autor. ex sola relatione D. Hieronymi Gonzalez hæc scripserit, non maiorem fidem sibi conciliare potest, quam habeat idem autor principalis. Verum ipse D. Hieronymus Gonzalez in posteriori editione de veritate melius doctus, & certioratus, priorem sententiam retractauit, & mutauit, in fauorem eorundem canonicorum. scribens dicta glossa 7. num. 55. vers. cæterum. Vnde Stephanus Quaranta, qui errantem secutus est, debet etiam sequi emendantem sententiam, & corrigentem. Secundò quia falsum est, ita in praxi obseruari: nam licet sint nonnulli regulares ita infensi, vt magnum se obsequium Deo præstare arbitrentur, si aliquam viam regulares insequendi nanciscantur: tamen plurimi sunt Ecclesiarum Præsules, qui regulares probos, & doctos summo amore, fauoribus, & beneficijs prosequuntur, quos velent si possent, omnes in suis Ecclesijs collocare, quippe qui optimè perspectum habent, quantum adiuuenti præstent ipsi regulares ad regendas Ecclesias, verbum Dei prædicando, legendo, docendo, confessiones audiendo, & cætera id genus præstando, & defectus clericorum secularium supplendo, quos etiam ad regimen animarum in suis Ecclesijs adiuuant. Tertio quia Sacra Congregatio Concilij Tridentini contrarium hoc pacto declarauit anno 1602. *Congregatio Concilij censuit, decretis*

eiusdem Concilij canonicum regularem non prohibent obtinere beneficia curata secularia, nisi fuerit ex ijs translatis, de quibus habetur Decreto cap. 11. sess. 14. Quarto quia quod additur, sanctissimum D. N. Gregorium Decimum tertium noluisse licere canonicis regularibus congregationis Lateranensis &c. nunquam fuit promulgatum, quod probatur primò quia non fuit vsui demandatū, & contrariū est practicum. Secundò quia sanctus Carolus Borromeus, qui Gregorio Decimotertio Synchronos fuit illud non ignorasset, & non contempsisset: & tamen triennio post emanatum assertum decretum Gregorianum, quod dicitur editum anno 1581. idem sanctus Carolus ann. 1584. canonicos Lateranenses ad concursum admisit, & eisdem contulit etiam Ecclesias seculares parochiales, vt ex prænarata prouisione apparet. Tertio quia Domini de Rota contrarium decreuerunt post Gregorium Decimum tertium, quos, cum sint Capellani, & Iudices à Papa deputati, non est verosimile decreta Pontificum, maximè recens edita ignorasse, vel contempsisse. Quarto quia Clemens Octauus anno 1602. contulit præposituram quandam D. Paulo Tapparello Pedemontano canonico nostræ congregationis, & ante collationem visum fuit, an ille esset capax eiusmodi beneficii de iure, & ostensum, fuisse capax. Deinde visum est, an Decretis Concilij Tridentini obstaret, canonicum regularem assumi ad dictum beneficium, & per sacram congregationem responsum fuit, non obstare, nisi ille esset translatus, nam ea de causa edita est declaratio eiusdem sacre congregationis, proximè recitata, & sic tandem collata fuit eidem præpositura, quam nunc per Dei gratiam laudabiliter regit.

DE alijs vero secularibus non Curatis, siue **VIII.** habeant annexam dignitatem, siue non habeant, maior est difficultas, an illorum canonici regulares cum sola licentia suorum Superiorum regularium sint capaces sine speciali Sedis Apostolicæ dispensatione, nam partem negantem exprcse tenetur Hostiensis, & Ioan. Cald. quos refert Abbas in dict. cap. Quod Dei timorem. de statu monachorum, qui indistinctè negant, regularem posse obtinere beneficium in Ecclesia seculari, siue collegiata, siue non collegiata, siue illud beneficium sit dignitas, siue non. Quam sententiam idem Abbas ex parte sequitur, & ex parte reijcit. Distinguit. n. primò de Ecclesijs, quæ sunt collegiata, & de illis, quæ non sunt collegiata. secundò de beneficijs, quæ sunt dignitates, & quæ non sunt dignitates, & inquit, quod canonicus, & quilibet regularis potest obtinere dignitatem in Ecclesia seculari collegiata, non autem simplex beneficium, puta canonicarum aut aliud simile, siue in Ecclesia collegiata, siue non collegiata, cuius & aliorum Doctorum quoad assertionem negatiuam vnicum fundamentum hoc est, quia in tali casu cessat ratio, ob quam permittuntur illi ad beneficia secularia, quæ est ratio maioris boni, nimirum prædicationis verbi Dei, & curæ animarum.

Nihil

I X. Nihilominus contrariam sententiam docent glossa in cap. Præterea de præbendis, & Hugutio in cap. Deus qui, de vita & honestate clericorum, relatus similiter in glossa, ubi absolute asserunt canonicum regularem posse fieri Archidiaconum, ac etiam obtinere simplicem canonicatum in Ecclesia seculari. & hanc sententiam secutus est in quodam suo consilio perill. & excell. Mag. meus D. Marcus Antonius Othellius in Almo Gymnasio Patuino Primarius iuris ciuilibus horis matutinis interpres, quam ego probabilem censeo, non propter inordinatum aliquem in meum ordinem affectum, sed propter euidentem rationem in præcedentibus insinuatam, quia unicuique licet, quod illi nullo iure prohibetur: verum nullo iure prohibetur, canonicum regularem effici Archidiaconum, vel canonicum in Ecclesia seculari: quod patet ponderando iura, quæ in contrarium afferuntur. primò namque allegatur textus in cap. Super eo, de Regularibus, ubi interdicitur clerico, qui religionem ingressus est, reuerti ad beneficium seculare, quod ante ingressum habuerat. Verum ille textus necessario intelligendus est de monachis, & ad illos restringendus, nec comprehendit canonicos regulares: alias contrarius erit suo auctori, qui dicit in cap. Quod Dei timorem, de statu monachorum, Plebanum Ecclesie secularis posse profiteri in monasterio canonicorum regularium, & nihilominus consentiente Episcopo, & suo Superiori regulari manere in regimine suæ plebis. & quod ille textus loquatur de monachis sancti Benedicti, patet ex lectione. Secundò Obijciunt iura, quæ dicunt, non debere homines disparis professionis in eodem collegio sociari. cap. in nona 16. q. 7. & Clementina prima de electione. Verum illa iura extra propositum allegantur: nam loquuntur de monachis, & clericis, vel de clericis, & laicis, & volunt dicere, quòd in eodem monasterio non debent esse clerici, & monachi, nec monachus debet præfici monasterio clericorum, neque è contra, neque in eodem collegio debent esse laici, & clericis non autem loquuntur de collegijs Ecclesiarum secularium. Episcopus enim cum suis canonicis facit vnum collegium, & tamen collegium seculare potest habere Episcopum canonicum regularem, vel monachum. Deinde canonici seculares, & regulares non sunt disparis professionis essentialiter, sed solum accidentaliter, quatenus seculares deficiunt à perfectione regularium, immò sunt essentialiter vnus, & eiusdem professionis. quare textus allegati nihil contra illos faciunt, præsertim quòd regulares, & seculares clerici conueniunt in habitu essentiali, & clericus regularis promotus ad beneficium in Ecclesia seculari, potest, retento habitu essentiali, se conformare cum cæteris clericis secularibus in habitu accidentali, vt patet in ijs, qui assumuntur ad cathedrales. Tertio videtur posse obijci, quòd nemo professus vitam regularem potest reuerti ad statum secularem, vt videtur dicere textus in eodem cap. super eo. de Regularibus. Verum si hæc ratio militaret, concluderet etiam, ca-

nonicum regularem non posse obtinere beneficium curatum seculare. At reuera neutrum concludit, quia per ademptionem beneficii secularis, siue curati, siue non curati regularis non transit ad seclari-tatem: id enim neque Summus Pontifex concedere potest, vt scilicet in regulari professo extinguatur obligatio votorum, vt dicitur in cap. cum ad monasterium. de statu monachorum, in fine. Quod verum est etiam in Episcopo assumpto ex ordine regulari, vt lib. 1. dictum fuit. vnde per hoc, quod constituitur in collegio seculari, non eximitur ab obedientia, sed constituitur sub alio Superiore, sicut Episcopus regularis, neque fit proprietarius, sed administrator bonorum temporalium sui beneficii, sicut etiam Episcopus regularis: multò minus dispensatur à voto castitatis, vt patet. quare singula colligendo, nullum apparet ius, quo prohibeatur canonico regulari obtinere beneficium seculare non curatum.

Hæc ratio implicite fuit insinuata ab Innocentio Tertio in cap. Quod Dei timorem, cum decreuit, canonicos regulares posse præfici Ecclesijs parochialibus secularibus: duas enim huius decisionis rationes attulit, alteram, quæ specialiter militat in solis canonicis regularibus: alteram, quæ etiam monachos comprehendit. Prima ratio est, quia licet in Concilio Lateranen. prohibeatur, ne monachi soli per parochias, & oppida vagentur, hoc tamen non prohibetur canonicis regularibus, quia illi inseruiunt regulæ laxiori, quæ ratio si procedit in beneficijs curatis, procedit etiam in non curatis: nam nullum est Concilium, nullus Canon, qui hæcenus prohibuerit canonicis regularibus adipisci beneficia non curata, sicut etiam nullus Canon prohibet adipisci beneficia curata: immò verò implicite, & latenter Pontifex aufert dubium, quod posset oriri in casu nostro: posset enim videri indecens, canonicum regularem dimittere claustrum, vt maneret apud beneficium seculare. Verum hæc indecentia, quæ sola videtur contrariam opinionem corroborare, tollitur ex natura, & conditione regulæ, quam ipsi canonici regulares profitentur, quæ laxior est, quam regula monastica, quæ sicut permittit canonico regulari exire solum de claustro ad regendas Ecclesias curatas: ita etiam permittit exire solum ad obtinendum beneficium non curatum. sed Abbas, & qui contrarium tenent, decepti sunt, quia crediderunt Canonem permittere canonico regulari ademptionem beneficii secularis solum propter munus prædicationis, quod est priuilegiatum, quod non est verum, quia propter hanc causam nihil plus haberet canonicus regularis, quam monachus, vt apparet ex lectione textus. nec opus fuisset considerare, an regula canonicorum esset laxior regula monastica. alia igitur fuit ratio, eaque peculiaris in canonico regulari, quæ est latitudo regulæ canonicæ, quam rationem non aduertentes Doctores, & pari modo de canonicis regularibus, & de monachis ratiocinantes, eodem modo negant canonicos, & monachos esse capaces beneficii non curati,

curati, in quare plurimum à vero intellectu literæ prædicti Canonis recedere videntur.

XI. **S**ed ad maius robur nostræ sententiæ applicando rationes superius factas sic arguo. si repugnat canonico regulari obtinere beneficiū seculare nō curatū, vel repugnat illi ex natura, & conditione proprii ordinis, vel status, vel ex professione, vel ex natura, & cōditione ipsius beneficii, nō ex primo capite, quia canonicus regularis ex sui natura, & persōnā est clericus, & capax cuiuscūq; beneficii siue curati, siue non curati: nam in primitiua Ecclesia, & per multa secula omnia beneficia siue curata, siue non curata tenebantur à clericis regularibus, & illi in bono statu perseverantes non sunt effecti deterioris conditionis, quā illi, qui à bono statu defecerunt. non etiam ex vi suæ professionis, quia immo canonici regulares in professione expriment, quod non acceptabunt beneficiū seculare, intus, siue extra ordinem, siue curatum, siue non curatum, sine licentia suorum Superiorum. quæ exceptio firmat regulam in contrarium, quod non intendunt exspoliare se proprio iure obtinendi beneficia extra ordinem siue curata, siue non curata accedente licentia suorum Superiorum. Tandem non repugnat ex natura, & conditione ipsius beneficii: nam illud nihil aliud requirit, nisi, vt qui illud tenet, sit clericus aptus ad exercenda munera, propter quæ datur ipsum beneficiū: quæ omnia supponimus esse in canonico regulari habentē sufficientem scientiam, & bonam conscientiam.

XII. **T**ertio probatur eadem sententia ex facto, multi enim reperiuntur ex ordine canonico assumpti ad dignitates, & canonicatus simplices in Ecclesijs secularibus, & in primis in Ecclesia Taurinensi. Præpositus sancti Laurentij de plebe Martyrum, qui erat canonicus regularis, semper erat canonicus Ecclesiæ cathedralis, vt constat ex Privilegio Cuniberti Taurinensis Episcopi supra cap. 57. recitato. Similiter in Ecclesia Bononiensi. Guido Bassius cognomento Archidiaconus, antequam esset Archidiaconus sancti Petri, erat canonicus regularis in monasterio sancti Victoris Bononiensis: vt dicit Ioannes de Nigraualle Apostolicus Bibliothecarius in eadem Ecclesia. Lambertus de Fagnano Archidiaconus, qui postea assumptus ad Cardinalatum demum Summus Pontifex est renunciatus, vocatus fuit Honorius Secundus, antequam fertur fuisse canonicus regularis. Dicitur, Ecclesiam Bononiensem, & Taurinensem per ea tempora fuisse Regulares, ideo præferam exemplar recentiora, nam ante annos 25. vel 30. D. Cherubinus Ariminensis ex nostra congregatione obtinuit Archidiaconatū in Ecclesia cathedrali Alexandrina, quem multis annis tenuit: ante annos circiter 15. D. Franciscus Iustinianus Venetus ex eadem congregatione obtinuit canonicatū in Ecclesia cathedrali Iustinopolitana. anno verò 1616. D. Aemilius Garacciolus Neapolitanus obtinuit à sœcl. record. Paulo Quinto canonicatū in Ecclesia cathedrali Caprienti, & Summus Pontifex iussit examinari, an canonicus

regularis esset capax canonicatus secularis, & competentē capacitate visā præsertim forma professionis nostrorum canonicorum cum clausula illa: *Et quod nunquam absque licentia Capituli Generalis dictæ congregationis, vel eius autoritate surgentis aliquod cum cura, vel sine cura beneficiū acceptabo intus, vel extra ordinem nostrum.* Idem Pontifex tandem annuit, & supplicationem signavit. & hæc omnia ipse vidi, & tractavi.

Quæ recolenda existimaui, non quod magnopere interfit, nostros canonicos ad beneficia secularia regenda à claustro recedere: sed vt de bono iure nostro constaret, contra nonnullos recedentes, quorum omne studium in regularium priuilegijs, ac iuribus abradendis positum videtur. illud tandem adiciens, quando casus tulerit assumendi canonicos regulares ad regimen Ecclesiarum, non sine delectu admittendos, & cum conditione à Canone præscripta, vt habeant socium sui ordinis, si commodè fieri possit.

Caput septuagesimum tertium.

Quod alij Regularium Ordines siue illorum Autores, & Legislatores, siue præcipui illustratores ex Ordine Canonico Regularium prodierunt.



LX alio etiam capite canonici ordinis dignitas, & super ceteros eminentia dignoscitur, quod iuxta regulam Aristotelicam in secundo prima Philosophiæ text. 4. *Primum in unoquoque genere, ceterorum omnium in eodem genere existentium, est causa.* Ex ordine canonico ceteri omnes vel suam originem traxerunt, vel suos autores, & Legislatores, vel saltem præcipuos illustratores acceperunt: etsi enim ordo monasticus (vt ab illo veluti antiquissimo in Ecclesia ordiamur) vetustissimus fuerit statim post tempora ipsorum Apostolorum, eum tamen à clericali ordine institutum ostendit D. Dionysius Areopagita in epistola ad Demophilum monachum, illius ausum obiurgans, quod contra Sacerdotes, & clericos seipsum extulisset, à quibus diuina discere debuisset, & à quibus etiam, vt monachus fieret, accepit. hinc verissime Ioannes de Nigraualle sæpè allegatus: *Inter omnes, inquit, Ecclesiasticos ordines siue religiones primatum, siue maiorem obtinet ordo canonicus, antiquitate, doctrina, regimine, nobilitate, atque sanctorum numerositate. Antiquitate siquidem, quia ex canonico ordine omnia primario cetera omnes religiones veluti ex limpidissimo fonte quasi riuuli profaxerunt: ex eo namq; primatus monasticus ordo traxit originem: cum enim in primitiua Ecclesia dicitur, & infra. Ideo monachi dicuntur figurati filij Prophetarum, id est clericorum, vel canonicorum: quia in nouo testamento cesarum figurati, & succedunt veritate ex regularibus clericis, siue canonicis*

ab Apostolis institutis, ut supra visum est, per prædicationem & informationem originem habuerunt.

At non solum originem, verum etiam præcipuos illustratores ex eodem ordine canonicorum ipse ordo Monasticus accepit: nam Leones Tertium, & Quartum, Urbanum Secundum, & Paschalem Secundum, quos monachi D. Benedicti suos faciunt, ex ordine canonicorum illos accepisse inferius in Catalogo virorum illustrium canonici ordinis ostendemus. Idem de sanctis Beruuardo, & Godehardo Hildesimensibus Episcopis, Vulfrano Senonensi, Volfango Ratisponensi, Leodegario, & alijs. Idem de Guiberto fundatore monasterij Gemblacensis, de Odone fundatore monasterij Cluniacensis Turo-nensi antea canonico, in eodem Catalogo præstandum erit.

De Cisterciensibus res adhuc multò magis conspicua est, cum vnus Malachias regularis canonicus in Hybernia tot Cisterciensium Cœnobia fundauerit, cum integra canonicorum monasteria ad Cistercienses transferint, ut patet de Alua Abbatia canonicorum regularium Leodiensium, quam sanctus Bernardus in monasterium Cisterciensium mutauit, & de Priore monasterij Eboracensis cū omnibus ferè dicti monasterij fratribus ad Cistercienses profectis, pro quibus ipse D. Bernardus ad Abbatem Eboracensem scripsit epistolam, quæ est in ordine 95. ex quorum numero videtur fuisse Beatus Humbertus, cuius laudes recensuit idem Diuus Bernardus in proprio sermone de eodem habito.

Ordo quoque præclarissimus Carthusianorum nonne ab ipsis regularibus canonicis fuit fundatus, & decoratus? nam canonicus regularis Ecclesiæ Rhemensis fuit ipse Bruno primus instituti autor, ut in eius vita legitur, canonici duo ex primis coadiutoribus ex sancti Rufi congregatione profecti, vterque Stephanus vocatus, alter Diehsis, alter Burgensis, ut ex Chronicis dictæ congregationis, & in vita sancti Hugonis Gratianopolitani apparet, canonicus regularis ipse Hugo Gratianopolitanus, cuius autoritate, & auxilio tam sancto operi manum admouerunt, & ordinis fundamenta iecerunt, in Ecclesia regulari Gratianopolitana regulariter viuens, ut patet ex illius vita, rogante Airaldo Morianensi Episcopo descripta, canonicus etiam regularis Hugo alter Lincolnien-sis in Anglia Episcopus, qui primus instituta Carthusianorum in Angliam inuexit. ex Archidiacono Cantuariensi in Historia Ecclesiastica Anglicana seculo 12. cap. 35. & demum integræ domus canonicorum regularium nempe Carlesiensis, excubiarum, & Eremi nuncupata in initio ferè ipsius foundationis Carthusianorum ordinis illius vitæ normam amplexatæ fuerunt. ex eodem Archidiacono Cantuariense.

Congregationis quoque monachorum ordinis D. Benedicti antea sanctæ Iustinæ, nunc Casinensis nuncupatæ primum autorem extitisse Ludouicum Balbum Patricium Venerum postea Episcopum Taruisinum tum dictæ congregationis Chronicæ,

tum etiam Epitaphium eius tumulo inscriptum, quod in æde sanctæ Iustinæ Patauina, videlicet in Capitulo monasterij visitur, manifestè adstipulantur, quod Epitaphium hic adicio ad tanti præsulis dignitatem, & vitæ sanctitatem commemorandam, illud autem est huiusmodi:

*Mille quadringentis Domini currentibus annis
Quadragesima tribus, Septembris mense fluente,
Progenie Veneta Balbo Ludouicus in astris
Mente nitens, tumulo clausus sepelitur in isto.
Splendidus ille fuit, lucens virtute per orbem.
Quin etiam clemens, humilis, super omnia castus.
Alma Iustina Patauæ tunc extitit Abbas,
Cum Sancti normam Benedicti consolidauit.
Illinc Italia celebres lustrando per urbes,
Ornauit Monachis Christo famulantibus alio
Consilij Sancti Præses, Præfectus, & autor,
Ecclesiæ pacem tractando schisma remouit.
Eugenij Quarti præcepto Præsulis Orbis
Antistes nolens est Taruisinus inunctus.*

Porro eundem Ludouicum ex canonico regulari ordinis sancti Augustini, & Priore sancti Georgij in Alga ad ædem sanctæ Iustinæ Patauinam migrasse, habes manifestè, & expressè ex literis Bonifacij Noni, & Gregorij XII. per quas ordo canonicorum secularium sancti Georgij de Alga nuncupatorum in eodem monasterio sancti Georgij ad hunc effectum per supradictum D. Ludouicum resignato, fuit institutus, quæ literæ in Bullario per Laërtium Cherubinum recens edito constit. 1. Gregorij Papæ XII. videri possunt.

Autores Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redem- I I. ptionis Captiuorum, qui sub Innocentio III. anno 1198. est inchoatus, & anno 1209. ab eodem Pontifice confirmatus, antequam dictus ordo probaretur, ad Abbatem, & Canonicos sancti Victoris Parisiensis pro regularibus institutis addiscendis ab eodem Pontifice fuerunt destinati. Constat ex literis eiusdem Innocentij Papæ lib. 1. fol. 233. registratis, quæ habentur etiam in Bullario inter illius Bullas constitutione prima. Eundem ordinem Ioannes Rex Portugalliæ huius nominis Tertius in suis regnis cupiens instaurare, duodecim iuuenes sapientia, & ingenio præstantes delegit, quos ad Priorem sancti Vincentij Vlyssiponensis nomine Franciscum destinauit, ut habitum regularem illius ordinis acciperent, & cum illo vitæ regularis institutum in eodem monasterio discerent: atque in hunc modum dictus ordo in partibus Lusitanæ ad meliorem frugem, & pristinam disciplinam, à qua non nihil defecerat, optimè est reformatus. Ex Chronicis dicti monasterij sancti Vincentij Vlyssiponensis.

DE sancto Dominico præclarissimi Ordinis III. Prædicatorum Fundatore non est dubium, quod fuerit canonicus regularis in Ecclesia Oxoniensi, ut constat ex Breuiario Romano, & ex Bulla Honorij III. eidem Dominico, & illius fratribus directa, per quam illius ordinem primus in hunc modum probauit, & confirmauit.

Hono-

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Dominico Priori sancti Romani Tolosanensis, eiusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis, Salutem, & Apostolicam benedictionem, Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursum, aut eos a proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacra religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam sancti Romani Tolosanensis, in qua diuino estis obsequio mancipati, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communitimus. in primis siquidem statuente, ut ordo Canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini Regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis idem temporibus inuiolabiliter obseruetur.

IV. **S**anctus Antonius de Padua nuncupatus, qui primus ex ordine Seraphico Beati Francisci Assisij cathedram magistralem tenuit, & sacras literas publicè est interpretatus, quem Summus Pontifex aliquando concionantem audiens, arcam testamenti appellauit, quique primus post ipsum Beatum Franciscum ab eodem Summo Pontifice in Catalogum Sanctorum solemniter est relatus, priusquam ad ordinem Seraphicum ob spem martyrii concederet, in ordine canonicorum regularium, nimirum in Coenobijs sancti Vincentij Vlyssiponensis, & sanctæ Crucis Colimbricensis admirabili vitæ sanctitate, virtutum etiam, & miraculorum splendore coruscans vndecim annis fuerat conuersatus.

Beatum Nicolaum Tolentinatam, qui incomparabilis vitæ innocentia, & virtutum splendore ordinem Eremitarum Augustinensium decorauit, ex ordine canonicorum regularium, nimirum ex collegio sancti Saluatoris Castri sancti Angeli Firmanæ diocesis ad Eremitas fratris Ioannis Boni nuncupatos arctioris vitæ desiderio commigrasse, autor est Beatus Antoninus Florentinus in Historia 3. par. tit. 24. in principio, sic scribens: *In iuuenili igitur ætate sanctè conuersans cuiusdam Ecclesie sancti Saluatoris canonicus efficitur regularis: nam dictam Ecclesiam, quæ nunc secularium canonicorum conuentum habet, antea regularem fuisse præter verusta illius monumenta, indicat nomen, ac dignitas Prioris inter canonicos retenta.*

Demum Carmelitæ, qui quartum locum obtinent inter mendicantes, ab Alberto Patriarcha Ierosolimitano antea canonico regulari sanctæ Crucis Mortariensis proprii instituti normam, & regulam acceperunt, quam postea Honorius III. sua constit. 8. in ordine, anno sui Pontificatus 10. probauit & firmavit.

Caput septuagesimumquartum.

Catalogus omnium Ordinum, & Congregationum sub magni Patris Augustini Regula militantium.



Via fuerunt nonnulli, qui Catalogos Congregationum, & ordinum sub magni Patris Augustini regula militantium describentes, pro luce non veritatem, sed proprium ingenium, vel commodum habentes, multos illos errorum caligine obfusos in lucem ediderunt, tandem pro libri huius colophone, siue coronide prædictum Catalogum non è turbidis fontibus, vel ex frigido cerebro haustum, sed ex veris, probatisque autoribus, & authenticis documentis collectum adnotabo: qui tamen duas in classes facilioris doctrinæ gratia diuisus erit. in quarum priori canonicorum, seu clericorum: in posteriori verò cæterorum siue mendicantium, siue non mendicantium Ordines recensere.

Inter ordines canonicorum siue clericorum B. Augustini Regulam profitentium primus est ordo, qui in Concilijs antiquis, necnon in literis Pontificijs, Iure Canonico, Prouinciali Romano, libris taxarum Camera Apostolicæ, & in Praxi Cancellariæ Apostolicæ ordo S. Augustini simpliciter, & sine aliquo addito vocatur à Sanctissimis Apostolis institutus, & per B. Augustinum in Ecclesia Hypponensi reformatus, seu restitutus, & diuinis regulis informatus: de quo lib. 1. per totum. Hic ordo iuxta varias reformationes, quas progressibus temporum accepit, in multos canonicorum coetus fuit diuisus, & compluribus congregationibus decoratus, quarum prima est.

Congregatio Lateranensis circa annum Domini 440. per Gelasium B. Augustini discipulum inchoata, postea per Alexandrum II. circa annum nostræ salutis 1060. reparata, demum per Eugenium IV. anno 1445. restituta ex canonicis S. Mariæ de Frisonaria Lucanæ diocesis anno 1460. reformatis, autoribus Venerabilibus, & pijs sacerdotibus Bartholomæo Romano ex familia Columnensium, Leone de Carrate S. Petri in cælo aureo Papiæ canonico professo, & monasterij Priore, & Iuris Pontificij Doctore, necnon Thadæo de Binasco eiusdem monasterij s. Petri canonico: non autem à Fratre Iacobo Bergomensis ex ordine Prædicatorum Apostata, vt quidam autores parum religiosè, ac minus veridicè calumniantur. de cuius reformationis, & congregationis totius origine, & proeursu. vide libro sequenti per totum.

Secunda S. Frigidiani Lucensis, quam idem sanctus Frigidianus canonicus Lateranensis, & Lucensis Episcopus anno 556. sub Pelagio Primo fundauit, sub tempora Alexandri II. & demum valde propagata. vide hoc lib. cap. 45.

Tertia

Tertia S. Rufi, non à B. Rufo siue Arnulpho Lugdunensi Archiepiscopo apud Valentiam in Delphinatu, sed à quatuor Cathedralibus, ijsq; regularibus Auenionensis Ecclesiæ canonicis primò in Ecclesia S. Rufi Auenionensium Apostoli, & primi Episcopi, & prope eandem ciuitatem Auenionensem, circa annum Domini 1000. inchoata: cuius tamen caput anno 1210. Valentiam fuit translatum. vide cap. 55.

Quarta s. Laurentij de Plebe martyrum in Delphinatu, in Episcopatu tamen Taurinensi, de cuius origine constat ante annum 1050. autor Ven. Sacerdos Gerardus de oppido Vltij, postea Episcopus Sistarientis. vide cap. 57.

Quinta s. Crucis Mortariensis. fundauit Ven. Sacerdos Adamus ex Castro Mortarij, sub Gregorio VII. circa annum 1080. quam idem Gregorius, & illius successor Vrbanus II. multis attributis priuilegijs decorauit. vide cap. 46.

Sexta s. Mariæ in Portu Adriatico apud Rauennam, eodem tempore exorta, & à Ven. Petro de Honestis Ciue Rauennatenfi Portuensis Cœnobij Priore sanctissimis legibus munita, quas deinde Paschalis II. sua autoritate probauit. vide cap. 47.

Septima s. Nicolai de Aroasia prouinciæ Attrebatensis in Gallobelgica, cuius initium refertur ad annum 1097. autore Conone postea S. R. E. Cardinali cum socio Heldemaro. vide cap. 61.

Octaua Marbacensis in Marbach oppido Alsatia fundata anno 1094. vt supra cap. 39. & 66. vel anno 1090. vt Munsterus pag. 439. editionis Basilea. de qua vide, quæ supra locis citatis diximus.

Nona sancti Sepulchri Ierosolimitana post recuperatam Ierosolimam sub pijsimis, & verè Christianis Principibus Gotifredo, & Balduino circa annum 1100. restituta, & dilatata. vide cap. 66.

10. Sanctæ Crucis Colimbricensis, quam anno 1131. fundauerunt tres religiosissimi Colimbricensis Ecclesiæ tunc regularis canonici Tello. Archidiaconus, Michaël Prior, & Ioannes Magister Scholarum, cum Theonio, & alijs sanctis viris. vide cap. 58. cum seq.

11. s. Mariæ ad Rhenum prope Bononiam in Emilia, quam per idem tempus nonnulli canonici regulares sese in eo loco colligentes, & vitam in melius reformantes erexerunt. Desijt anno Domini 1430. sub Francisco Ghislerio Priore, in quo penitus fuit extincta. vide cap. 48.

12. s. Victoris Parisiensis, quæ habuit initium ante annum 1120. & summis viris sanctitate, & doctrina conspicuis floruit. vide cap. 56.

13. s. Iacobi de Cella Volana in diocesi Comaculensi. fundatio monasterij annum 1000. antecedit, sed nonnisi post annum 1200. cœpit habere alia monasteria sibi vnita. vide cap. 54.

14. s. Mariæ de Crescentiaco prope Mediolanū, cuius primordia annum 1140. præcesserunt. vide cap. 49.

15. Vallis Viridis nuncupata, de cuius prima origine non constat, nisi quod ante annum 1200.

erat instituta. vide cap. 65.

16. Nuffiensis in oppido Nuffiæ Diocesis Coloniensis ab illius Ecclesiæ canonicis sub Philippo 44. Episcopo fundata. vide cap. 65.

17. s. Marci prope Mantuam per Ven. Sacerdotem Albertum Spinolam aliàs de Formigosa anno 1198. instituta. Desijt penitus ante annos circiter 25. existente Duce Mantuæ Serenissimo Vincentio Gonzaga, quo curante, monasterium s. Marci monachis Camaldulensibus est datum. vide cap. 50.

18. Vuindesimensis in Belgio, cuius autor fuit Magister Gerardus sub anno 1386. quæ magnos progressus facit, & fecit. vide cap. 62.

19. s. Saluatoris de Bononia vulgo Scopetinarum appellata, quæ Ven. & Beato viro fratri Stephano Eremitæ Augustinensi ex monasterio s. Saluatoris Ilicetani apud Senas profecto sua primordia refert. vide cap. 52. & seq.

20. Sancti Spiritus Venetiæ. habuit initium anno 1424. non à quodam fratre Gabriele Spoletano ordinis Eremitarum, vt quidam falsò autumāt, quippe qui fratres Eremitas instituit, non canonicos regulares: sed à quatuor religiosis clericis, & patitijs Venetis, qui cum hortante fratre Gabriele Spoletano habitum Eremitarum induissent, anno 1424. mandante Martino Papa V. eundem habitum dimittentes, & canonicorum regularium assumentes, in monasterio sancti Spiritus antiquum institutum canonicorum regularium, quod ibi antea viguerat, restituerunt. vide cap. 54.

21. Omnium Sanctorum Olomutiensis ante Alexandrum VI. erecta, cui idem Alexander canonicorum regularium Lateranensium titulum, & priuilegia concessit. vide cap. 65.

22. s. Petri de monte Corbulo in Hetruria, quæ initium habuit sub Iulio II. de qua vide cap. 54.

23. Castrinantonis in Gallijs eodem tempore instituta, cuius meminit Ioannes Trullus lib. 1. cap. 10. num. 6. ex Roberto Arboricensi. aliud non vidi.

24. Scholarium apud Bononiam, quæ ante annum. 1200. erat instituta. ex Iacobo de Vitriaco, sed aliud non reperi. vide cap. 54.

PRæter supradictas congregationes, quæ ad ordinem s. Augustini simpliciter nuncupatū attinent, est secundus ordo canonicorum regularium sub regula D. Augustini, qui dicitur Præmonstratensis à s. Norberto Lotharingo in loco Præmonstrato anno 1120. institutus. vide cap. 69.

Tertius ordo Gilbertinorum, cuius autor fuit Gilbertus de Sempingam oppido Angliæ an. 1148. vide cap. 69.

Quartus ordo canonicorum s. Iacobi de Spata, quem ferunt à Ramiro Legionensium Rege primitus institutum: verum illi nonnisi sub Alexandro Tertio nomen, & regulam canonicorum regularium D. Augustini, vel post illum obtinuerunt, vt ex eiusdem Pontificis constitutione quinta liquet. vide cap. 69.

Quintus ordo s. Mariæ de Metri, siue de penitentia

tentia martyrum, cuius professores vocantur canonici regulares ordinis s. Augustini. ex Martino Baronio in vita B. Isaia Cracouiensis pag. 7. & 12. & in vita B. Stanislai pag. 10. hic ordo nunc floret in regno Poloniae.

Sextus ordo sancti Spiritus in Saxia, cuius clerici regulares sub B. Augustini regula degentes in nonnullis literis Apostolicis vocantur.

Septimus ordo Cruciferorum apud Huyū Flandriae oppidum dioecesis Leodiensis anno 1248. institutus. cuius professores in quibusdā literis Apostolicis nomine canonicorum regularium appellantur. vide cap. 69.

Octauus ordo s. Antonij Viennensis, cuius professores anno 1297. à Bonifacio Octauo titulo canonicorum, & regula B. Augustini fuerunt donati, vide cap. 69.

Nonus ordo canonicorum regularium, antea secularium in Alga per Antonium Corrarium, & alios quosdam Patritios Venetos anno 1400. fundatus. vide cap. 69. & hi omnes dicuntur canonici regulares.

10. Ordo clericorum communiter viuentium, secularium tamen, & sine votorum professione, quem instituit Gerardus Magnus apud Dauentriam in Belgio circa annum 1376. de quo vide, quae notantur in Chronico Vuindesimensi nuper edito lib. 1.

11. Ordo clericorum regularium Theatinorum, cuius fundamenta posuit anno 1524. Reuerendiss. Pater D. Ioannes Carapha Episcopus Theatinus, qui postea ad Summum Pontificatum euectus Paulus IV. est appellatus.

12. Clericorum Boni Iesu in ciuitate Rauennae per quosdam deuotos, & pios clericos, suadente Seraphino Firmano ex nostra congregatione Lateranensi verbi Dei praecone feruidissimo, anno 1526. initiatus.

13. Clericorum regularium s. Maioli de Somasca, qui suam originem debet Ven. viro Hieronymo Aemiliano ex ciuitate Venetiarum sub anno 1531. qui à Paulo Tertio anno 1540. fuit confirmatus.

14. Clericorum regularium s. Pauli Decollati vulgo Barnabitarum ab Ecclesia s. Barnabae olim canonicorum regularium in ciuitate Mediolani, in qua idem ordo, suadente potissimum eodem Seraphino Firmano, per tres piissimos seruos Dei Iacobū Morigiam Mediolanensem, Franciscum Mariam de Zacharijs Cremonensem, & Bartholomaeum de Ferrarijs primitus fuit institutus.

15. Clericorum Seruientium infirmis, quem Ven. Camillus de Lælijs ex oppido Bucianico inter Samnites anno 1581. primitus inchoauit, sub Gregorio XIII. postea Sixtus V. anno 1586. suo diplomate confirmauit.

16. Clericorum regularium Minorum nuncupatorum, qui sub eodem Sixto V. Romae habuit initium in Ecclesia s. Agnetis in Agone à Clemente VIII. specialiter confirmatus. Et alij forsā sunt ordines clericorum regularium sub B. Augu-

stini regula militantiū, quorum institutio ad meatum nonitiam non peruenit.

Alij verò ordines ad secundā classē spectātes, III. & sub eadē B. Augustini regula instituti sunt. Primus ordo s. Barnabae, siue Apostolicorum, quē ferunt à s. Barnaba Apostolo primitus institutum. Verum anno 1484. ab Innocentio Octauo, aut ab Alexandro Sexto anno 1496. B. Augustini regula primitus donatus.

Secundus ordo Cruciferorum, qui à s. Cleto Lini successore, vel à Cyriaco Episcopo tempore magni Constantini institutus dicitur, ceterum ab Alexandro Tertio, vel Urbano Tertio sub B. Augustini regula, vt videtur, reformatus, & approbatus. de quo vide in Bullario Urbani Tertij constitut. 1. & Gregorij XIV. constitut. 13.

Tertius Gulielmitarum, quem ferunt à Gulielmo Duce Aquitaniae circa annum Christi 1150. sub B. Augustini regula institutum. Verum, quae de Gulielmo Aquitaniae Duce dicti ordinis fundatore nonnulli comminiscuntur, reijcit Baronius tom. 12. sub anno 1136. post medium: Gulielmitas verò, quos Alexander Quartus cum ceteris Eremitis in vnum ordinem collegit, quique tandem ab vnione resilerunt, non sub B. Augustini, sed Benedicti regula ante dictam vnionem institutos, constat ex literis Innocentij Quarti, & aliorum, quas vide lib. 1. cap. 46.

Quartus ordo Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captiuorum sub Innocentio Tertio institutus, & ab illo sub anno 1198. confirmatus, vt ex illius constitutione prima apparet.

Quintus ordo Vallis scholarium apud Parisium per Gulielmum Scholarem Parisiensem, & tres illius socios anno 1200. sub B. Augustini regula inchoatus, & per Honorium Tertium anno 1218. probatus, referente Renato Choppino in Monastico lib. 1. tit. 1. nu. 13. & Augustino Ticinensi in Dilucidario. par. 2. fol. 38. & hic ille est Gulielmus, per quem Iacobus Philippus Bergomensis, & alij nonnulli nominum æquiocatione decepti, ferunt ordinem Eremitarum in Gallijs fuisse restauratum, licet dictus ordo non spectet ad Eremitas Augustinenses.

Sextus ordo Praedicatorum per B. Dominicum canonicum regularem sub Innocentio Tertio ante Concilium generale fundatus, & per Honorium Tertium anno 1216. probatus, qui magna Ecclesiae lumina in dies protulit, & profert.

Septimus ordo Eremitarum fratris Ioannis Boni circa annum 1200. inchoatus. Verum sine certo habitu, regula, & titulo, quae omnia circa tempora Gregorij Noni ex concessione Sedis Apostolicae eidem supplicantiibus facta, obtinuerunt, vt patet authenticis documentis, quae lib. 1. cap. 47. posunt videri.

Octauus ordo Eremitarum de Brittinis in dioecesi Fanensi fundatus, seu institutus, qui idem omnino fuit cum ordine fratris Ioannis Boni, qui à loco institutionis de Brittinis, & ab autore ordo Iambonitarum

bonitarum est appellatus. vide lib. 1. eodem cap. 47. §. 7.

Nonus ordo Seruorum B. Mariæ anno 1215. inchoatus, sed ab Alexandro Quarto sub B. Augustini regula probatus, referente Syluestro Maurolico in Historia omnium Religionum lib. 4.

10. Ordo Eremitarum Tusciæ, quos Innocentius Quartus sine certo habitu, regula, & titulo per Tusciam vagantes, omnes exceptis Gulielmitis in vnam ordinem collegit, eosq; regula s. Augustini donatos, Eremitas ordinis s. Augustini vocari præcepit, quibus vnum Protectorem Riccardum s. Angeli Diaconum Cardinalem dedit. constat ex literis eiusdem Innocentij Quarti lib. 1. cap. 25. relatis. ex quibus literis habes, vnde fabulam reijcias eorū, qui fingunt, Eremitas à B. Augustino institutos à tempore persecutionis Vuandalicæ vsque ad generalem vnionem factam per Alexandrum IV. in partibus Hetruriæ fuisse conseruatos.

11. Ordo Eremitarum de Fabali, siue de monte Fabali, qui sub eadem tempora exortus, quòd ante Alexandrum IV. per Marchiam Anconitanam, & loca vicina sine certo habitu, & regula vagaretur, ab eodem Alexandro certis ordinibus Eremitarum fuit vnitus, & cum illis vnus ordo conflatus. vide lib. 1. cap. 48.

12. Ordo Eremitarum s. Augustini nuncupatus, per Alexandrum Quartum ex varijs Eremitarum ordinibus vnitus. De hoc ordine videatur Tritheimius in Historia Hirsaugica sub anno 1287.

13. Ordo s. Pauli primi Eremitæ à Ven. viro Eusebio Strigonienſi anno 1215. in Vngaria inchoatus, sed à Clemente V. anno 1306. sub regula D. Augustini per suum Legatum Apostolicum probatus.

14. Ordo B. Mariæ de Mercede, quem probauit, & B. Augustini regula donauit Gregorius IX. anno 1230. vide constit. nonam eiusdē Pontificis.

15. Ordo s. Brigidæ anno 1340. institutus, & anno 1367. ab Vrbanus V. confirmatus.

16. Ordo Iesuatorum, quem idem Vrbanus eodem anno 1367. confirmauit.

17. Ordo Eremitarum s. Hieronymi an. 1373. per Gregorium XI. sub B. Augustini regula confirmatus. floret in Hispanijs.

18. Ordo B. Ambrosij ad Nemus prope Mediolanum, quem idem Gregorius XI. eodem anno 1373. confirmauit, vt habes ex illius constitutione nona in ordine. Ex qua habes etiam, vnde illorum errorem conuincas, qui dicunt, B. Augustinum in eodem monasterio vitam Eremiticam egisse. Esseq; illudmet, cuius ipse Augustinus lib. 8. Confessionum meminit, vocans monasterium plenum bonis Fratibus.

19. Ordo Eremitarum s. Hieronymi per B. Petrum de Pisis circa annum 1367. fundatus, sed tamen sine obligatione votorum, cuius professores

Pius V. anno 1568. ad vota emittenda obligauit.

20. Ordo alius Eremitarum s. Hieronymi de Fesulis per Gregorium XII. sub regula D. Augustini probatus, vt habes inter illius Bullas constitutione 3.

21. Ordo alius sancti Pauli primi Eremitæ in Ossa Lusitanæ rupe institutus anno 1186. vt ferunt, sed anno 1562. sub Beati Augustini regula constitutus.

22. Ordo seruientium infirmis per religiosum virum Ioannem Dei Lusitanum anno 1572. inchoatus. Et alii fortè sunt ordines in externis prouincijs sub eadem Augustini regula constituti.

Sunt præterea nonnulli ordines militares sub eadem regula, Primus sancti Mauritij, quem Maurolicus temporibus magni Basilij inchoatum asserit, & suæ assertionis Pios IV. & V. testes adhibet, quorum ipse literas non vidi.

Secundus sancti Iacobi de Spata, qui vnus ordo in duas classes, alteram clericorum, alteram militum est diuisus, de quo supra hoc eodem cap. dictum fuit.

Tertius sancti Ioannis Ierosolimitani Melitenſium vocatus, quem Iacobus de Vitriaco in Historia Orientali cap. 64. fatetur, Redemptionem Ierosolimæ per Gotifredum præcessisse, post ipsam recuperationem ab infidelibus sub certo habitu regulariter institutus, ex eodem Iacobo de Vitriaco.

Quartus sancti Lazari Ierosolimitani, quem sub regula B. Augustini institutum fatetur Alexander Quartus constit. 1.

Quintus sanctæ Mariæ de Mercede, qui etiam in clericos, & milites est diuisus, à D. Petro Rege Aragoniorum institutus, & per Gregorium Nonum confirmatus, de quo in illius Bullis constit. 9.

Sextus sancti Sepulchri Ierosolimitani, qui Patriarchæ Ierosolimitano obedientiam præstabat, de quo Iacobus Villamontius, Ioannes Zaalardus, Bartholomæus à Salignaco, & alij, post captam ab infidelibus Ierosolimam ferè extinctus. Fertur habere nonnullos Prioratus in partibus Galliarum. Videatur Franciscus Menenius in lib. cuius est titulus, Deliciæ Equestrium. Alij alios ordines militares addunt, vt Equitum IESU CHRISTI in Lusitania, Theutonicorum in Germania, sancti Michélis, & sancti Spiritus in Gallijs, quos tamen sub regula D. Augustini institutos nullo documento authentico cognoui. Hunc Catalogum ex probatis Scripturis, & autoribus fide dignis collectum, si cum alijs per Ludouicum de Angelis, Cornelium Lancillottum, & Autorem quendam anonimum post libellum B. Humberti de tribus votis, & alios nonnullos recentiores editis conferas, habebis, vnde non solum paucos defectus illorum suppleas, sed plures etiã errores in illis corrigas, & emendes.

Eset nobis hic loci ponendum Priuilegium Innocentij Octauj pro Congregatione Sancti Rufi, cuius supra capite 56. in dicta Congregatione mentio habita, quippe quòd illius exemplum, quod vnicum præ manibus habebamus, à Reuerendissimo Abbate Generali dictæ Congregationis transmissum, casu deperditum, tunc inuenire minimè licuisset. Verùm illud magna diligentia conquisitum hætenus inuenire non potuimus, quod si naçi fuerimus, in finem Tertij Libri rejiciemus.

1478